RODOLPHI AGRICOLAE PHRISII DE INVENTIONE DIALECTICA LIBRI OMNES ET

integri & recogniti, qui iam olim quidem in publicum prodierunt, sed trunci ac mutili nec minus item deprauati, nunc demum ad autographi exemplaris fidem, per Alardum Aemstelredamum accuratius emendati, & additis annotationibus illustrati.

CVM ALIIS NON PARVM

MVLTIS EODEM PERTINENTIBVS, (atq; ijs sanè iam nunc primum æditis) quæ uersa monstrabit pagina.

[redacted]



COLONIAE
IOANNES GYMNICVS EXCVDEBAT
Anno à Christo nato. M. D. XXXIX.

TOMI PRIORIS INDEX.

RODOLPHI AGRICOLAE, de inuentione dialectica libri omnes.

RODOLPHI AGRICOLAE singulares aliquot de Vniuersalibus quæstiones, quas inuenies pag. tricesimaseptima.

PROPAEDEVMATVM dialecticæ Inuentionis opusculum in primis frugiferum iuxta ac necessarium, circunstantias siue attributa personarum & rerum ad locos Rodolphi Agricolæ Phrisij redacta, simul & exemplis aliquot omnis generis additis enodatius explicata compendio pert[illegible]

SCHOLIA in orationem pro lege Manilia, quibus ea potissimum, quæ ad dialecticen, hoc est, inueniendi iudicandiq; rationem attinere uidentur, breuiter explicantur.

AVCTARIVM in eandem.



ALARDVS AEMSTELREDAMVS CONRADO GOCLENIO

literatissimo moderatissimoq; collegij trilinguis apud inclytum Louanium professori, canonico Antuerpiensi. S. D.



QVEMADMODVM agricola, quum non sine labore quidem semina deposuit, ubi uidet terram feracem segetemq; prouentu exuberantem, superiorum laborũ obliuiscitur, atq; ad reliquum operæ conseruationemq; lucri expectatione excitatur: Ita & ego in disseminandis Rodolphi Agricolæ lucubrationibus. Verum hæc agricolatio quanto feracior quantoq; lucrosior est? Nam illa quidem frugum sensibilium copiam adferens corporibus reponit alimoniam. Hæc uero dum Inuentionis depromit doctrinam literariorumq; donorum abundantiam adfert, cum diuitias recondit, alimoniam quæ neque consumi neque uitiari potest, reditus qui neque pereunt neque corrũpuntur, sed arcana quadam prouidentia conseruantur, quorum usufructus mente percipitur. Hic est meorum laborum prouentus, hæ sunt opes, quas Inuentionis dialecticæ candidatis recondimus. Has itaq; quum considero in studiosis augescere, gaudeo semper, ut qui non frustra sementem fecerim, ut qui non in cassum labores pertulerim, ut qui in frugiferam pinguemq; terram & ad fructificandum impense idoneam, semen iecerim. Vnde igitur hoc lucrum fore coniecto? unde perspicio Inuentionem dialecticam ad opes proficere? nimirum ex eo, quod ex quantumuis deprauato exemplari, nobis primum Dauentria Louanium usq; perlato, alia atque alia formulis ubiq; excuduntur, ex eo item quod dialecticam Inuentionem, uiam aditumq; & organum omnium artium complures sane quàm studiose amplectuntur. Ad hæc, quemadmodum si agricola crassum & pinguem agrum inueniat, nihil sui officij intermittit, sulcos secat, aratrũ ducit, sentes excindit, largiter seminat, spe pascitur, quotidie agri fertilitatem considerans, sementis geminæ segetem & messem expectat: Ita & nos cum uideamus alacritatem studiosorũ Inuentionis dialecticæ increscere, desiderium uigere, & ipsi quoq; maiori studio & promptitudine, quantum uires suppetũt, in commodum auditorum, Deiq; gloriã nonnihil afferre debemus. Atq; hoc est in causa, cur hunc uidere semper optaui diem, cum ex eruditioribus, hoc est tui ordinis professoribus, haud segnius in philosophia literatis ac bonis literis egregie uersatis, tandem aliquando prodirent qui Rodolphum non minus oratorem quam philosophum, cum dignitate, quam meretur summam, profiterentur, idq; Louanij. Atq; utinam tempus hoc sit unquam, quo tu per hasce uacationes publicitus auspicareris, perinde atque mihi semel iterumq; super ea re tecum serio agenti, pollicitus es te id breui præstaturum. Credo equidem non esse quod iure prætexas, cur minus stes promissis tuis. Tua enim unius eruditio abunde satis huic faciet professioni, ut magnificæ, ita à paucis seu potius nullo tentatæ. Egregium cum primis te artificem superioribus annis præstitisti. Principio in prælegendis rhetoricis Herennianis. Deinde in M. Tullij partitionibus oratorijs. Ad extremum in eiusdem Maniliana pariter & Miloniana. Nunc quæso eundẽ aut illo magis industrium

a 2 præsta

praesta in inuentione dialecticae, uberrimum fructum auditorio tuo frequentißimo literatißimo que allatura. Aggredere ô magnos (aderit iam tempus) honores. Audendum cum ipsa uocat res, forti ac fidenti aio auspicare, Minerua quae tibi tum suggeßit πειθὼ flexanimã, eadem nunc profecto aderit & hoc quidem praesentius aderit, quo honestior est profeßio. Perge itaq; pulcherrimis coeptis dignum imponere colophonem. Ac tum quoq; planè fortunatum esse Louanium nostrum non iniuria depraedicarim. Ad haec ut gaudio prorsus exilit animus quum reputo mecum, quãta sit in prouehendam Inuentionem dialecticam propensio Rodolphi, quamq; eam cuius parabilem esse uoluerit: Ita ingens dolor oboritur cordi meo, quoties contemplor, quam rarum sit inter studiosos studium inuentionis dialecticae. Si uere studiosi eius essemus, etiam in Academijs publicitus eã profiteremur & priusquàm profiteremur, auditores inflammaremus per amplificationem ostendentes, quãta sit illius dignitas, à quibus uiris exculta, quid magni promittat quantam adferat utilitatem, in caelum laudibus ueheremus, & quanta praecellentia sit eius exponeremus, quantãq; ijs qui sunt eam consequuti dignitatem adferat, exaggeraremus. Sic nimirum M. Tullius prius in Hortensio laudata philosophiae accendit ad illius amorem, quàm eam docuit. Hoc sine ulla dubitatione confirmãtes, inter omnia studiorum genera quae, uel publice uel priuatim perquam necessaria sunt, nihil esse prius Inuentione dialectica. Proinde merito uoce magna, & bonis lateribus hanc sedulo deberemus suadere, omniq; qua poßumus cohortatione adniti, ut studiosos huius capessendae artis omnes efficiamus. Haec compendiaria esset uia, qua potißimum, si ulla alia praeterea hinc inde studiosa iuuentus certatim in nostra commigraret gymnasia. Hisce rudimentis fideliter gradum iaceret ad ter admiranda Aristotel. arcana. Degustato enim Inuentionis dialecticae dulcore pariter ac philosophiae, ad iurisperitiae, ad medicinae, ad sacrosancta theologiae denique consortiũ accederet, & coruũq; collegia allegeretur. Nunc dialectici dialecticae professores rixis, obtrectationibus, sycophãtijs crudelius inceßimus, atque adeo diuexamus, quam ullae ferae genus inimicũ infestant, augendiq; questus causa, mutuo laniatu uiuimus, piscium ritu. Quid etiam stultius, imo perniciosius quam studiorum professoribus inuicem sese lacerantibus collabi omnes honestas disciplinas? At sine his uita hominum non est hominum, sed ferarum. Quis compendioli gratia non paratus est imponere iuuentuti, quibus nescio uncis in nassam pertractae, cuius studijs uel gratis debeamus succurrere? Quanta praeceptorũ ergo discipulos incuria ne dicam oscitantia, & indulgentia? Quanta discipulorum licentia? Quam nusquam uel syncera uel libera docendi ratio? Quinetiam uix aegreq; credas amicißime Gocleni, quam ab istis dissentiam, qui nolunt ab unoquolibet, sed tantum laurea magistrali donatis aut legi, aut profiteri Inuentionem dialecticam. Siue quasi Rodolphus tam inuoluta tamq; spinosa prodiderit, ut uix ac ne uix quidem ea, nisi à pauculis professoribus, ijsq; Aristotelicis poßint intelligi. Siue quasi Inuentionis dialect. ratio, in hoc sita sit, si argutißimas aliquot argutias utcunq; per somnium teneas. Atque utinam autorem hunc annotaciunculis aliquot & exemplis omnis generis ita facilem reddere poßimus, ut non solum à ter admirandis istis artium doctoribus, sed ab adolescentibus quoq; legi, cognosciq; & teneri poßit. Aristot. arcana quasi scilicet Eleusinà celari fortasse praestiterit, at Rodolph. sua mysteria quàmmaxime cupit euulgari. Quae (malum) ista inuidentia, doctrinam profeßionem que omnium communem, & ad omneis ex aequo pertinentem, ad pauculos istos relegare, quos hodie uulgus dialecticos uocat? quos tamen ipsos optarim maiorem in modum esse quod audiunt, uerum in praesentia hos

ualere

ualere sinamus. Non enim hoc nobis agitur, ut iam nunc cuiusquam inscitiam traducamus, sed ad optimam studij rationem adolescentes præmuniamus. Hoc quod optamus, non alia res commodius adiuuabit, certiusue præstabit, quàm si principio illud in genere lectorem admoneamus, in auspicandis hisce libris frequenter errare quosdam. Siue quod multa ascita, detorta'que, extra oleas (ut est in Græcorum prouerbio) currentes huc adferant, magis ad ostentationem ingenij quàm ad fructum auditorum. Videatur hoc odiosius à nobis dictum, nec habeant item pondus quæ dicimus, nisi id ita habere uel ipsius D. Erasmi uerbis in quadam ad Haionem epistola clarißime doceri potest. Opus inquit, de inuẽtione Rhetorica quidam onerauit commentarijs, iuuenis ut apparet nec indoctus nec infacundus, sed insunt multa πάρεργα, quædã etiã odiosiora iuueniliterq; destomachata. Malim χόλια docta et ad rem facientia. Ni tot oneribus essem oppressus, non grauarer hanc suscipere prouinciam, adeo faueo Rodolphi memoriæ. Hæc ille. Sic enim his obscurant reconditam hanc doctrinam, quemadmodum Plato suis illis numeris obfuscauit philosophiam. Etenim dum ostentandæ eruditionis suæ studio, in ipso statim operis limine prolixa quædam infulciunt, quæ fortasse post erant tradẽda, nimirum rudes discipulos odiosius retundũt, & alienant, quos allici inescariq; potius oportuit commoda breuitate, luce, ordine, alijsq; id genus illecebris. At unus omnium Agricola uir ubique sui similis, in quauis materia insignis artifex non minori iuditio quàm fide discentis agit negotium, non id statim captans, ut ipse doctus appareat, sed ut lectorem doctum reddat. Siue quod sint, qui secum adferant saliuam à pueris imbibitam, hoc est magistrorum decreta. Quicquid enim à præceptoribus acceperint, siue id doctum sit siue indoctum, nullo delectu, nulloq; iuditio solent sequi, ac claudi more, quod aiunt pilam retinere: & priuatis opinionibus infecti his seruire cogunt inuentionem dialecticam, cum ex hac potius petenda sunt omnia omnium artium organa. Alij non parum multi præmansum in os inserunt, hoc est rem docendo nimis enucleate, nimisq; frustillatim tradunt. Quod facere quidem assolent qui uelut ingenijs auditorum diffidant, ita nihil omittunt inculcantes etiam minutißimas nugas. Iam uere quod multis in locis, maxime famigeratis aliquot Academijs hi libri uix permittantur publicitus enarrari, partim fit culpa maiorum qui putant professioni suæ detrahi, si quid nouæ eruditionis accedat iuuentuti, contenti his quæ pueri didicerunt, alia nec doceri patiuntur nec sustinent discere, uel quia piget, uel quia pudet. Ita enim fere solet accidere plerisq; nostrum, ut quicquid dißideat ab ijs quæ primis annis imbibimus, protinus displiceat. Partim etiam ex uitio qui hosce libros prælegunt. Sunt enim in hoc ordine quidam intolerabili insolentia, qui simulatq; tenuerint duodecim uerba Græca, & quinq; Aristotelica, Demosthenes & Aristoteles sibi uidentur, liberales disciplinas omneis miro fastu aspernantur, & in harum professores scurriliter debacchantur. Atque hoc refero non quo cuiquam aspergam labem, qui neminem noto, sed professores admoneam, quo permodeste profiteantur autorem omnium modestißimum & perinde grauißimum. Neque sugillatum uolo solennem Academiarum usum, sed dialecticæ inuentionis abusum. In his enim quæ præleguntur aut disputantur in Academijs, medicina, iurisperitia, & theologia pertractantur, in cognitione uero inuentionis dialecticæ alijs opus est prælectionibus, alijs dissertationibus. Deinde ut qui hodieq; siue domi, siue in scholis inuentionis dialecticæ munus auspicandum suscipiant, quibus adminiculis oporteat inprimis esse instructos, quibus item rudimentis diligenter præmuniendi sint auditores intelligant. Ne quid sit (ut ferè fit) quo aliquis ὁ πρωτόπειρος in ipso operis exordio, ab hoc studio, partim difficultate ceu claua re-

percussus resiliat, partim immensa præceptionum mole deterritus resistat omittat'ue, in qua summa cum utilitate uersari poterat. Id ne qua fiat, uideor uidere mihi operam sumpturus haud quaquam fortaßis aspernandam, si epitomen primi libri de inuentione dialect. concinnem, additis sane & appositis in singulos locos exemplis. Si locos probabiles (quos attributa personarum iuxta ac rerum uocant rhetores) ad locos Rodolphi redigam, simul & exemplis aliquot adiectis, enodatius explicem. Quis enim non uideat, quibus rationibus inuentio dial. nata, aucta, constabilitaq́;, ijsdem esse nouandam ac uindicandam, ubi collapsa sit. Et haud scio an uel præcipuam allaturus sit in hos accesionem, si quis pulcherrimam pro Milone orationem, ita exacte scriptam, ut iure prima habeatur, accuratius expendat. Quandoquidem in astruendis Clodij insidijs paratum sit colligere uoluntatem, facultatem, euentumq́; non defuisse, quæ porro tria, ut omnium coniecturalium causarum sunt capita, ita & in hac oratione, ordine mirifice tractantur. Principio enim uoluntas commonstratur, deinde facultas ostenditur, ad extremum euentus indicatur. Atque hoc est illud quod multis autoribus, & in his potißimum Quintiliano placet. Ducitur, inquit, coniectura primum à præteritis, in his sunt personæ, causæ, consilia. Nam is ordo est, ut facere uoluerit, potuerit, fecerit. Quod genus est, an uoluerit, an potuerit, an fecerit insidias Clodius, an huic Milo, quibus demum probatis, explicata est coniectura omnis. Porro autem ratio inueniendi multis constat partibus, quarum sicuti prima, ita facillima est, ut imperitiores ante omnia ediscant attributa. Quorum usurpatio latißime patet, ad plurimaq́; conducit, quæ quisquis studiose percurrerit, iam illi ad inuentionem diale. properandum. Proinde mea quidem sententia conuenerit, non oscitanter in attributis exerceri iuuentutem, id nisi fiat, ubi primam inuentioni dial. afferet manum ὀπίσθεν ἀμέτρητος πόνος ἔσαι, πολλὸς καὶ χαλεπός. Iam quemadmodum utilius est studiosis dialecticæ inuentionis expendere Rodolphi locos, quam Aristotelis: Ita non paulo facilius est, eo quod pleraq́; ne dicam omnia de quibus præcipit Agricola, primum sint digestioris ordinis, Deinde maioris perspicuitatis, ut præ his omnia quæ tradit Aristoteles, rudis indigestaq́; moles (ut absit inuidia dicto) esse uideantur. Præterea cum multa sint inueniendi adminicula, tum è multis præter attributa, hæc tria sunt maxima, acumen, deinde ratio, quam licet si uolumus appellemus artem, tertium diligentia. Sed de his quisq́; ut uidebitur statuat, illud res ipsa conuincit, quod quisquis molitur enarrare Rodolphum pluribus illi opus esse adminiculis, & ut inquit Hesiodus ἑκατὸν δέ τε δούραθ' ἁμάξης. At dictu mirum quàm conducant adeoq́; necessaria sint Aphthonij progymnasmata, quæ uel ad uerbum edidicisse plurimum momenti attulerit. Non mediocriter etiam adiuuabunt M. Tullij partitiones oratoriæ. Adiumento erunt & absolutißima rhetoricæ artis præcepta, ex postrema eius dialogi parte, qui Platonis Phædrus inscribitur, desumpta Bessarione Card. interprete. Nec illud opinor inutile fuerit, si inuentioni dialecticæ destinatus adolescens diligenter exerceatur in Isagoge Porphyriana, quæ non ita magno negotio ediscitur etiam, idem fiat in Aristotelis categorijs, Topicis Elenchisq́;. Neque in postremis habeat, quamuis barbara, quamuis ἀπροσδιόνυσα, quæ in Academijs traduntur dialectica, ut quæ olim ipse Rodolphus Louanij didicit, & sic equidem didicit ut nemo citius, nemo felicius, nemo exactius, quorum pleraque meo quidem iudicio perpolita Latinitateq́; donata tribus hisce libris obiter inserui. Super hæc non mediocrem adferet utilitatem, si quis diligenter euoluat posteriorem copiæ commentarium scholijs nostris illustratum, & ἐκφράσεις siue descriptiones aliquot iuxta omnes locos Rodolphi à nobis fusius explicatas. Quod si cui uisum erit, poterit excutere &

aucta-

auctaria nostra in orationes aliquot Ciceronis, atque Rodolphi, quibus potissimum indicamus, quod ad dialecticum munus attinere uidetur, idq; maxime iuxta Rodolphi Agricolæ de inuentione dialectica præcepta. Equidem non uideo quid præterea magnopere amplius desideret, quo uno uelut fasce complexa inuentionis diale. rudimenta consequatur, & in his gradum ad inuentionem dial. iaciat. Hisce iam instructus adminiculis inuentionis dialec. tyro, iugi meditatione uersetur in inuentione dialec. hanc nocturna curet uersare manu, uersare diurna. Hãc semper in manibus, semper habeat in sinu: ex hac semper aliquid aut instrepat, aut oculis occurrat, aut animo obuersetur. In naturã ibit, quod usu perpetuo fuerit infixum. Quod si quẽ deterret hic labor, illud quæso secũ cogitet, quo conueniat, ut dialecticus futurus Aristotelicus, quorũ nescio dictata ediscat, ediscat qualescunq; summulas, aut sordidos tractatulos, aut alia id genus (ut uocant) copulata iam sexcenties aliunde alio confusa, ac refusa. Et idem operæ grauetur dare inuentionis dialecticæ libris, ex quorum fontibus uniuersa scatet eruditio, quæ modo uere sit eruditio. Qui nimirum libri in omni doctrinæ genere præcellentes, incredibile dictu quantum utilitatis allaturi sint, non solum ad inueniendum atq; iudicandum aliquousque, uerumetiam ad benedicendum, siue in forensibus causis, siue in concionibus popularibus militaribusue, siue consessibus, siue in uitæ functione, quæ maxima ex parte linguæ prudentis officio temperatur. At quanto satius est semel hoc laboris (nec enim dixerim tædij) deuorare, quàm semper recurrentibus in orbem laboribus, quoties inueniendum, aut scribendum aliquid ad indices confugere. Perisse profecto confitendum est præteritum laborem, cui semper idem laborandum est Quintiliano autore. Neque uero mihi protinus hic lector resistat, operis difficultate ceu claua repulsus. Equidem si non desit præceptor idoneus, nec ea quæ indicauimus προπαιδεύματα minore pene negocio hæc inuentio dialectica discetur, quam hodie discitur in Academijs aliquot pudenda sophisticæs argutatio. In omnibus enim disciplinis quas humana prodidit industria nihil est tam abditum, ac retrusum, quod non peruestigarit ingenij sagacitas, nihil est tam difficile quod non expugnarit labor improbus, nihil est deniq; quod non efficiat humanus animus modo sibi imperarit, modo impense uelit. Puto me satisfecisse si hac mea cohortatione studiosam capessendæ inuentionis dialecticæ effecero iuuentutem. Quemadmodum etiam apud Aristophanem in Nebulis Socrates adhortatur Strepsiadem ut philosophiæ daturus operam, omnia tum faciat, tum patiatur: Ita quisquis inuentionem dialect. auspicabitur, quæ summam diligentiam curamq; desideret, non grauabitur identidem occinere ὕπνος δ' ἀπέσω γλυκύθυμος ὀμμάτων. Nec enim pigebit huius laboris, ut sæpius eadem repetat, quo crebra admonitio harum rerũ rudes reddat tutiores, ne præceptorũ prolixitate deterriti resiliãt. Non prætermittã, ne illud quidẽ tametsi nemo tradidit inuen. dialect. absolutius, felicius, adminiculatius q̃ unus Agricola, tamẽ multa reperiuntur in aliorũ quoq; monumẽtis, quæ cũ huius doctrina consentiãt, & quæ uice commentariorũ esse poßint, quæq; his ad plenum intelligẽdis multum momenti attulerint. Quorum est in primis mea quidem sententia Fab. Quintil. quem non minus habuit familiarẽ Rodolphus quam Tertullianũ suum Cyprianus, deinde Aristotelis, Ciceronisq; Topica, & utriusque rhetorica, præterea commentarij Boëtij, Georgijq; Vallæ in Topica Ciceronis. Atq; huius generis plura sunt ex neotericis poßißimum, quam ut numerum eorum persequi laborem. Satis nobis fuerit rerum capita monstrasse, & nondum satis exercitatis, & adhuc prorsus ignaris adeũdi negotij uiã subindicasse, ut maturius quo tendũt perueniant, utq; minore labore ac tædio quod sequuntur assequantur tandem. Nec enim mi-

nimi

nimi negocij fuerit, continuo exactius intelligere, quæ Rodolph. autor unus omnium grauissimus, & perinde utilißimus (quippe qui summā philosophiæ scientiā, cum historicoricorum eloquentia coniunxerit, ut in eo non solum historiæ fidem, uerumetiam autoritatem & iudicium sanctißimi doctißimique philosophi spectare ualeamus, qui elegantium uerborum delectum cum præstantis argumenti exacta simul & dilucida enarratione coniunxerit, qui inuentionem dialecticam omnibus numeris omnibusq; partibus absolutam reddidit) ex abstrusißimis philosophorum omnis generis decretis placitisq; deprompsit, quæ ab intimis naturæ arcanis perscrutatus est, quæ è penitißimis disciplinarum omnium adytis eruit, quæ ex innumeris Rhetorum præceptionibus compendio perstrinxit, quæ ab eruditis eloquentium poëtarum fabulis subodoratus est, quæ à nobilium historicorum monumentis mutuatus est, id quod perspicuum uel mediocriter eruditis esse potest, quum ex uarijs aliorum testimonijs, tum præcipue ex D. Erasmi Roterod. Ecclesiasta. De his, inquit, accuratißime nostro seculo scripsit uir immortali gloria dignus Rodolphus Agricola. Scripsit autem exactißima cura, phrasi uero qua nihil esse potest expolitius, sed acumina quædam affectata, ueluti de prima materia ac digreßiones, quibus nunc à Boëtio, nunc ab Aristotele, nunc ab alijs magna quidē subtilitate dissentit satis declarant illum hoc opus non cudisse pueris ediscendum, sed eruditis uiris admirandum. Hæc ille. Iam uero ut insignis sculptor, quo duriorem ac minus obsequentem nactus est materiam, hoc maius artis suæ miraculum præbet: Ita Rodolphus accuratius atque magnificentius ostendit industriam suam in hoc parum splendido parumq; tractabili argumento. Qua quidem in re ut duplex est difficultas, ita gemina laus debetur Agricolæ. Primum illud ipsum nonnihil peruestigasse, quod sit egregium, neque uero minus est quod deprehenderis concinniter accommodare. Quemadmodum enim est aliquid primum insignem reperisse gemmam, deinde nonnulla laus repertam apte sceptris aut annulis addidisse. Ac ut laudatur in hoc Timanthes quod in omnibus eius operibus, plus intelligitur, quam pingitur: Ita non possunt non esse optimi hi Agricolæ libri, in quibus plurima cogitationi relinquuntur, pauca narrantur, & plus inest sensuum quam uerborum.

Caput hoc est, si quisquam est qui dialecticen cum eloquentia coniunxit certe Rodolphus is est. Verum ut illud opus est spectatißimum in quo simul & ars commendat materiam, & materia uicißim artem: Ita libri hi sint optimi necessum est, ut in quibus & argumenti utilitas commendat eloquentiam, & autoris facundia commendat argumentum. Bene uale. Louanij Calend. Septemb.

ALARDVS AEMSTELREDAMVS CONRADO GOCLENIO

literatißimo moderatißimoq; collegij trilinguis apud inclytum Louanium professori, canonico Antuerpiensi. S. D.



QVEMADMODVM agricola, quum non sine labore quidem semina deposuit, ubi uidet terram feracem segetemq; prouentu exuberantem, superiorum laborũ obliuiscitur, atq; ad reliquum operæ conseruationẽq;, lucri expectatione excitatur: Ita & ego in disseminandis Rodolphi Agricolæ lucubrationibus. Verum hæc agricolatio quanto feracior quantoq; lucrosior est? Nam illa quidem frugum sensibilium copiam adferens corporibus reponit alimoniam. Hæc uero dum Inuentionis depromit doctrinam literariorumq; donorum abundantiam adfert, cum diuitias recondit, alimoniam quæ neque consumi neque uitiari potest, reditus qui neque pereunt neque corrũpuntur, sed arcana quadam prouidentia conseruantur, quorum usus fructus mente percipitur. Hic est meorum laborum prouentus, hæ sunt opes, quas Inuentionis dialecticæ candidatis recondimus. Has itaq; quum considero in studiosis augescere, gaudeo semper, ut qui non frustra sementem fecerim, ut qui non in cassum labores pertulerim, ut qui in frugiferam pinguemq; terram & ad fructificandum impense idoneam, semen iecerim. Vnde igitur hoc lucrum fore coniecto? unde perspicio Inuentionem dialecticam ad opes proficere? nimirum ex eo, quod ex quantumuis deprauato exemplari, nobis primum Dauentria Louanium usq; perlato, alia atque alia formulis ubiq; excuduntur, ex eo item quod dialecticam Inuentionem, uiam aditumq; & organum omnium artium complures sane quàm studiose amplectuntur. Ad hæc, quemadmodum si agricola crassum & pinguem agrum inueniat, nihil sui officij intermittit, sulcos secat, aratrũ ducit, sentes excindit, largiter seminat, spe pascitur, quotidie agri fertilitatem considerans, sementis geminæ segetem & messem expectat: Ita & nos cum uideamus alacritatem studiosorũ Inuentionis dialecticæ increscere, desiderium uigere, & ipsi quoq; maiori studio & promptitudine, quantum uires suppetũt, in commodum auditorum, Deiq; gloriã nonnihil afferre debemus. Atq; hoc est in causa, cur hunc uidere semper optaui diem, cum ex eruditioribus, hoc est tui ordinis professoribus, haud segnius in philosophia literatis ac bonis literis egregie uersatis, tandem aliquando prodirent qui Rodolphum non minus oratorem quam philosophum, cum dignitate, quam meretur summam, profiterentur, idq; Louanij. Atq; utinam tempus hoc sit unquam, quo tu per hasce uacationes publicitus auspicareris, perinde atque mihi semel iterumq; super ea re tecum serio agenti, pollicitus es te id breui præstaturum. Credo equidem non esse quod iure prætexas, cur minus stes promißis tuis. Tua enim unius eruditio abunde satis huic faciet professioni, ut magnificæ, ita à paucis seu potius nullo tentatæ. Egregium cum primis te artificem superioribus annis præstitisti. Principio in prælegendis rhetoricis Herennianis. Deinde in M. Tullij partitionibus oratorijs. Ad extremum in eiusdem Maniliana pariter & Miloniana. Nunc quæso eundẽ aut illo magis industrium

a 2 præsta

præsta in inuentione dialecticæ, uberrimum fructum auditorio tuo frequentißimo literatißimo que allatura. Aggredere ò magnos (aderit iam tempus) honores. Audendum cum ipsa uocat res, forti ac fidenti aio auspicare, Minerua quæ tibi tum suggeßit πειθὼ flexanimā, eadem nunc profecto aderit & hoc quidem præsentius aderit, quo honestior est profeßio. Perge itaq; pulcherrimis cœptis dignum imponere colophonem. Ac tum quoq; planè fortunatum esse Louanium nostrum non iniuria deprædicarim. Ad hæc ut gaudio prorsus exilit animus quum reputo mecum, quāta sit in prouehendam Inuentionem dialecticam propensio Rodolphi, quanq; eam cuiuis parabilem esse uoluerit: Ita ingens dolor oboritur cordi meo, quoties contemplor, quam rarum sit inter studiosos studium inuentionis dialecticæ. Si uere studiosi eius essemus, etiam in Academijs publicitus eā profiteremur & priusquàm profiteremur, auditores inflammaremus per amplificationem ostendentes, quāta sit illius dignitas, à quibus uiris exculta, quid magni promittat quantam adferat utilitatem, in cælum laudibus ueheremus, & quanta præcellentia sit eius exponeremus, quantāq; ijs qui sunt eam consequuti dignitatem adferat, exaggeraremus. Sic nimirum M. Tullius prius in Hortensio laudata philosophiæ accendit ad illius amorem, quàm eam docuit. Hoc sine ulla dubitatione confirmātes, inter omnia studiorum genera quæ, uel publice uel priuatim perquam necessaria sunt, nihil esse prius Inuentione dialectica. Proinde merito uoce magna, & bonis lateribus hanc sedulo deberemus suadere, omniq; qua possumus cohortatione adniti, ut studiosos huius capessendæ artis omnes efficiamus. Hæc compendiaria esset uia, qua potißimum, si ulla alia præterea hinc inde studiosa iuuentus certatim in nostra commigraret gymnasia. Hisce rudimentis fideliter gradum iaceret ad ter admiranda Aristotel. arcana. Degustato enim Inuentionis dialecticæ dulcore pariter ac philosophiæ, ad iurisperitiæ, ad medicinæ, ad sacrosanctæ theologiæ denique consortiū accederet, & eorūq; collegia allegeretur. Nunc dialectici dialecticæ professores rixis, obtrectationibus, sycophātijs crudelius inceßimus, atque adeo diuexamus, quam ullæ feræ genus inimicū infestant, augendiq; quæstus causa, mutuo laniatu uiuimus, piscium ritu. Quid etiam stultius, imo perniciosius quam studiorum professoribus inuicem sese lacerantibus collabi omnes honestas disciplinas? At sine his uita hominum non est hominum, sed ferarum. Quis compendioli gratia non paratus est imponere iuuentuti, quibus nescio uncis in nassam pertractæ, cuius studijs uel gratis debeamus succurrere? Quanta præceptorū ergo discipulos incuria ne dicam oscitantia, & indulgentia? Quanta discipulorum licentia? Quam nusquam uel syncera uel libera docendi ratio? Quinetiam uix ægreq; credas amicißime Gocleni, quam ab istis dissentiam, qui nolunt ab unoquolibet, sed tantum laurea magistrali donatis aut legi, aut profiteri Inuentionem dialecticam. Siue quasi Rodolphus tam inuoluta tamq; spinosa prodiderit, ut uix ac ne uix quidem ea, nisi à paucul is professoribus, ijsq; Aristotelicis poßint intelligi. Siue quasi Inuentionis dialect. ratio, in hoc sita sit, si argutißimas aliquot argutias utcunq; per somnium teneas. Atque utinam autorem hunc annotaciunculis aliquot & exemplis omnis generis ita facilem reddere poßimus, ut non solum à ter admirandis istis artium doctoribus, sed ab adolescentibus quoq; legi, cognosciq; & teneri poßit. Aristot. arcana quasi scilicet Eleusinà celari fortasse præstiterit, at Rodolph. sua mysteria quàmmaxime cupit euulgari. Quæ (malum) ista inuidentia, doctrinam profeßionem que omnium communem, & ad omnes ex æquo pertinentem, ad pauculos istos relegare, quos hodie uulgus dialecticos uocat? quos tamen ipsos optarim maiorem in modum esse quod audiunt, uerum in præsentia hos ualere

ualere sinamus. Non enim hoc nobis agitur, ut iam nunc cuiusquam inscitiam traducamus, sed ad optimam studij rationem adolescentes præmuniamus. Hoc quod optamus, non alia res commodius adiuuabit, certiusue præstabit, quàm si principio illud in genere lectorem admoneamus, in auspicandis hisce libris frequenter errare quosdam. Siue quod multa ascita, detorta'que, extra oleas (ut est in Græcorum prouerbio) currentes huc adferant, magis ad ostentationem ingenij quàm ad fructum auditorum. Videatur hoc odiosius à nobis dictum, nec habeant item pondus quæ dicimus, nisi id ita habere uel ipsius D. Erasmi uerbis in quadam ad Haionem epistola clarißime doceri potest. Opus inquit, de inuẽtione Rhetorica quidam onerauit commentarijs, iuuenis ut apparet nec indoctus nec infacundus, sed insunt multa πάρεργα, quædã etiã odiosiora iuueniliterq; destomachata. Malim χόλια docta et ad rem facientia. Ni tot oneribus essem oppressus, non grauarer hanc suscipere prouinciam, adeo faueo Rodolphi memoriæ. Hæc ille. Sic enim his obscurant reconditam hanc doctrinam, quemadmodum Plato suis illis numeris obfuscauit philosophiam. Etenim dum ostentandæ eruditionis suæ studio, in ipso statim operis limine prolixa quædam infulciunt, quæ fortasse post erant tradẽda, nimirum rudes discipulos odiosius retundũt, & alienant, quos allici inescariq; potius oportuit commoda breuitate, luce, ordine, alijsq; id genus illecebris. At unus omnium Agricola uir ubique sui similis, in quauis materia insignis artifex non minori iudicio quàm fide discentis agit negotium, non id statim captans, ut ipse doctus appareat, sed ut lectorem doctum reddat. Siue quod sint, qui secum adferant saliuam à pueris imbibitam, hoc est magistrorum decreta. Quicquid enim à præceptoribus acceperint, siue id doctum sit siue indoctum, nullo delectu, nulloq; iuditio solent sequi, ac claudi more, quod aiunt pilam retinere: & priuatis opinionibus infecti his seruire cogunt inuentionem dialecticam, cum ex hac potius petenda sunt omnia omnium artium organa. Alij non parum multi præmansum in os inserunt, hoc est rem docendo nimis enucleate, nimisq; frustillatim tradunt. Quod facere quidem assolent qui uelut ingenijs auditorum diffidant, ita nihil omittunt inculcantes etiam minutißimas nugas. Iam uero quod multis in locis, maxime famigeratis aliquot Academijs hi libri uix permittantur publicitus enarrari, partim fit culpa maiorum qui putant professioni suæ detrahi, si quid nouæ eruditionis accedat iuuentuti, contenti his quæ pueri didicerunt, alia nec doceri patiuntur nec sustinent discere, uel quia piget, uel quia pudet. Ita enim fere solet accidere plerisq; nostrum, ut quicquid dißideat ab ijs quæ primis annis imbibimus, protinus displiceat. Partim etiam ex uitio qui hosce libros prælegunt. Sunt enim in hoc ordine quidam intolerabili insolentia, qui simulatq; tenuerint duodecim uerba Græca, & quinq; Aristotelica, Demosthenes & Aristoteles sibi uidentur, liberales disciplinas omneis miro fastu aspernantur, & in harum professores scurriliter debacchantur. Atque hoc refero non quo cuiquam aspergam labem, qui neminem noto, sed professores admoneam, quo permodeste profiteantur autorem omnium modestißimum & perinde grauißimum. Neque sugillatum uolo solennem Academiarum usum, sed dialecticæ inuentionis abusum. In his enim quæ prælegũtur aut disputantur in Academijs, medicina, iurisperitia, & theologia pertractantur, in cognitione uero inuentionis dialecticæ alijs opus est prælectionibus, alijs dissertationibus. Deinde ut qui hodieq; siue domi, siue in scholis inuentionis dialecticæ munus auspicandum suscipiant, quibus adminiculis oporteat inprimis esse instructos, quibus item rudimentis diligenter præmuniendi sint auditores intelligant. Ne quid sit (ut ferè fit) quo aliquis ὁ πρωτόπειρος in ipso operis exordio, ab hoc studio, partim difficultate ceu claua re-

percussus resiliat, partim immensa praeceptionum mole deterritus resistat omittat'ue, in quo summa cum utilitate uersari poterat. Id ne qua fiat, uideor uidere mihi operam sumpturus haud quaquam fortassis aspernandam, si epitomen primi libri de inuentione dialect. concinnem, additis sane q appositis in singulos locos exemplis. Si locos probabiles (quos attributa personarum iuxta ac rerum uocant rhetores) ad locos Rodolphi redigam, simul & exemplis aliquot adiectis, enodatius explicem. Quis enim non uideat? quibus rationibus inuentio dial. nata, aucta, constabilitaq;, ijsdem esse nouandam ac uindicandam, ubi collapsa sit. Et haud scio an uel praecipuem allaturus sit in hos accessionem, si quis pulcherrimam pro Milone orationem, ita exacte scriptam, ut iure prima habeatur, accuratius expendat. Quandoquidem in astruendis Clodij insidijs paratum sit colligere uoluntatem, facultatem, euentumq; non defuisse, quae porro tria, ut omnium coniecturalium causarum sunt capita, ita & in hac oratione, ordine mirifice tractantur. Principio enim uoluntas commonstratur, deinde facultas ostenditur, ad extremum euentus indicatur. Atque hoc est illud quod multis autoribus, & in his potissimum Quintiliano placet. Ducitur, inquit, coniectura primum à praeteritis, in his sunt personae, causae, consilia. Nam is ordo est, ut facere uoluerit, potuerit, fecerit. Quod genus est, an uoluerit, an potuerit, an fecerit insidias Clodius, an huic Milo, quibus demum probatis, explicata est coniectura omnis. Porro autem ratio inueniendi multis constat partibus, quarum sicuti prima, ita facillima est, ut imperitiores ante omnia ediscant attributa. Quorum usurpatio latissime patet, ad plurimaq; conducit, quae quisquis studiose percurrerit, iam illi ad inuentionem diale. properandum. Proinde mea quidem sententia conuenerit, non oscitanter in attributis exerceri iuuentutem, id nisi fiat, ubi primam inuentioni dial. afferet manum ὀπίσθεν ἀμήτριτος πόνος ἔσαι, πολλὸς καὶ χαλεπός. Iam quemadmodum utilius est studiosis dialecticae inuentionis expendere Rodolphi locos, quam Aristotelis: Ita non paulo facilius est, eo quod pleraq; ne dicam omnia de quibus praecipit Agricola, primum sint digestioris ordinis. Deinde maioris perspicuitatis, ut prae his omnia quae tradit Aristoteles, rudis indigestaq; moles (ut absit inuidia dicto) esse uideantur. Praeterea cum multa sint inueniendi adminicula, tum è multis praeter attributa, haec tria sunt maxima, acumen, deinde ratio, quam licet si uolumus appellemus artem, tertium diligentia. Sed de his quisq; ut uidebitur statuat, illud res ipsa conuincit, quod quisquis molitur enarrare Rodolphum pluribus illi opus esse adminiculis, & ut inquit Hesiodus ἑκατὸν δὲ τε δούραθ' ἁμάξης. At dictu mirum quàm conducant adeoq; necessaria sint Aphthonij progymnasmata, quae uel ad uerbum edidicisse plurimum momenti attulerit. Non mediocriter etiam adiuuabunt M. Tullij partitiones oratoriae. Adiumento erunt & absolutissima rhetoricae artis praecepta, ex postrema eius dialogi parte, qui Platonis Phaedrus inscribitur, desumpta Bessarione Card. interprete. Nec illud opinor inutile fuerit, si inuentioni dialecticae destinatus adolescens diligenter exerceatur in Isagoge Porphyriana, quae non ita magno negotio ediscitur etiam, idem fiat in Aristotelis categorijs, Topicis Elenchisq;. Neque in postremis habeat, quamuis barbara, quamuis ἀπροσδιόνυσα, quae in Academijs traduntur dialectica, ut quae olim ipse Rodolphus Louanij didicit, & sic equidem didicit ut nemo citius, nemo felicius, nemo exactius, quorum pleraque meo quidem iudicio perpolita Latinitateq; donata tribus hisce libris obiter inseruit. Super haec non mediocrem adferet utilitatem, si quis diligenter euoluat posteriorem copiae commentarium scholijs nostris illustratum, & ἐκφράσεις siue descriptiones aliquot iuxta omnes locos Rodolphi à nobis fusius explicatas. Quod si cui uisum erit, poterit excutere &

auctaria nostra in orationes aliquot Ciceronis, atque Rodolphi, quibus potissimum indicamus, quod ad dialecticum munus attinere uidetur, idq; maxime iuxta Rodolphi Agricolæ de inuentione dialectica præcepta. Equidem non uideo quid præterea magnopere amplius desideret, quo uno ueluti fasce complexa inuentionis diale. rudimenta consequatur, & in his gradum ad inuentionem dial. iaciat. Hisce iam instructus adminiculis inuentionis dialec. tyro, iugi meditatione uersetur in inuentione dialec. hanc nocturna curet uersare manu, uersare diurna. Hāc semper in manibus, semper habeat in sinu: ex hac semper aliquid aut instrepat, aut oculis occurrat, aut animo obuersetur. In naturā ibit, quod usu perpetuo fuerit infixum. Quod si quē deterret hic labor, illud quæso secū cogitet, quo conueniat, ut dialecticus futurus Aristotelicus, quorū nescio dictata ediscat, ediscat qualescunq; summulas, aut sordidos tractatulos, aut alia id genus (ut uocant) copulata iam sexcenties aliunde alio confusa, ac refusa. Et idem operæ grauetur dare inuentionis dialecticæ libris, ex quorum fontibus uniuersa scatet eruditio, quæ modo uere sit eruditio. Qui nimirum libri in omni doctrinæ genere præcellentes, incredibile dictu quantum utilitatis allaturi sint, non solum ad inueniendum atq; iudicandum aliquousque, uerumetiam ad benedicendum, siue in forensibus causis, siue in concionibus popularibus militaribusue, siue consessibus, siue in uitæ functione, quæ maxima ex parte linguæ prudentis officio temperatur. At quanto satius est semel hoc laboris (nec enim dixerim tædij) deuorare, quàm semper recurrentibus in orbem laboribus, quoties inueniendum, aut scribendum aliquid ad indices confugere. Perisse profecto confitendum est præteritum laborem, cui semper idem laborandum est Quintiliano autore. Neque uero mihi protinus hic lector resistat, operis difficultate ceu claua repulsus. Equidem si non desit præceptor idoneus, nec ea quæ indicauimus προπαιδεύματα minore pene negocio hæc inuentio dialectica discetur, quam hodie discitur in Academijs aliquot pudenda sophistices argutatio. In omnibus enim disciplinis quas humana prodidit industria nihil est tam abditum, ac retrusum, quod non peruestigarit ingenij sagacitas, nihil est tam difficile quod non expugnarit labor improbus, nihil est deniq; quod non efficiat humanus animus modo sibi imperarit, modo impense uelit. Puto me satisfecisse si hac mea cohortatione studiosam capessendæ inuentionis dialecticæ effecero iuuentutem. Quemadmodum etiam apud Aristophanem in Nebulis Socrates adhortatur Strepsiadem ut philosophiæ daturus operam, omnia tum faciat, tum patiatur: Ita quisquis inuentionem dialect. auspicabitur, quæ summam diligentiam curamq; desideret, non grauabitur identidem occinere ὕπνος δ' ἀπίτω γλυκύθυμος ὀμμάτων. Nec enim pigebit huius laboris, ut sæpius eadem repetat, quo crebra admonitio harum rerū rudes reddat tutiores, ne præceptorū prolixitate deterriti resiliāt. Non prætermittā, ne illud quidē tametsi nemo tradidit inuen. dialect. absolutius, felicius, adminiculatius q̄ unus Agricola, tamē multa reperiuntur in aliorū quoq; monumētis, quæ cū huius doctrina consentiāt, & quæ uice commentariorū esse possint, quæq; his ad plenum intelligēdis multum momenti attulerint. Quorum est in primis mea quidem sententia Fab. Quintil. quem non minus habuit familiarē Rodolphus quam Tertullianū suum Cyprianus, deinde Aristotelis, Ciceronisq; Topica, & utriusque rhetorica, præterea commentarij Boëtij, Georgijq; Vallæ in Topica Ciceronis. Atq; huius generis plura sunt ex neotericis potissimum, quam ut numerum eorum persequi laborem. Satis nobis fuerit rerum capita monstrasse, & nondum satis exercitatis, & adhuc prorsus ignaris adeūdi negotij uiā subindicasse, ut maturius quo tendūt perueniant, utq; minore labore ac tædio quod sequuntur assequantur tandem. Nec enim mi-

nimi negocij fuerit, continuo exactius intelligere, quae Rodolph. autor unus omnium grauissimus, & perinde utilissimus (quippe qui summā philosophiae scientiā, cum historicoricorum eloquentia coniunxerit, ut in eo non solum historiae fidem, uerumetiam autoritatem & iudicium sanctissimi doctissimique philosophi spectare ualeamus, qui elegantium uerborum delectum cum praestantis argumenti exacta simul & dilucida enarratione coniunxerit, qui inuentionem dialecticam omnibus numeris omnibusq; partibus absolutam reddidit) ex abstrusissimis philosophorum omnis generis decretis placitisq; deprompsit, quae ab intimis naturae arcanis perscrutatus est, quae è penitissimis disciplinarum omnium adytis eruit, quae ex innumeris Rhetorum praeceptionibus compendio perstrinxit, quae ab eruditis eloquentium poëtarum fabulis subodoratus est, quae à nobilium historicorum monumentis mutuatus est, id quod perspicuum uel mediocriter eruditis esse potest, quum ex uarijs aliorum testimonijs, tum praecipue ex D. Erasmi Roterod. Ecclesiasta. De his, inquit, accuratissime nostro seculo scripsit uir immortali gloria dignus Rodolphus Agricola. Scripsit autem exactissima cura, phrasi uero qua nihil esse potest expolitius, sed acumina quaedam affectata, uelut i de prima materia ac digressiones, quibus nunc à Boëtio, nunc ab Aristotele, nunc ab alijs magna quidē subtilitate dissentit satis declarant illum hoc opus non cudisse pueris ediscendum, sed eruditis uiris admirandum. Haec ille. Iam uero ut insignis sculptor, quo duriorem ac minus obsequentem nactus est materiam, hoc maius artis suae miraculum praebet: Ita Rodolphus accuratius atque magnificentius ostendit industriam suam in hoc parum splendido parumq; tractabili argumento. Qua quidem in re ut duplex est difficultas, ita gemina laus debetur Agricolae. Primum illud ipsum nonnihil peruestigasse, quod sit egregium, neque uero minus est quod deprehenderis concinniter accommodare. Quemadmodum enim est aliquid primum insignem reperisse gemmam, deinde nonnulla laus repertam apte sceptris aut annulis addidisse. Ac ut laudatur in hoc Timanthes quod in omnibus eius operibus, plus intelligitur, quam pingitur: Ita non possunt non esse optimi hi Agricolae libri, in quibus plurima cogitationi relinquuntur, pauca narrantur, & plus inest sensuum quam uerborum.

Caput hoc est, si quisquam est qui dialecticen cum eloquentia coniunxit certe Rodolphus is est. Verum ut illud opus est spectatissimum in quo simul & ars commendat materiam, & materia uicissim artem: Ita libri hi sint optimi necessum est, ut in quibus & argumenti utilitas commendat eloquentiam, & autoris facundia commendat argumentum. Bene uale. Louanij Calend. Septemb.

RODOLPHUS AGICOLA THEODORICO PLINIO suo. S.D.P.



Bsolui tandem libros, quos de inuentione dialectica tuo suasu rogatuq; aggressus sum scribere. Scis tu quidem eos partim paranti iter, partim in itinere, excidisse mihi uerius, quàm scriptos esse. Suntq; uni tibi scripti, cui si satisfacient, defuncti erunt munere suo. Non addo huc si non satisfacient: quippe cum tibi beneuolentia nostri, omneis etiam nugas meas approbare possit. Quanquam autem uni tibi destinauerim eos (ut qui populi os iudiciumq; in re præsertim tam scrupulosa reformidem) memor tamen eius quod dici solet, oratorem nulla alia re tam excitari ad dicendum, quàm audientium corona, scripsi eos tanquam populum mihi lectorem abhibiturus, quo maiorem ipse mihi diligentiam solicitudinemq; operis circundarem, minus'que indulgerem desidiæ causis, & conarer (si qua possem) non solum iudici tibi fidere, sed in causa spem aliquam habere. Quod si, quemadmodum Lucilius dicebat, Consentinis & Tarentinis se scribere, sic ego possem dicere, solis me Phrisijs meis ista scripsisse, minus esset uerẽdum fortasse, ut populum admitteremus. Nunc (quando studiorum partem, mentione potius quàm usu peruulgatam, tractauimus more minime peruulgato, & contra ueterem uulgatamq; persuasionem ausus sum nonnunquam libere proferre, quid mihi uideretur) multorum fortasse subeunda nobis esset censura. Quod si quis eos in manus sumpserit, uel Philosophus, uel ex magnis professoribus his, patronis Latinæ linguæ: quid tu? nónne tibi protinus uideris audire: Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes? Ergo (ut initio dixi) tibi destinati, tibi dediti sunt, hæc opera tibi est impensa: Et quemadmodum secundum uos Iurisconsultos, filius qui in adoptionem datur, omnia sanguinis, gentis'que exuit iura, & in alterius transit nomen: alius in eum uitæ necisq; accipit potestatem: sic ego istos manu mea emissos, tuo posthac permitto arbitrio. Ego omnem pro eis solicitudinem depono, tu si uo-

les, emittes. Quod si bene cesserit, nec laudē putabo meam, nec dedecus: si secus, tuum in utranq; partem æstimabitur consilium: ego dicar obsequutus tibi, dicar præstitisse quod potuerim, plurimum certe si potuissem præstiturus. Vale.

Fragmentum epistolæ Rodol. Agrico. ad Adolphum Occonem Phrisium medicum.

Cæterum in hoc opere, præterquam quod stilum exercui, plane uideor mihi operam perdidisse. Nam nisi quis meliores literas attigerit, non uideo magnopere quid possit prodesse ei, propter multitudinem exemplorum, quæ ab eruditioribus scriptoribus erant eruenda: & idcirco negligetur ab eis, ut qui balbi præter balba nihil intelligant. Contra eorum qui eruditi sunt, uel uideri uolunt, quotusquisq; ulla artis præcepta attingit? aut si attingat, nónne tibi uideris ad primum protinus conspectum audire, unde nobis ex ultima barbarie nouus Anacharsis iste, qui post Aristoteles, Cicerones, Quintilianos, aliquid inuenturum se credat? Quemadmodum apud poëtam tamen scriptum est: Victurus genium debet habere liber: ita multos libros hoc solo credo uiuere, quia genium habeant. Qui si nobis sit, uiuemus etiam: sin minus, feram æquo animo interitum eius, quem tot tam'que præclara subierunt ingenia: quibus ut laborem eruditionis diligentiæ'que suæ impartirent, mortalium ignauia fuit indigna. Vale.

ALARDI AEMSTELREDAMI ANNOTATIONES, IN omneis Rodolphi Agricolæ Phrisij de inuentione dialectica libros, adiectis sane quàm appositis in singulos locos exemplis, atq; ijs plane diuersis ab Epitome prius additis per eundem.

In epistolam.

QVos de Inuentione Dialectica.) Non ociosum est, quod addidit Dialectica. Nam mihi quidem sententia illorum minime uidetur improbanda, qui quicquid Orator sibi de Inuentione usurpat: id omne proprium esse Dialecticæ putant. Beneuolentia nostri.) Paßiue capiendum. Sic Verg. 4. Georg. Quo tibi pulsus amor nostri. Et Horat. in epist. Ne pecces studio nostri. Quam audientium corona.) Hoc ipsum testatur & in secundo de Oratore Cicero: Quemadmodum, inquit, tibicen sine tibijs canere. Sic Orator

conuen-

nisi multitudine audiente eloquens esse non posit. Idem in oratione pro Deiotaro: Dico extra conuentum, & eam frequentiam in qua Oratorum studia niti solent. Huc respicit, quod Quintilianus quoque lib. institut. orator. primi cap. 5. prodidit: Non esset in rebus humanis eloquentia, si tantum cum singulis loqueremur. Rodol. Agricola libro 3. cap. 7: Nec sane est ulla maior eloquentiæ fax, quæue acriores subijciat dicenti stimulos, quàm latißima audientium corona. Minusq; indulgerem.) Quintilianus 10. lib. cap. 3 Non est, inquit, indulgendum causis desidiæ. Lucilius dicebat.) De Lucilio uaria fuere iudicia. Horatius Lutulentum uocat, in scribendisq; carminibus incompositum. Qua in re ab eo dissentiunt Aulus Gellius & Fab. Quintilianus qui lib. 10. capite primo ab eruditione impensius eum commendat. Cicero in eo mediocrem esse eruditionem fatetur. Historiæ huius præter cæteros meminit & Plinius in præfatione natur. hist. Tractauimus more minime peruulgato.) Id significat quod in arte poëtica præcipit Horatius: ut uulgatum & à multis tractatum argumentum, ita tractemus, ut nouum reddatur. Publica materies priuati iuris erit. Quod se factitasse scribit & D. Hieronymus in quadam ad Gerontiam uiduam epistola: In uetere uia nouam semitam quærimus, & antiqua detritaq; materia rudem artis excogitamus elegantiam, ut nec eadem sint, & eadem sint. Vnum iter & perueniendi quo cupias multa compendia. Hæc ille. Iam uero ut facile est demoliri quod alius extruxit. At difficilli[illegible]m idem aut melius aliquid exstruere: Ita aliorum scripta reprehendere in procliui est. At eodem modo meliusue scribere non est perinde facile. Recte igitur Demosthenes in prima Olynthiaca: τὸ μὲν οὖν ἐπιτιμᾶν ἴσως φήσαι τις ἂν ῥάδιον, καὶ παντὸς εἶναι, τὸ δ' ὑπὲρ τῶν παρόντων ὅ, τι δεῖ πράττειν ἀποφαίνεσθαι, τοῦτ' εἶναι συμβούλου. Quid tu?) Eadem utitur phrasi, in quadam ad Barbirianum epistola: Quid tu? oppidi uestri pulcherrimi quidem illius &c. Nec id annotassem, nisi cum primum amico cuidam autographon ostendissem, & is plusquam perfracte contendisset legendum, ut emendarat. Quid ni? ac proinde uniuersum opus à me illius precibus Coloniam usque perlatum, idq; non sine magno studiosorum incommodo, clancularijs delationibus apud typographos ceu suppositititium fœtum damnasset, hoc commonstrato loco, illi silentium imposuissem, huius pudore ne aspicere quidem unquam sustinuit, tanquam contumaciam susceperit à me hoc ipso quod germanam lectionem indicauerim. Nec reclamante autographo cæcus in cæci sententiam pedibus ire uoluerim. Memor tamen eius quod dicitur. Amici mores noueris non oderis. Nihilominus ut olim, amicum pergebam amare. Amicitia enim quæ desijt, nunquam uera fuit. Patronus Latinæ linguæ.) εἰρωνεία est.

Quis nouus hic hospes.) Est ἐρώτημα. Sic ferè Homerus odiß. α. & ξ. τίς πόθεν εἶς ἀνδρῶν πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες. Id est, Dic quis, & unde uenis, tibi ubi patria, atque parentes? Secundum uos Iurisconsultos.) Hic loquendi color haud est insolens etiam apud ueteres Latinos. Cicero in quadam ad Trebatium iureconsultum epistola. Hoc, inquit, quemadmodum uos scribere soletis in uestris libris, idem Q. Cornelio uidebatur. Est autem Enallage siue ἑτέρωσις numeri. Filius qui in adoptionem datur.) Adoptare est alienum aliquem in ius & nomen filij sibi assumere, quod in Italia hodieq; usitatum est, apud nos minus notum habetur ff. de adop. & emanci. L. Si paterfamilias. Item de liberis & posthumis. Vitæ necisq; accipit potestatem.) Rodolphus Agricola commentario in primam Senecæ declamationem: An nomine parentis sit censendus qui abdicauit filium eum, qui & ab alio adoptatus sit: quum enim iam omnia iura parentis per abdicationem recusauerit, & expulerit filium domo, & hæreditate accipienda excluserit, patriam in eo

potestatem, quam apud Romanos pater in filiū uitæ & necis habebat, deposuerit, quæ omnia per adoptionē pater etiā adoptiuus acceperit, uidetur lex eū uoluisse nemine patris cōtineri. Hactenus Agricola. Demosthenes autor est apud Ro. legem fuisse, qua uitæ necisq; potestatem patres in liberos habebant, id quod Plinius alicubi quoq; testatur. Et Aulus Gellius lib. 5. cap. 19. Vtiq; ei uitæ necisq; in eum potestas siet. Multa sane possent ad hanc rem adduci, sed hæc uisa sunt accommodatiora. Annotet igitur in hunc locum quod quisque uolet. Porro ego de hac sententia non temere dimouebor, ut credam Rodolphum Agricolam iurisconsultorum eloquentissimum, & eloquentium iurisconsultissimum, id quod hic ἐν παρόδῳ suo accommodat instituto, suffugisse atq; adeo prorsus ignorasse, plane diuersum esse à iurisperitorum sententia: ut uidere est inst. de adop. Equidem non uideo, quid in hisce Rodolphi uerbis insit, quod tam acriter debeat incessi. Nam cum Rodolphus (quod negari non potest) uir integerrimus, acutos præditus ingenio, seculo natus infelicissimo sit. Adde quod nihil minus unquam cogitarit quàm sua ederentur, & ita ederentur inemendata. Proinde si quid etiam laberetur uir alioqui ter maximus non erat tamen conuitijs insectandus, idq; à sciolis aliquot sinistra Minerua natis. Si quid fortassis erratum esset per incuriam, danda erat uenia. Neque enim hominis est ut semper exactam præstet diligentiam Scite illud ab Homero dictum est, odiss. τ. ἀλλ' οὐ γάρ πως ἔστιν ἀΰπνους ἔμμεναι αἰὲν ἀνθρώπους, id est, haud quaquam fieri potis est, ut peruigil usque mortalis duret, & Cicero libro primo de finibus: Quamobrem, inquit, differentium inter se reprehensiones non sunt uituperandæ, maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones, concertationes, quod in disputando pertinaces, indigne philosophis mihi uideri solent. Augustinus in prolo. lib. hypomesticon. Si qua uero sunt & cæ. Eant nunc eant inquam pede infausto, qui ex hoc loco, alijsq; item sed paucis eiusdem farinæ, odio Rodolphi Agricolæ inflammati liberius quædam in illum mire ubique modestum debacchantur, quam uerius, quorum est Alciatus, de quo infra lib. 2. cap. 7. Vt enim & ingenuum est, & ad eruditionem conducibile, non dissimulare sicubi lapsi sunt autores: Ita probi hominis officium existimo à conuitijs temperare, & ita mederi malo, ut (quoad licet) non lædas hominum existimationem. Quod enim contumeliose dissentit, duplex sumit ac facessit negotium, geminumq; malum accersit. Dum & famam lædit alienam, & sibijpse maledicentiæ suspitionem conciliat. Felicissimum quidem est placuisse omnibus, uerum id cum nulli adhuc contigit, proximum est placuisse optimis, quorsum nos transuersos abripuit quorundam improbitas arrogantiaq;. Sed desino ἔξω σκοποῦ βάλλειν. Si potuissem præstiturus.) Priscianus. Composita, inquit, à sto uarie uetustissimi protulerunt. A sto astitum, & astatum, præsto præstitum & præstatum C. Trebonius: Cui nos à charitate & amore tuum officium præstaturos non debes dubitare. C. Plancus: Ne quid detrimenti fiat dabitur opera à me, idq; me præstaturum spero.

In fragmentum epistolæ posterioris.

Plane uideor mihi operam perdidisse.) Quid audio? Profecto nihil minus. Sic hanc Venerem exorsus es, ut nemo post te ausit manus admoliri. De horridis enim rebus nitida, de ieiunis plena, de peruulgatis noua quædam est oratio tua. Nam si nemo quisq̃ te uno adhuc attulit meliora, in hoc dūtaxat argumēti genere, αὐτοδίδακτε non prorsus operā lusisse, si quis fortassis afferet, gemina tibi debetur gratia, primū quod extimularis exemplo, deinde quod munieris præstructa uia. Nā nisi quis meliores literas attigerit.) Cic. in ora. ad Brutū: Quod

Quod si quem aut natura sua, aut illa præstantis ingenij uis forte deficiet, aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamē eum cursum quem poterit. Prima enim sequentem honestum est in secundis tertijsq; consistere. Propter multitudinem exemplorum.) Infra lib. 3. cap. 16. Exemplis &c. Coactus est exemplorum turba, ut in hoc argumento, ob diffidentem ac morosum lectorem in rem præsentem perducendum, prolixam ac molestam operam sumere apud eruditiorem paulo lectorem etiam inanem. Quæ ab eruditioribus.) Rodolphus lib. 2. cap. 19. præceptis enim ferè imbuuntur aures exempla docent oculos. Et idcirco negligetur ab eis qui.) Galenus περὶ φυσικῶν δυνάμεων lib. 3. τοῖς δ' ἄλλοις οὕτω γενήσεται τὸ γράμμα περιττὸν, ὡς εἰ καὶ μῦθον ὄνῳ τις λέγει, id est, Reliquis uerò tam inutile fuerit scriptum, quam si quis asino narret fabulam. Indocti negligent, semidocti ridebunt, docti si paucos exceperis præcipuos quidem illos. sed tamē paucos, partim inuidebunt, partim morosius carpent, ac dißimulatis tā multis, quæ recte dicta sint, sicubi forte fortuna semel aut iterum lapsus fuerit, quis autem non labitur aliquando, id solum annotabunt id solum meminerint. Vt qui balbi præter.) Aristoteles (ut hoc obiter adducā) treis facit parteis turbide loquentium, τραυλοὺς, id est, blesos qui certā literā exprimere nequeunt. Et si quibusdā est τραυλισμὸς extremæ syllabæ geminatio ψέλλους, id est, balbos, q proferendo aut literam aut syllabam prætereunt ἰσχνοφώνους, id est, hæsitantes qui nequeūt syllabam syllabæ connectere, qualis dicitur fuisse Battus, qualis fuit & Chærephon Socratis familiaris. Hesitantia aūt quæ sit uehemētioribus affectibus, ut ira, pudore μογιλαλία dicitur κολοβάζει qui deglutiunt extremā syllabam. D. Eras. Adagio Balbus balbum rectius intelligit. Barbarie nouus Anacharsis.) An potuit paucis plura salse iuxta ac apposite dicere. Lucianus in Scytha Libanius sophista aduersus Euagrium πόθεν δὲ ἡμῖν οὗτος ὁ νεώτερος ἀνάχαρσις. Huc faciunt quæ scribit Plutarchus Chero. in uita Solonis ἀνάχαρσις παρ' ἀθηναίοις σολοικίσει, ἀθηναῖοι δὲ παρὰ σκύθαις. Non obstitit Anacharsidi Scythæ quo minus sit in admiratione, & inter sapientes numeretur tametsi genere Barbarus esset. Huic quum quidam exprobraret quod genere barbarus esset ac Scytha: Multis quidem, inquit, patria dedecori est, tu uero patriæ, pulchre retaxans hominem ex sese nihili, nec alia re superbientem quàm patria. Athenæus lib. 10. Quidam è conuiuis dixerat Anacharsidi uxorem duxisti admodum deformem. At ille, prorsus, inquit, idem mihi uidetur sed heus puer, porrige poculum meracius ut illam faciam formosam, non solum igitur amanti, uerumetiam ebrio τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται, quemadmodum inquit Theocritus. Neq; ita longe huic dißident, quæ Plutarchus prodidit in Symposio septem sapientum ποιεῖ καλὸν τὸν ξένον ὅπως ἡμερώτατος ὢν μὴ φοβερὸς ᾖ τὴν ὄψιν μηδὲ ἄγριος. Sed hæc à πάρεργα. Aristoteles, Cicerones, Quintilianos.) Festiuitatis gratia numerum singularem mutauit in pluralem Martiales, Pythagoras, Zenonas, inexplicitosq; Platonas. Idem: Qui loquitur Curios, assertoresq; Camillos. Nolito fronti credere nupsit heri. Victurus genium.) Genius autore Censorino de die natali deus est, in cuius tutela, ut quisq; natus, uiuit, siue etiam quod ut generatur curat, aut quod nobiscū gignitur, seu natos suscipiat, ac tueatur. Certe is Deus nobis aßiduus asseruator existit, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat. Genium cum Lare eundem fuisse uetustas prope uniuersa credidit. Apuleius quoq; nunc Genios, nunc Lares appellat. Sunt igitur Genij quasi interpretes, atq; salutigeruli, qui concepta à nobis uota ad Deos, illincq; ad nos diuina munera referunt, autor Cœlius lib. 1. cap. 24. antiqu. lect. Vetus præterea opinio fuit singulis binos esse genios, quorum alter perniciem moliatur, alter uitæ commoda adferre studeat.

Est enim & malus Genius quem Graeci κακοδαίμονα nuncupãt, de quo Plutarchus in uita Bruti meminit. Et Vale lib. 1. Quinetiam Plato testatur, Socrati peculiarem fuisse Genium. Persius Saty. 2. Funde merum Genio &c. Horatius ult. epist. Scit Genius natale comes. Vergilius lib. Aeneid. 5. Incertus genium'ue loci famulum'ue parentis Esse putet. Iuuenal. Genialis agatur iste dies. Ouid. 5. Fast. Mille lares, genium ducis &c. Apul lib. 9. Militaris etiam sacramenti Genium uerebatur. Inde est quod Genialem lectum dicimus, qui, ut Festus Pompeius ait nuptijs sternitur. Angel. Pol in Myscella. cap. 89. & D. Erasmus in adagio. Genius malus. Quem tot tamq; praeclara subierunt ingenia.) Haec iactura debet omnes extimulare bonis addictos autoribus, ut id certe quod superest tanto legant auidius quanto minus est quod temporum ruina mortaliumq; ignauia nobis fecit reliquum.

DE INVENTIONE Dialectica liber primus.

DE INVENTIONE dialectica liber secundus.

Quo-

DE INVENTIONE DIALECTICA LIBER TERTIUS.

ERRATA, QVORVM PRIMVS NVMERVS PAGINAM SE-cundus aut uersum siue lineã, tertius uero ueram subindicat lectionem.

Pagina 3.4. quid ue. ibidem. 19. diducit & Cicero. 1. Off. 5.24. quod prouerb. 7. 22. post, si neges, margini adijciendum est* uidetur desiderari, nõ. 10.28. astysmus 11.24. referri. 21.16. fuit, 29, 19. adeò. 30.5. indicia. 31.13. cum. 33. 30. excellenti. 36. 8. differentiarum. ibidem in f. Quoties 42.13. præcipue. ibidem. 27. διαλύσει. 48. 14. duris. ibidẽ. 19. ἀωδὴς. ibid. 27. dispunge. Sit hoc primum exemplum. 52.5. Tu. 53.21. rei. 55.1. afferri. ibid. 2. elaboret. 56.26. circunsilit. ibid. in f. resecto. 61.20. cæteriq;. ibi. in f. cæsaq; ab. 62.27. plurium sens. 65.31. dispunge, Cato. ibi. 33. quam incred. &, eamq;. 66.19. Galatæ. ibi. 22. profusio. ibi. 28. Athanasio 68.24. quãtitates qualitatesq;. 75.34. αὐτὰρ. 76.17. calidum. 77.36. doles. 79. 19. uri. ibid. 28. posse. 81.31. animantia. 82.17. passionem. &c. ibid. 19. dispunge, ut statim &c. usq;, naturales. 85.4. nauticum. 87.16. seruus. 88.6. dicemus. 97.11. Fauni. 101.5. mutationem. ibid. 9. obstrepebat. ibi. 15. proprio. ibi. 20. λίγα ibi. 27. χρήσιμον. 104.4. connexa 107.28. ductum. 114. in calce, fornicata est. 115. 22. tui erroris. 116.27. serius. ibid. 33. surgẽtes. 118.8. facete. 120.31. Arnæus. 129.24. frangeret. 130.18. uniuersum. ibi. Eunomius. Et mox, aut uiris, & per impluuiũ. 132.14. lib. de. 136. in fine, admouit. 138.10. accepistis. 141.14. balenam. 145.16. aßimilabimus. ibid. in calce aßimilauit. 147.32. Idem in his. ibid. in calce, obnoxiũ, &, mari. 148.22. uiuant. 149.22. eundemq;. 158.10. impijs. 159.27. desipere. 164.30. differre. 165.8. fecit tredecim. ibi. enchiridio. 166.17. generi. 169.12. quomodo sine. 178.8. maxima 182.26. modo ad id. ibi. in fine, habere. 183.27. inconsulta. 186. 39. pertractat. 193.55. finitionibus. 194.21. miles armandus. 200.8. gladiatorum ibid. 16. priuatim. 201.32. Quid ni. 202.16. alteri. ibid. sequent. uers. ut propinquũ. 206.4. affectant. 207.17. Nam sine 208.25. concilio. 213. u. à f. 2. redargueret. 225.18. secutus. 226.22. tribuatur ei. 230. u. à f. 3. substantiam. 238 u. à f. 7. morales. 243. u. 1. prius. ibi. 18. longũ sit. 244.14. uel amici opes. 246. in m. διαφέρει. 248.6. eundum. 252.5. poßint. 254. 24. eudæmonas. ibi. u. à f. 7 dispunge, planè uariam esse legẽdum cõtenderim. 253. u. à calce 4. inuenire. 256. in m. diffissa aut discissa. 257.12. & te uolente. ibi. u. a. f. 10. alternis. 261. 1. dispunge, inter narrationem &c. usq;, nulla sanè &c. 261. u. à. f. 4. alijs. 264. u. ultimo. Quam nihil &c. & mox ibi. Quod non. 265.2. quæ si aliter. ibi. u. 11. cum desinat. ibid. sequenti uer. at quæ. 273. u. à fine 14. postea fuisse. 275. u à f. 7. loquens pictura, pictura. 287.13. negari. 289. u. à. f. 14. graculi. ibi. annuũ. 295. u. à f. 12. fallacia. ibi. mox feræ. 300. u. 10. auditorib. 316. u. à. f. 10. explicata. 320.15. πατρὶ φίλον τ', οἱ. ibi. uer. à. f. 2. κακὸν. 321.6. τοῦ γὰρ. ibi u. à. f. 10. confessum. ibi. 8. Epimenides. ψευσταὶ ἀργοὶ. 322.8. Hæthrusca. 324. οὐ γὰρ. 326. ἀπαίδευτος. 237.2. αὐτοδίδακτος. 328 ebrie. ibi. diuinæ. 329. u. 10. hæc fœminarũ. 331 u. à f. 16. depriuat. 333. in m. ὁ κύων. ibi. ceruinũ. ibi. u. à f. 5. occupatus. 335. ἀκοίμητον. 336. Pãmachiũ. ibid. in medi. sic se res. ibi. u. ult. iudiciorum. 343. in m. quem impune. 347.13. Romanum. ibi. paulo post, ore reiectantẽ. 348.8. moratam. 345. in m. clypeoq; ac mox, Bina manu. 346. u. 1. sceleri. ibi. mox, & sunt. 355. u. à f. 7. aliquid quod. ibi. 5. proprius. 357.15. mente cõceperunt. ibi. u. à f. 9. disputari uidentur. 358.17. Non inutile fuerit hic. 361. in m. ad hortum. 363. u. à f. 2. ducuntur. 364.5. minor sit. 366. u. à f. 11. utendum esse. 367.7. tum aliquot. ibi. u. 13. Vide libri. ibi. u. 13. deficiemus. ibi. u. à f. 3. rebus 368.2. etiam res altera. ibi. 4. uero. 374. 10. mãserint. 381.13. dispũge, se. 386.20. uiolẽtior. 392.13. desinit. ibi. laudum. ibi. u. à f. 7 augmentandi. 404. 30. cum partibus. In epistola liminari lege, debebamus.

RODOLPHI AGRICOLAE PHRISII DE INVENTIONE DIALECTICA, LIBER PRIMUS.

Prologus, procemiumúe operis sequentis.



ORATIO QVAECVNQVE DE RE quaq; instituitur, omnisq; adeo sermo, quo cogitata mentis nostræ proferimus, id agere, hocq; primum & proprium habere uidetur officium, ut doceat aliquid eum qui audit. Cuius rei quod certius quis propiusq; capiat indicium, quàm quòd soli omnium animantium homini, ut rationis doctrinæq; capaci, parens ille & autor rerum Deus, loquendi atq; orationis indulserit munus? Quòd si est signum rerum, quas is qui dicit animo complectitur, oratio: liquet hoc esse proprium opus ipsius, ut ostendat id atq; explicet, cui significando destinatur. Nec me præterit maximis autorum placuisse, tria esse quę perfecta oratione fiant: ut doceat, ut moueat, ut delectet: & docere quidem rem facilem esse, & quam quisq; tãtum non inertissimæ mentis præstare possit: concutere uerò affectibus audientem, & in quęcunq; uelis, animi habitum transformare, allicere itẽ, audiendiq; uoluptate tenere suspensum, non nisi summis & maiori quodam Musarum afflatu instinctis contingere ingenijs. Nec sanè inficias iuero, esse ista præcipua bene dicendi præmia, sequiq; orationem: uerum sequi uerius quàm effici, potiusq; accessionẽ esse ipsius, quàm proprium opus. Sed de his alio loco explicatius dicendũ erit. Hoc in præsentia dixisse sufficiat, posse docere orationem, ut nõ moueat, non delectet: mouere aut delectare, ut non doceat, non posse. Itaq; precantes, conquerẽtes, sed & interrogãtes quoq;, quanq̃ aliud agere uident, hoc tamẽ primum efficiunt, ut discant audientes, cuius desiderio teneantur, quo urgeãtur dolore, quid sit quod scire uelint. Docemus autem nonnunquam hoc tantum pacto, ut intelligat auditor: quandoq;, ut fiat illi fides. Fidem facimus, uel credenti, & uelut

A spon-

sponte sequentem ducimus: uel peruincimus non credentem, atque repugnantem trahimus. Alterum expositione fit, alterum argumentatione conficitur. Expositionem uoco orationem, quæ solam dicentis mentem explicat, nullo, quo fides audienti fiat, adhibito. Argumentationem uero, orationem, qua quis rei de qua dicit, fidem facere conatur. Cum uero nulli dubiæ rei queat ex se constare fides, sed ex alijs quibusdã notioribus atq; magis exploratis de unoquoq; certitudinẽ colligamus necesse sit: iamq; alij mentis acumine freti, uberius expeditiusq; argumentũ, id est (ut inquit Cicero) probabile inuentum ad faciendam fidem excogitent: alij contrà hebetiore mẽtis ui, ad rerum obtutũ caligent, & uel nihil, uel serò quid quaq; de re dici possit, inuenire queant: utilissimum uidẽtur fecisse, qui sedes quasdam argumentorum (quos locos dixerunt) excogitauẽre: quorum admonitu, uelut signis quibusdam, circunferremus per ipsas res animũ, et quid esset in unaquaq; probabile aptumq; instituto orationis nostræ, perspiceremus. Vtilem autem esse hanc locorum rationem apparet, cum magnæ parti humanorum studiorum (quãdoquidem plæraq; in ambiguo hærent, & dissentientium certaminibus sunt exposita. Exigua enim portio eorum quæ discimus, certa & immota est, adeoq; si Academicę credimus, hoc solum scimus, quod nihil scimus. Certè plæraq;, pro cuiusq; ingenio, ut accõmodatissimè ad probandum quisq; excogitare potuerit, aliò atq; aliò trahuntur) tum uero eis præcipue confert, qui tractant illa, quorum nullæ traditæ sunt artes, dico: qui consilio Rempublicam gubernant: quos de pace, bello, cæterisq; ciuitatis negotijs in rem præsentẽ, sæpè senatui, sæpè populo fidem facere oportet: quiq; in iudicijs itẽ accusare, defendere, petere, abnuere, quiq; populum docere iusticiam, religionem, pietatem, in professo habent. Quanquam enim & istorum nonnulla compręhensa sint artibus: subtiliora tamen illa & ex medijs scholis deducta, uelut exilia nimium, uel non intrãt crassiores uulgi animos, uel non hęrent: rudioribus & ex medio depromptis, tanquam popularibus robustioribusq; mouentur magis. Vtq; delicatiores aures lyra citharaúe delectat, ita militem non nisi tuba accenderis. Crassis enim (quod in prouerbio est) crassa conueniunt. Nec instruere solum os facultas ista, & tantum dicendi copiam subministrare: sed prouiden

tiam animi, & rectè consulēdi quoq; aperire uiam uidetur. Quando non alia re prudentiam constare apparet, quàm perspicere quid in quaq; re sit positum, & consentanea repugnantiaq́; & quò quicq; ducat, quiue euenire possit, colligere. Indicio fuerint duo utriusq; linguæ disertissimi, Demosthenes & Cicero: quorum ut prudentissima fuit oratio, ita (quanq̃ nonnulla æmuli reprehēdenda sibi in ipsorũ uita sumpsere) consiliorum tamen prudentiæq́; laus ipsis est uel inuidia consentiente concessa. Nanq; dicere prudenter, nisi qui prudēter cogitarit, non potest. Fit enim, ut quod prouiderit quis, nō faciat: dicit certè quod nō prouiderit, nemo. Sed hæc de origine locorum, deq́; ipsorum utilitate, hactenus præfatos esse sufficiat.

IN PROOEMIVM SIVE IN CAPVT PRIMVM.

QVEMADMODVM M. Tullius prius in Hortensio, laudata philosophia, accendit ad illius amorem, quàm eam docuit: Sic Rodolphus traditurus inuentionem dialecticam, prius inflammat lectorem, ostendens quanta sit illius dignitas, à quibus uiris exculta, quid magni promittat, quantam adferat utilitatem.

ORATIO quæcunq; de re quaq;.) Compendio quæ traditurus sit, uelut oculis subijcit, ostenditq́, ordinem rerum dicendarum, & in parteis deducit. Primum enim subindicat, ecquid sit oratio. Nam in omni rerum cognitione, primas sibi meritò uendicat definitio. Cic. Offic. libro: Omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à diffinitione proficisci, ut intelligatur id de quo disputetur. Deinde quibus causis constet, tũ quæ partes, præterea quæ specierum inter se comparatio, quæ forma, quod officium, quæ euenta, quæ accidant, quæ cohæreant, quæ pugnent: ad extremum, quæ propria. Quæ nimirum singula perspicuis rationibus definit, ac hisce orationis ornamentis auget, quæ confirment atq; illustrent autoris sententiam. Illud dictu mirũ, q̃ mire concinna sit hæc κυριολογία, cuius uirtutem Quintilianus non uno tãtum loco laudibus uehit. Inest enim dictioni Rodolphi genus eloquij pressum, nitidumq́; & acutum, puritate Tulliana pariter & maiestate Pliniana, crebrum in sententijs, magna rerum consequentia, pendente altero ex altero. Totus item sermo qui sequitur, scatet schematũ flosculis: quæ prætermitto, ne lectorẽ onerem, & longis ambagibus ultrà quàm satis est, morer. Quid multis? Diligenter obseruauit id quod infrà lib. 2. cap. 24. præcipit: Oratio (inquiens) quæ credentem habet auditorem, & sola expositione constat, sola expositione potest esse contenta. Instrumentum autem dialectices est oratio: per eam nanq; disserit, fidemq́; conatur facere de illo, quod sibi docendum assumpsit. Sed de his explicatius multò in sequentibus, maxime lib. 2. cap. 15. Quo cogitata mentis nostræ proferimus.) Id est, quod sentimus, efferimus. Minutius quidem, haud tamen indignum quod admoneatur, quod uulgus dialecticorum nostratium more suo dicit: Exprimimus mentis conceptum. Terentius Phor. Postquàm ad iudices uentum est, non potuit cogitata proloqui: ita

qui: ita eum timidum obstupescit pudor. Omnisq; adeò sermo.) ἐπανόρθωσις est. Id agere, hocq; primum & proprium.) Quod dicit, istiusmodi est: Orationem omnem in id paratā esse, ut animi sui participē quisq; faciat alium. Vide Isocratē in oratiōe quæ inscribitur Nicocles, in ipso statim frontispicio. Ut doceat aliquid eū qui audit.) Vel hinc apparet, quàm turpe sit obscurè loqui, cum orationis munus sit docere. Nonne satius est mutum esse, quàm quod nemo aut ferè nemo intelliget, scribere? Oratio etiam ad conciliandos homines est reperta, proinde & qui abigit homines cesto Veneris, à Venere uidetur alienus: sic qui oratiōe molestus est, & reddit inimicos, à Musis est alienus, & utendi ignarus. Autor est Plutarchus περὶ ἀδολεσχίας. Eras. Rot. in lib. Ecclesiast. 1. Humanæ mentis imago quædā est oratio, qua nihil habet homo mirabilius aut potētius, unde & Hesiodus eā appellat præstantissimum hominis thesaurum, quæ si dissideat ab animo unde proficiscitur, ne orationis quidem meretur uocabulum, nihilo profectò magis, quàm persona meretur dici facies, aut fucus, hominis color. Hilarius in Psal. 51. Nouacula ad nitorem uultus acuitur, ut abradens hirsutam atq; horrentem faciem leuiget. Hæc si potius uulneret, dolum fecit, quippè cum præparata ad ornatum, ministerium suum præbuerit ad uulnus: Ita lingua impij in malitia potentis, quam natura ad eloquendas rationabiles cogitationes consulti præparauit, ipsa potius irrationabiles cogitat iniquitates. Loquendi atq; orationis indulserit munus.) Id ita habere, uel ipsius Ciceronis testimonio doceri potest. Hoc autem uno (inquit) præstamus uel maxime feris, quod colloquimur inter nos, & exprimere dicendo sensa possumus. Quint. 2. Inst. Orato. lib. Et Hercle DEUS ille princeps, parens rerum, fabricatorq; mundi, nullo magis hominem separauit à cæteris (quæ quidem mortalia essent) animalibus, quàm dicendi facultate. Damasus in quadam ad Hieronymum epistola: Nam cum idcirco, ut ait præcipuus orator, homines à bestijs differamus, quòd loqui possumus: qua laude dignus est qui in ea re cæteros superat, in qua homines bestias antecellunt? Tria esse quæ perfecta.) His planè consentiunt ea quæ habet Quintil. lib. 3. cap. 5. Tria autem sunt quæ præstare debet orator, ut doceat, moueat, delectet. Cicero in Orato. ad Brutum: Erit igitur eloquens is, qui in foro causisq; ciuilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. probare, necessitatis est: delectare, suauitatis: flectere, uictoriæ. Nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. Idem de optimo genere oratorum: Optimus est enim orator, qui animos audientium & docet, & delectat, & permouet. Docere, debitum est: delectare, honorariū: permouere, necessarium. Tantum non.) Tantum non, Latini eleganter usurpant pro ferè, propemodum. Id quod Græcis est familiarius μόνον οὐχ'. Lege Guil. Budæum in annotationibus in pandect. de usu negationis. Concutere uerò affectibus.) Porrò hoc artificij multò narratur effusius infrà libri 2. cap. 5. Sed de his alio loco explicatius.) Nempe eo quem modo citauimus, & lib. & cap. Itaq; precantes, conquerentes.) Hæc uerba Rodolphi cum illis congruunt quæ scribit libri 2. cap 3. Docemus autem nonnunquam.) Hoc ipsum est quod infrà dicit libri 2. cap. 4. Fidem facimus.) Qua de re pòst apertius scribit lib. 2. cap. 17.
Expositionem uoco.) Lib. 2. cap. 16. Argumentationem.) Vide primum Ciceronis rhetoricum. Nam & argumentatio nomine uno, res duas significat. Ideo quòd & inuentū aliquod in rem, probabile aut necessarium, argumentatio uocatur, & eius inuenti artificiosa expolitio. Vehementer ab istis dissentio, qui nolint uel minimum esse discrimen inter argumentum, & argumentationem: cum tamen tota diametro repugnent. Non postularim ut mihi quisquam habeat fiduciam, nisi Cicero mecum per omnia sentiat. Argumentum enim res est,

uel (ut inquit Cicero) probabile inuentum ad faciendam fidem: Argumentatio uerò, argumenti est per orationem explicatio. Seneca tamen in prologo declamationum, argumenta pro argumẽtationibus ponit: Nec his, inquit, argumẽta subtexã, ne & modũ excedã. Illud certe negari nõ potest, uulgus Dialecticorũ ubiq; ferè abuti argumẽto pro argumentatione, cũ dicunt: Argumentum ab autoritate negatiue sumptum, non ualet, & est proprium hæreticorum. Item, argumẽtum ex puris particularibus aut negatiuis nihil cõcludit. Vtilissimum uidentur fecisse.) Vide infrà libri 1. caput de applicitis. Ad rerum obtutum caligent.) Id quod sæpè facile in alterius sensum irrepit, ab altero percipi nullo modo potest. Sunt enim qui ne ignem quidem calere putant, nisi eum manu contrectarint. Quibus nihil credendum esse placet, quod supra progredientem uideatur naturam. Quando pleraq; in ambiguo hærent) Rodol. crebris interdum periodis in longum producit sententiam. Dissentientium certaminibus.) Tale quiddam subaperit lib. 2. cap. 5. Vtilem autem esse.) Quô studiosa iuuentus propensioribus animis in hoc studium incumbat, quas ad res conducat, paucis aperit. Si academiæ credimus.) Philosophis nouæ academiæ ἀκαταληψία illa sua tam impensè placebat, ut negarent omninò quicquam sciri posse. Cuius rei, ut cæteros prætercam, sæpe facit mentionem Cicero cum in libris de bonorum & malorum finibus, tum in Academicis, ubi sic habet: Rerum natura nullam nobis dedit cognitionem firmam, ut in ulla re statuere possimus. Quin uerò & 2. lib. de natura deorum, & rursum 3 lib. de Oratore, ac in calce libri 2. de diuinatione. Rodolp. Agricola lib. 2. cap. item 2. & 6. quoq;. Galenus item de optimo docendi genere contra Academicos & Pyrrhones, probat esse certam alicuius rei cognitionem. Plutarchus in libello quem scripsit aduersus Stoicos: Multò uerò illud indignius, & à cogitationibus seiunctius, nihil à quoq̃ compræhendi, nec si testudine, id quo prouerbio dicitur, à tergo insequatur Adrasti celer equus. Hoc solũ scimus.) Etiã illa quæ sensibus exposita sunt, Academici uocant in dubium: sed nemo dubitat, an quinque sint plura tribus, & an senarius cõtineat quaternarium cũ eius dimidio. Quod Academicorum nihil erat scire, ostendit Seneca lib. Epist. 14. episto. 90 Nec inscite dixit quidam, qui Athenas se contulissent, primum reddi sapientes, mox philosophos, hoc est, sapientiæ cupidos, postremo idiotas & indoctos, quòd usu uenerit, ut ubi quàm maximè profecissent, tum demum intelligerent sese nihil scire. Hoc sanè docuerunt ueteres illi Academici & Pyrrhones, nullum datum esse homini iudicium à natura, quo collatis inter se rebus omnibus, exacte possit dignoscere. Eoq; nulla de re pronunciandum esse censebant, sed semper de omnibus suspendendam esse sententiam. Huc referat qui uelit illud D. Hieronymi in cõmentarijs in Ezechielem: Sciẽtiæ pars est scire quod nescias. Idem Hieronymus in epistola aduersus Vigilantium: Non parum est scire quod nescias. Prudentis hominis est nosse mensuram suam, nec zelo diaboli cocitati, imperitiæ cunctum orbem testem facere. Huc item illud facit quod est apud Lactantium de falsa sapientia libi 2. cap. 6. Didimus τὸ εἰδέναι τινὰ ὅτι ἀγνοεῖ σοφίας ἐστὶν. Illud omnium maximè celebratur, quod Socrates dicebat se nihil scire, nisi hoc unum quod nihil sciret: inquirebat enim de singulis, tanquam ambigens, non quòd reuera nihil haberet certo cognitum, sed hac ironia & suam declarabat modestiam, & aliorum redarguebat arrogantiam, qui se profitebantur nihil nescire, quum reuera nihil scirent. Sophistæ quidam publicè profitebantur sese ex tempore responsuros ad omnẽ propositam materiam. Horũ arrogantem inscitiam sæpenumero confutabat Socrates. Atq; ob hoc ipsum, ut ipse quidem interpretatur, ab Apolline iudicatus est sapiens, quòd quamuis omnium rerum ignorantiam cum cæ

teris haberet communem, eo nomine tamen illos superaret, quod suam inscitiam agnosceret, quum illi hoc quoq; nescirent, se nihil scire. Erasmus Roterod. libro ecclesiastæ secundo: Accedit huc quod &c. Hodie à senatu & foro ferè exulat omnis eloquentia. Vetus oratorum consuetudo peruenit ad Ecclesiastas, qui sacra docent. Qua de re copiosissime disserit D. Eras. Rot. in lib. de ratio. Concio. Sæpe senatus.) Apud T. Liuium, Pacuuius Calanius suadens Campanis, ne senatores mutare uellent, populum iam re doctum dicere compulit, Notissimum quodq; malum maxime tolerabile esse. Nasica uir optimus caueam theatri senatum construere molientem, ab hac dispositione, & cupiditate compescuit, persuasitq; oratione grauissima, ne Græcam luxuriam uirilibus patriæ moribus paterentur obrepere, & ad uirtutem labefactandam eneruandamq; Romanam peregrinæ consentirent nequitiæ. Hæc D. Augustinus lib. 1. ciuitatis diuinæ cap. 30. Lege Lucam in Actis cap. 5. de consilio Gamalielis. Vide Iosephum in 3. libro de bello Iudaico in oratione Iosippi Iotapatenorum ducis, qua post expugnatam à Romanis Iotapateni socijs in abdita secum spelunca delitescentibus adnititur persuadere, ne ipsi sibi manum inferrent mortémue consciscerent. Sed næ ego ineptus, qui unum aut alterum exemplum adduco, ubi tam multa suppetunt. In rem præsentem.) Frequenter obuium est apud Rodolphum in rem præsentem. Proinde nō inutile duximus super ea re paucis quædam annotare. In rem præsentem, non tempus, sed locum significat. Cicero lib. Offic. 1. Vt si constitueris cuipiam aduocatum te in rem præsentem uenturum, id est, ad locum de quo controuersia est. Et Quintil. lib. 6. cap. 2. Quarum rerum ingens plerunq; uis est, uel ut in rem præsentem animos hominum ducentium. Guilielmus Budæus in Pandectas: In rem præsentem olim tum ueniebant, cum locum oculo ac digito designare uolebāt. Dico qui cōsilio.) Videtur abesse eos: Vt legamus: Eos dico qui. Quando non alia re prudentiam constare apparet, quàm perspicere.) An liceat sic loqui: Non alia re constat eruditio quàm studere: aliorum esto iudicium. Non instruere.) Cicero lib. 3. de Orat. Non enim solum acuenda nobis neq; procudenda lingua est, sed onerandum complendumq; pectus maximarum rerum & plurimarum suauitate, copia, uarietate. Quàm perspicere quid in quaq; re.) Quintil. lib. 6. cap. item 6. & Rodolp. Agricola lib. primo cap. de euentis. Quorum ut prudentissima fuit oratio.) Cicero in oratorijs partitionibus: Nihil est enim aliud eloquentia, nisi copiose loquens sapientia. Quintil. lib. 12. cap. primo.

Nisi qui prudenter cogitauit.) F. Quintil. Dicere enim benè nemo potest, nisi qui prudenter intelligit. Cicero de Oratore: Vtilissimum est, si subinde mentem reijciamus ad id de quo dicturi sumus. Ita futurum est, ut & causæ satisfaciamus, & nihil quod uel obsit illi, uel certe non prosit, afferamus. Fit enim, ut quod.) Apud Rodolphum sæpenumero capita epiphonemate clauduntur, & in clausulis arguta addita feriunt aurem.

Quid sit locus. Cap. II.



QVando igitur de locis dicturi sumus, commodissimum fuerit definire quid sit locus. Id quò cūcta magis in aperto sint, altius repetentes, paulò uberius explicemus. Dictum est nobis pauloantè, nullam rem de qua ambigitur, ipsam per se probari posse, quod clarius sanè arbitror esse, quàm

ut osten-

ut ostendendum sit: non minus, quàm tenebras si uisum oculosq; admittere debeant, illato alicunde lumine indigere. Relinquitur ergo, quicquid confirmandum est, ex aliquo alio fidem assequi. Nec tamen omnia probandis omnibus cõueniunt. Quid enim disserenti de optimo ciuitatis statu, & utiliús ne sit eam principis unius arbitrio, quàm populi consensu regi: profuerit scire, respirent nec ne sub aqua pisces? Quid item suadentem Cæsari ut inferat bellum Pompeio, adiuuerit, ecquid habitent ex aduersa nobis regione orbis terrarum homines, quos ἀντίχθονας Græci uocant? Itaq; disserẽtibus à re præsenti abhorrentia, neq; ulla ex parte coniuncta instituto orationis suæ, dici solet, Quorsum hæc? Et, Video quid dicas: quid uelis dicere, non uideo. Facetum est hac de re Demonactis philosophi illud, qui quum uidisset disserentes duos, quorum alter, quæ ad rem nihil attinerent diceret, alter non minus absurde responderet: quàm inquit, pulchrè isti: uidetur hircum ille mulgere, hic cribrum subdere? Quanquam autem sit apud Aristotelem, omne uerum uero consentire, neq; possint plura uera discrepantia esse: aliud tamen est consentire ipsa, aliud fidem astruere. Ergo ut ad alterius cõfirmationem aliquid possit adhiberi, coniunctum quadam ratione, & uelut cognatum esse oportet illi cui probando adhibetur, taléq; uideri, ut non subsistere res sine illo, si affirmes: non subuerti, si neges, possit. Id quô facilius accipi possit, crassiore quidem, sed apertiore exemplo ostendamus. Videmus in metienda rerum magnitudine, si duo sint proposita quæ æqualia esse uel inæqualia ostendere uelimus, si huiusmodi res sint, ut applicari altera alteri nequeat, accipitur tertium aliquod, quod possit utriq; adhiberi: neque temere illud aut quoduis, sed quod alteri saltem illorum sit æquale. Id deinde alteri adhibitũ, si fuerit & illi æquale, iam æqualia ea inter se dicimus: sin inæquale, inæqualia. Quoniam certum exploratumq; est, eam magnitudinum esse proprietatem, ut quęcunq; duæ cuiquam tertiæ sint æquales, sint & inter se æquales: & quarumcunq; duarum altera tertiæ alicui æqualis sit, altera inæqualis: sint & inæquales inter se. Quorsum hæc? Vt ostendam, quemadmodum in magnitudinibus dixi, sic in omni rerum natura esse: ut quæcunq; duo cuiquam tertio consentanea sint, inter se quoq; esse cõsentanea. Consentanea autem

uoco

uoco, quorum possit alterum de altero dici. Vt homini & substantiæ conuenit in animali, quoniam omne animal est substantia, & omnis homo est animal: sequitur ergo conuenire ipsis inter se, hoc est, omnem hominem esse substantiam. Et contrà, quorumcunque duorum alterum consentaneum est alicui tertio, alterum dissidens: ea quoq; inter se dissident. Vt lapidi & homini. Lapidi quidem animal dissidet: homini uerò conuenit: certum igitur est, lapidem & hominem inter se dissidere. Si qua duo itaque uelis perspicere conueniant inter se nec ne, si sint eiusmodi, ut quemadmodum magnitudines diximus applicari non posse, sic & ista cōsentanea sint an dissidentia, ex ipsis perspici nequeat: necesse est tertium aliquod inuenias, quod alteri horum consentaneum esse certius sit: idq́; alteri deinde comparatum, proinde ut illi fuerit consentaneum uel dissentaneum, ita esse inter se ambo, quæ proposita fuerant, sciamus. Id tertium, tum medium argumentationis dicitur: quoniam proposita uelut extrema duo coniungit: tum quia probabiliter propositis iungitur, instrumentumq́; est faciendæ de illis fidei, uocatur argumētum. Hanc partem excogitandi uel medij uel argumenti, uocant dialectici inuentionis. Altera est pars quę iudicandi uocatur. Ea cuiusmodi sit, ex prædicta itidem similitudine indicemus. Cum mensuram aliquam metiendarū duarum magnitudinum sumpserimus, ea si proba debeat esse, necesse est certa & firma sit. quòd si aut extendi possit, aut in arctum contrahi, & quemadmodum ait Aristoteles de regula Lesbia, quę ad parietis flectitur formam, sic ista aptetur magnitudini metiendæ: fallax nimirum erit. Hoc pacto, unum illud cui uel consentanea, uel dissidentia ea quę proponuntur, diximus esse debere, id si opinione solum atque aspectu, & non reuera sit unum, fallemur argumentatione: eueniet́q;, ut quæ consentanea esse ostendi argumentatione credimus, dissideant maxime: & contrà, pro dissidentibus consentanea capiamus. Vt si dicamus, aliquod animal est irrationale, homo est animal, ergo homo est irrationalis: uidentur quidem iungi in animali irrationale & homo: sed perspicuum est, non esse idem animal, de quo irrationale dicitur, & quod dicitur de homine: sed nominis tantum ambitu, & generis similitudine idem uideri. Quòd si adhibito iudicio legem syllogismi obserues, dicásque:

Omne

Omne animal est irrationale, homo est animal, ergo homo est irrationalis: iam quando pro consentaneis accipiuntur ea quæ dissident, ut omne animal, irrationale esse: nihil mirum est, homo & animal quanquam consentanea sint, hominem tamen & irrationale dissidere. Vt ergo certum sit atq; liquidum, id quod in argumentum assumimus, non facie, sed reuera unum esse: adhibita est inuentioni hæc iudicij pars, cui omnis de modis figurisq; syllogismorum præceptio, & cautio omnis captiosarum argumentationum, quas fallacias dixêre, subseruit. Sed nos de priore illa quæ ad inueniendum pertinet, his libris loquemur. Intuentem ergo illa quæ de ea diximus, nō latebit uerum esse quod proposuimus: omnia quæ uel pro re quaq; uel contra dicuntur, cohærere, & esse cum ea quadam (ut ita dicam) naturæ societate coniuncta. Res autem numero sunt immensæ, & proinde immēsa quoq; proprietas atq; diuersitas earum. Quô fit, ut omnia quæ singulis conueniant aut discrepent, singulatim nulla oratio, nulla uis mentis humanę possit complecti. Inest tamen omnibus (tametsi suis quæq; discreta sint notis) communis quædam habitudo, & cuncta ad naturæ tendunt similitudinem, ut quod est omnibus substantia quædam sua, omnia ex aliquibus oriuntur causis: omnia aliquid efficiunt. Ingeniosissimi itaque uirorum, ex effusa illa rerum uarietate, communia ista capita: uelut substantiam, causam, euentum, quæq; reliqua mox dicemus, excerpsere. uelut cum ad considerandam rem quampiam animum aduertissemus, sequētes ista: statim per omnem rei naturam & partes, perq; omnia consentanea & dissidentia iremus, & duceremus inde argumētum propositis rebus accommodatum. Hæc igitur communia, quia perinde ut quicquid dici ulla de re potest, ita argumēta omnia intra se continent: idcirco locos uocauerunt, quòd in eis uelut receptu & thesauro quodam, omnia faciendæ fidei instrumenta sint reposita. Non ergo aliud est locus, quàm communis quædam rei nota, cuius admonitu, quid in quaque re probabile sit, potest inueniri. Sit ergo nobis locus hoc pacto definitus.

IN CAPVT SECVNDVM.

NEc tamen omnia probandis.) Illud in primis cauendum, ne citra delectum uelut ex aceruo, quicquid primum occurrerit, in quolibet loco inferciamus. Quintilia. lib. 2.

cap.15. Propter hoc quoq; interdum uidentur indocti copiam habere maiorem, quòd dicant omnia: doctis est & electio & modus. Rodolp. Agricol. libri primi cap.21. Nec enim excidit nobis, id quod prædiximus: non omnia probandis omnibus apta esse. De optimo ciuitatis statu.) Plutarchus in uita Homeri τριῶν χοῦ ὄντων πολιτιῶν, & cætera. βασιλεία, ἀριστοκρατία, δημοκρατία. Respirent nec ne.) Et an pisces sentiant morbos, & an uniuerso piscium generi incidat pestis? quemadmodum frequenter accidit hominibus, ac cæteris animantibus, non cicuribus modo, uerum etiam feris. Plinius libro nono capite septimo: An spirent pisces, an dormiant. Idem libro 11. capite tertio: Vtrum spirent, an habeant sanguinem insecta. Non spirare animal, cui non sit sanguis calidus, autor est Theophrastus. Omnia item retrorsum spirare, quæ fistulam habent & recipiunt aërem, testis est Aristoteles libro de nat. ani. cap.12. Quid item suadentem Cæsari.) Is erat C. Curio Tribunus plebis, ut memoriæ prodidit Cæsar in calce octaui comment. suorum. Et Velleius Paterculus historiæ Romanæ posteriori uolumine à medio: Bello autem ciuili & quæ deinde per continuos uiginti annos consecuta sunt malis, non alius maiorem flagrantioremq;, quàm C. Curio Tribunus plebis subiecit facem, uir nobilis, eloquens, audax, suæ alienæq; & fortunæ & pudicitiæ prodigus: homo ingeniosissimè nequam & facundus malo publico.

Quos ἀντίχθονας Græci uocant.) Quæstio est impeditior, neque prorsus adhuc à quoquam satis explicata. Rodolphus ut nectit nodum, ita non soluit. Cicero lib. 4. Academica. Quæst. Nonne etiam dicitis esse è regione nobis, id est, è cõtraria parte terræ qui aduersis uestigijs stent cõtra nostra uestigia, quos antipodes uocatis: lege Ioachamini Vadiani Heluetij epistolam ad Agricolam iuniorē de Antipodibus, & Plinium in lib. 2. cap.65. Video quid dicas.) Video pro intelligo positum est: sic dicimus, non satis uideo quid his uerbis tibi uelis. Terentius: Hic uideo me esse inuisum omnibus. Idem: Non fratrem uidet rei operam dare. Quid uelis dicere non uideo.) Id est, non satis intelligo quorsum hæc tendant, & quid dicendo uelis colligere. Quid tandem promouet qui currit extra uiam, ueluti per iocum Græco apophthegmate ridentur nonnulli his uerbis: καλῶς μὲν τρέχουσιν ἀλλ' ἐκτὸς τῆς ὁδοῦ id est, bene currunt, sed extra uiam. Demonactis philosophi.) ἀστεϊσμὸς, id est, astismus, hoc est, inexpectatus iocus, adeoq; urbana derisio de re quapiam uehementer absurda, quale est illud Vergilianum:

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mœui:

Atq; idem iungat uulpes & mulgeat hircos.

Vide adagium: Mulgere hircum. Omne uerum uero.) Lege libri sequentis caput 20. Et Aristot. lib. τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν. Vt non subsistere res sine illo, si affirmes, non subuerti, si neges possit.) Equidem ad hunc modum reperi scriptum etiam in autographo exemplari, uerum ex his uerbis non uideo quæ sententia possit exsculpi. Dicam igitur quid mihi uero proximum uideatur, non quod alios uelim protinus sequi nostram diuinationem, sed ut eruditis coniectandi ueri qualecunq; suppeditem occasionem. Horum uerborum hæc est (ni fallor) sententia: Medium siue argumentum in affirmatiua argumentatione, debet esse tale, ut res probanda sine illo subsistere non possit: & in negatiua tale, ut res probanda sine eo subuerti aut tolli non possit. Cæterum (ut ingenue id quod sentio dicam) si quis hæc diligentius paulò expendat, uidebit (ut absit inuidia uerbo) utrunq; prorsus esse falsum. Si enim alicui uelim probare uirtutem per se expetendam, assumam argumentum, siue medium aliquam

quam uirtutis speciem, ut iustitiam aut temperantiam per se dicam expetendam: igitur uirtutem per se expetendam. Item si debeam ostendere aliquam substantiam esse mortalem, dicam hominem esse mortalem; item plantas, & arbores graminaq; interire, igitur & substantiam aliquam esse mortalem. Constat tamen res probandas, id est, substantiam, & uirtutem in dictis argumentationibus posse esse, & si iustitia, homines, similiter & plantæ non sint. Idem in negatiua argumentatione ostendetur hoc modo: Est bona firmaq; ratiocinatio, si dicam: nullum corpus est immortale: ergo nullus homo est immortalis. Item, nulla fortuita per se sunt expetenda: ergo non sunt per se expetendæ diuitiæ: & tamen res probandæ in his, homo scilicet & diuitiæ, possunt tolli subuertiq; non sublato tamen fortuito bono, & corpore. Proinde si quid licet refragantibus uel omnibus exemplaribus immutare locum hunc, hoc, aut alio simili modo libens legerim, sit tamen interim cuique liberum, quod uelit sequi: Vt non subsistere res sine illo, si affirmes: non subuerti si neges, non posit, idq; haud paulo est uerius q̃ quod nostro placet AGRICOLAE. Id est, medium tale erit, ut ipso posito, res probanda ponatur, & ipso sublato, tollatur quoque aut certe debet tale uideri, quod addendum uenit propter has argumentationes: Est mater, ergo amat filium. Est nouerca, ergo odit priuignum: est auarus, ergo negligit iusiurandum. Est philosophus, ergo contemnit opes: Item & has: autumnus est serenus: ergo hyems erit uentosa, sol oritur rubescens, ergo imminet tempestas. occidit rubicundus, ergo cras erit serenitas, & dolentem sopor occupauit, igitur tristia somniauit, & item de reliquis id genus argumentationibus. In quibus medium non habet necessariam illam quam diximus cum re probanda cognationem, creditur tamen, quia ferè habet, unde etsi huiusmodi ratiocinationibus non firmatur planè fides: stabilitur tamen, & si per has non in totum creditur propositum, minus tamen de eo dubitatur. Quanquam haud nesciam quid mihi posit fortasse respondere, nempe utrunque non præcedens ad ultimum uerbum posit, posse præferri, proindeq; non desiderari aliud. Atqui id eruditior aliquantò nullus credet. Longum sit hic recensere quàm diuersa super huius loci intelligentia opinentur quidam. Quanquam autem hic locus propemodum obscurior est, quàm ut ad plenum posit intelligi ab his qui parum sunt uersati in dialectica quam κριτικὴν uocant: tamen ut lucem aliquam ostendam, ac uiam commonstrem iuuentuti, quo rationem excogitandi uel medij uel argumenti utcunque percipiat: Meo quidem iudicio nihil est omnium quod æque conducat ad hæc probe intelligenda, quàm quæ docet RODOLPHVS libro secundo capite decimooctauo, & libri tertij capite secundo circa medium. Plurimum etiam momenti attulerit accuratius expẽsus locus de dispositione in secũdo Philippi Melanchthonis Rhetorico, ubi id & latius & clarius aliquanto exprimit, quod subobscure hic AGRICOLA uelut in transcursu attingit. Quæ quidem loca non oscitanter euoluenda erunt. Profuerint enim cum ad hunc locum præsertim, tum ad alia permulta in hisce libris tribus explicanda, in quibus mirum hodieq; quàm sudent quidam & tamen frustra, multaq; multis in locis dicunt, sed aqua hæret (ut aiunt) Cæterum tempero mihi, ne longius extra septa euehar: hic demum dignus est campus exercendis ingenijs. Vt non subuerti nõ posit.) Sic usurpatur subuerti in regula Iuris ab Vlpiano profecta: Omnis definitio in Iure ciuili periculosa est, rarũ est enim ut non subuerti posit. Sed apertiore exemplo ostendamus.) In exemplari (quod ne è prima quidem repurgauit schedula RODOLPHVS) Dauentriæ apud ALEXANDRVM HEGIVM suum relicto, offendimus in marginali spacio ascripta quæ sequuntur, idque è

regione, horum uerborum, sed apertiore exemplo ostendamus: Vt si probare uelis, expetendam esse homini uirtutem, non temere id neq; ex obuio, quo illud efficias, sumes: sed intueberis rem ipsam, dicesq; expetendam esse iustitiam, expetendam ergo esse & uirtutem. Neque enim fieri posset ut iustitia expetatur, non expetatur & uirtus. Sic quoq; uitia fugienda esse, ergo uirtutem expetendam. Neq; enim posse istorum alterum sine altero fieri. Sic & gloriam expetendam, at ea à uirtute paratur: sic & tranquillitatem animi amplectendam, at ea non sine uirtute contingit: sic & quicquid aliud in hanc sententiam poterit dici. Qui uerò contrarium tuebitur, non deerit sibi, uidebitq; si quid & sibi res ipsa ostendat: inueniet ergo naturam hominibus omni ex parte uoluptatis ingenuisse curam, cui minime cum uirtute conueniat: igitur uideri relinquendam esse uirtutem, uitanda etiam hominibus esse pericula, tormenta, mortem, in quæ persæpe uirtutis studio deuocamur. Iam coli ab omnibus expetiq; diuitias: contrà uirtutem, paupertatem, amplecti, iustitiam quomodo non esse auersandam, quum frenos homini circundet, nec quò uires cuenque suæ ratione industriaque possint proferre, permittat: quid non uitandam fortitudinem, quæ sudorem, labores, periculaq; suadeat, non spernendam temperantiam, tristem atque omni nos dulcedine usuq; uitæ fraudantem: prudentiam uerò si non eo quò libet ire, nos ducat, sed ista nobis subinde speciosa subijciat uirtutum nomina, eam quàm maxime fugiendam, quando perpetuis nos alliget curis, neque unquam dies noctesue respirare patiatur: atqui uel sine uirtute ista omnia, uel non est sine istis uirtus, quid ergo quum hæc sint fugienda, uirtutem expetimus? Vt quæcunque duæ cuiquam tertiæ sint æquales, sint & inter se æquales.) Galenus de optimo docendi genere: Itaque Carneades ne illud quidem quod est omnium euidentißimum, concedit esse credendum, quòd magnitudines, unicuipiam æquales, sint etiam inter sese æquales. Quæcunque duo cuiquam.) Id mathematici nostri temporis dicunt hoc modo: Quæcunque sunt eadem uni tertio, eadem & inter se sunt. Si duo sint proposita.) Boëtius in Arithmetica capite uigesimoprimo. Proinde ut illi fuerit.) Proinde idem est quod ideo, uel potius ideoq;: semper enim dependet à superiori sententia. Minutius isthuc ego esse ducerem quàm ut annotaretur, nisi paßim audirem iuuentutem in hoc & ambigere & errare. Proinde hoc ceu πάρεργον adiecimus. Non confundendum puto discrimen inter proinde & perinde, etiamsi non pauci scriptores, sed recentes id faciant, nec sequendam in hoc exemplarium ueterum quidem perfidiam, quæ inscitia superiorum ætatum inuecta est. Tertullianus de præscriptionibus hæreticorum: Mentior, inquit, si non etiam à regulis uariant inter se, dum unusquisq; proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Quanquam nesciam RODOLPHVM ad Quintiliani phrasim proinde uti pro secundum hoc, ut libro tertio capite octauo: utcunque alia alij aptißime ex dicẽdi occasione subtexi potest, proinde subiungitur. Quintilianus libro quarto capite tertio: Proinde enim magis aut minus hoc erit necessarium. Restitui itaque hic perinde ut, id est, similiter ut, qua quidem particula uidetur impendio delectatus RODOLPHVS, adeo subinde usurpat. Vocant Dialectici inuentionis.) ARISTOTELES certe partis utriusque, teste CICERONE, facile princeps, inueniendi artem, quam Topicen uocauit, octo libris prosecutus est, eósque non minori cura, quàm quibus Dialecticen, quæ iudicandi continet rationem, perscripsit. Neque enim docuit eam partem, quæ ad usum erat potior, & ordine naturæ altera prior, negligere: quid enim iudicabit Dialecticus, si nequeat iudicanda inuenire? quid aut connectet,

aut colli-

aut colligabit, si desint ex quibus argumentatio componetur? Verum facile contemnitur, cuius usus ignoratur. Quamobrem id solum crediderunt suarum esse partium Dialectici quidam, ut quàm maxime & argutè et spinose de rebus dissererent, & crebris diuerticulis uiam breuem redderent longißimam. Vnde Fabius recte fieri existimat, quòd plerosq; uideamus in disputationibus mire callidos, qui si ab illa cauillatione discesserint, non magis poterunt in graui aliquo actu sufficere, quàm parua quædam animalcula quæ in angustiis mobilia, campo deprehenduntur. Quintilia. item rerum inuentionem, appellat orationis ossa. Sumpta similitudine ab animantium corporibus, quæ oßibus continentur, colliguntur neruis, uestiuntur carnibus, & pelle cohærent, anima mouentur. Hinc uetus illud prouerbium: ὀστοῦν ἔνεστι τῷ λόγῳ, i. Sermoni inest os ac uigor. Sed hæc parerga. Altera pars est quæ iudicandi.) Aristoteles partim in analiticis posterioribus, partim in Topicis. Quintil. in calce libri 5. & lib. 6. cap. 10. sub finem. In prooemio lib. 2. de utraq; parte uberius disserit, & Agricola: Quod Heraclius lapis est probando auro, uerum'ne an adulterinum sit, id iudicatiua dialectica est iudicandis argumentis, uerè ne an falso cohæreant, an consentiant, an dissentiant, an apte, an inepte rei aut probandæ aut improbandæ adhibita sint. Sed nos de priore illa quæ ad inueniendum pertinet, his libris loquemur.) Quod si libeat audire, unde profectus sit rumor ille multo uanißimus, Rodol. Agricolam præter hos treis, alios præterea treis de inuent. dialect. scripsisse commentarios: legas licebit quæ adnotauimus in epistolam Rodol. de formand. stud. Necesse est certa & firma sit.) Plutarchus: Regula primum recta sit oportet, deinde quæ applicentur corrigat. De regula Lesbia.) Vide adagium: Lesbia regula. Plutarchus: Vt ad lineam applicandus est lapis, non ad lapidem linea. Legem Syllogismi obseruet.) Quæ est hæc: Propositiones nunquam possunt esse ambæ negatiuæ. Si propositionum altera negatiua fuerit, necesse est et conclusionem negatiuam esse, & contrà. Propositiones item nunquam possunt esse ambæ particulares: si una particularis fuerit, necesse est & conclusionem particularem esse, & econtrario. In syllogismis necesse est unam aliquam uniuersalem esse, præstiterit tamen maiorem uniuersalem esse, si naturam syllogismi recte introspicias. Et cautio omnis captiosa.) Quicquid ferè apud Aristotelem fallaciarum est, ambiguo exposito, et obseruata syllogismi forma, facile deprehenderis. Per omnem rei naturam & partes, perq; omnia consentanea.) Rodol. Agricola lib. 3. cap. 7. Vt dicatur quæ sit substantia. Tum quæ partes sint rei. Hinc ea quæ proprie naturæ cuiusq; adiacent. Vtitur hoc artificio Rodolphus in oratiōe dicta in nouatione studiorum ad hyemem, siue de laude philosophiæ. Lege primum Philip. Melanch. rhetoricum, ubi agit de inueniendis organis, an sit, quid sit, quibus causis partibus'ue constet, unum aut multa, quæ partes, quæ comparatio partium, quæ officia, quæ affinia, quæ contraria. Omnia aliquid efficiunt.) Nulla est res, quæ frustra sit condita. Cicero: Non potest cogitari, quid sit id quod nihil agit. Non ergo aliud est locus.) Cicero in Topicis: Locus est sedes argumenti. Idem in partitionibus orat. Loci sunt, in quibus latent argumenta. Rodol lib. 2. cap. 26. Cum sint enim loci notæ, & tanquam indices inueniendarum rerum. Idem lib. 3. cap. 2. Cuius admonitu, quid in quaq; re probabile sit.) Alludit ad illud fortasse quod est apud Ciceronem lib. de Orat. 2. Hæc ut breuißime dici potuerunt, ita à me dicta sunt. Vt enim si aurum cui quod esset multifariam defossum, commonstrare uellem, satis esse deberet, si signa & notas ostenderem locorum, quibus cognitis, ille sibi ipse foderet, & id quod uellet, paruo labore, nullo errore inueniret: sic ego has argumentorum noui notas, quæ illa mihi quærenti demonstrant, ubi reliqua

cura & cognitione eruuntur. Cic. lib. 4. de finibus bonorum & malorum: Cum duæ sint artes, quibus perfecta ratio & oratio compleatur, una inueniendi, altera disserendi: hanc posteriorem & Stoici & Peripatetici: priorem autem hi egregie tradiderunt, illi omnino ne attigerunt quidem. Nam è quibus locis quasi è thesauris argumenta depromerentur, uestri ne suspicati quidem sunt, superiores autem artificio & uia tradiderunt.

Quomodo ab Aristotele, reliquisque autoribus tractati sunt loci. Cap. III.



Possum equidem uideri crassius, effusiusq; aggressus esse istis de rebus dicere, quàm uel pro natura ipsarũ, uel pro more illorum qui ante nos ista tradiderunt. Nec ego quidem sum tam rudis ueri, ut nesciam posse subtilius ista spinosiusq; dici: cum sit nihil alioqui facilius, quàm suæ quodq; relinquere naturę, & de obscuris obscure disserere: contrà uerò magni sudoris esse, Cerberum ab inferis extrahere, hoc est, abstrusa & in rerum interiore recessu latentia, proferre in lucem, & tanquam spectanda proponere. Sed cupio explicare ista meæ turbæ, id est, crassioribus atq; harum rerum imperitis, quando doctis quidem superuacuus est præceptor. Vellem itaq; me non dicere modo ista, sed uel pingere si res id caperet, uel sculpere etiam posse, & tum quoque pulchre mecum agi putarem, si non sic etiam mihi soli ista uiderer elaborasse: sed aliquibus profuturus labor meus, aliquorum esset studia iuuaturus. Quæ mens utinam fuisset plerisq; maximis & pari ingenio facundiaq; uiris: haberemus profecto in philosophia apertiora illustrioraq; omnia. Vt enim eos trãseam, qui rerum omnium naturam uel ad numeros conati sunt, uel ad figuras redigere: ut eos etiam, qui omnia inuolucris atque ambagibus quibusdam uelut mysteria texerunt: iam qui obscuritatem in dicendo secuti, rerum lumen orationis tenebris obruerunt: credas eos illa quæ sciebant, noluisse prodere, & reticere nequiuisse. De Aristotele dicam. Hic enim propemodum solus omnium priscæ ætatis philosophorum permansit in manibus: hunc solum qui philosophię destinantur, attingunt: hunc primum pueri discunt: huic ultimum senum studium immoritur: hunc artes omnes, omnia studiorum genera, terunt, trahunt, discerpunt. Magnus utique uir, & quem iure omnis miretur posteritas. Nec enim uel memoriæ uiri, absoluendis omni-

bus

bus philosophiæ partibus optimè de studijs meriti, obiectum quicquam uelim: uel laudi, quam tot seculorum firmauit opinio, putem quicquam detrahi posse. Sed uidetur mihi dolendum esse, sedisse illud animo grauissimi hominis, ut non simpliciter atq; aperte proferret, quæcunq; inuenerat: ut prçter laborem quem ipsa rerum esset habitura obscuritas, alia nobis etiã ex ipso obijceretur difficultas, quo necesse haberemus mentem ipsius uelut oraculi suspensam & ambiguam, indagine perquirere. Themistius itaq; autor est, longe aliter omnia foras esse ædita ab illo, quàm sint domi tradita: dementiæq; simile esse, si quis legendis libris ipsius speret illius se sentẽtiam consecuturum. Sed quid Themistium dico? Ipse de se locupletissimus est testis. Scribit enim quadam ad Alexandrum epistola, ædidisse se quæ ad philosophiam pertinent: sed perinde tamen, nisi qui ab eo audierint eadem ista, ac si ædita non essent, futura. Nos tamen omneis illius non sententias modo, sed uerba etiam pertinacissime & mordicus tenemus: ac si quis mouere quicquam tentet, aut discedat transuersum (quod aiunt) digitum ab eis, non aliter atq; qui secantur uruntur'q;, clamamus: faciliusq; tulerimus, de mysterijs summaq; religionis aliquid auferri. Ego Aristotelem summo ingenio, doctrina, eloquentia, rerum peritia, prudentia'q; (& ut semel dicam) summum quidem hominem, sed hominem tamen fuisse puto, hoc est, quem & latêre aliquid potuerit, qui'q; ut non omnia primus inuenerit, ita alijs post se inuenienda aliqua reliquerit: qui etiam non omnia quæ inuenerat, crediderit in uulgus prodenda: & nonnunquam fortasse contradicẽdi studio, quo maxima ferè tentãtur ingenia, non tam quid ipse sentiret, quàm contrà quod alius sensisset, dicendũ putaret. Plurima ille rectè, sed & alius aliquid nõ malè. Quô iustiorem ego ueniam credo illis esse oportere, si qui fuerunt, qui putarent non utiq; illi tanquam scopulo usquequaq; adhærescendum esse, neq; de suis desperarunt ingenijs: cum ingrati possit & iniquè de parente omnium natura existimãtis uideri, credere ipsam omnia sua in uno illo partu effundentem munera, reliquæ posteritati humani generis in omne æuum sterilem effœtam'q; manere uoluisse. Verum ut de re nostra dicamus, scripsit de locis octo libros, eruditè & disertè, sicut omnia; sed angustius uidetur eorum conclusisse materiam. Voluit

luit enim cuncta de quibuscunque dissereremus, intra quatuor quæstiones contineri: ut quæreretur, definitio ne esset, an genus, an propriũ, an accidens. ut sint hę quęstiones eiusmodi: sit'ne animal rationale, diffinitio hominis: sit'ne hominis genus animal, sit'ne propriũ hominis docibile esse: sit'ne accidens eius album esse. Sanè quicquid ulla de re quęrimus, intra aliquod horum quatuor recidit. neq; enim plura sunt, quæ possunt ulla de re dici. Sed non id agimus, ut de istis semper quæramus sub nominibus illis, quæ ab Aristotele sunt posita. nec enim quæro semper, sit ne album accidens hominis: sed simpliciter, sit ne homo albus. Sic etiam non, sit ne definitio defectus solis, interpositio lunæ inter solem & aspectum nostrum: sed, sit ne solum hoc illud. Nam fuerunt etiam qui aliud aliquid crederent esse defectum solis. Sic de alijs etiam non quærimus, sit ne hominis genus animal, & proprium docibile: sed per se, sit ne homo animal, & sit ne docibilis. Verum hæ quæstiones omnes, de quibus nos loquimur, quoniã solum id agunt, ut sciamus, sit ne hoc in illo: ut cum quæro, sit ne homo animal, id percontor, insit ne animal in homine, & reliqua in hunc modum. quia etiam insit nec ne, de accidente primũ solet quæri: poterat idcirco uideri, quod ad has quæstiones pertinet, satis esse accidentis tractatu explicatum. Esset hæc aliqua ratio, si omnia quæ ad ostẽdendum inesse aliquid accommodata sunt, recensuisset Aristoteles, cum de accidente loqueretur. Sed neq; locos describit, neq; numerum ipsorum facit, aut nomina; sed deducta ex locis argumenta quæstioni propositæ applicat. Deinde pleraq; pro locis ponit, quæ nullius propria sunt loci. ut cum dicit, inspiciendum esse, quibus insit aliquid omnibus, uel quibus nullis, id est, de quibus uniuersaliter aliquid affirmetur uel negetur. Ea de quibus affirmatur, dicit esse species. Quid ergo? definitio, genus, proprium, non omnibus insunt? Iam pleraq; etiam accidentia, (si debemus accidens uocare, quicquid non est aliquid trium illorum) insunt omnibus. Nam quod non de aliquibus non negetur uniuersaliter, nihil propemodum est. quicquid enim affirmatur de aliquo, de aliquo etiam diuerso naturæ suæ negatur. Iam quod dicit, præscribendum esse disserenti, quas res oporteat uocare ut uulgus, quas contrà: sic etiam, si proposita sit res tenuior ad disserendum, quo pacto ad uberio-
rio-

riorem aliquã elabendũ: sic pleraq; alia, quæ non res nobis subijciũt unde deducere argumentum possimus, sed differentis tantum astus artésque continent: haud uideo quo pacto ista possint loci uocari. Quid ergo? non utiliter præcipiuntur ista? Vtilissime certè. Quis neget? Sed non tamen quicquid disserẽti utile est, locus erit. Nisi & didicisse multa, & diligenter id quod in disceptationẽ uenit perspexisse, & contentiosius aliquando aliquid affirmare, locos credere uelimus: cum sine prioribus illis nemo commode disserere queat, et constans asseueratio persæpe argumenti impleat fidem. Adde, quòd uidetur nimis arctos dedisse fines dialecticæ, qui ijs quatuor quæstionibus terminauit eam. Quum doceat enim rationem argumentandi, uel (quod idem est) probabiliter disserẽdi dialectice: uidetur tam latè distentos habere terminos, quàm sunt omnia de quibus ratione atq; uia aliqua disseri possit, neq; ullam certam sibi præfinire materiam: sed arma tantum dare, quibus parati instructiq; simus in omne certamen. Sed de his quisque ut uidebitur, statuat: illud res ipsa conuincit, magni & immensi laboris esse, auulsos ab illis quæstionibus quas ipse instituit, locos, in alium aliquem disserendi usum traducere. Quiqui itaq; philosophiæ hodie nomen usurpant, cupiuntq; paulò uideri doctiores, libros illos legunt quidem, cumq; Peripateticos & haberi se, & dici uelint, quæ præcipua semper Peripateticorum fuit laus, de qualibet re proposita in utranq; partem apte expediteq; disserendi: eam tamen ut præstent, multum utiq; abest. Dictata potius (ut inquit Cicero) & in scholis multis iam seculis per manus tradita decantant. Qua id causa credam fieri, nisi quod (opinor) difficillimum est maximiq; negocij, ex instituta Aristotelis locorum ratione, facultatem prompte copioseq; disserendi expedire? Secuti ergo alij, certos definitosq; in omnem usum disputandi fecere locos. E quibus Cicero, & in libro quem ad Q. fratrem de oratore scripsit, & in partitionibus ad filium, enumerare eos satis putauit. Ad Trebatium autem, libro uni huic rei destinato, copiosius omnia executus est. Sed uir ut multarum magnarúmque artium, ita Iuris etiam peritus, habita præsertim Trebatij ratione ad quem scribebat, qui & ipse inter primos Ius profitebatur: omnia ex Iure ciuili exempla deduxit. Quô fit, ut nonnulla paulò obscuriora sint, non assuetis auribus.

C Quin-

Quintilianus deinde in quinto institutionum, tradidit eos, magis (quantum uidetur) ut obseruatum alijs sequeretur morē, quàm quia putaret ad institutum suum magnopere pertinere. Itaq; est uidere, ab dialecticis rhetoribusq; acceptos locos, permixtos ab eo, et in unum confusos aceruum. Themistius post hos & Boëthius eandem rem tractauerunt. Boëthius non aliud sanè uidetur egisse, quàm ut relatum Ciceronem & Themistium, quenq; per se primum, deinde conferret, & singulos utriusq; locos, alterum alteri hinc inde coaptaret. Themistium, qui post Boëthium scripserunt, maluerunt sequi. Omnes tamen satis crediderunt, locos uel nominare, uel paucissimis signare, quid essent uerbis. Credo, quòd arbitrati sint, altiorem locorum notitiam ex penitiore philosophia petendam. Quod haud dubie uerum est: sed longum id est, nec omnibus uacat, & breuius aptioreq; compendio, (quantum ad præsentem rem necessarium est) id confici potest, ut dicatur hic quid, & cuiusmodi potest quæue proprietas uniuscuiusq; sit loci. Ratio autem fidesq; rerum, ab illis quæratur unde sunt ista deprompta. Ego, ut qui in nullius iurauerim uerba, ut quisq; placuit autor, aut sicubi nemo satis, pro autore rationem sum secutus. Non equidem, quòd melius aliquid effecturum me sperem, quàm maximi illi doctissimiq; uiri (qui possem enim?) sed ut crassius effusiusq; ista (ut prædixi) tradam: assequárque, ut si minus hæc subtiliter disputata esse, saltem (quod uoto meo sufficit) apertius explicata uideantur.

IN CAPVT TERTIVM.

ET de obscuris obscure disserere.) Cicero: *Omnium autem ineptiarum, quæ sunt innumerabiles, haud scio an ulla sit maior, quàm illorum qui solent quocunq; in loco, quosq; inter homines uisum est, de rebus aut difficillimis, aut non necessarijs argutissime disputare. Apud Lucilium disserens Neptunus de re difficillima, ostendit non posse id explicari, nec si ipsum Orcus remittat Carneadem.* *Cerberum ab inferis.)* Hercules leonis exuuio tectus. *Deinde altera manu clauam, altera gestans arcum descendit ad inferos Cerberum extracturus. Plinius ca. 2. lib. 27. Et Seneca in tragœdia quæ inscribitur Hercules furens. Isocrates in encomio Helenes: Siquidem huic boues ex Erythea adferre, oues Hesperiorum abducere, Cerberum ab inferis extrahere, aliósque id genus labores damnabat Euristheus ex quibus nulla ad mortales commoditas, ad se uero periculum tantummodo rediturū erat.*

Sed uel pingere si res id caperet.) Vt nō est optima imago quæ materia testatur opes locatoris aut artem pictoris, sed quæ rem proxime repræsentat: ita optima est præceptionum ratio, quæ non ostentat ingenium docentis, sed rem aptissime ostendit. Memoriæ proditum est

Eze-

Ezechielem quoq; sacerdotem picturis olim docuisse, autore Hieronymo in commentarijs in Ezechielem cap. 12. Quæ mens utinam.) Digressio est cum primis ad rem præsentē apposita, de cuius artificio uide Agric. lib. 3. ca. 10. Vel ad numeros conati sunt.) Ioan. Capnion de uerbo mirifico lib. 2. & Ioan. Picus naturæ delitiæ in apologia de magia & philosophia pythagorica quæst. 5. Vel ad figuras.) Plato in Timæo et Nicolaus à Cusa in ludo sphærico alijsq; item opusculis. Qui omnia inuolucris.) Vt Lucretius apud Latinos & apud Græcos (ut multorum est opinio) Democritus, certe Orpheus cum toto poëtarū grege. Iam qui obscuritatem.) Vt Heraclitus cui cognomen additum σκοτεινός & adagio Delius natator.

Noluisse prodere & reticere nequiuisse.) D. Hierony. in epistola ad Oceanū: Primū, inquit, spinosolus noster obmutuit, postea uero Pisoniano uitio cū loqui nesciret, tacere nō potuit. Vt non simpliciter atq; aperte proferret.) Perinde, inquit quidā quasi puderet Aristotelē parū tenebricosum uideri, ita tenebras, et obscuritates alijs atq; alijs reddidit obscuriores, quasi certamē ipse secū sumpserit, ut q̄ possit obscurissime dici dicat. Nonne quo sæpius Aristoteles uidetur spinge inuolutior, an nō hoc uidebitur intollerabilior? Videbitur opinor. Libet obiter & Socratis Apophthegma hoc loco subscribere quo taxat obscuritatē. Cum enim huic Euripides librū obtulisset Heracliti, cui cognomē additū σκοτεινός, propter affectatam scriptoris obscuritatē, rogaretq; cuiusmodi uideretur, respōdisse fertur hoc pacto: Quæ quidē intellexi, præclara, arbitror aūt et ea quæ nō intellexi quāq̄ natatore Delio opus, ut ne quis in eo præfocetur. Hæc Socrates alludens simul et ad prouerbiū & ad Heracliti sensus nimiū abstrusos ac profundos, ut nisi natator insignite peritus contigisset, periculum esset ne lector in eo libro suffocaretur, mergereturq;. Hic fortassis aliquis non omnino sine causa interrogabit: Ecquid continuo ne dānemus obscuriuscule conscripta? Cui hoc responsum uelim: nihil minus, quandoquidem duobus modis id sine reprehensione fit, si aut de industria facias, ut Heraclitus cognomento Scotinos perhibetur, qui de natura nimis obscure memorauit, aut cum rerū obscuritas, non uerborum facit, ut non intelligatur oratio, qualis est in Timæo Platonis. Cicero lib. 2. de finib. bon. & malorum. Aristoteles eodem ubiq; dicendi genere usus est, rebus de quibus tractauit accommodato, quanq̄ interdum apertior est, interdum obscurior, siue præ rerum difficultate, seu ne passim quibuscunq; hominibus grauissimæ philosophiæ rationes patefierent. Themistius itaq;.) Qui solitus est dicere de Aristotele: Quemadmodū, inquit, sepia cum sentit retiacula piscantium, liquorem fundit quo fallit oculos piscantium ne capiatur: sic & ipse Aristoteles obscuritatem effundit ne coarguatur. Ad hunc modum & Plato numeris Pythagoricis obscurat suam philosophiam, ac ueluti nebulas quasdam offundit, præcipue in Timæo. Nam Pythagoras omnem ferè philosophiæ rationem ad numeros pertraxit. De quibus multa Macrobius in commentarijs quos ædidit in somnium Scipionis. Quædam ad Alexandrum epistola.) Aulus Gellius libro secun cap. 4. Illius se sententiam consequuturum.) Cice. in præfatione Topicorum ad Trebatium: Quod quidem minime sum admiratus cum philosophū rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis præter admodū paucos ignoretur. Summū quidem hominē.) Quint. lib. 1. cap. 1. Sūmi enim sunt, homines tamen. Ita alij post se inuenienda.) His finitima sunt, quæ habet F. Quintil. li. 3. ca. 8. Etenim superuacuus foerit in studijs lōgior labor, si nihil liceret melius inuenire præteritis. Idē: Neq; semper est desperandū, aliquid illis quæ dicta sunt melius posse reperiri. Et nonnunq̄ fortasse contradicēdi studio.) Nemo fere est cui idē quod alteri, placeat. Nam & libidine cōtradicēdi Aristot. à Platone desciuit, quē audierat annos amplius uiginti, autore Laërt. Vide

Rodol. lib. 2. cap. 5. D. Erasmus in epistola ad Christophorum Fischerum: Non omnes omnibus placuere. Omnes nanq; priores philosophos reprehēdit Aristoteles: Ciceronis dictionē contempsit Brutus: Maronis ac Liuij Caligula: Senecæ Fabius, atq; A. Gellius: Augustini Rufinúsq;, Hieronymus: Postremū Quintiliani, Philelphus. Imo Plinius non credit amico librū suū placuisse, nisi cognouerit quædā displicuisse. Tentatur ingenia.) Hic obiter obserua elegās huius uerbi significatū, quo utitur & Verg. in Bucol. Non insueta graues tentabūt pabula fœtas. Idē in Geor. Turpis oues tentat scabies. Horat. itidē: Si latus aut renes morbo tentātur acuto. Sed & alius aliquid non male.) Quintil. li. 10. ca. 2. in calce: Longe enim perfectissimus Græcorū Demosthenes, aliquid tamen aliquo in loco melius alij: plurima ille, sed non qui maxime imitādus, etiā solus imitandus est. Si qui fuerunt qui putarent.) D. Aug. in calce libri confess. 4. fatetur ingenue sese incidisse in errorem ex lectione lib. prædicament. Aristot. Idem quoq; sibi gratulatur, quod cum uarijs erroribus adhuc circūferretur, in Platonē potissimū inciderit, quod huius dogmata propius accedāt ad Christi doctrinam, & à finitimis cognatisq; procliuior est trāsitus. De parente omniū natura existimātis.) Nec illud (opinor) inutile fuerit indicare, quid sit natura. Sene. li. de beneficijs 4. Natura, inquit, hæc mihi præstat. Non intelliges te cum ho: dicis mutare nomen DEO. Quid enim aliud est natura, quàm DEUS & diuina ratio toti mundo, & partibus eius inserta? Sic Aristot. de fabrica mundi & similibus loquens, hoc solum dixit, DEUM et naturam nihil frustrà agere. Neq; de suis ingenijs desperarunt.) Cice. de oratore: Neq; enim est interdictum aut à natura rerū, aut à lege aliqua atq; more, ut singulis hominibus ne amplius quàm singulas artes nosse liceat. Quintil. Neq; adeo ieiunā et pauperē natura eloquentiā fecit, ut una de re bene dici nisi semel nō possit. Plutarchus in cōment. quomodo iuuenes debeant audire poëmata: Veluti si quis ignem petat à uicino, deinde illic luculento reperto foco desideat, maneatq;: Ita quidā semper assident præceptori nec accendūt ingenium suum, ut domi suo fruātur igni. Profecto ingenerosum est (ut ait Seneca) sapere solum ex cōmentario, & quasi maiorum inuenta nostræ industriæ uiā præcluserint, quasi in nobis effœta sit uis naturæ nihil ex se parere quod ueritatem si non demōstret, saltem innuat uel de lōginquo. Credere ipsam omnia sua in uno illo.) Home. Iliad. 13. ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα &c. Hoc est, neq; fas, ut unusquislibet uniuersa pariter ferat, alij enim DEUS dedit bellicam laudem, alij cytharā, alij sanam mentem, solersq; pectus. Cice. in proœmio lib. de inuent. 2. Nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura expoliuit, itaq; tanquàm cæteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alij commodi, aliquo adiunctum incommodo muneratur. Tanquàm scopulo.) Allusum est ad uerba A. Gellij li. 10. ca. 8. Tanquàm ad Sireneos scopulos cōsenescas. Vsquequaq; adhærescendum.) Plutarchus in comment. quo pacto iuuenibus audienda poëmata: Non quemadmodum omnia religiose metuimus ac reueremur in sacris: Ita oportet in autoribus omnia uenerari, sed audacter adhibito iudicio probare quædam, quædā improbare. Non sic parendum poëtis aut philosophis, quemadmodum pueri obtemperāt pædagogis: sed quemadmodū Cato puer, parebat quidē pædagogo iubenti, sed rogabat quàm ob causam id iuberet. Ita fides habenda autoribus, si causam idoneā reddiderint. Cice. 1. de nat DEORŪ: Nō enim, inquit, tā autores in disputādo, quàm rationis incremēta quærēda sunt: Quinetiā obest plerūq; ijs qui discere uolūt, autoritas eorū qui se docere profitetur. Desinūt enim suum iuditiū adhibere: id ratum habet, quod ab eo quem probāt, iudicatū uidet. Intra aliquod horum.) Aristoteles lib. 1. topic. cap. 3. Sit ne definitio defectus solis.) Plin. lib. 2. Plutarchus in uita Pauli Aemilij, & Niciæ. Macrobius item in somnium Scipionis libro 1.

cap.15. *Sed neque locos describit.*) Cicero in secundo de Oratore paulo diuersius mihi uidetur sensisse: Arist. inquit, is quem ego maxime admiror proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti uia non ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc orationem qua in causis utimur inueniretur. Idem quoq; ferè recenset Cicero in præfatione 2. libri de Inuentione. *Quid ergo definitio.*) Merito hæc refellit Agricola, quòd in eo loco ubi de accidente agit Aristot. ponit ea. Cæterum si pressius rem introspicias, non accidenti solum: sed & reliquis quoq; prædicatis, non pessime poterunt accommodari. *Si debemus accidens uocare.*) Arist. 2. Top. dicit accidens esse, quod non est genus, neq; species neq; proprium, inest autem rei. *Iam quod dicit.*) Aristot. lib. Topic. 2. cap. 3. Nonnihil uult dandum esse uulgi opinionibus, loquendumq; in aliquibus ut uulgus, sentiendum ut pauci. Cicero ad Brutum de Oratore: Vsum loquendi populo concessi, scientiam mihi reseruaui. Laurentius Valla lib. 2. dialectices cap. 31. *Si proposita sit res tenuior.*) Sicut Licophoron fecit dum propositum esset lirā extollere. Arist. in calce primi Elench. *Paulo obscuriora sint.*) Quæ porrò scholijs suis post Marium Victorinum, Boëthiumq; Georgius Valla, Claudius Cantiuncula, Ioannes Apellus, & Christophorus Hegendorphinus illustrarunt. *De qualibet re proposita in utranque partem.*) Quæ tamen magis sint Academicorum consuetudo, non à peripateticis, sed à Platone profecta. Cicero de finib. lib. 5. Ab Aristoteleq; principe de singulis rebus in utranq; partem dicendi exercitatio instituta ut nō contra omnia semper sicut Arcesilaus diceret, & tamen ut in omnibus rebus quicquid ex utraq; parte dici posset exprimeret. Socraticorum consuetudo fuit, ut ex utraque parte quod dici posit exponerent. Hæc D. Hieronymus. *Peripatetici.*) Hammonius Categoriarum Aristotelis interpres: διὰ τοιαύτην αἰτίαν ἐλέγοντο· πλάτων κατὰ γυμνασίας ἕνεκεν περιπατῶν, ἐποιεῖτο τὰς πρὸς τοὺς ἑταίρους συνουσίας ὃν ὁ Ἀριστοτέλης διαδεξάμενος ἔσχε τὴν ἐκ τῆς ἐνεργείας, ἤτοι τοῦ συμβεβηκότος ἐπωνυμίαν. Hoc est, peripatetici hanc ob causam ita dicebantur: Plato exercitationis causa obambulans, sic ad discipulos uerba faciebat, cui succedēs Aristoteles, ex ipsa re, aut quia successor erat, cognomen hoc obtinuit. *Vt obseruatum alijs sequeretur morem.*) Id quod uel unus locus (ut cæteros transeam) satis indicare poterit, qui est apud Quintilianum lib. 5. cap. 14. Omnia animalia, inquit, meliora sunt quàm inanima, nihil autem melius est mundo, mundus igitur animal. Nam cum in proposita ratiocinatione medium terminum & in propositione, & assumptione prædicari faciat, idq; ita ut assumptio sit negatiua, iuxta Aristotelis sententiam in Analiticis: Nihil aliud inferri poterat quàm negatiuum, hic autem affirmatiue concluditur mundum animal esse, & per hoc haud dubium quin improba sit ratiocinatio. Huc pertinet quod hodieq; Dialecticorum uulgus tradit, conclusionem semper deteriori præmissarum inhærere. Nam si altera harum fuerit negatiua, & conclusio negabit, & si particulariter proponatur in altera, conclusio quoque eandem rationem imitabitur.

Nullius addictus.) Immane quantum absint ab hoc instituto, qui sibi mutuo assentantur & colludunt in disputatione, uelut quum Scotista Scotistice, Albertista Albertistice, nominalis iuxta decreta nominalium, ut non quæratur ueritas, sed theatrica quædam fabula peragi uideatur. Quidam ridicule insani, quorum studio tenentur omnibus ad insaniam fauent.

Quam ut relatum Ciceronem.) Inditio poterit esse tabula è Boëthio desumpta, & ab Rodolp in calce libri primi instructius reconcinnata. *Et constans asseueratio persæpe argumenti impleat fidem.*) Rodol. lib. 2. cap. 15. Quô fit, ut persæpe. &c. Eras. Rot. in 2. de rerum copia commentario, De partium rhetoricarum multiplicatione: His non absimiles sunt

asseuerationes quæ cum argumenta nō sint, tamen sæpenumero pondus habent argumēti, si probationibus admisceantur: ut quis tam cæcus qui hoc non uideat? Quis tam impudens ut neget? &c. Idem libro 2. de ratione concio. ad calcem sanè quàm apposita affert testimonia.

Diuisio locorum. Cap. IIII.



Vm (ut diximus) nihil ad faciendam de altero fidem possit assumi, quod non aliqua parte cum ipso sit cohærens, illud imprimis sciamus oportet, quædam ita cohærere rebus, ut ipsis sint infixa rebus, alia ut extra ipsas sint. In ipsis sunt rebus, ut si probem moriturum Ciceronem, quòd homo est, quòd ex corruptibilibus cōpositus est elementis, quòd doloribus morbisq; obnoxius est. Hæc omnia planū est inesse Ciceroni. At si dicā, mortali patre mortaliq; matre natum, & omnes ante ipsum homines mortuos esse, nihilq; nisi deum & diuina esse immortale: Hæc omnia, pater materq;, & cuncti ante ipsum homines, & deus diuinaq;, extra Ciceronem sunt. Hanc itaq; faciamus primam diuisionem locorum, ut alij interni sint, alij externi. Rursus ea quæ in rebus sunt, alia in substantia earum, alia circa substantiam sunt. In substantia sunt, è quibus res idipsum quod sunt accipiunt, qualis est definitio. Quanquam ea non tam in substantia uideatur, quàm ipsamet rei esse substantia. Præterea illa quæ complectitur definitio, ut est genus, & propria rei notio, quam differētiam uocamus. Atq; ea quoniam uel idem est ei quod propriū dicimus, uel pro ea proprio maxime utimur, locum illius proprij quoque significemus nomine. Partes etiam in substantia sunt totius, quando nisi ex ipsis confici res non potest. Tum etiam quæ cōiugata dicuntur, id est, quæ solo nominis quodam deflexu distant, ut sunt sapiens & sapientia, candidum & candor. Tametsi enim sapientia non sit in substantia sapientis quatenus homo est: cum tamen de sapiente disseritur quatenus sapiens est, certum est esse in substantia ipsius sapientiam, & nec intelligi quidem, nedum esse sine ipsa posse. Addamus etiam istis, speciem & totum. E quibus species, quamuis non uideatur in substantia esse generis, tamen quia pars ipsius est, & genus quamuis sine singulis speciebus fortasse, sine omnibus tamen esse non potest: & totum itidem, quamuis possint sine ipso permanere partes nonnullis in rebus, hoc ipsum tamen quod partes sunt, sine

toto

toto habere non possunt. Pleraq; etiam partes eius sunt conditionis, ut manere sine toto non possint: neq; enim desectam manum, neq; euulsum oculum, magis dixeris esse id, quod ante fuerunt, quã eadem uel picta, uel ære, aut alia quauis materia expressa. Verũ hæc utcunq; sint, haud ita multum in præsentia retulerit nostra. Id quod sufficit (quando cognatissima sunt ista, iunctumq; habent tractatum) nos in eundem ea ordinem redigamus. Circa substantiã sunt ea, quę cum rei insint, modum quendam ipsi affectionemq; afferũt. Ea duplici est conditione accipere. Aut manent enim quietisq; habent faciem: ut sunt decor, robur, sanitas. Aut in agitatione fluxuq; quodam sunt posita: ut pugnare, dormire, currere. Vocemusq; illa adiacentia, hæc actus. Iungamus istis illa, quibus hæc insunt. Ea sunt quæ ὑποκείμενα Aristoteles, nos usitato sanè uerbo subiecta dicimus. Sic eloquentiæ subiectum dicimus Ciceronem, & seueritatis Catonem, & quanq; rẽ, prout quodq; adiacens aut actus in ipsa est. Internorum itaq; locorũ, hæc sit nobis enumeratio. Externi uero ad hũc maxime sese modum habent. Quædam nanq; eorum quæ sunt extra rem, necessario quodam uinculo coniuncta sunt rei. Eaq; sunt huiusmodi, ut per ipsa res fiat, quæ causæ uocantur: uel efficiens, ut ædium faber: uel finis, ut ædium habitatio. Quibus etiam iunguntur ea, quæ Cicero tum effecta uocat, tum euenta: mihi maxime placet euenta dici. Vt sint proprie, quæ ab efficiente fiunt, effecta, ut à sutore calceus: quæ propter finem, destinata, ut calceus ob tutãdos pedes. Hæcq; uno nomine possunt uocari cognata. Alia sunt quæ dicimus applicita, quæ sunt eiusmodi, ut non fiat quidẽ per ipsa res, sed habitudinẽ quandam nomẽq; accipiat ab ipsis. Eorumq; aliud rem ipsam complectitur, ut locus. Aliud actus ipsius metitur, ut tempus. Aliud alio quodam modo cũ ipsa re cohæret: ea sunt quę cõnexa dicere placuit, qualia sunt, diuitiæ, regnũ, amicitia. Rursus autẽ, alia eorum quæ extra rẽ sunt, necessitate nulla rei cohærent. Quorũ quædã eius generis, ut & ea ipsa, & res, cum altero alterũ, & sine altero, esse & non esse possit; eaq; dicimus accidentia. Alia sunt, quorum alteri infestum est alterũ, inq; mutuã uicissim perniciẽ tẽdunt: ea repugnãtia uocamus. Et accidentium quidem, aliqua hoc pacto se habent, ut unũ uni cõferat. Idq; uel res rei, ut iurgiũ cædi, pallor ægritudini: ea

dici-

dicimus contingentia. Vel uerba rei, quod uel singulis fit dictionibus, ut cum nomen rei cum re componimus, uel orationem rei, ut laus uiro forti, uituperatio sceleri, ea uocamus pronũciata. Aut duo conferuntur in uno tertio, quorum alterum altero uel maius est, ut rex populari, opibus: uel minus, ut discipulus magistro, eruditione: uel par, ut iustus iusto, probitate. Aut duo in duobus cõferuntur, ut hyems & senecta, in frigore & segnicie: tẽpestas & ira, in iactatione maris & perturbatione mentis: uocanturq; hæc similia, illa uero cõparata. At repugnantium, quædam dicuntur opposita, quorum unũ aduersatur uni, & certa resistit lege, ut frigidum calido, cæcitati uisus. Quædam, uel (ut uulgus) disparata: uel (ut Seneca uidetur uelle) distantia dicuntur. Ea sunt, quæcunq; non possunt id ipsum esse alterum quod alterum, ut homo, equus, bos. Item homo & candor, candorq; & uelocitas, distant, quia nullum eorum aliud est alij idem. Hæc est ergo locorum summa, ut sint interni qui in substantia, definitio, genus, species, proprium, totum, partes, coniugata. Qui circa substantiam sunt, adiacentia, actus, subiectum. Externi autem: quæ cognata dicuntur, efficiens, finis, effecta, destinata. Quæ applicita, locus, tempus, connexa. Quæ accidunt, contingentia, pronunciata, nomen, comparata, similia. Quæ repugnant, opposita, distantia. Non ignoro autem alios autores alia nonnullorum locorum quàm nos nomina tradidisse: quosdam plures, etiam pauciores quosdam fecisse. Qui si quibus magis placebunt, nihil impedio, habent quos sequantur. mihi naturam ordinemq; rerum sequenti, uisum est apertissime eos, simul & distinctissime hoc pacto posse explicari.

IN CAPVT QVARTVM.

Locorum noticia i.. duobus ferè posita est.) Quæ Rodol. *lib. 2. cap. 26. compendio perstringit: Prius est, ut numerum naturamq; locorum quot sint, & quæ cuiusq; sit uis, & proprietas explorate planeq; teneatur, &c. Prout quoq;.) Prout, Latinum esse quis neget? cum* Plinius *naturalis historiæ lib. 34. in calce sit usus, & itidem* T. Liuius *lib. 7. de bello Maced. & Asiatico: Propẽsius cumulatiusq; si quo posit, prout eius merita sint senatum facturum. Alia in substantia earum.)* Cicero *lib. de Orato. 2. duplices recenset locos, à substantia, & circa substantiam, & locos externos, & ἀτέχνους probationes. Locum illius proprij quoq; significemus nomine.) Sed hoc impropriè captis uocabulis. Differentia enim, aiunt, rem denotat quæ intrinsecus in substantia est: Proprium autem, quod ab interiori potentia extrinsecus in actum fluit. Ita ut differentia magis potentiam quandam actus interioris, & proprium fluxum significet actus posibilis à potentia. Certum est esse in*

substan-

substantia ipsius.) Improprie. i. intrinsecus connotatũ, non tanq̃ aliunde extrinsecus aduenièns. Et propria rei notio, quã differentiã uocamus.) Non prætermittã ne illud quidem: non parũ multos esse, qui cõstanter affirmant, effectum & officium (sic enim isti loquuntur) in animi habitib. uerã pariter & propriã esse differentiã. Vt perinde atq; differentia hominis est, ratiõe ac intellectu præditũ esse, ita iustitiæ differentiã aut certe proprium esse, cuiq; quod suum est tribuere: tẽperantiæ, frugaliter uiuere: legis, imperare, uetare, punire, permittere: Iuris, agere iuxta legum præscripta: tutoris, tueri pupillum, & bona administrare: curatoris, curare res adulti decoctoris, & furiosi. Pro meo quidẽ more, quid alijs uidetur, in mediũ protulimus, hac quidẽ lege, ne cuiq̃ sit præclusa uia, si quid habeat melius, afferendi.

Locorũ
- Alij interni sunt, & hi rursum
  - Partim in substãtia rei, è quibus res id ipsum qđ sunt, accipiunt, ut
    - Definitio 1
    - Genus 2
    - Species 3
    - Propriũ & differẽtia 4
    - Totum 5
    - Partes 6
    - Coniugata 7
  - Partim circa substantiã, qui cum rei insint, modum quendã ipsi affectionemq; afferunt, ut
    - Adiacentia 8
    - Actus horum 9
    - Subiectum horum 10
- Alij externi atque hi
  - Aut necessitate quapiã rei cohærent, ut
    - Cognata, quæ sunt alteris altera nascẽdi ac ꝑueniendi origine coniuncta, ut
      - Caussæ per quas res fit
        - Efficiens 11
        - Finis 12
      - Euenta quæ sunt ꝑ causas
        - Effecta 13
        - Destinata 14
    - Applicita, quæ addita rei extrinsecus, habitudinem quandam ac denominationẽ ei præbent, ut
      - Locus 15
      - Tempus 16
      - Connexa 17
  - Aut nulla necessitate sunt rei cõiuncti, ut
    - Accidentia, quæ eius sunt generis, ut & ipsa, et res, cũ altero alterũ et sine altero esse poßit, ut
      - Contingentia 18
      - Nomen rei 19
      - Pronunciata 20
      - Comparata 21
      - Similia & dißimilia 22
    - Repugnantia, quorũ alterum dici id esse quod alterum non potest, ut
      - Opposita 23
      - Distãtia seu diuersa 24

Definitio quid sit, & quomodo definiendum. Cap. V.



IN hunc modũ uelut semina quædam, & initia, & numerus locorũ descriptus sit. Nũc rursus à capite ordientes, singulos exactius & uberius exequamur. Primus locus (ut dixim⁹) est definitiõis. Ea ẽ oratio, qua quid sit res explicat. Conuenitq; inter omnes, debere confici eã ex genere & differẽtia, ut sit definitio hominis, animal rationale: in qua, animal, est genus: rationale, differẽtia: homo, id scilicet q̃d definitur, species dicit. Genus est q̃d de pluribus specie differentibus in quid est prædicat, ut quærẽti, quid est homo? quid est asinus? quid est bos? bene respõdetur, homo est animal, asinus est animal, bos est animal. Species, in quã sub se cõprehẽsam diuiditur genus: ut homo est species animalis. Comprehenditur enim sub animali. Nam qui omne animal dicit, etiã dicit & hominẽ, & diuiditur in ipsum: animalium enim dicimus, aliud homo est, aliud brutum. Differentia est propria rei nota, qua secundum idipsum quod talis est, ab alijs distinguitur rebus. Estq; nobis uel maxime omnibus è rebus uerarum differentiarũ penuria: adeoq; putant nonnulli, nõ cognosci ullius à nobis rei propriã ueramq; differentiam: habere autem nos (quod ferè in reliquis rebus facere solemus) pro uera, quæ proxima ueræ uidet accedere. Ea est in homine rationale. Est enim rationale, propria hominis nota, nulli quippe animali nisi homini inest, conuenitq; homini, quatenus talis est, hoc est, homo eo maxime uidetur homo esse, quòd sit capax rationis. Reliqua enim, ut est bipedem esse, & erectum ingredi, & manus habere, aut nõ sunt propria soli homini, aut ut sint propria, non tamen hominis, sed partis: hoc est, corporis sunt notę. Et de rationali paucisq; admodum alijs, sint nec ne uerę differentiæ, sunt qui putent, sunt qui negent. In reliquis nemo ferè est, qui constanter ullius rei differentiam ueram cognosci posse affirmet: ambitu quodam & loquendi circuitu aliquid quod locum eius teneat, effingimus, multaq; persæpe colligimus, quorũ quodq; latius pateat, quàm hoc ipsum quod definitur: iuncta tamen æquantur, & proprium quiddam ipsius efficiunt. Vt si definiam asinum esse animal solidis pedibus, auritum & fœcundum: nihil est istorum quæ post genus quod est animal, sumũtur, quod non

genera-

generalius sit quàm asinus: nam & equus & mulus solidis sunt pedibus, & mulus lepusq; auriti sunt, & omnia ferè animalia fœcunda: eo tamen quod solidis pedibus dictum est, omnia præter equum & mulum excluduntur: quod auritum, equus: quod fœcundum, mulus excluditur. Itaq; tandem uelut gradibus quibusdam ad id quod definitum est, peruenitur. Quidam hanc definiendi formam, descriptionem uocauere. Ego cum hoc nomine Ciceronem atq; Aristotelem Græce quidem sed idem significãte, usos uideam, nõ est quod maiores requiram autores. Neque enim aliud uidetur esse definire, quàm rem intra fines naturæ suæ conclusam explicare: quod si alia ratione facere possemus; esset fortasse ratio mutandi nominis: nunc pro uera definiendi uia, eam quæ sola est, optimum fuerit accipere. Descriptio enim, quæ poëtis crebro, nõnunquam oratoribus in usu est, ea uerbosius rem exprimit, nec in id adhibetur, ut quid sit res indicet: sed qualis sit, uelut inspiciendã ante oculos ponat. Tradere ulla inueniẽdæ definitionis præcepta, haud in prõptu est. Illud est certũ, quisquis definire quippiã uolet, utilissimum esse, cognitã sibi naturam eius & diligenter perlustratã habere. Id si fuerit, facile inueniet primùm in ipsa re commune quiddam, in quo cum alĳs quæ simili sunt natura conueniat. Sumamus exemplo nobis Ius definiendum. Inuenimus primũ, ius uim quãdam in se habere cogẽdi & iussum, unde nomẽ uidetur traxisse. Itaq; erit Ius, nobis uel placitum, uel decretum quoddam. Verum tamen non omne decretum ius erit: nam & domini seruis, & patres filĳs, & philosophi discipulis decreta ædunt, quæ tamen ius non uocamus. Cogitemus igitur aliquid, quo ista excludamus. Videmus potestatem quandam esse istis, sed minorem, q̃ ut iura facere possint: addamus ergo, esse placitũ maioris potestatis, hoc est, uel populi, uel in quẽ populus potestatẽ suam trãstulit, ut senatus, ut princeps. Quid ergo? Quicquid iusserit princeps, si seruis ut lectum sternant, ut cœnam instruant, ius erit? non uidetur: sed quod ciuitati iussum est, idq; quod ad statum eius tuendum pertinet. Sed neque id quidem ius erit, si uel partem aliquam ciuitatis grauius premat, uel finitimos contra fas naturæ gentiúmue lædat. Aequum ergo esse oportebit. Circumferamus diligenter oculos, uideamusq;, ecquid intra complexum definitiõis possit uenire, quod

nomine definiti non contineatur: sed & contrà quoque, contineaturne aliquid definito, quod definitio non admittat: quæ si non uidebitur, colligamus iam à capite omnia, dicamusq; Ius est decretum maioris potestatis, ad tuendum ciuitatis statum, ex æquo & bono institutum. Tradamus & aliud exemplum, iuuemusq; quantum possumus, prima discentium studia. Quæramus quid sit ciuitas. Certum est ex hominibus constare eam, nec posse ex uno tantum homine confici: itaq; relinquitur multitudinem esse, eritq; id genus ipsius. Sed multitudo, si passim uaga, ruri aut in syluis agat, ciuitas non erit: idcirco collectam facimus. At ne illa quidem, si decem aut centum sint, ciuitatem efficient: quoniam eò conduntur ciuitates, ut mutuis succurrere casibus, communia pericula depellere, utq; ipsi præsidio sibi & adiumento esse sine expectatione opis externæ possint, quod quidem in tali numero contingere non potest: necesse igitur erit eam esse frequentiam, ut statum rerum suarum per se tueri queat. Iam uerò ut sint quamuis multi, sed dissideant animis, non cōsulant in commune, non uitæ genere conueniant: illam non ciuitatem dicas, sed hostes potius tanquam feras unam in caueam coniectos: quapropter uinculo quodam legum, concordiam ipsorum firmatam esse oportet. Quòd si iam nihil aliud deesse nobis putamus, erit nimirum expleta definitio. Dicemus itaq; ciuitatem esse multitudinem collectam, ad statum rerum suarum tuendum per se sufficientem, quæ consensu sit legum uitæq; coniuncta. Sunt autē in summa rectè definiendi leges, ut definitio neq; plura cōplectatur quàm definitum, neq; pauciora: sed de quocunq; unum dicitur, dicatur & alterum. Deinde, ut quid sit res, hoc est, substantiam eius explicet. Præter hæc, ut aperta, hoc est, neq; ambiguis nominibus, & quæ in multas ducantur significationes: neque obscuris aut ex longinquo translatis, constet. Profuerit ad hanc rem, crebras aliorum definitiones soluere, & rationem singulorum uerborū exigere, iudiciumq; parare, & usu tractandæ rei uiam nobis patefacere. Iuuabit etiā notas res atq; explicatu faciles definire: quod si diligenter & cum ratione fiat, paulatim & difficiliorum spes erit. Vtilis est hæc definiendi ratio, cum propter rerum cognitionem, quæ definitione explicatæ, mirum est quo pacto uelut certum quoddam signum destināda

rum

rum cogitationum proponant animo: tum quòd parat autoritatem differenti. Neq; enim melius rem noscere uidetur, quàm qui quid ea sit, breuiter et apte possit explicare. Verum de definitione hactenus.

IN CAPVT V.

Genus est quod de pluribus specie.) Hæc & copiosius & apertius à Seneca disseruntur lib. epistolarum 8. epist. 59. Conuenitq; inter omnes.) A. Gellius noct. Attic. lib. 4. cap. 1. Nam hoc quidem peruulgatum est, definitionem omnem ex genere & differentia consistere. Si hoc intelligamus de philosophis, uerum est. Oratores enim angustias illas, & quasi orationis compedes oderunt. Nam seruitus est, ut ait Fab. lib. 7. cap. 4. ad certa se uerba astringere, & res nimium periculosa, si uno in uerbo sit erratum, propterea de tota cadere causa. Eadem ferè secundo de oratore Antonius affert, contra eos qui uocabulum quod controuersiam facit, tradunt in initio orationis esse definiendum, ait enim puerile esse id, & genere ipso redolere quandam doctrinam & exercitationem, tum etiam definitionem in sensum & mentē iudicis intrare non posse, quòd prius præterlabatur, quàm percepta sit. Definiet tamen multa orator, sed id faciet non tam presse, & anguste, quàm in philosophorum disputationibus id fieri consueuit, sed cum explanatius, tum etiam uberius, & ad commune iuditium & popularem intelligentiam accommodatius: breuiter, ita ut res explicentur, & uerba non periclitentur. Libertas enim oratoria non artificis statera, sed trutina populari uult expendi: philosophorum longe alia est sententia. Siquidem Aristoteles 6. Topic. lib. à Deo uult eam fieri præscriptis uerbis, ut ob uocabulum unum non ex necessitate additum, aut si necessarium fuerit, sed longius petitum, aut non satis uulgatum, negat ualere definitionem. Has enim definitiones reijcit: Temperantia est consonantia appetitus cōcupiscibilis, cum parte rationali. Item hanc: Lex est mensura, & imago eorum quæ natura iusta sunt. Propterea quod consonantia, & imago, metaphorā habeant paulo longius ductam. Item hanc: Phlegma est humor indigestus primus exundans ex alimento, propterea, quòd primum non erat necessarium, tametsi non falso addatur, cuiusmodi leges definiendi, & his multò angustiores præscribit in eo quem diximus lib. Aristot. quas oratores in totum reijciunt. Homo eo maxime uidetur esse homo.) Ioannes Chrysostomus homil. 13. in primam ad Titum episto. Externæ sapientiæ hominem definiunt, animal rationale mortale, rationis ac disciplinæ capax. Nos ab illis hominis definitionem nequaquam mutuabimur. Sed unde? Ex diuinis literis. Vbi nam igitur quid sit homo illæ definiunt? Homo, inquiunt, fuit iustus, uerax, pius, abstinens ab omni opere malo. Nempe hoc est homo. Et alibi: Magnum quiddam homo est & pretiosum, uir misericors. Cæteros uero qui eiusmodi non sunt, quātumlibet rationis participes fuerint disciplinæq; capaces: non nouit scriptura appellare homines, sed canes & equos, & uiperas, & serpentes, & uulpes, & lupos, & si quid hisce feris ignobilius est. Eras. lib. 1. Eccle. Nihil est in homine præstantius mente, qua parte longissime absumus à natura pecudum, referimusq; quandam diuinæ mentis imaginem. Et mox: Sed tum illud recte perspexerunt, hominē non alia re propius accedere ad naturam numinis, q̄ mente et oratione, quam Græci νοῦν καὶ λόγον appellāt. Idem ad populum homil. 21. quæ inscribitur κατήχησις ad illuminandos: Si enim, inquit, commune generis nostri nomen cogitaueris, maximam ad uirtutem capies disciplinam & exhortationem. Hoc enim nomen homo, nos non secundum alienigenas definimus,

sed ut diuina iußit scriptura. Nam homo non est, quicunq; simpliciter manus habet & pedes humanos, nec quicunq; tantum rationalis est, sed quicunq; potestatem & uirtutem cum fiducia exercet. Audi nanq; quid de Iob dicit: Cum enim dixisset quod in terra Hußitide homo erat, non ex his describit terminis, quibus alienigenæ, nec hoc dicit, quòd duos pedes habebat & ungues latos, sed iudicia pietatis illius præbens dicebat: Simplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo. Demonstrans quòd hoc est homo, sicut scilicet & alius inquit: Deum time & ipsius mandata custodi, quoniam hoc est omnis homo. Si autem hoc nomen homo tantam ad uirtutem præbet exhortationem, multo magis fidelis. Fidelis enim propterea uocaris, quoniam & credis Deo, & ab eo creditam ipse iustitiam habes, sanctitatem, munditiam animæ, in filium adoptionem, & hæc tibi commendauit &c. Auritum & fœcundum.) Fortasse poßit addi supra quàm dici poßit uerberum & fustuariorum patiens, ut est apud Homer. ea de re similitudo lib. Iliad. 11. Et Ouid. 2. lib. amor. eleg. 7. Aspice ut auritus miserandæ sortis asellus, Aßiduo domitus uerbere tardus eat. Eras. lib. ecclesiastæ 4. Dei natura explicari non potest uerbis humanis. Describi utcunq; potest, ueluti si dicas: Deus est summum bonum. Deus est infinita uirtus. Deus est quo nihil melius aut maius esse potest. Idem libro 4. Ecclesiastæ: Definitioni cognata sunt, quibus nominibus Deus designetur in sacris literis, & singulorum etymologia apud Hebræos, Græcos, & Latinos, præterea quot modis Dei nomen usurpetur in arcanis literis Idem lib. 2. Eccle. Incidit interdum &c. Atq; Aristotelem.) Is 5. topic. lib. proprij uocabulo sic utitur, ut eius etiam nomine eam compræhendat, quam nostri ferè descriptionem appellant. Docetq; in eo quem citauimus lib. proprium illud eiusmodi esse debere, ut non indicet quid sit res: alioqui futurum esse, ut definitio sit, non proprium. Vnde abunde satis colligere est apud Aristotelem eam orationem quæ indicat quidditatem rei, non posse uocari proprium. Rodol. lib. 3. cap. 4. Aphthonius Sophista in præexercitamentis cap. de descriptione. D. Erasm. in posteriore copiæ cōmentario. Quod nomine definiti non contineatur.) Hoc præcipit ratio atq; doctrina, ut uis eius rei quam definias, sic exprimatur, ut neq; diminutum sit quicquam neq; redundans. Proinde A. Gellius lib. 2. cap. 25. subindicat M. Varronem duobus modis lepide magis atq; iucunde, quàm plene aut probe inducias definiuisse. Cice. lib. de finibus: Hic si definire, si diuidere potuisset: si loquendi uim, si deniq; consuetudinem teneret, nunquam in tantas salebras incidisset. Idem: Definitio primum reprehenso uerbo uno, aut addito, aut dempto sæpe extorquetur è manibus. Inuenimus primum ius uim quandam in se habere cogendi, & iussum, unde uidetur nomen traxisse. Hunc locum obliq; traducit Alciatus lib παρέργων 1. cap. 30. Qua de re infrà lib. 2. cap. 7. Ius est decretum.) Ioannes Apellus in quarto definiendi genere: Pari negligentia Rodol. Agric. definiendo ius, uoluit definire legem: Neq; enim ius decretum est, sed lex ipsa, quæ est pars ipsius Iuris, non species. Quod non perinde prædicetur totum de partibus, ac genus de suis speciebus. Definiendo ius uoluit definire legem.) Tibi quidē, at alijs fortasse non ita, quando ea oratione abunde satis, quid sit ius explicatur. Neque enim ius decretum est, sed lex ipsa.) Si idcirco putas legem esse decretum, quòd interprete Budæo ita descripserit eam Demosthenes in oratione, quæ ad Aristogitonem prior inscripta est: Lex est cui omneis homines obtemperare conuenit, quum ob alia multa, tum uel ea maxime, quod lex omnis inuentum quidem ac munus deorum, decretum uero prudentum hominum, ad hæc flagitiorum consultorum, inconsultorumq; emendatio, conspirantis deniq; ciuitatis cōuentum, ad cuius præscriptum omneis in ciuitate agentes uitam instituere par est. Quid tandem respon-

respondebis ad alios ex æquo literatos, aliter atq; aliter describentes? In primis Aristotelem in præceptis ciuilib. ad Alexandrum cap. de genere deliberatiuo: Lex autem est omnis ciuitatis consensus, qui scriptis præceperit, quemodo unumquodq; agendum sit. Ac mox ibidem: Leges sunt (ut summatim dicam) ciuitatis publici consensus, qui scriptis terminant aut imperãt, quid unicuiq; agendum. Et 3. politicῶn. Deinde Cice. lib. de legib. 1. Lex est ratio summa, insita à natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibetq́; contraria. Et Philippica 11. Est enim lex nihil aliud, nisi recta, & à numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibẽs contraria. Papinianum: Lex est commune præceptum, prudentium consultum, delictorum, quæ & sponte, uel ignorantia contrahuntur coërtio, communis rei sponsio. Postremo Aphthonium in progymnasmate de legislatione: Lex autem est inuentum deorum, communis constitutio ciuitatis, correctio utrinq; erratorum. Eodem ariete conuellas atq; labefactes licebit & Ciceronis definitionem de Oratore: Ius, inquit, est legitimæ atque usitatæ in rebus causisq; ciuium æqualitatis conseruatio. Dicasq; cum definiendo ius, uoluisse legem definire. Quasi non possent eiusdem rei plures esse definitiones, & eæ sanè quàm appositæ. Id quod uel ex Seneca paratum est colligere libro de uita beata capite quarto: Quemadmodum idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur, & aut in cornua sinuata media parte curuatur, aut recta fronte explicatur: uis illi, utcunque ordinatus est, eadẽ est, & uoluntas pro iisdem partibus standi: Ita definitio summi boni aliâs diffundi potest & porrigi, aliâs colligi & in se cogi. Idem utiq; erit si dixero: Summum bonum, est animus fortuita despiciẽs, uirtute lætus, aut inuicta uis animi, peritia rerum, placida in actu, cum humanitate multa & conuersantium cura. Idem li. 2. de clementia cap. 3. Clemẽtia est temperãtia cũ potestate ulciscendi, uel lenitas superioris aduersus inferiorẽ in cõstituẽdis pœnis. Plura præponere est tutius, ne una definitio parũ rem comprehendat, & (ut ita dicam) formula excidat. Itaq; dici potest & inclinatio animi ad lenitatẽ in pœna exigenda. Et quæ sequuntur. Quæ est pars ipsius iuris non species.) Posteaq̃ extra te unum, nemo quod sciam, hactenus repertus est iureconsultorum, qui non uno ore fateatur Ius esse generale nomen, & legem, Iuris speciem: ob id non uideo, quid habeas, cur Rodolphum negligentiæ suggilles Si uel partem aliquã ciuitatis.) Phil. Melan. in epitome philo. moral. Vinculo quodam legum.) Eadẽ quam modo diximus, epitome. Tradamus & aliud exemplum.) Vide Cicer. in Top. ubi inquirit quid nam sit hæreditas, & qui dicantur gentiles, & D. August. lib. 1. de ciuitate Dei cap. 21. quid populus, quid item respub. Et eundem lib. 19. de ciuit. Dei cap. 21. Quid sit ciuitas.) D. August. lib. 15 de ciuit. Dei cap. 8. Cice. in paradoxis. Plato in lib. de repub. Cice. in oratione pro P. Sextio: Tum conuenticula hominum, quas postea ciuitates nominauerunt, tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus. Eras. lib. 4. Eccle. Nihil enim aliud est ciuitas, q̃ multorum amicitia, iisdem legibus concorditer parentium, ac mutuis auxiliis sese tuentium. Vt sint quamuis multi.) Vt, sanè quàm elegans est uerbum Latinis auribus pro quamuis, & quamuis item pro quamlibet siue quantumlibet. Cice. in orat. Vt enim quæras omnia, quomodo Græci ineptum appellent, non reperies. Syllius libro 4. Vt sit magna, tum certe lenta ira deorum. Neq; ambiguis nominibus.) Quintil. lib. 7. cap 10. Neque obscuris aut ex longinquo translatis.) Arist. improbat definitionem omnem quæ per translationẽ fiat, propterea scilicet quòd summam perspicuitatem poscat ratio definiendi, & translatio ferè habet quiddam obscuritatis. Crebras aliorum definitiones.) Quales longe accommodißimas inuenire est in fronte lib. 3. ad Herennium lib. de Inuent. 2. In partitionibus orat. In 3. Tuscul. quæst. libro,

apud

apud Aristot. in principio 3. Rhetoricorum. Feruntur notae quaedam nomine Theophrasti, non omnino reijciendae, sed uix dignae tanto autore. Circumfertur & Galeni liber definitionum medicinalium. Vide insuper & D. Augustinum in lib. definitionum, Georgium Vallam Placentinum de exper. & fig. 4. uolumine. Et D. Eras. Roterod. de conscribendis epist. lib. cap. de epist. suasoria. Caeterum ut iuuentus fontes aliquot habeat, è quibus rerum finiendarum rationes hauriat, plurimum adferet adiumenti, si praedicamentorum ordines in numerato habeat, qui uniuscuiuslibet rei finiendae perquàm exactam uiam suppeditant. Sunt in summa recte definiendi leges.) Neq; uero mediocriter contulerit ad hos aliosq; item complusculos huius operis locos impeditiores, Epitome philosophiae moralis per Philip. Melan. & summa totius rationis disserendi Bartholomaeo Latomo Arlunensi autore. Est etiam in Erasmi de conscriben. epist. libro, caput de argumentationum oratoriarum generibus non parum ad haec conducturum. Iuuabit etiam notas res.) Lucianus in dialogo qui inscribitur parasitus, ubi Simon parasitus praeposita artis definitione, argutissime inde colligit, parasiticen esse artem. Augustinus libro 2. de ciuitate Dei ca. 21. Scipio ad intermissa reuertitur, recolitq; suam, atq; commendat breuem reipub. definitionem, qua dixerat eam esse rem populi. Populum autem non omnem coetum multitudinis, sed coetũ iuris consensu, & utilitatis communione sociatũ esse determinat. Docet deinde quanta sit in disputando definitionis utilitas &c. Quoniam ex uno atq; altero exemplo non facile coniecturũ caetera parum exercitatum mihi persuasi, ob id coactus sum onerare lectorem turba exemplorum. ANTIDOTVS. Si quis exemplorum multitudine offendatur, legat Rodol. Agricolam lib. 3. de inuent. diale. cap. 16. Exemplis, inquit, deinde omnia non impleuimus, sed onerauimus etiam, ut quocunque possemus modo, cuncta, quantum in nobis erat, ueluti in plano conspicuoq; poneremus. Non alienum fuerit ab hoc instituto post prophana, etiam locorum exempla in diuinis literis indicare, tametsi ea res infiniti est laboris, &, nisi fallor, magnopere grati, ob rerum subtilitatem, & admodum necessarij, quod non nisi ab exercitatißimo facile deprehenduntur.

EXEMPLA.

Aristoteles: Virtus est habitus electiuus, qui mediocritatem efficit, quam ratio praescribit, sicut sapiens iudicat. Virtus est habitus inclinans uoluntatem ad obediendum rectae rationi. Vel: Virtus est obedientia uoluntatis erga rectam rationem. Cicero in Paradoxis, à definitione ciuitatis probat se ciuitate pulsum non fuisse: Quae est enim ciuitas? &c. Cicero in oratorijs part. Eloquentia aliud nihil est, quàm bene loquens sapientia, siue ut Fabius habet, bene dicendi scientia. Orator est uir bonus dicendi peritus. Rhetorice, nihil aliud est quàm dicendi prudentia. Plato in Gorgia: Mors quidem est (ut mihi uidetur) nihil aliud quàm animae atq; corporis inuicem dissolutio. Horat. Mors ultima linea rerum. Νὺξ ἐστὶ σκιὰ γῆς. Plin. libro 10. cap. ultimo: Somnus est recessus animi in seipsum. Plato in dialogo de Ente: Ratio itaq; nunc ostendit, Sophistam nihil esse aliud, quàm artificem quaestus gratia contentiosum, contradictionibus ambigentem, in pugnando certantem, lucri prae caeteris studiosum. Isocrates in Encomio Helenes in ipsa statim fronte. Idem rursus in oratione aduersus Sophistas. Cice. 4. lib. acade. quaest. Sophistae appellãtur hi qui ostẽtationis aut quaestus causa philosophãtur. Cicero in 8. Philip. Tumultus, est perturbatio tanta, ut maior timor oriatur. Idem lib. offic. 3. Hanc qui expetunt, igitur philosophi nominantur. Nec quicquam aliud est philosophia (si interpretari uelis) quàm studium sapientiae. Sapientia autem est (ut à ueteribus philosophis definitum est) rerum diuinarum et humanarum, causarumq;, quibus hae res continentur, scientia, cu-

tia, cuius studium qui uituperat, haud sanè intelligo, quid nam sit quod laudandum putet. Inuentio, est excogitatio rerum uerarum aut uerisimilium quæ causam probabilem reddunt. Cice. lib. 1. de inuent. August. lib. 1. contra Cresconium Grammaticum cap. 13. Quid enim est aliud dialectica, quàm peritia disputandi? Ambrosius lib. de paradiso capite 8. Quid est enim peccatum, nisi præuaricatio legis diuinæ, & cœlestium inobedientia mandatorum? Augustinus de utilitate credendi: Hæreticus est (ut mea fert opinio) qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusq; sui gratia, falsas ac nouas opiniones uel gignit uel sequitur. Alexis:

καὶ μοὶ δοκοῦσιν ἀγνοεῖν οἱ ζωγράφοι
τὸν ἔρωτα, συντομώτατον γ' εἰπεῖν, ὅσοι
τοῦ δαίμονος τούτου ποιοῦσιν εἰκόνας.
ἔστιν γὰρ οὔτε θῆλυς, οὔτ' ἄρσην, πάλιν
οὔτε θεός, οὔτ' ἄνθρωπος, οὔτ' ἀβέλτερος
οὔτ' αὖθις ἔμφρων, ἀλλὰ συνενηγμένος
πανταχόθεν ἐν ἑνὶ τύπῳ.

Lucianus: τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων, πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ. Id est, Ars, est ordo certarũ propositionum exercitatiõe cognitarum ad finem utilem in uita. Vide Fab. Quintil. lib. 2. cap. 18. Cice. ad Plancum: Is qui uere adpellari potest honos, perpetuæ uirtutis est præmium. Basilius in principium prouerbiorum: Prouerbium, est sermo utilis sub umbra figuræq; idonea expressus, multum quidem & usus & grauitatis complectens, in recessu quoq; multum altæ sententiæ contegens. Nobilitas, est honesta fama uirtute parta. Plato: Ἀρετὴ inquit ἐστὶν ἡ καθ' αὑτὴν ἐπαινετὴ ἕξις καθ' ἣν τὸ ἔχον, ἀγαθὸν λέγεται. Id est, Virtus, est habitus per se laudabilis, secundum quem id quod illam habet, bonum dicitur: Ἀντισθένης ἐρωτηθεὶς τί ἐστὶν ἑορτή: ἔφη γαστριμαργίας ἀφορμή. Antisthenes quærenti quid esset festum: Respondit, uentris farciendi occasio. Basilius: ἐπαινῶ τὸν εἰπόντα τὰς ἐλπίδας εἶναι γρηγορούντων ἐνύπνια, id est, Haud immerito huius ego dictum probauerim, qui spes uigilantium insomnia esse definiuit. Διογένης ἐρωτηθεὶς τί νομίζει τὸ γῆρας εἶναι ἀπεκρίνατο τοῦ ζῆν χειμῶνα, id est, Diogenes quærenti quid esset senecta: Respondit, uita brumalis tempestatibus obnoxia. Cicero 3. Tuscula. quæst. Est gloria solida quædam res & expressa, non adumbrata, ea est consentiens laus bonorum, incorrupta uox bene iudicantium de excellentiæ uirtute, ea uirtuti resonat tanquam imago. Seneca epist. 84. Nihil aliud est ebrietas, quàm uoluntaria insania. Galenus in exhortatione ad bonas artes: Habitus, est affectio quædam stabilis ac perpetua. Ira, iuxta Stoicos, nihil aliud est, quàm furor breuis. Verecundia, est timor quidam reducens animum ab ijs quæ facienda sunt. Cicero: Qui aut tempus quid postulet non uidet, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibus cum est, uel dignitatis uel commodi rationem non habet, aut deniq; in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, ineptus esse dicitur. Idem: Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium diuinarum humanarumq; rerum cum beneuolentia & charitate summa consensio. Idem 2. rheto. ueteris: Amicitia, est uoluntas erga aliquem, bonarum rerum illius ipsius causa quem diligit cum eius pari uoluntate. Idem in Lælio. Valerius Max. li. 4. cap. 7. Eodem Baptista Campo fulgosus. Seruius Sulpitius: Tutela, est uis atque potestas in capite libero constituta, ad tuendum eum, qui per ætatem sua

ſponte ſe defendere nequit, iure ciuili data ac permiſſa. Lib. 1: De tuto. Iuſtinianus lib. inſtit. primo, de patria poteſtate: Nuptiæ autem ſiue matrimonium, eſt uiri & mulieris coniunctio, indiuiduam uitæ conſuetudinem continens. Iuſtinia. lib. inſtitut. quarto, de actionibus: Actio autem nihil aliud eſt, quàm ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur. Modeſtinus libro 1. ff. de ritu nuptiarum: Nuptiæ ſunt coniunctio maris & fœminæ, conſortium omnis uitæ, diuini & humani iuris communicatio. Libertas, eſt naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, niſi quod ui aut iure prohibetur. L. libertas. ff. De ſta. homi. Metus, eſt inſtantis uel futuri periculi cauſa mentis trepidatio. ff. quod metu cau. Vis, eſt maioris rei impetus, qui repelli non poteſt L. 2. eod. tit. Hieronymus libro primo aduerſus Pelagianos: Semper inſidioſa, callida, blanda eſt adulatio. Pulchréque adulator apud philoſophos definitur: Blandus inimicus.

De genere & ſpecie. Cap. VI.



GEnus, ſpecies, differentia, quid ſint, prædiximus. Illud quod ad nomen generis & ſpeciei pertinet, non ab re fuerit annotaſſe: eos, qui exactius iſta diſtinguunt, addere iſtis indiuiduum. Vt ſit genus, quod in quid de pluribus ſpecie differentibus: ſpecies, quę de pluribus numero differentibus: indiuiduū, quod de ſolo uno dicatur. Vt animal de homine, de boue, de leone dicitur. Homo de Scipione, Cicerone, Catone. Cato de ſe ſolo Catone. Quanq̃ autē et Cenſorius Cato, & Vticenſis, uterq; Catones dicantur, illud tamen non fit propter communem in ipſis ſpeciem: propter hanc enim homines dicūtur, non Catones: ſed ob ſolam nominum ſimilitudinem. Res quidem hoc pacto ſe habet: ſed quod ad ſpeciem attinet, ea indiuiduis cōparata, hoc nomine fortè parū aptè notatur. Speciei nanq; nomē iſtud, ſola comparatiōe ad genus uidetur inditum: dictamq; ſpeciem eſſe, uel (ut Cicero maluit) formam, quòd confuſum & informe genus expoliret, & ſpeciendum (ſic enim ueteres loquebantur) nobis exhiberet. Indiuiduis autem comparata, non iam ſpeciei retinet, ſed generis potius accipit faciem. Ad argumentandi rationem, nihil propemodum differre uidentur, genus & ſpecies, ſpecies & indiuiduum. Quemadmodum enim ſi omne animal currit, hominem neceſſe eſt currere: & ſi homo non currit, aliquod animal non currit: ſic etiam, ſi omnis homo currit, Ciceronem neceſſe eſt currere: & ſi Cicero, neceſſe eſt & aliquem hominem currere. Nobis ergo, ne inter dicen-

cendum cogamur subinde sine ullo usu perturbare nomina, uocentur promiscue in recēsendis locis, genus, quicquid de pluribus prædicatur in quid: & species, illa de quibus id prædicatur. Sed genus quemadmodum de speciebus dicitur, sic etiam diuiditur in eas. Diuiditur autem adiectione differentiæ. Animal enim rationali & irrationali assumpto, diuiditur in hominem & brutum. Et differentiarū uerarum (ut superius diximus) quia propemodū egeni sumus, consilium (quod in inopia fieri solet) oportet ex necessitate sumamus: ut quemadmodū in definiendo, sic in diuidendo, aliquid quod locum ipsarum expleat, mutuemur. Vt si diuidere brutum uelimus, dicamus aliud in terra, aliud in aëre, aliud in aqua uitā ducere. Vel item dicamus, bruta omnia aut natare, aut uolare, aut ingredi, aut repere.

IN CAPVT VI.

Sed ob solam nominum similitudinem.) Id quod in procliui animaduertere est, modo ab intellectu nomina secludas: eo enim facto, nihilo plus conuenientiæ Catoni cum Catone erit, quàm cum Cicerone. Cæterum longe secus habet in specie: si enim & hæc nomina secludas, plus tamen conuenientiæ inter duos homines erit, quàm inter hominem & bouem: quod sane ob aliam rem non fit, quàm communem in eis speciem. Addendum illud etiamsi minutius (Nec id mihi apud eruditulum lectorem uitio uerti debet, ut qui rudioribus hac nostra opella consultum cupimus) omnem terminum communem duo habere significata, unum primarium, secundarium alterum, ut animal primario suo significatu significet uniuersalem quandam naturam omnibus animalibus communicatam: Secundario uero, omnia supposita animalis, in quibus ea natura reperitur. Ita homo significat primario, humanitatem siue humanam naturam, uel (ut multorum est sententia) omnes homines communi quadam intellectione. Secundario, omnia indiuidua hominis. Quando ergo terminus communis in propositione subijcitur tali prædicato, propositio erit singularis, ut hæ sunt singulares: Virtus est summum bonum: Vitium est summum malum. Item & in his subiecta uidentur accipi pro primarijs significatis: Solum animal sentit. Solus homo est rationalis. Tametsi uulgò aliter sentiant logici. Item in his homo est uniuersale: Animal est genus hominis: Iustitia est species uirtutis. Et ita de similibus propositionibus dicendum est, quorum prædicata competunt solis naturis, & non ipsis indiuiduis uel suppositis.

Nobis ergo.) Erasmus Roterodamus libro Ecclesiastæ secundo: Illud admonendum, apud scriptores genus frequenter usurpari pro specie, interdum & pro differentia accidentali. Veluti quum distinguunt genera aquilarum, aut genus dicunt pro specie, si tamen ulla aquila ab aquila differt specie. Aut genus appellant accidentalem differentiam. Sic medici diuidunt apium in uaria genera. Et Vergilius dicit, quod hoc genus hominum, quum loquatur de moribus inhumanis. Impense magnam affert utilitatem methodica dialecticæs ratio per Ioannem Apellum capite de definitione, ubi plurima hinc inde congessit exempla uocum, & genus & speciem significantium. Vocentur promiscue in recensendis lo-

cis.) Qua de re legito libri tertio caput quartum: Nihil propemodum differre) Indiuidua quoque species dici, documento potest esse uel illud exemplum, quod adducit ex Lucano Rodol. libro 1. capite de comparatis, quod à specie deductum esse contendit: Romulus Remum fratrem imperij consortem ferre non potuit: Ergo nemo in summo imperio constitutus, patiens consortis erit. Diuiditur autem.) Boëtius censet utilißimum esse, ut à summo genere per differentias ad ultimam eandemq; propriam, usque progrediamur, quod genus est, homo est substantia corporea, animata, sentiens, intellectualis. Sic etiam diuiditur in eas. Et differentium.) Erasmus Roterodamus libro Ecclesiastæ 2. Nec dubium est, quin unaquæque res habeat formam internam, per quam est id quod est, & non aliud. Verum ea quoniã ferè proprio nomine caret, abutimur ijs quæ proxime ad differentiæ naturam accedunt. Nam cuiusque genus inuenire non est difficile. Veluti si quis quærat, quid sit homo, facile occurrit animal. Sed quid est hoc quod facit, ut hic homo sit, non asinus aut simius? Si respondeas rationale, animalia erunt angeli & dæmones: ut enim corporibus careant, non tamen expertes rationis. Quanquam Platonici tribuunt & illis corpora naturalia. Diuiditur autem.) Ad huius loci intellectum & illud in primis pertinere contenderim, quod legitur apud Senecam libro epistolarum octauo, epistola quinquagesima nona: Sed sunt quædam quæ animam habent, nec sunt animalia, & cætera. Adiectione differentiæ.) Rodolphus differentiæ uocabulo complectitur & proprium, & quicquid sit quo rerum discrimina proprie notamus: Equidem alij dubitãt, an Rodolphus tam late extensum uoluerit differentiæ uocabulum, cum subijciat earum nos laborare inopia, quanquam addit uerarum.

Quum multæ res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatæ sint, tum perdifficilis & subobscura quæstio est de uniuersalibus, circa quæ inexplicabilis & dialecticis inter ipsos pugna est. Proinde non ab re fuerit hic referre censuram Rodolphi Agricolæ de uniuersalibus, licet non in hoc conscriptam, ut æderetur unquam. Vt enim qui parant statuam facere, prius rude quoddam simulacrum fingunt è trunco, postea dolant ac poliunt: Ita cum Rodolphus Agricola librum aliquem de uniuersalibus instituisset conscribere, hanc futuri operis syluulam deliniauit. Vtinam hanc simul & κριτικὴν absoluisset, ut utriusque ceu gustulum quendam præbuit. Iam uero quum Ioannes Viues Valentinus, & Iacobus Volcardus Bergensis præter philosophiæ profeßionem undecunque doctißimi, non minimo nobis adiumento fuerint, ut hanc censuram planè deprauatam, imò mutilam utcunque restitueremus, illisq; uiris acerrimi sanè iudicij non indigna uisa sit, quæ in apertum proferretur, & huic loco insereretur: libens admodum obsequutus sum, uel hoc nomine potißimum, quòd nihil sit eius uiri planè diuini, quamuis ex tempore, quamuis alieno stomacho scriptum, quod non diuinitatem quandam præ se ferat. Quod si cui uideatur parum conuenire inuentioni dialecticæ censura de uniuersalibus, ei hoc ego responsum uelim, quòd mea quidem sententia, longe secus res habet, & quod magnopere adiuuabit cum ad alia permulta, tum ad hunc maxime locum de genere, specie, & indiuiduis, quo ferè loco quæstio hæc impeditior, neque prorsus adhuc à quoquam satis explicata tractatur, constatque magnum esse huius apud dialecticos usum, ac proinde non inutilem uisam fuisse, cuius nos peruestigatio hic angeret. Quotiens dialectici Aristotelici Porphirianam auspicantur Isagogen, mox in ipsa statim operis fronte: Existit autem, inquiunt, hoc loco quæstio subdifficilis, utrum uniuersalia. Sit ne dialectica scientia speculatiua an practica & cæt.

Quasi sui obliti, uidentur propemodum iuxta Græcum prouerbium: τὸ ὁδοῦ πάρεργον τὸ ἔργον πεποιηκέναι, & profectionem in diuerticulo consumpsisse. Quanquam ista quæstio quantula tandem est portio portentosissimarum quæstionum, quas plenis plaustris, alias super alias transuersim ingerunt, quarũ uel sola recordatio nauseam moueat, remoramq; faciat generosis ac bene natis ingenijs. Nescio si uel Crassus ipse, quem semel tantum risisse memorant, continere se posset à risu, quotiens harum recordaretur affaniarum. Etenim dum ostentandæ eruditionis suæ studio, in ipso statim operis limine perplexa quædam infulciunt, quæ post erant tradenda: nimirum rudes discipulos retundunt, & alienant, quos allici, inescariq; potius oportuit commoda breuitate, luce, ordine, simplicitate, alijsq; id genus illecebris. Porrò dialectici, ut nectunt nodum, ita non satis explicant: uerum hunc tantum alioqui nodum plusquam Herculanum, Rodolphus nõ aliter expedit atq; dissoluit, quàm Alexander ille Magnus ἡράκλειον ἅμμα ense dissecat. Vetus admodum quæstio hæc est iam inde à Parmenide, Zenone, Cleante in medium adducta. Plato uniuersales quasdam posuit Ideas: Anthistenes Cinicæ sectæ antesignanus uniuersalia dixit esse à singularibus seiuncta. Atq; hæ sunt quæstiones illæ à quibus Porphirius ille in initio sese scribit uelle supersedere. Extat ac manet etiamnum circa uniuersalia inextricabilis dialecticis inter ipsos pugna, simul & diuersitas, nec adhuc suum inuenerunt Oedipodem, quæ tamẽ haud magno negocio bonam partem ex hac censura redigi potest in concordiam.

RODOLPHI AGRICOLAE SINGVLARES ALIQVOT DE VNIVERSALIBVS QVAESTIONES.



DE VNIVERSALIBVS hæc in primis solent quæri, sint'ne aliquid extra animam, id est, extra cogitationem, figmentumq; mentis nostræ. Deinde, si sint, an distinguant à singularibus. Qua in re ut dicamus quãtum nobis coniectura consequi licet, quodq; uerisimilimum uidetur: antè omnia dicendum arbitror quid sit uniuersale. Dicimus ergo uniuersale esse, quod unum existẽs per essentiam, est communicabile multis, ut animal unum esse genus dicimus, quod est in equo, in asino, in boue, in homine. Sanè unum non simpliciter dicimus: nam & unum dicitur collectione, ut multi lapides unus cumulus dicuntur. Et dicitur unum coniunctione, ut corpus & anima coniuncta, unus homo dicitur: & unum abnegatione, id est, quia nõ est multa: sic unam dicimus esse passionẽ entis propriam, & omne quod est, unum esse, & idem esse dictu hominem, & unum hominem. Dicitur pręterea unum assimulatione, uel communitate, uel ratiõe: sic & alba dicimus habere unum colorẽ, quia sunt similia colore, &

re,& duos homines esse unam speciem, id est, habere similem in se speciem,uel formam,uel naturam humanitatis : hocq́ꝫ ultimo modo uniuersale est unũ. Nihil enĩ uidetur aliud esse uniuersale, quàm aliquid quod in substãtia aut essentia alicuius est, cuius simile potest in alterius itidem essentia reperiri. Quemadmodum enim si duas eiusdem rationis aut speciei qualitates in duobus inuenimus subiectis,dicimus ea subiecta similia: itidem si duas quantitates, dicimus esse æqualia. Siq; duas formas,uel naturas eiusdem rationis uideri mus in subiectis duobus esse,uocamus ea unum ratione.Id quod in utrisq; est eiusdem rationis existens,uniuersale dicimus:ut sit uniuer sale nihil aliud,quàm essentialis quædam in multis(ut ita dicam) similitudo.Singulare uerò est,quod huic opponitur:uidetur etiam & hoc non uno modo dici:nam & singulare dicimus unitate.Sicut dicimus angustũ iter esse, per quod nisi singulis pateat aditus,& uni, & non multis.Id'qꝫ singulare est, quod unũ numero,id est,non multa esse dicimus,quod'q; hoc uocamus. Itaq; hac ratione & humanitatem quæ est in Platone per se acceptam,hanc humanitatem & singularẽ,& unam numero humanitatem dicimus.Ergo hæc singularitas,& unitas naturalis,& esse hoc: non uidetur esse ea quæ opponuntur uniuersali.Imò tam latum esse ambitum horum quàm est entis:& in omni ente eandem istorum inueniri rationem.Dicitur aliter singulare in causabilitate uel incommunicabilitate : ita dicimus singularem amorem,qualis inueniri in nullo alio posset : & singulare lumen solis,quoniam nullum aliud astrum tale lumẽ præbet. Sic Platonem dicimus singularem hominem,quoniam proprietas illa substantiualis qua Plato ab omnibus hominibus,qui sunt, fuerunt, erunt,differt:eiusmodi est,ut ei nulla alia possit similis inueniri, idcirco incommunicabilẽ eam dicimus. Non enim communicabilitatem aliud dicimus esse:quàm esse eius naturæ,aut generis,aut habitudinis,ut possit aliquid quod ei simile sit,reperiri : humanitas ergo quæ est in Platone, singularis quidem est unitate, nequaquam uero incommunicabilitate.Quare unitate? Quoniam & hæc est & una per se. Quare nõ incommunicabilitate? quia eiusdem rationis uel naturæ inuenitur in Socrate,in Critone. Hoc ergo singulare est quod arbitror opponi uniuersali.Singularia ergo prioris modi, satis est

tis eſt eſſe diuerſa. Secundi modi, nedum diuerſa, ſed & differentia eſſe oportet. Sanè modi diſtinguendarum rerum tres uidentur eſſe. Quæcunq; enim diſtinguuntur, aut diuerſa ſunt, id eſt, quando uerum eſt dicere, hoc non eſt illud. Aut differentia ſunt, hoc eſt, quũ non ſolum uerum eſt dicere, hoc non eſt illud: ſed hoc habet certam proprietatem aut notionem adiunctam, qua ab illo diſcernitur. Tertius diſtinguendi modus eſt, quando diſcreta ſunt quæ diſtinguuntur, id eſt, quodq; ſeorſum per ſe, ab alio diuerſum ſubſiſtit. Sic duas ſubſtantias, Socratem & Platonem diſtingui dicimus, & nõ ſolum ita diſtinguuntur, ſed & differunt etiã, & ſunt diuerſi. Quæ quô facilius accipiantur, paulò explanatius dicam. Eſt pannus unus totus candidus, huius quidem duæ partes dimidiæ ambæ ſunt candidæ. Et quamuis utraq; candida ſit, ſunt tamẽ diuerſæ, quoniam hoc candidum, non eſt illud: non tamen quantum ad candorem pertinet, differunt. Nullum eſt enim in candore in eis diſcrimen. At ſi dimidiam unam nigro tingamus, iam non diuerſa ſolum hæc dimidia, ſed & differentia erunt. Habentq; utraq; notam, qua poſſint alterum ab altero diſcerni: quòd ſi iam hæc duo dimidia, quæ adhuc coniuncta, unus ſunt pannus, diſcindantur: iam non ſolum diuerſa, non ſolum differentia ſunt: ſed diſcreta. Hæc dicta ſunt non quidem πρὸς τὴν ἀκριβολογίαν, καὶ τὸ λεπτομερέα τῆς ἀληθείας: ſed noſtra, hoc eſt, pingui Minerua: quô nõ exactius diſtinguãtur hæc, ſed capiantur facilius.

Eſſe ergo aliquid uniuerſale extra animam, quale nos ſuprà definiuimus, ocioſi uidet̃ eſſe quærere, cæci negare. Quis enim non uideat Socratem & Platonem, & Critonem, quemlibet horum hominem eſſe, & quatenus homines ſunt, eſſentialiter uel eiuſdem rationis, uel (ut ita dicam) ſimiles eſſe? Semota animi cogitatione aut mentis operatione, ſanè artes omnes, omnia doctrinarum genera diſtinguuntur: perinde ut diſtincta ſunt ea quæ tractant: ea uerò ſunt res. Neq; phyſicus cõceptus omnium generabilium, & corruptibilium conſiderat aut perquirit: ſed ea quæ ſunt uera generabilia & corruptibilia, quæque ſunt compoſita ex forma & materia. Eademque aut elementa, aut ex elementis commiſta ſunt, quæ neſcio qua ratione quis uelit dicere figmentum aut opus ani-

mi no

mi nostri. Quum autem omnes doctrinæ aut scientiæ sint circa uniuersalia: necesse est uniuersalia aliquid esse extra animam, si quæ tradantur ab artibus, sunt extra animam aliquid. Præterea decreta legum, philosophorum præcepta, iussa medicorum omnia, uniuersalia & communia sunt, ea ergo necesse aut ad nullos pertinere, si nihil commune est in rebus: aut ad unum tantum pertinere: cum cuiuis uel proprietate, uel singularitate, commune illud conueniat: aut si ad omnes pertinent: necesse est in omnibus esse commune illud, quo posito, omnia comprehenduntur: quod si in omnibus est, & necesse est extra animam aliquid esse. Ad hæc si sint uniuersalia tantum in anima, utrum dicemus aliquid eis extra animam in re respondere, aut nihil? Si nihil, non dicemus quicquam interesse inter conceptum Chymeræ, & hominis, quũ perinde uterq; sit inanis, & cui nihil in re solidi aut certi subsit de quo formetur. At si dicimus subesse aliquid in re: illud aut dicimus tale esse quale conceptum est, aut alterius habitudinis: si tale dicamus, quum sit uniuersale, conceptum erit & uniuersale. Si alterius habitudinis, nihil intererit rursus inter hominem & Chymeram: quum enim sit quod cõcipitur uniuersale, unum, multa comprehendens aut ambiens, & quæcunque sunt in re, singularia sunt (nam esse aliquid uniuersale, id in controuersia est.) Quid enim refert utrum mens nostra ea quæ prorsus differunt, & in nullo conueniunt, in uno communi coniungat, quum inter se penitus discrepent? an partes Chymeræ dissidẽtis, & quæ in unam formam cogi non possunt, in unius corporis formas coactas esse confingat? Quòd si ergo inter Chymeræ conceptum, & hominis reliquorumq; uniuersalium, multum interest, & quæ à legibus, philosophis & medicis statuuntur in commune, cõplectuntur multa, & traduntur multis communiter faciunda, non solum de multis concipiuntur: & artes scientiæq; quæ de rebus extra animam & de uniuersalibus idem disserunt uniuersaliaq; tractant. Et Socrates, Plato, Crito, unam habent in se communem uel uniuersalem naturam humanitatis, quod uniuersale diximus uocari, omni etiam animæ aut intellectus opere semoto: erit nimirum uniuersale extra animã, quod omnia inter se clausa habeat, nec per ullam exteriorum cognitionem, aut inquisitionem nec recte intelligi possit, nec complecti

quale sit, quale omni animi ministerio cessante uidetur esse.

Quòd si est uniuersale extra animam, uidebitur diuersum quiddam à singularibus id esse oportere. Neq; enim uidetur fieri posse, ut duo aliqua in eodem quatenus idem est, conueniant & differant. Sed singularia in uniuersali conueniunt: ut Socrates & Plato conueniũt: quatenus uterq; est homo. Differunt autem singulari, quatenus hic est Socrates, ille uero Plato, uterque scilicet ab altero, notione uel proprietate addita humanitati, cuius simile non est in ullo alio inuenire. Quam, qui Ioannis Scoti sectam tuentur, differentiam indiuidualem uocant. Quum ergo in uniuersali conueniant & differant singularia, necessario uidetur aliud esse uniuersale, aliud particulare. Ad hæc quæcunq; prorsus eadem sunt: impossibile est alterum eorum cognosci, ut alterum ignoretur. Sed possimus in Platone de longinquo prospecto, cognoscere hominem, ut ignoremus Platonem esse: ergo in eo diuersum quiddam Plato & homo sunt. Præterea impossibile est idem esse cõmunicabile & incommunicabile: sed uniuersale communicabile esse ostendimus, singulare uerò incommunicabile. Qua in re semper uelim in mentem redeat, quid communicabile, quid unum in uniuersali, quid singulare uniuersali oppositum uocemus. Haud difficile erit uidere, non posse idem singulare esse & uniuersale. Postremo possemus multa testimonia maximorum in philosophia uirorum proferre, multa ab antiquis scholis decantata, & uelut per manus tradita, colligere: nisi non tam propositum esset nobis, quæ quisque dixerit tueri, quàm quærere, quicquid rectissimè, & ad rerum naturam aptissimè dicatur. Hactenus Rodolphus.

EXEMPLA GENERIS, SPECIEI, ET INDIVIDVI.

Cyprianus lib. 3. epistol. ad Fidum: Porrò autem si etiam grauissimis delictoribus & in deum multum antè peccantibus, cum postea crediderint, remissio peccatorum datur, & à baptismo atq; gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quòd secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit? Qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Et idcirco, frater charissime, hæc fuit in concilio nostra sententia à baptismo atq; à gratia Dei (qui omnibus misericors, & benignus, & pius est) neminem per nos debere prohiberi. Quod

cum circa uniuersos obseruandum sit atq; retinendum, tum magis circa infantes ipsos & recens natos obseruandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra ac de diuina misericordia plus merentur, quòd in primo statim natiuitatis suæ ortu plorantes ac flentes nil aliud faciunt quàm deprecantur. Hilarius ad Constantium Augustum: Sed memento tamen, neminem hæreticorum esse, qui se nunc non secundum scripturas prædicare ea quibus blasphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellius uerbum Dei cum legit, nescit: hinc Plotinus, hominem Iesum Christum cum loquitur, ignorat: hinc & Sabellius, dum quod ego & pater unum sumus, non intelligit, sine Deo patre, & sine deo filio est: hinc & Montanus per insanas fœminas suas, paracletum alium defendit: hinc & Manichæus & Marcion legem odit, quia litera occidit, & mundi princeps diabolus est. Omnes scripturas sine sensu loquuntur, fidem sine fide prætendunt. Scripturæ enim nō in legendo sunt, sed in intelligendo: neq; in præuaricatione sunt, sed in charitate. Quintilianus lib. 11. cap. 1. In primis enim omnis sui uitiosa iactatio est, eloquentiæ tamen in oratore præcipuæ, affertq; audientibus non fastidium modo, sed plerunq; etiam odium. Cicero in Bruto: Nos autem non desistebamus quum omni genere exercitationis, tum maxime stilo, unum illud quod erat, augere quantumcunq; erat. Lactantius lib. 3. de falsa sapientia cap. 20. Quis enim non sentiat hunc mundum tam mirabili ratione perfectum aliqua prouidentia gubernari? Quandoquidem nihil est, quod possit sine ullo moderatore cōsistere. Sic domus ab habitatore deserta, dilabitur. Nauis sine gubernatore, abit pessum. Et corpus relictum ab anima, defluit: nedum putemus tantam illam molem, aut cōstrui sine artifice, aut stare sine rectore posse. Cicero pro Rabirio: Multas equidē C. Cæsaris uirtutes, magnas incredibilesq; cognoui, sed sunt cæteræ maioribus quasi theatris propositæ & penè populares. Castris locum capere, exercitum instruere, expugnare urbes, aciem hostium profligare: hanc uim frigorum hyememq; quam nos uix huius urbis tectis sustinemus, excipere: his ipsis diebus hostem persequi: tum cū etiā feræ latibulis se tegāt, atq; omnia bella iure gentium conquiescant. Idem in Verrem: Nam cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenij atq; eloquentiæ multo molestissima. Homerus Odyss. μ. πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι : λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν, id est, dura quidem miseris mors est mortalibus omnis: At periisse fame res una miserrima longe. Columella de re rustica: Sed quū oīa in agricultura strennue faciēda sunt, tū maxime sementis. Cice. Quū omnis solertia admiranda est, tum ea quæ efficit ut inanima quæ sunt, uiuere & spirare uideantur. T. Liuius lib. 4. de bello Macedonico & Asiat. Omnes alij ordines, omnes homines mutationem in meliorem statum Reipub. sentient: ad coniuges tantum nostras pacis & tranquillitatis publicæ fructus non perueniet. Prima ad Corinthios 6. cap. An nescitis, quòd iniusti regni Dei hæreditatem nō consequentur? Cicero pro lege Manilia: Et quisquā dubitabit, quid uirtute profecturus sit, qui tantū autoritate profecerit? aut quàm facile imperio atq; exercitu socios & uectigalia conseruaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit? Terent. in Eunu. Parmeno: Egone ut Thaidi me dedā, & faciā quod iubeat? Gnato. Quid est Thraso, quo minus quàm Hercules seruiuit Omphale?



Quæ diuidēdi, & quàm uaria sit ratio. Cap. VII.

ET quia diuisionis locus nos admōet, quid sit ipsa, & quo pacto tractanda exequamur. Perquam utilis enim est diuiden

uidendi ratio, tum ad rei quæ diuiditur naturam demonstrandam (proximum enim est, ut cum quid sit unumquodq; dixeris, deinde quotuplex sit ostendas) tum ad definiendum. Definire nanq; non aliud uidet, quàm ex genere per differẽtias diuiso, in speciem descẽdere. Præcipue uerò ad disserendi orationisq́; copiam: ut si unũ aliquid quod multa ambitu suo complectitur, in partes spargas: late enim funditur, quod in parteis spargitur, quẽadmodum multa si in unũ colligas, in angustum aguntur. Diuisio igitur est generis in species per differẽtias diductio. Placuitq́; omnem diuisionem duabus differentijs ediuerso positis debere perfici. Deinde, ut repugnent eæ differentiæ, hoc est, ut nequaquam in idem conuenire possint. Postremo, ut quicquid in genere continetur, id totum differẽtiæ explicent. Aequa quidem lex, sed difficilis obseruatio. Et corpus sane per animatũ & inanimum diuidi hoc pacto uidetur. Animal etiam per rationale & irrationale. Sed contingit, ut uideantur sub uno genere multæ esse species. Vbi ergo diuidere id uolumus, capimus unius alicuius speciei differentiã: deinde aliarum specierum, quia unã aliquã communẽ differentiã nõ inuenimus, circuimus ipsam differẽtiæ alterius negatione, quemadmodum in diuisione animalis uidemus fieri. Irrationale enim non nisi negationẽ rationalis explicat: quamobrẽ uera differentia esse nõ potest: cũ omnis species ex differentia constituatur: nihil autem constituitur ex negatione. Labascit ergo continuò uera illa diuidendi lex. Deinde cuius felicitatis est, ut uel prior differentia uera sit, quando uel paucas, uel planè nullas esse ueras in confesso est? Ergo & hanc undecũq; datur arcessimus, fitq́; ut altera nõ sit uera, altera nullo modo differẽtia sit, appareatq́; multo ista dici speciosius, quã rectius posse obseruari. Accedit istis, quòd cũ unã fortasse differentiã aliquo modo eloquantur, ut sit uerbi causa uolatile, & speciem quoq; inueniemus, quæ est auis. Ediuerso, quorũdam cũ differentiã aliquã inueniamus, desit speciei nomẽ: ut bipes esse, animalis sit differentia fortasse, nullã tamen ei speciem tribuere possis. Sic & piscis nota est species, in reddenda differentia fortasse laboretur. Nobis sicut primum esset, & uoto forsan optandum, ut legitimis duabus differentijs diuideremus: ita proximum erit, ut qualibuscunq;, duabus tamen: sin minus poterimus duabus,

at quotcūq; poterimus, diuidamus: dūmodo uniuersam eius quod diuiditur, complectamur latitudinem, quamobrem non per ea modo quæ in substantia eius sunt quod diuiditur, sed per omnes locos qui circa, quiq́; extra substantiam sunt, ducitur diuisio. Sanè eorum quæ in substantia sunt, aptissima per quam diuidatur est forma, quòd ea perfectæ differentiæ origo est. Nam corporum, aliud animatum est, aliud expers animæ, hæc ex forma ducta est diuisio. Deinde proxima, quæ ex materia ducitur: Vt arborum, aliæ ex semine sunt, aliæ sponte nascūtur. Hinc iam ab adiacētibus accipitur: Vt animalium, aliud mansuetum, aliud ferum. Et contrà quoq; diuiduntur adiacentia in ea quibus adiacent: Vt feritas, alia serpentis, alia auis, alia reliquarum belluarum est. Et per actus fit diuisio: Vt hominū, alius studio, alius lucro, alius uoluptati operam dat. Et per efficientia: Vt animalium, aliud parentis efficacia, aliud calore solis, aliud putrefactione gignitur. Et per effecta: Vt animalium, aliud fœtum, aliud ouum, aliud uermem parit. Et ex fine: Vt rerum domesticarum, aliæ ad necessitatem, aliæ ad uoluptatē, aliæ ad usum pertinent. Contrà quoq; ex iis quæ ad finem pertinent: Vt opum parandarum causa, alij iustam operam nauant, alij fœnerantur, alij ui rapiunt, alij fraude subducunt. Iam uerò, animalium aliud terra, aliud mari degit: ex loco est. Et flores, aut hyberni sunt, aut uerni, aut æstiui, aut autumnales: ex tēpore est. Et homines, alij serui sunt, alij domini, alij neutrum: ex connexis sumitur. Contingentia etiam diuisioni conueniunt: ut musicorū, quidam literas sciunt, quidā ignorant. Et pronunciata, ut quidam hominum laudati sunt, quidam uituperati, quidam silentio latent. Attulerit etiam aliquid comparatio: Vt populares, quidam infra regem sunt opibus, aliqui pares, nonnulli superiores. Et à similibus diuisionem expresserimus: Vt aliorum uitæ propositum industria formicam imitatur, aliorum segnicies similis est muscis.

Opposita & differentia prorsus à diuidendi ratiōe abhorrēt. Necesse est enim, ut quicquid diuiditur, de iis prædicet in quæ diuisum est. Nihil autem de his quæ repugnant sibi prædicatur: quô fit, ut ne diuidi quidem possit per ea quæ sibi repugnant. Nomen rei præterij, quoniam parum accommodatum credidi diuisioni. Quāquam fuerunt, qui facerent diuisionem eius in res significatas. Vt taurū di-

uiderent

uiderent in domesticum animal, & sidus, & montem. Quod qua ratione diuisionem appellent, non uideo: cum id uel ratio loquendi coarguat. Nec enim quisquam tam ineptus sit, ut dicat: taurorum, alius animal, alius sidus, alius mons est. Similiter longe minus diuisio est rei in nomina. Vt non patiar, non feram, non sinam. Nisi quis diuisionem etiam putet esse, Anna soror, soror Anna: cum hic, quemadmodum & illic, idem diuerso sono, quanquam non uerborum, constructionis tamen, repetatur. Diducitur tamen unum, & in multa explicatur. Diducitur quidem, sed non ita, ut id diuisio uocari possit. Neque enim ignorandum nobis est, posse tripliciter aliquid quod unum sit, in plura diduci. Diuisione, quæ quomodo fiat, diximus. Partitione, quam mox dicemus. Et enumeratione: Ea fit, quoties multa, quæ uni alicui insunt, recensemus: ut cum dicimus, Cicero eloquens fuit, & prudens, & uindex appetitæ dominationis: & reliqua, quæ in immensum extendi possunt. Certum est non diuidi in ista Ciceronem, quoniam Cicero indiuiduus est, nec partes etiam esse Ciceronis ista. Enumeratio ergo est multorum, quæ ad unum aliquod rediguntur. Hoc pacto & multa unius uerbi significata, & unius rei nomina, non diuidendo diducimus, sed enumerando recensemus. Nonnulli arctis admodum finibus clauserũt totam hanc rationem diuidendi, ut omnem diuisionem quæ non fit per ea quæ in substantia sunt, dicerent: aut subiecti esse in accidentia, aut accidentis in subiecta, aut accidentis in accidentia. Liberum est & suum cuique iudicium. Mihi uisum est quàm copiosissimè possem, aperire rem istam, quoniam usus eius latè patet. Nec ignoro, posse eis quorum aures non sint ijs audiendis imbutæ, uideri rem perplexiorem esse: quod tamen, quamuis exigua animi intentio, molliet: modo non pigeat tantisper subsidium petere à communi studiorum artifice labore: fructus certe laborum, quod affirmare ausim, non pœnitebit.

IN CAPVT VII.

QVo pacto tractanda.) Rodol. lib. 5. cap. 5. *Idq; tribus illis maxime fit modis, quibus diximus rem unam in multa diduci: diuisione, partitione, & dinumeratione.* Cicero *separauit à distributione διάλυσιν siue diuisionem, nec id temere: nam in distributione exponimus commune quiddam, aut confusum: ut, Iudices corrupti sunt, alij gratia, alij pecunia. In diuisione simpliciter diuersa proponimus, sine aliquo communi: ut, uel auaritia*

impulit, uel inopia, deinde ratio subijcitur: Non auaritia, à quo uitio fuisse semper alienum declarat uitæ ratio: non inopia, quia large suppetunt facultates. Difficillimum est apte diuidere, siquidem nisi propositiones scite repertæ fuerint, nullo modo recte partiri potes. Iam illis repertis, est apte aliquid collocare. Et ne statim nimis anxia sectione molestus sis, quædam postea suo loco rursus sunt diuidenda, quod appellant subdiuisionem. Erasm. Roterod. lib. 2. de ratio. concio. Porro usq; adeò non est facile rectam partitionem inuenire, ut M. Tullij partitiones ab eruditis quædam improbatæ sint, quædam in dubium uocatæ, una tantum sine exceptione laudata. Qualis est illa partitio M. Tullij pro Muræna, citra exceptionem laudata: Intelligo iudices treis totius accusationis partes fuisse, & earum unam in reprehensione uitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse uersatam. Nihil hac partitione lucidius, neq; quicquam ei superfluum, quum uniuersam causam complectatur. In causa est difficilis partium principalium inuentio, & inuentarum in ordinē commodum digestio. Magnopere iuuabit & illa diligenter expendisse, quæ de diuisione D. Eras. lib. de ratione concio. 2. circa mediū habet. De diuisione quædam admonebimus &c. Idem loco iam citato: Quidam ita partiuntur, ut bis eadem dicant, & ita præmittunt quæ sint dicturi, ut simul dicant quæ præmittunt. Vnde recte preceptum est à uiris eloquentissimis, ut partitio sit dilucida ac breuis, nec obscuris inuoluta uerbis, nec onerata superuacaneis. Perquam utilis est diuidendi ratio.) Boëtius in lib. de diuisione, inquit, Andronicum scriptum reliquisse, diuidendi scientiam summo in honore apud Peripateticos fuisse, quia nulla res sine hac, dilucide ac perspicue explicari posset. Plato in dialogo cui titulus de regno: πεπόηκε γὰρ ἡμᾶς καὶ νῦν παθεῖν τὸ κατὰ τὴν παροιμίαν πάθος, ποῖον; οὐχ᾽ ἡσύχως ἐν διαφόρουσας ἀνυκέναι βραδύτερον. Id est, Effecit ēm ut nunc quoq; nobis acciderit, quod prouerbio dicitur: Quodnam? Vt dum parum recte per ocium diuidimus, serius perfecerimus. Quintili. lib. 4. cap. 5. Idem lib. 11. cap. 1. Nam qui rectè diuiserit, nunquam poterit in rerum ordine errare. Socrates in Phædro Platonis ait, se maxime cupidum esse diuisionum, quòd sine his nihil neq; explicari dicendo, neque intelligi posit, ac si quem deprehenderit peritum diuidendi, hunc, inquit, se assectari, eiusq; tanquam Dei uestigia sequi. Et iubet diuidētem in ipsis articulis membra secare, ne quod membrum mali coqui more, quassatum frangat. Seneca epistola octogesima nona, cuius initium: Rem utilem desideras. D. Hieronymus in 6. cap. Amos prophetæ: Nihil fugatius seculo rebusq; seculi, quas dum tenemus, amittimus, & per infantiam, pueritiam, iuuentutem, ac uirilem, & ingrauescentem, ac maturam ætatem annosq; ultimos senectutis, in quæ septem spatia Philo uitam describit humanā, mutamur & currimus, & nescientes ad mortis terminos peruenimus. Laërtius in uita Platonis. Deinde cuius felicitatis est, ut uel prior differentia uera sit.) Id est, An non præcipuæ atq; singularis cuiusdam felicitatis &c. Sic D. Hierony. lib. 1. aduersus Pelagianos: Deinde cuius est temeritatis, iniquos & peccatores impijs iungere. Vt unum aliquid.) Tametsi uel exemplar autographum sic habet, non dubitem tamen deesse si, ut hoc pacto legamus: Vt si unum aliquid, &c. cui rei inditio esse potest quod sequitur, spargas, subiunctiuum uerbum. Quanquam non sum nescius ita posse accipi, ut tota dicta oratio nominatiui uice ponatur, repetaturq; utile est. quod mihi quidem coactius uidetur. Quicquid in genere continetur.) Cicero in Oratore ad Brutum: Cum res (inquit) postulabit genus uniuersum in species certas, ut nulla neq; prætermittatur, neq; redundet, & partietur & diuidet. Meminisse etiam conuenit id quod est apud Ciceronem libro 2. de finibus bonorum et malorum, uitiosum esse in diuidendo, partem in genere numerare. Quid?

re. Quid? quòd dialecticorum præceptum est, partes diuisionis cuiusq; eiusmodi esse debere, ut ne de pluribus dici queant, quàm ipsum illud quod diuiditur. Merito igitur pro suo iure Rodol. lib. 2. cap. 7. suggillat Iurcconsultos, & in his cum primis Vlpianum, quod ius priuatum, in naturale, & gentium, & ciuile diuiserint, cum tamen ea diuisio non magis priuati sit iuris quàm publici. Circuimus ipsam differentiam alterius negatióne.) Laurentius Valla lib. 2. dialectices cap. 32. Vndecunq; datur arcessimus.) Valla lib. 1. dialect. cap. 3. & 7. Regula ... diuisionis

Aptißima per quam diuiditur est forma.) Salustius: Sed omnis nostra uis in animo & corpore sita est: animi imperio, corporis seruitio magis utimur: alterum nobis est cum dijs, alterum nobis commune cum belluis est. Et D. Paulus in priore ad Corinth. cap. 2. Hominem diuidit in partes treis, carnem, animam, spiritum. Et rursus 1. Thessal. 5. Ex tempore est.) Huius generis est illud: Animalium quædam melius noctu q̃ interdiu uident, quædam cõtrà.

Quidam silentio latent.) Plautus in Captiuis: Vt sæpe summa ingenia in occulto latent.

Populares.) Cic. in oratione pro P. Sextio. Ex loco est.) Plautus: Tres unam pereunt adolescentes mulierem: Rure unus, alter urbe, peregre tertius. Formicam imitatur.) Prouerbiorum sexto: Vade ad formicam ô piger. D. Hieronymus in uita Malchi captiui monachi: Aspicio formicarum gregem ferre maiora onera quàm corpora. Philip. Melanthon Declamatione quæ inscribitur, Formica. Similis est muscis.) Lucianus in encomio muscæ. D. Erasm. adagio: Muscæ. Homerus Iliad. π. Et per actus fit diuisio.) Seneca lib. 3. naturalium quæstionum: Aut stant omnes aquæ, aut fluunt, aut colliguntur, aut uarias habent uenas. August. lib. 1. contra Cresconium grammaticum, cap. 23. Cum eadem luce, & sani oculi perfunduntur & saucij, istis adiumentum est, illis tormentum. Idem cibus alijs ualetudines alit, alios lædit. Idem medicamentum hos curat, illos debilitat. Eadem arma alios muniunt, alios impediunt. Eadem uestis, alijs tegumento est, alijs implicamento. Sic & baptismus alijs ualet ad regnum, alijs ad iudicium. Prouerbior. 11. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt, alij ui rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Plutarchus in commentario: Quo pacto quis deprehendat se profecisse in uirtute: In philosophiæ studio ceu per metamorphosin quandam quidam uelut aues facti, conferunt se ad contemplationem naturæ, quidam ceu catellæ ad rixas ceu morsus sophismatum & quæstiuncularum. Animalium aliud est sanum, aliud ægrum. Huc uidetur pertinere diuisio subiecti in propria: ut, animalium aliud est risibile, aliud hinnibile, aliud rudibile. Nisi fortè malimus huiusmodi diuisiones reducere ad diuisionem generis in species, eò quòd pro differentijs subinde uti soleamus proprijs. Ab adiacentibus.) Prouerb. 13. Diuites quidam sunt, tametsi nihil habeant: pauperes alij sunt, tametsi magnas opes habeant. Iob 21. Iste moritur robustus, & sanus, diues & felix. Viscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur. Alius uerò moritur in amaritudine animæ absq; ullis opibus. Necesse est enim ut quicquid diuiditur.) Si per hanc rationem excludentur à diuidendi ratione opposita & differentia, reijcienda erunt effecta & efficientia, item locus & tempus. Nihil enim potest prædicari de his rebus, quæ per ipsum fiunt, aut per quas fit. Domus enim, & statuæ, uestis, uas, & id genus reliqua, hominis effecta sunt: non potest tamen de horum aliquo prædicari. Sic animal omne generatur, aut à parente, aut aliò antè genito animali, aut calore cœlesti putrem materiam uiuificante, aut aliquo occultiorum syderum influxu, & cæca (ut ait Plinius) origine. De nullo tamen horum efficientium dicitur animal, quare neq; per hoc diuidi debebit. Idem de diuisione quæ à fine ducitur, aut à destinatis, dici poterit. Coniugij enim finis sunt liberi, aut uitæ commoditas, aut sæpe dotis spes

de nub

de nullo tamen horum dicitur coniugium. Sanè si tam angustam diuidendi rationem præscriberet hic autor, ut nihil uellet nos adferre in dictas diuisiones præter nuda uocabula, effectuum, efficientium, locorum, aut temporum: essent tunc excludēda: sed cum permittat nobis ista in alia nomina commutare, aut complexu plurium uerborum exprimere, per quem diuisi ad membra ipsum diuidentia significetur cognatio: potest & per hæc fieri diuisio. Id quia in repugnantibus, & differentibus fieri non potest, merito in diuidendi ratione semota sunt.

Vt Taurum diuiderent.) De monte Tauro lege Plinium 27. cap. lib. 5. natu. histo. Strabonem lib. 16. Solinum cap. 5. Dummodo uniuersam eius quod diuiditur.) M. Tullius in 1. offic. lib. Vitiosissimum est in diuisione quicquam præterire. Partitione.) Fab. Quintil. lib. 4. cap. 5. Enumeratione.) Hanc lib. 3. cap. 5. uocat Dinumerationem. Et reliqua quæ in immensum.) Cicc. pro P. Sylla: Ego consul, &c. Rodol. lib. 3. cap. 11. ubi ostendit uirtutem Ciceroni remp. tractanti, aptissimam esse. Quamuis, id est, quamlibet, siue quantumlibet. Plautus Epidico: Quamuis malam rem quæras, ilico reperias. Artifice labore.) Vergilius: Labor omnia uincit Improbus, & diris urgens in rebus egestas. Vide adagium: Paupertas sapientiam sortita est.

EXEMPLA.

Homerus: ἰλιαδ. ν. ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἑλέσθαι·
ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήια ἔργα,
ἄλλῳ δ' ὀρχηστὺν ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν,
ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεύς.

Id est, Neq; enim fas est, ut unusquilibet uniuersa pariter ferat. Alij enim Deus tribuit bellicam laudem: Alij saltationem, cytharam & cantum, alij sanam mentem solersq; pectus. Διογένης ἐρωτηθεὶς τί τῶν θηρίων κάκιστα βλάπτει ἔφη, τῶν μὲν ἀγροίκων συκοφάντης, τῶν δὲ ἡμέρων κόλαξ. Diogenes interrogatus ecquæ feræ omnium maxime læderent: Ex agrestibus, inquit, sycophanta, ex domesticis autem adulator. Celsus in 3. Ex phreneticis alij hilares, alij tristes sunt, alij facilius continentur, & intra uerba desipiunt, alij consurgunt, & uiolenter quædam manu faciunt. Sit hoc primum exemplum. Cicero lib. epist. famil. 9. ad Papyrium Pætum: Video igitur nihil esse nisi ineptias, turpitudinem nec in uerbo esse, nec in re, ita nusquam esse. Ouid. de remedio amoris: Poma dat autumnus, formosa est messibus æstas, Ver præbet flores, igne leuatur hyems. Ecclesi. 7. Est enim amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis. Est & amicus qui conuertitur ad inimicitiam: et est amicus, qui odium & rixam & conuicia denudabit. Est autem amicus socius mensæ: et non permanebit in die necessitatis. D. Hierony. ad Paulam Vrbicam de interpretatione Alphabeti Hebraici: Quomodo philosophi solent disputationes suas in physicam, Ethicam, Logicamq; partiri, ita & eloquia diuina: aut de natura disputare, ut in Genesi & in Ecclesiaste: aut de moribus, ut in Prouerbijs, & in omnibus sparsim libris: aut de Logica, pro qua nostri rhetoricen sibi uendicant, ut in Cantico canticorum, & in euangelijs, licet Apostolus sæpe proponat, assumat, confirmet, atq; concludat, quæ propriè artis dialecticæ sunt. Cic. pro Cluentio Habito: Animaduerti iudices omnem accusationem in duas diuisam esse partes, &c. Isocrates in oratione de pace, à diuisione orsus est. Philosophia in treis partes est distributa, in naturæ obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in uitam atq; mores. Cice. lib. 1. de orat. Idem de diuinatione: Aliæ ægrotorum partes quæ acuta ingenia gignant, aliæ quæ retusa. Varro de re rust. Alia enim

loca

loca apposita sunt ad fœnum, alia ad frumentum. Arborum aliæ tarde crescunt, aliæ celeriter. Plinius libro septimo: Omnis lex aut præcipit, aut uetat, aut permittit: talis est diuisio apud Fabium de statibus. Arborum aliæ gaudent montibus, aliæ uallibus, aliæ siccis locis, aliæ riguis, & aquosis. Indicat Aristoteles treis esse res, quæ dicenti fidem conciliant: φρόνησιν, ἀρετὴν, καὶ εὔνοιαν, id est prudentiam, uirtutem, & beneuolentiam. Erasmus libro secundo Ecclesiastæ: Quatuor autem præcipua sunt ad dicendi facilitatem consequendam accommoda: Natura, ars, imitatio siue exemplum, & usus siue exercitatio. Seneca in epistolis: Quædam ingenia facilia & expedita, quædam manu (ut aiunt) arcenda, id est, arte, curaque formanda. Vinum alios hebetiores reddit, alios acutiores, alios elingues facit, alios loquaculos pro corporum habitu. Plinius: Terrarum orbis uniuersus in treis diuiditur partes: Europam, Asiam, Aphricam, capite octuagesimo nono. Lege scholia nostra in priorem Copiæ commentarium capite sexagesimo tertio. Vsquequo claudicatis in duas partes? Si dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum. tertio Regum decimo octauo. Lactantius libro quarto de uera sapientia, capite 30. Fuerunt quidam eorum uel minus stabilita fide, uel minus docti, uel minus cauti, qui dissidium fecerunt unitatis, & ecclesiam dissiparunt.

De proprio. Cap. VIII.



ARistoteles proprium uocauit, quicquid omni & soli inesset & semper. Vt sit homini proprium, natum esse ridere. Omni enim inest homini, & soli inest, & semper homo natus est ridere. Diuisitq; in definitionem, & id quod communi nomine (quoniam aliud non suppetebat) proprium dixit. Eodemq; proprij nomine complexus est differentiam. Sane differentia, quod ipsum nomen præ se fert, dicetur commodius, quoties generi quod diuidit comparatur. Rationali enim & irrationali, animal ab animali differt. Aut quoties species cui definiendæ adhibetur, reliquis confertur speciebus ab illa differentibus. Suæ enim speciei comparata, cuius substantiæ pars est, rectius proprium dicitur, quàm differentia. Nec ego istud sic accipi uelim, tanquam idem putem esse differentiam, & id quod propriam uocamus passionem (quæ quid sit, & quo pacto à differentia distet, persequi non nostri est instituti, nec enim satis de eo conuenit omnibus) sed ut ostendam placere mihi, in præsentia dici proprium, quo pacto Aristoteles uoluit, quicquid de eo cui id proprium esse uolumus, conuersim dicitur: ut quemadmodum dico, omnis homo est capax disciplinæ, sic dicam, omne capax di-

ſciplinæ eſt homo: & ſicut omnis uirtus eſt expetenda, ſic omne expetendum eſt uirtus. Porphyrius in Iſagoge quadrupliciter dixit proprium dici. Quandoque enim quod ſoli ineſt & non omni, ut nautam eſſe uel muſicum, homini: nihil enim præter hominem dici poteſt nauta uel muſicus: nec omnis tamen homo nauta uel muſicus dicitur. Quandoque quod ineſt omni & non ſoli: ut uiuere omni ineſt homini, ſed non ſoli, nam & omnia animalia & plantæ uiuere dicuntur. Tertio, quod ineſt omni, ſoli, ſed non ſemper: ut caluescere homini, quod non niſi ſenio contingit. Quarto quod omni, ſoli & ſemper ineſt, ut erudibilem eſſe homini: de ſolo enim homine, & de omni, & ſemper dicitur, idqúe uere eſt & exacte proprium, quo modo & nos hoc loco accipi proprium uolumus. Quoniam autem (ut prædiximus) in reddenda ſua cuique rei differentia laboramus, propriam fere paſſionem, quam uulgo proprij ſignificamus nomine, quoniam differentiæ nomen uſus à proprio ſecreuit, eam in locum differentiæ ſubdimus: & eam quoque ſi pro arbitrio & ubicunq; res poſceret, paratam & ad manum haberemús, eſſet qualecunque quidem, ſed aliquid tamen: minus enim in definiendis diſtinguendíſque fluctuaremus rebus. Nunc pro differentia ponimus proprium, neque Id unum, aut ſatis firmum, aut certum, ſed ſæpe ex multis collectum, & tum quoque ambiguum, & anceps. Notum eſt quid Platoni acciderit, qui cum diligenter hominis proprium reddidiſſe uideretur, bipedem eſſe & implumem, & definiret hominem eſſe animal bipes implume, Diogenes Cynicus gallinaceum, cui dempſerat plumas, in auditorium illius proijciens: hic eſt (inquit) homo Platonis. Ergo (ut dicimus) nobis proprium cui hunc locum tribuimus, ſit illud, quod quarta huius nominis ſignificatione Porphyrius poſuit. Idq́; ſiue differentia ſit, ſiue paſſio, uel ſuis poſita nominibus, uel dicendi circuitu explicata, non multum referet. Reliqua quę alijs proprij modis comprehenſa ſunt, inter adiacentia aut actus numerabuntur.

IN CAPVT VIII.

ARiſtoteles proprium uocauit.) Vall. libro dialect. primo, capite uiceſimo. Porphyrius in Iſagoge, Ariſtoteles in quinto τοπικῶν quadrifariam etiam diuidit proprium,

prium, sed alia ratione quàm Porphyrius: Proprium, inquit, aliud est per se, aliud ad alterum, aliud est semper proprium, aliud proprium aliquando. Per se proprium uocat, quod separat suum subiectum ab omni alio, ut susceptibile disciplinæ, & loqui posse, est hominis proprium: Hinnibile, equi. Ad alterum est, quod separat rem à quibusdam, ut bipes est proprium, si ad equum & asinum, & reliqua quadrupedia conferatur. Semper proprium est, quod subiectum omni tempore ab omni alio diuerso distinguit, ut compositum esse ex corpore & uita, animalis proprium aliquando, quod solum aliquo tempore subiectum ab altero distinguit, ut ambulare in foro, esse in Lycæo. Sed hoc ultimum inter accidentia numerandum est. Vt caluescere homini quod non nisi senio contingit.) Atqui nulli non notissimus est uersus ille cum primis elegans, partim ab Hesiodo, partim ab Homero, idq; non uno loco adductus:

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.

His illud, ut nihil ad Bacchum faciens, adijcere ridiculum putarem: nisi in eo passim uulgo dubitaretur creberrime, quod prodidit Aelius Spartianus de Antonio Geta: Familiare, inquit, illi fuit has quæstiones Grammaticis proponere: ut dicerent singula animalia quam uocem emitterent, uelut agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, ursi sæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt, easque de ueteribus approbare. Et id quod propriam uocamus passionem.) Non enim nego plurimum interesse inter ueram differentiam, & propriam passionem: cæterum in præsentia nos ita (inquit) proprij uocabulo utemur, quasi nihil aut fere nihil discriminis inter proprium & differentiam sit. Et plantæ uiuere dicuntur.) Aristoteles libro tertio de anima, & Themistius in commentarijs in eundem capite uicesimoseptimo. Augustinus libro ciuitatis diuinæ octauo, capite sexto: & idem libro primo de doctrina Christiana. Cæterum Laurentius Valla putat id esse ridiculum. Atqui deridens alios, non inderisus abiuit. Quoniam differentiæ nomen usus à proprio.) Differentia, est propria & essentialis rei nota, qua secundum substantiam suam ab alijs distinguitur rebus. Substantiam hic uocant rei cuiusque essentiam, siue ea reuera substantia sit, siue quantitas, siue qualitas, siue relatio. Diogenes Cynicus.) Laërtius in uita Diogenis: Narratur & illud uix credibile. Plato sic definierat hominem: Homo est animal bipes absq; pennis. Ei definitioni quum discipuli Platonis applauderent: Diogenes gallum gallinaceum pennis ac plumis nudatum produxit in scholam: En inquiens, hic est homo Platonis. Itaque definitioni adiectum est, latis unguibus, quòd aues eiusmodi non habent. Quum Zenon in schola disserens, acutissimis rationibus probaret nullum esse motum, nec esse posse: Diogenes surgens, cœpit inambulare. Id admiratus Zenon, Quid, inquit, agis Diogenes? Confuto, inquit, tuas rationes. Taxans interim inanem ingenij ostentationem. Platonis Ideas, id est, formas risit & Aristoteles. Quodam igitur tempore quum Plato multa de Ideis dissereret, & rem confictam confictis uocabulis explicare conaretur, subinde in ore habens mensitates et cyathitates, per quas uoces intelligebat species mensæ & cyathi: Diogenes irridens subtiles nugas, Mensam, inquit, ac cyathum uideo, mensitatem & cyathitatem non uideo. Tametsi sunt & hodie, qui Sorteitatibus & echeitatibus sibi uidentur acuti.

EXEMPLA.

Diogenes quodam die quum populus theatrum egrederetur, ipse aduersus populum nitens ingrediebatur. Interrogatus quur id faceret: Hoc, inquit, in omni uita facere studeo. Sentiens hoc esse proprium philosophi, in omnibus actionibus quàm maxime à multitudine dissidere, propterea quod uulgus hominum cupiditatibus agitur non ratione. Cicero in paradoxis: Tum cum tibi deus siue mater (ut ita dicam) rerum omnium natura dederit animum, quo nihil est præstantius, sic te ipse abijcies atq; prosternes, ut nihil inter te atque quadrupedem aliquid putes interesse. Seneca libro secundo ad Serenum capite decimoquarto: Non respicit quid homines turpe iudicent aut miserum, non it qua populus, sed ut sydera contrarium mundo iter intendit: Ita hic (sapiens) aduersus opinionem omnium uadit. Seneca epistola quadragesima: Quemadmodum qui per procliue currentium, non ubi uisum est, gradus sistitur, sed incitato corporis pondere se rapit, ac longius quàm uoluit fertur: Sic ista dicendi celeritas, nec in sua potestate est, nec satis decora philosophiæ, quæ ponere debet uerba, non proijcere, & pedetentim procedere. Sectis semper peculiare fuit, ut reges & principes per adulationem ad se traherent. Hieronymus libro primo aduersus Pelagianos: Frustra seruis dei blanditias & dulcedines reseruasti, cum hoc proprie hæreticorum sit & eorum qui decipere cupiunt audientes, dicente Apostolo: Huiusmodi enim Christo domino nostro non seruiunt, sed suo uentri. Et per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Rodolphus libro primo, capite primo: Quòd si est signum rerum, quas is qui dicit, animo complectitur, oratio: liquet hoc esse proprium opus ipsius, ut ostendat id atq; explicet, cui significando destinatur.

De toto & partibus. Cap. IX.



TOtum & partes sequuntur, quorum nonnunquã cum genere & specie confunduntur nomina, ut genus totum, species partes uocemus, & diuisionem, partitionémque inuicem alteram pro altera accipiamus. Sed iam quid inter res intersit quærenti, etiam ipsa distinguenda sunt nomina. Et simile fortasse quiddam habent, quemad modum genus species suas comprehendit, ita totum intra se partes suas complectitur. Sed hoc differunt, quemadmodũ genus ad constituendam singularum specierum substantiam adsit oportet, sic totum non singularum partium substantiam constituit. Plerꝗ; enim, ut interierit totum, permanere tamẽ possunt. Et contrà, quemadmodum ad conficiendam totius substantiam, unamquanq; partium est adhiberi necesse: sic ad explendam generis substantiam, non utique unamquanq; speciem adesse natura illius exposcit. Præter hoc quoque, genus de speciebus suis affirmatur, totum de partibus nequaꝗ̃. Quanquam enim & carnis partes, carnem: & ligni, lignum esse dicamus, non tamen uel ea caro, uel id lignum sunt, cuius sunt partes.

Acute

Acute itaque, ut omnia, & breuiter Quintilianus ista distinxit, ita definiens, Diuisio est plurium rerum in singulas: partitio, singularum in partes discretio.

Partium autem & proinde totius etiam non una est ratio. Quædam pertinent ad substantiam: Quædam ex quantitate nomen habent: Quædam uirtutis sunt atq; efficaciæ cuiusdam. Substātiæ sunt, ut paries, domus est pars, ligna nauis. Quātitatis, ut in ijs quæ extensa sunt, pedale, bipedale, tripedale, dicimus decempedalis rei partes: & in tempore, præteritum, instans, futurum: & in numeris, denarij sunt partes, unum, duo, tria, quatuor. Virtutis autem sunt partes, quemadmodum dicimus plus roboris Achilli fuisse quàm Aiaci, & duplo plus luminis soli esse quàm lunæ. Sic quoque animæ quatuor partes facimus, uiuificandi, sentiendi, mouēdi, & intelligendi. Eæ uero quæ substantiæ sunt partes, aliæ de proximo substantiam constituunt, ut sunt materia & forma, qualia sunt in homine corpus & animus, in arbore uita & lignum: quarum huiusmodi conditio est, ut si qua partium desit, non esse res, non tueri nomen suum possit. Aliæ ad integritatem rei explendam pertinent, quarū nonnullæ deesse rei queant, ut non intercidat, ut pedes, manus, caput, hominis sunt partes: nam pedes aut manus deesse homini possunt: ut quanquam uel mutilus uel mancus, homo tamen sit & dicatur. Atque eæ quidem, ut breuiter dicatur, constitutæ ei sunt partes, illæ constituendæ. Est & alia quædam partium differentia, quòd hæ quidem eiusdem sunt generis, quas ὁμογενῆς Græci uocant, nos cognatas dicere possumus. Vt partes ligni omnes sunt lignum, partes lapidis lapis. Hæ rursus, ἑτερογενῆς, hoc est (ut ita dicamus) multigenæ, quæ non in idem genus ueniunt: ut partes domus, ligna & lapides, non sunt domus: partes hominis, carnes, nerui, ossa, quæq; sunt istis similes, non sunt homo. Sed de materia & forma, quia hæ uel maxime omnium præcipuæ sunt partes, exactius explicare ad physicū pertinuerit: nos satis habebimus, quoniam crebro per os redit mentio earum, quomodocunq; datur, pingui (quod aiunt) Minerua ipsas indicare. Materia ergo est subiectum ex quo aliquid generatur primū, & in quod corrumpitur ultimum. Itaq; ipsa nec generari potest, nec corrumpi. Forma est modus quidam materiæ, quo sibi contingit, materia forma

 ut huius

ut huius uel illius speciei capiat nomẽ. Volenti igitur scire cuiusmo di res sit materia, hoc pacto proximum fuerit rimari. Demus in exemplum hominẽ. Semoueamus intellectu animam. Facile id quidem est, quod quotidianæ nos mortis conspectus docet. Difficiliora sunt quæ sequuntur. Separemus tamen intellectu omnem colorem, deinde omnem habitudinem corporis, ut est calor, frigus, durum, molle, & reliqua id genus. Deinde figuram, ut quod diductos habeat pedes, quod distentus in brachia est, quod in caput erectus. Postremo omnem magnitudinis modum mensuramq́ demamus. Id quod iam reliqui habemus, materia est. Dices fortasse, nihil uideo relictum, neq; tale quicquam concipere possum animo, quod omnibus istis priuatum sit. Dabo ut cõcipi possit. Est uidere in monumentis operosius extructis, in quibus conditum sit corpus aliquod, tãdem temporis diuturnitate nihil præter pulueres terramq́ remanere: & hoc idem quod homo fuit (ut loquimur) terra est. Certumq́ est quiddam ibi esse, quod antè humanitatis habuit in se speciem: idq́ ipsum terræ iam faciem habere, & posse ipsum postea quandoq;, uel igne excoctum in lapidem durescere, uel in herbas excultum uirescere, uel aliam quamuis naturæ formam accipere. Vides item non colorem, non figuram, non ullam habitudinẽ corporis, quæ conspici tangiue possit, eandem, quam prius esse. Ergo perpetuum illud, quod prius homo, postea terra est, in aperto est, nihil esse eorum quæ tangi cerniue possunt, cum hoc mãserit, illa cuncta interciderint. Solidum itaq; illud & omnibus iactationibus permutationibusq́ rerum naturæ expositum, ipsum immutatum manens, est materia uera illa & quam primam uocant. Quòd uero carnem & ossa hominis uocamus mat[illegible]ã, & lapides ac ligna, domus: similitudine quadam dicimus. At forma est in hoc assumpto corpore, quemadmodum cum homo fuit, anima (ex ea enim habuit, quod homo erat) ita iam cum mutatum est in terrã, id à quo habet quod terra est. Sic & si deinde solidetur in lapidem, id quo lapis est: si in aquam diluatur, id quo aqua erit, erit & forma ipsius. Cerni ista nõ possunt, concipi tamen posse, non quidem qualia sunt, sed quòd aliquid sint, in perspecto est, & materiam semper manere, formam uero aliam alia fluctuum in morem continenter propelli, & nouam

ab ipsa

ab ipsa rebus subinde faciē afferre. Dicitur & aliter materia, id quod negotio alicui propositum est, circa quod laboret, ut materiam infamiæ dicimus impudicitiam, sic & uirtutem materiam laudis: & curarum materiam, & libri, & studiorum dicimus. Sed nos quoque ne nimis longo materiæ tractatu, fastidio materiam præbeamus pergemus ad reliqua.

IN CAPVT IX.

VT genus totum, species partes uocemus.) Illud haud indignum quod admoneatur: hanc rem diligenter annotasse D. Augustinum in opere de doctrina Christiana lib. 3. in 4. Ticonij regula. Iulius Paulus in L. Recte ff. De uerb. signifi partē appellat speciē. Negat enim usumfructum dominij partem esse, quum tamen sit ipsissima eius pars, uoluit autem dicere non esse dominij speciem. Sic itidem Iustinianus in § Plebs. instit. de Iu. natu. Gen. & ciui. genus appellat totum, & speciem partem. Idem quoq; quum sæpe aliâs, tum maxime lib de Oratore accidit Ciceroni. Et ligni lignum esse dicamus.) Quòd lignum prædicetur de partibus ligni, id non fit quatenus totum est, sed quatenus genus: si enim accipias lignum decempedale, dicasq; huius partem aliquam lignum esse, certissimum est partem illam non esse speciem ad lignum cuius pars est, nempe decempedalis. Diuisio, est plurium rerum in singulas &c.) Infra lib. 5. cap. 5. Quintilianus ista.) Ea tametsi difficile non sit alterum ab altero secernere, si quis ad finitionem tanquam ad gnomonem & regulam unumquodque norit applicare: tamen quô faciam satis etiam imperitioribus, haud grauabor rudius, & pinguiore (quod aiunt) Mineruа, rem explicare. Cicero in Topicis: Atq; etiam definitiones, aliæ sunt partitionum, aliæ diuisionum. Partitionum, cum res ea quæ proposita est, quasi in membra discerpitur, ut si quis ius ciuile dicat id esse, quod in legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iurisperitorum autoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistat. In partitione quasi membra sunt, ut corporis caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, &c. In diuisione formæ sunt, quas Græci ειδας uocant, nostri, si qui hæc fortè tractant, species appellant, non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Constitutæ rei sunt partes illæ constituendæ.) Partes rei cōstituendæ sunt, quibus ablatis, res etiam ipsa esse desinit, ac nomen suum amittit, ut si corpus tollas ab homine. Partes rei constitutæ, quibus subtractis, læditur quidem res, at neq; tamen omnino esse desinit, neq; nomen suum amittit. Vt fundamentum, tectum, parietes, in domo. Sed de materia & forma.) Cicero primo lib. de finib. bo. & mal. In rerum natura duo quærenda sunt, unum quæ materia sit, ex quo quæq; res efficiantur, alterum quæ uis sit, quæ quidq; efficiat. Materia ergo est subiectum) Materia ab Aristotele primo lib. de naturalibus principijs dicitur subiectum uniuscuiusq; primum ex quo quippiam fiat, minime ex accidenti, uel si corrumpatur quippiam, in quod tanquam ultimum resoluatur, ex quo fiunt, quæcunq; fiunt, & in quod ea ipsa corrumpantur. Hæc ille. Vide Ioannem Franciscum Picum Mirand. de appetitu primæ materiæ lib. 1. Quāto planius ac fortasse melius Aristotele Rodolphus. Erasmus Rot. lib Eccles. 2. Item nulla res est quæ non constet his duobus, materia & forma. Materia, quæ ueluti receptaculum est omnium formarum: forma, qua efficit ut hoc sit, nō aliud, uelut anima rationalis, dat humano corpori ut sit homo, & ipsa anima quoniam substantia est, habet suam formam in-

partes ... forma ... partit ...

mam innominatam per quam anima est, non angelus. Quid sit autem materia, docet Seneca lib. 20. Epistolarum epistola 66. Materia pene nulla res est, ut testis est Augustinus lib. Confess. 12. Rursus de materia uide eundem contra Faustum lib. 20. cap. 14. & contra eundem lib. 22. cap. 4. Græci autem ὕλην uocant quandam rerum materiam, nullo modo formatam, sed corporalium formarũ capacem. Vide Vallam lib. primo dialect. cap. 11. Quemadmodum ex eodem luto licet fingere animantia, ac rursum confundere, atq; continenter aliud ex alio facere: Sic natura ex eadem materia genuit maiores nostros, his extinctis, nos deinde alios atq; alios. Plutarchus in παραμυθικῷ πρὸς Ἀπολλώνιον. Dicitur & aliter materia.) Horatius in arte: Publica materies priuati iuris erit. Forma est modus quidam.) Forma ab afformando secernendoq; & interstinguendo, quanquam à μορφὴ Græco nomine per metathesim deriuauere nonnulli. Species autem à spectando uidetur deducta, sed siue hoc, siue illud mauis, ab efficiendo operandoq; noticiam sui longe lateq; diffundit. Eadem ratio nuncupata est, quòd ex ea (ut proditur à quibusdam) uera sumitur definitio. Rei etiam imago dicta est, & exemplar, & Græco uocabulo εἶδος: id autem est dicere species, sicut μορφὴ forma. Hæc Ioannes Franciscus Picus. Formam essentialem Aristoteles aliquando uocat μορφὴν, aliquando εἶδος, aliquando ἐντελέχειαν, quanquam μορφὴν interdum usurpat pro forma accidentali. Forma est.) Sapientiæ. 3. Si autem & aliquis lignator faber cum rectam arborem secuerit, docte circumrasit omnem eius corticem, & arte usus decore præparauerit utile uas in ministerium uitæ, & quæ sequũtur. Vide itẽ Esaiæ cap. 44. Formam uero aliam alia fluctuum in morem.) Vt ex alto undarum iactus, alijs atq; alijs superuenĩetibus in litoris extrema franguntur: ita in aliam atq; aliam faciem manente semper materia, succidiuæ alliduntur atq; uariantur formæ.

EXEMPLA.

Lucanus lib. 2. Auulsæ cecidere manus, exectaq; lingua Palpitat, & multo uacuum ferit aëra motu. Hic aures, alius spiramina naris aduncæ Amputat, ille canis euoluit naribus orbes. Iuuenalis Satyra 10. Circumfulsit agmine facto Morborum omne genus: Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos Perdidit ille oculos. Hieronymus in epistola ad Paulum Concordiensem: Ecce iam centenus ætatis circulus uoluitur, & tu semper præcepta domini custodiens, futuræ beatitudinem uitæ per præsentia exempla meditaris. Oculi puro lumine uigent, pedes imprimunt certa uestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, uox sonora, corpus solidum, & succi plenum, cani cum rubore discrepant, uires cum ætate dissentiũt. Non memoriæ tenacitatem (ut in plerisq; cernimus) antiquior senecta dissoluit, nõ calidi acumen ingenij frigidus sanguis obtundit. Non contractam rugis faciem arata frons asperat. Non denique tremula manus per curuos ceræ tramites errantem stilum ducit. Futuræ nobis resurrectionis uirorem in te dominus ostendit. Præcipuam utilitatem afferet, si eos quibus à ueteratoribus impositum est admoneas omniq; studio reducas. Quòd si mordicus pergant tueri errorem, seuerius obiurgandi sunt atq; publicitus in frontem coarguendi, quo cæteri timorem inde concipiant. Hac si nihil queat profici, puniendi sunt damnis pecuniarijs, carcere, media. Tum feriendi anathemate, ut pudore correcti, ad mẽtem redeant tandem. Quòd si omnibus frustra tentatis infracta illorum pertinacia retundi nequeat, sed castiganti ecclesiæ infamem digitum (quod aiunt) ostendant: tum demum afficiendi sunt morte, ne non resecto membro insanabili, malum latius serpat. Quæ est enim ciuitas? Omnis ne conuentus etiam ferorum & immanium? omnis ne etiam fugitiuorum ac latronum congregata unum in locum

in locum multitudo? certè negabis. Non igitur erat illa tum ciuitas, cum leges in ea nihil ualebant, cum iudicia iacebant, cum mos patrius occiderat, cũ ferro pulsis magistratibus, Senatus nomen in Rep. non erat. Prædonum ille cõcursus, & te duce latrocinium in foro constitutum, & reliquiæ coniurationis à Catilinæ furijs ad tuum scelus furoremq; cõuersæ, num ciuitas erat? Itaq; pulsus ego ciuitate non sum, quæ nulla erat, accersitus in ciuitatem sum, cum & esset in rep. consul, qui tum nullus fuerat, essetq; senatus, qui tum occiderat, esset consensus populi liberi, esset iuris & æqtatis (quæ uincula sunt ciuitatis) repetita memoria. Nullũ est ius scriptũ, quod ille non ad unguẽ perdidicerit, & ita perdidicerit, ut in unoquolibet laborasse uideatur: adeo mire plebiscitorum omnium omnes uarietates tenet: adeò singulis senatusconsultorum secretis abundat: adeo diuersa principum placita excußit: adeo arcana magistratuum edicta peruestigauit: adeò deniq; abdita prudentum responsa penetrauit. Lepide accurauit satisdationem, tuitionem, administrationem, & rationis redditionem: Meritò igitur censendus est tutelam omnem probe exhibuisse. Habet imperium, exercet patriam potestatem, & fungitur dominio: habet igitur potestatem. Poßidet aurum, argẽtum, ferrũ, plumbũ, &c. habet ergo metallũ. Fideliter administrat munera ciuilia siue publica, igitur & personalia, patrimoniorum, & mista. Paries est meus, fundamentum meum, tectum meum, reliquæq; partes meæ sunt: ergo domus mea est. Pau. ad Corinth. 1. Obsecro autẽ uos fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, ut idem loquamini omnes, & nõ sint inter uos dißidia, sed sitis integrum corpus eadem mente, eadem sententia. Damnum, uincula, uerbera, talionem, ignominiã, exilium, seruitutem, mortem deniq; perpessus est. Igitur omnia genera pœnarum in legibus statuta. August. de ciuita. Dei 21. cap. 11. Terent. Heauto. Quid reliqui est, quin habet, quæ quidem in homine dicuntur bona, parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias. Boetius colligit res humanas prouidentia regi, ex cõsideratione totius: mundus, inquit, prudentia regitur, & res humanæ sunt pars mũdi, igitur res humanæ prudentia reguntur. Rursum ex consideratiõe omniũ partium ostendit medicinam esse utilem: Morbos, inquit, depelli, salutem seruari, mederiq; uulneribus utile est, igitur medicina est utilis. Ex his enim constat & integratur medicina. Chrysost. in Euang. Mat. ex cap. 8. homilia 28. Vbi non oculi, non manus, non pedes, non alia membra suis officijs funguntur, quomodo hunc hominem putabis, præsertim cũ anima etiam eius peccatorum fœditate obruta idolum magis quàm anima esse uideatur? Erasmus lib. 2. Ecclesiastæ: Vbi non est monarchia, nec democratia, nec aristocratia, nec oligarchia, ibi non est ciuitas. Item: Si Deus nec loco mouetur, nec generatur, nec corrumpitur, nec alteratur, constat omnino non moueri.

De coniugatis. Cap. X.

LOcorum qui in substantia sunt, postremus sunt cõiugata, quæ nomen istud acceperunt, quòd ipsa uocis similitudine sub unum sunt iugum deuincta, ut est sub sapientia sapiẽs & sapere, & sub iustitia iustus & iusta. Aristoteles istis addidit quæ casus uocauit. Vt sint uerbi causa, cõiugata ea, quæ cum eo conferuntur, ex quo primũ denominantur: quẽadmodũ diximus. Casus uero ea, quæ à primo illo decidẽtia deriuataq;, cũ eo ipso cõponuntur, ut sapiens & sapienter, iustusq; & iuste, for-

tis fortiter. Nos Ciceronē secuti, quādo tenui admodū limite discreta sunt ista, cōiugata in cōmune dicemus: quod non incōmode fieri posse, Aristoteles ipse etiā uidetur sensisse. Sunt autē nonnulla, quorū coniugata facilius in re intelligas, q̄ inuenias in nomine, ut uirtutis, ut officij, ut somni: quēadmodum enim à calore calidū, & ab industria industriū dicimus: & in quocūq; calor est, & industria, hūc calidum & industriū uocamus: sic à uirtute quod deducas nomē nō facile sit inuenire: nāq; ut à somno, somniculosum, & ab officio officiosum, sic à uirtute uirtuosum dici, latine loquēdi ratio fortasse nō permiserit. Vtq; etiā ita loquare, non tamē conueniunt nomina ista nostro instituto, nec em̄ in quocūq; somnus est somniculosum: nec qui officium quoduis faciat, officiosum: nec uirtuosum dixeris, qui unā aliquā habet uirtutē: itaq; quod ad argumenti inueniendi rationē pertinet, quærendū in talibus est nomen, quod nō idē sonet, sed idē significet: & à uirtute quidē uoces probū, à somno dormiētem, ab officio industrium. Sane loci istius non tā creber est ad argumentandum, q̄ aliorum plerorūq; usus: quando enim à proximo distant coniugata, & nō re modo, sed nomine plerunq; arctissime iunguntur: ex æquo ferè uel nota sunt utraq; uel ignota. Fitq; , ut frustra altero coniugatorum coneris aduersus eum, qui alterum auersetur: aut quisquis alterū det, de altero non dubitet. Qui enim negat, quisquis bonus uir est, eum felicē esse: difficulter illi persuaseris hac uia, quòd in bonitate sit posita felicitas: tātundē enim laboris in utrouis horū sibi approbando sumes: aut quantum assentiatur huic parti, cōsistere in bonitate felicitatem, tantum etiam eadē opera de eo, quòd omnis uir bonus felix sit, contentionis remittat. Vbi tamē res dederit ut eo uti possimus, non negligendus erit. Quandoq; enim acuminis, quandoq; uirium multum, quandoq; utrunq; habebit. Elegāter itaq; apud Terentium est: Homo sum, humani nihil alienum à me puto. Inspiciendus tamen locus & pertractandus est. Aliquid forte uel ex seipso, uel quod ad alios locos pertineat, dabit, & quod in altero coniugatorum quærentes nō inuenissemus, illius in altero nos admonebit. Vt qui potentiæ uel bona uel mala, uel si qua alia insunt perquirere uolet, facilius in nomine potentium & magis ad manum posita consequetur, eorum cum pericula, cautionem, beneuolentiam,

lentiam, inuidiam, uirtutes, scelera, honestos fœdosq́; exitus, aliaq́; huius conditionis in utranque partem spectauerit: ad definiendum quoque nonnihil profuerit. Apertius enim utcunque ex sapientis persona, & actionibus, officijsq́; peruideas, & eruas quid sit sapientia, quàm ex ipso sapientiæ nomine. Sic & amicitia quid sit, ex amicis: & anima quid sit, ex animatis: & contrà etiam, si qua uia altera horum cognita tibi fuerint, facile ad altera definienda regrediare. Eorum autem argumentorum, quæ exempla uocant rhetores, non nullorum uis ex hoc pendet loco. Nam cum dicat quis, uirtutem sufficere ad tuendam felicitatem, idq́; probet, quòd in paupertate Curius, in exilio Rutilius, in tormentis Regulus, miseri non fuerint, ista non solum ex eo capiunt uim docēdi, q̀ in omnibus ijs uirtus fuerit, quodq́; uiri boni sint habiti: sic si quis regnare malum esse confirmet, doceat'que exitu Cyri, Cambysis, Alexandri, Pyrrhi: in promptu est uidere, hic à regnandi nomine, ad reges orationem esse deflexam.

IN CAPVT DECIMVM.

QVAE nomen istud acceperunt.) Rodolph. libri huius capite secundo: *Tum etiam quæ cōiugata dicūtur, id est, quæ solo nominis deflexu distant, ut sunt sapiens & sapiētia, candidū & candor. Casus autē quoniā tenuißimo à coniugatis discrimine se cernuntur, estq́; similis & rarus proinde usus ipsorum, quoniam Cicero in coniugatis incluserit, ego excludenda non putaui.* Rodolph. huius libri capite 20. *Casus uerò ea quæ à primo illo decidentia deriuataq́; cum eo ipso componuntur.) Deprehendimus ex ipsius autographi pluriumq́; exemplarium inter ipsa collatione, sic ubique scriptum. Proinde demiror ego quid secuti quidam per febrim somnient, exemplar manu* Rodolphi *scriptum extra me unum (quod equidem sciam) à pauculis ijsq́;* Pompeio Occoni, *& mihi unice charis uisum, nedum lectum, habere hoc modo: Inter se componuntur. Cæterum deinde nesciunt, quam ob causam mutatum. Illud magis mirum, nullum tam impudens mendacium esse, ut teste careat. Atque hoc est in causa, cur locum hunc ita conentur interpretari. Videmus, inquiunt, ab uno quopiā principali alia quædam cum nomina, tum etiam aduerbia deflecti. Hæc itaque omnia inter se collata, coniugatorum nomine comprehenduntur. Nomen igitur coniugatorum latius se extendit, ut complectatur tam nomē ipsum principale, quàm ea quæ indidem deriuantur. At casus dicuntur ea tantum quæ à principali aliquo nomine deducta sunt, quatenus tamen inter se componuntur, hoc est, quadantenus secum conferuntur. Inuitus & reluctanti animo hæc annotauimus. Primum quòd in hac quidem parte non subscribo quorundam iudicio, etiamsi aliâs eruditißimis pariter ac diligentißimis libens assentiar. Deinde, quòd ego nulli detrahere ausim Hærentem capiti multa cum laude coronam. Deinde quòd* ἀνδράσι δὲ προτέροισιν ἐριζέμεν οὐκ ἐθελήσω. *Postremo quòd sciam multis lapsibus candide fauendum. Vnde ueteres iuxta* MERCVRII *statuam,*

Gratiarum item posuere. Verum cum quidam astuta malitia, malitiosa'que astutia, quo mihi autographi exemplaris eleuarent autoritatem, tragulamq́; (ut dici solet) inijcerent, publicitus subinde constanter affirmarent id legisse in autographo, quod nusquam est, ut sibi fragile falsæ choragium gloriolæ compararent, quæstuiq́; studerent: non sum passus eos diutius mendacia ad sese attrahere, ut Cecias nubes, alios'ue cogere pedibus in sententiam, imò in somnium descendere. Vide Laurentium Vallam lib. dialect. secundo cap. uigesimoprimo. Sic à uirtute uirtuosum dici.) Ab industria autem non habemus industriosus, sed industrius, nec à uirtute uirtuosus, more Græcorum, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς non deriuant ἀρετῶδ, licet id uocis habeant, uerum pro illo dicunt tum ἀγαθὸς, id est, bonus, tum σπουδαῖος, id est studiosus, Aristotele quoq; & alijs quibusdam testantibus, quod Cicero ad Herennium imitatus est dicens: Ideoq; bonis uiris & studiosis amicus erat. Lege Laurē. Val. lib. elegā. 1. cap. 23. Gellium lib. primo cap. 9. Non tam creber.) Laurent. lib. 1. dialect. cap. secundo. Quandoq; enim acuminis.) Acute itaq; Aurelius Augustinus contra Iulianum Pelagianum lib quarto cap. tertio: conuicit nullam prorsus uirtutem inesse infidelibus, sed nec posse itidem inesse, proinde Vergilium falsò suum deprædicasse Aeneam insignem pietate uirum. Quandoque uirium multum.) Cicero pro lege Manilia: Etenim si uectigalia neruos reip. esse semper duximus, eum certe ordinem qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum recte esse dicemus. Quandoq; utrunque habebit.) Plautus Amphitruone: Iustam rem & facilem esse oratum uolo. Nam iuste ab iustis, iustus sum orator datus. Nam iniusta ab iustis impetrari non decet. Iusta autem ab iniustis petere insipientia est. Apud Terentium.) Retulit quod est in ἑαυτοντιμωρουμένῳ. Hanc sententiam iugiter præcipit Seneca oportere hominem habere in pectore & ore. Vt qui potentiæ uel bona uel mala.) Aristoteles libro rhetorices secundo cap. de moribus potentium. Cautionem.) Valla dialect. lib. primo cap. decimo. Ex sapientis persona, & actionibus officijsq́;.) Sic Cicero in quarto quæst. Tuscula. definit, ecquis sit uere sapiens. Eodem recidunt quæ habet secūdo de finib. Plato in dialogo de scientia. Angelus Polit. in Lamia. Erasmus in Moria, & D. Ambrosius hoc artificio fusius explicat illud prouerbij: In bonis iustorum exaltabitur ciuitas, & in perditione impiorū erit laudatio. Quæ exēpla uocēt rhetores) Vide huius lib. cap. 24. & Aristotelē lib. rheto. 2. cap. 20. Nam cum dicat quis uirtutem sufficere ad tuendā felicitatem.) Vide secundum Ciceronis paradoxon: In quo uirtus sit, ei nihil deesse ad beate uiuendum. Vbi ostendit M. Regulum ærūnosum non fuisse, igitur nec uirtutē ærumnosam esse, & C. Marium in aduersis non succubuisse, ergo nec uirtutem ulli fortunæ succumbere. Nam & Regulus pro bono uiro, & Marius pro forti accipiuntur, quæ sunt coniugata uirtutis.

Curius.) Cicero in senect. Iuuenalis Satyra 11. Valerius li. 4. ca. 3. Rutilius.) Liuius lib. 70. ab Vrbe cond. Valerius lib 2. cap. 5 Regulus.) Liuius ab Vrbe condita lib. 18. Cicero lib. de finib. 2. Idem in Pisonem. Valerius Maximus lib. quarto cap. item 4. Aulus Gellius lib. sexto capite quarto. Cyri.) Iustinus libro secundo & in calce libri quinti.

Cambysis.) Vide Plutarchum in uita Alexandri. Alexandri.) Is teste Q. Curtio periit ueneno dato ab Iolla Antipatri filio, qui & ipse pòst successit Alexandro. Pyrrhus.) Eutropius lib. 2. Tale quiddam memoriæ proditum est de Abimelech occidente septuaginta fratres suos ob regnandi libidinem, qui & ipse postea à fœra iactu lapidis occisus est, Iudicum nono. Nonnullorum uis ex hoc pendet loco.) Exempla cum coniugatis arctissime coniuncta sunt, adeo ut hoc ferè solū intersit, quòd in coniugatis idem prope

nomen

nomen paulò deflexum repetitur, in exemplis uerò, non idem nomen, sed in eius locum aliud quiddam sufficitur, in quo eadem inesse uis intelligatur. Vt si tyrannidem periculosam esse doceas, quòd Dionysio, quòd Phalari, Tarquinijs, cæterisq; id genus principibus exitio fuerit. Hic Dionysius, Phalaris, Tarquinij, cæterisq; eiusdem turbæ principes, in tyranni locum concedunt, quod nomen si ad tyrannidem referas, coniugatum esse deprehendas.

EXEMPLA.

Plautus Curculione: Sibi sua habeant regna reges, sibi diuitias diuites. Demosthenes contra Aristogitonē: A iustitia cognomen obtinetis iudices, proinde prospicite iusta censeatis in iuditijs. Euripides in bacchis: μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει, id est, stultus stulta loquitur Ennius: Illud semper memento: Qui sibi ipse sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit. Paulus ad Romanos 8. Qui carnales sunt, quæ carnis sunt curant: at qui spirituales, quæ spiritus sunt. Terent. Adelp. Quā uos facillime agitis, quàm estis maxime potentes, dites, fortunati, nobiles: Tam maxime uos æquo animo æqua noscere oportet. Euripides: ὄντας δὲ θνητοὺς, θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεών. Id est, cum sis faber, opera haud facis fabrilia. Cice. pro lege Manil. Hoc iam ferè sic fieri solere accepimus, ut regum afflictæ fortunæ facile multorum opes alliciant ad misericordiam, maxime eorum, qui aut reges sunt, aut uiuunt in regno, ut regale ijs nomen magnum & sanctum esse uideatur. Plautus: Iustum est tuus tibi seruus tuo arbitratu seruiat. Cicero pro Milone: Viri fortis est ne supplicijs quidem moueri ut fortiter fecisse pœniteat. Quibusdam in spolijs barbarorum demirantibus pretiosas uestes: Præstiterat, inquit Pausanias, ipsos esse multi pretij q̄ possidere pretiosa. Cicero in Paradoxis: Sed si seruitus sit, sicut est, obedientia fracti animi, & abiecti, & arbitrio carētis suo, quis neget omnes leues, omnes cupides, omnes deniq; improbos esse seruos? Cice. pro M. Marcello: Nam cum ipsius uictoriæ conditione, iure, omnes uicti occidissemus, clemētiæ tuæ iuditio cōseruati sumus. Idem pro eodē: Ingratus est, iniustusq; ciuis, qui armorū periculo liberatus, animū tamē retinet armatum, ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, quàm qui in causa animam profudit. T. Liuius ab urbe cond. lib. 2. Romanus sum, inquit, cuius C. Mutium uocant, hostis hostem occidere uolui, nec ad mortem minus animi est, quàm ad cædem fuit, & facere et pati Romanum est. Quum Annibal apud Cannas felicissime pugnasset, amicis suadentibus, ut fugientem hostem insequens in urbem irrumperet, non obtemperauit. Quam rem Barcha Carthaginensis adeo indigne tulit, ut exclamarit: Vincere scis Annibal, uictoria uti nescis. T. Liuius lib. 2. decad. tertio. Hilarius libro secundo ad Constantinum: Dum per speciosum pacis nomen in unitate perfidiæ subripimus, & scripturarum uocabulo non scripta mentimur. Cyprianus de passione domini: Quis enim non timeat, si timet ille quem omnia timent, si paueat iste cui omne genu curuatur, si ille qui mors est, mortis & morsus inferni morte propinquante pertimescit. Stultus enim fatua siue stultitiam, ut habet Hebraica ueritas: loquetur, Esaiæ 32. Aristoteles: Stulū est stultas sententias accurate refellere. August. lib. 1 de ciuit. dei cap. 15. Sed quid faciemus hominibus, qui gloriātur talem se habuisse ciuem, qualem timent habere ciuitatē? Cic. lib. epistol. 7. Qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit. August. lib. 4. de libero arbitrio, cap. 10. Quid enim tam opus habens misericordia, quàm miser? Et quid tam indignum misericordia, quàm superbus miser? Si cædua sylua est, ius est cædere, aut certe in hoc habetur, ut cædatur, cæsas ab integro è stirpibus atque radicibus nascatur. Si pascua sylua est, ius est pascere, ut quæ pascuis pecorum sit destinata. Si glans caduca est, igitur ex arbore cecidit. Si testamentum est, & testatio mentis. Si publicani sunt, sunt & qui publico

fruuntur. Si institor es, par est negotijs obeundis insistas. Si municeps es, munera ciuilia capias licebit. Plau. Milite: Nam hospes nullus tam in amici hospitium diuerti potest, quin ubi triduum continuo fuerit, iam odiosus siet. Antiphanes: εἰ θνατὸς εἶ βέλτιστε, θνητὰ καὶ φρόνει. Si mortalis es, mortalia & curato. Cice. 2. de orat. Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moueri, cum Q. Metellum tam pie lugere uideatis. κενοὶ κενὰ βουλεύονται, id est, inaniũ inania consilia, καὶ κενοὶ κενὰ λογίζονται, id est, inanium inanes cogitationes. Matthæi 21. Malos male perdet. Ioan. 8. Si uos filius liberauit, tunc uere liberi estis. Menander: σοφοῦ παρ᾽ ἀνδρὸς χρὴ σοφόν τι μανθάνειν. Daniel. 12. Et impie agent impij. Iob 24. Detraxit fortes in fortitudine sua. In Calisthenem nequaquam sese accommodantem aulæ regiæ moribus, sed et dictis, & gestu præ se ferentem, nihil ibi placere, Alexander dixit hunc uersiculum:

μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Id est,

Sapientem ego odi, qui sibi sapit nihil. Porus rex ab Alexandro deuictus, quum ab eo post pugnam rogaretur dicente: Quomodo te tractabo? Regaliter ait: Rursus subijcienti Alexandro, num quid etiam aliud? Omnia, inquit Porus, complectitur hoc uerbum, regaliter.

De adiacentibus. Cap. XI.



Circa substantiam diximus esse adiacentia & actus. Adiacens uocamus modum rei inexistentem, quo aliquid aliud quàm secundum substantiæ suæ denominationem uocatur. Vt prudentia est modus quidam hominis: cum enim interroges, cuiusmodi uir sit Cato: recte respondeas, prudens. Itaq; capit ex prudentia nomen aliud quoddam quàm substantiæ suæ: neque enim Cato à substantia sua prudens, sed homo uocatur. Multiplex est hic locus, uariosq; flexus habet. In summa quidem omnia, quæ adiacent rebus, aut sensibus comprehenduntur, aut cognoscuntur intellectu. Sensu compræhenduntur, primum communia illa pluria sensuum. Multitudo, id est, numeri omnes. Magnitudo, quę tribus in rebus posita est, in longitudine, latitudine, & crassitudine. Figura, cuiusmodi est planum, iniquum, rectum, curuum, triangulum, quadrangulum, circulare, & reliqua id genus. Compręhenditur & motus: sed hic alterius loci est, ad actus enim pertinet. Deinde quæ singulorum sensuum sunt propria: Vt uisus, lucidum, obscurum, perspicuum, opacum, coloratum: auditus, sonus: gustus, sapor: olfactus, odor: tactus, calidum, frigidum, humidũ, siccum, durum, molle, asperum, lene, & reliqua quę tactu percipiuntur. Hæc sunt semina omnis nostræ scientiæ; hæc omnis humanorum ingeniorum iactatio. Ex ijs uarie coniunctis

coag-

coagmentatisq́, omnium rerum species, multitudinem, uarietatéq́ discreuimus. Itaque dubitet quis, querela ne dignius sit tam in arcto humani ingenij uim esse conclusam, an potius admiratione, quòd tam exiguis initijs, ad tantam rerum inuestigationem licet dubiam, licet incertam, ad inuestigationem tamē potuerit peruenire. Intellectu uero cōpręhenduntur, quęcunq; ex istis animus, agitatione mentis, colligit atque decerpit. Vt in magnete colorem quidem & figuram uidemus: uim qua ad se ferrum rapit, intellectu deprehēdimus. Sic in hæmatite, sic in smaragdo, alterius ruborem, alterius uirorem oculis est cognoscere; causam autem qua hic impudicitiæ impatiēs est, ille sanguinem sistit, mens sola, perspexit. Velocem esse cursum uisu quidem dijudices: uelocitatem in quiescente non nisi intellectu, uel ex cursu quem uidisti, uel ex membrorum argutia agilitatéq́ colligas. Sic robur etiam in eo qui nihil ferat, sic reliqua.

Adiacentium quædam natiua sunt, quædam parantur & accedunt. Natiua sunt, ut in igne calor, in aqua humor, in terra siccitas. Accedētia sunt, qualia in aqua calor, cum igni adhibetur: rigor, cum uehementius perfrixit: in cera liquor, cum funditur. Quæ accedunt autem, eorum quædam facile dimouentur ab eo, in quo sunt. Vt ruborem ex pudore contractum, pallorem ex metu, continuo ubi causæ desierint, etiam deficere uideas. Quædam uero difficulter auferuntur, qualia sunt, quæ uel in aliquod, quod natura capax sit eorum ueniunt, ut additus nonnullis rebus uel color uel sapor, & in nonnullis animis pauor semel acceptus, uel amor, uel odium, non nisi morte finitur, qualia etiam quæ longo usu exercitioq́ firmata uerterunt in consuetudinem, ut sunt studia & artes humanæ, ut animi motus, qui crebro repetiti, prope in naturam transeunt. Sed natiuorum, cum in omnibus rebus, tum præcipuus est in eis quæ sensus sunt expertia, locus. Qualis est uis quædā tuendi conseruandiq́ sui, tum aliud aliquid simile sibi efficiendi. Vt ignis calore, aqua se frigore tuetur, terra duritie resistit, aër liquiditate elabitur. Iam cuncta aliquid gignere simile nituntur, ut ignis ignem, aqua aquam, in herbis arboribusq́ fruges sunt, & fructus producendarum aliarum semina. Iam in lapidibus gemmisq́, iam in reliquis omnibus, quæcunque terra mariq́ nascuntur, uaria potestas, noxia reliquis rebus,

uel

uel ſalutaris, pro cuiuſq; naturæ diuerſitate. Sic in animalibus, alia ad corpus pertinent, alia ad animam. Ad corpus, ut fœcunditas, ut proſperior naturæ ualetudo, robur, uelocitas, pulchritudo, contraria'q; iſtis. Ad animā, ſentiendi memorandi'q; uis, feritas, manſuetudo, docilitas, indocilitas, aſtus, ſocordia, iſtis'q; ſimilia. Natiua enim eſt quędam omnibus adiacēs uis, qua cuncta in deſtinatū debitum'q; naturæ feruntur opus. Neq; enim autor ille rerum ſegne quicquam aut ſine uſu eſſe uoluit: ſed tanquam in prudentis patrisfamilias domo, cuncta ut eſſent in officio effecit. Accedunt & eis quæ ſenſuum expertia ſunt multa, plura tamen animalibus, quoniam naturæ uigore in plures ſe conatus attollentia, in plura incurrant oportet. Ergo in corpore eſt ægritudo & ſanitas, & melior deterior'q; habitudo, fames, ſitis, ſaties, ſomnus, uigilia, & meditatione parata uelocitas, & uſu robur firmatum, & cultu decor additus. In anima, ut in equo, inſtitutio formandi gradus ad certum numerum, in cane uenatio: & in reliquis animalibus, quæcunque uel homine monſtrante, uel rerum uſu percipiunt. Nam & efferatiora quædam fiunt uſu, quædam contra manſueſcunt, & uitare pericula, & inſidias ſtruere conſuetudine addiſcunt. Homo quoniam maxime (ut dici ſolet) animus eſt, maxime quoque hac parte conſpicitur: ergo prima ferè in eo peruidentur animi affectiones, ira, amor, metus, ſpes, gaudium, dolor, inuidia, miſericordia, & reliqua. Et iſta quidem nonnunquam ſic intelligi poſſunt, ut ſint natiua. Quoniam plærique, alius ad aliud iſtorum, naturæ inſtinctu ſunt propenſiores. Quandoque ut ſint uſu parata. Cuicunque enim iſtorum frequentius regendum ſe quis auferendum'q; permiſerit, id totum demum occupat hominem, iuris'q; ſui facit: & ſequitur illa quam ἕξιν Gręci, noſtrorū nonnulli uerbum è uerbo habitum: qui optime fortaſſe, conſuetudinem dicunt. Tum etiam accipiuntur iſta, ut ſint temporariæ & ueloces quædam animi affectiones. Vt dicimus permotione aliqua efferbuiſſe, quem ira, metu trepidaſſe, amore exarſiſſe. Itaque pro hac diuerſitate, haud difficile fuerit diſcernere, quorſum, id eſt, in quod adiacentium genus, oporteat iſta conferri. Poſt iſta ſunt quæ ratione duce conſequimur, ut ſunt artes omnes hominum. Quarum alię ad ſolam pertinent rerum cognitionem, alię ad actionem.
Ad

Ad cognitionem pertinent, quæ naturam rerum, qualitatesq́ꝫ & causas omnium, quæ terra, mari, cœloq́ꝫ fiunt, scrutantur: quęq́ꝫ differendi emendate, credibiliter, polite, rationem tradunt. Actionis artes sunt, quæ uel ea docent, quibus corpus tuemur: ut est agricultura, ut militia, ut mercatura, & fabriles omnes, & manuariæ (ut ita dicamus) artes. Vel ea tradunt, quibus emendatur animus, & mores hominum uitaq́ꝫ formatur. Nec ipsę solum artes huc referuntur, sed etiam quæ hauriuntur ex eis uirtutes, prudentia, religio, pietas, beneuolentia, iustitia, tolerantia, magnanimitas, temperantia, modestia, benignitas, & quęcunq; alię sunt, quibus legitime nos & secundum rectæ rationis præscriptum, tales aduersum deum, homines, nosq́ꝫ ipsos quales ius fasq́ꝫ est esse, prębemus. Vt ergo cuncta quasi in summam redigamus: Adiacentia, quęcunque ad rationis intelligendiq́ꝫ uim pertinent, in solo homine quæruntur. Sensus, & mouendi uis, & quæcunque circa ea sunt, in omnibus spectantur animalibus. Ali, crescere, firmari, consumi, cōmunia sunt omnium uiuentium. Nam quę corpori insunt, in omnibus reliquis, quę uideri tangiq́ꝫ possunt, est inuenire. Et horũ, quædã natiua sunt rebus, quæ perpetuo insunt ipsis: quædam diuturnitate firmantur, quædam permutantur subinde, & uelut in diem eunt atq; redeunt. Horum omnium, alia sensu, alia intellectu compręhenduntur: non quòd quicquid sentitur, non & intelligatur etiam: aut quicquam in intellectu sit, quod non aliqua uia ad ipsum sit per sensus profectum: sed quod alia sunt quæ prima sese nobis cognoscēda offerunt, uiamq́ꝫ mentis per sensus aperiunt: alia ui intellectus ex ĳs ipsis colliguntur. Itaque illa ei ad quod primum, hæc ei ad quod potissimum pertinent, attribuere uisum est.

IN CAPVT XI.

Cuiusmodi uir sit Cato.) Cato senior, liber, submorosus ac iurgabundus. Recte respondeas prudens.) Rectius fortasse grauis & integer: Nam utriusq; Catonis, & senioris, cui nomen Censorio, & iunioris, cui cognomen Vticensi, grauitas, pariter atq; integritas uulgo celebratissima quondam fuit, adeo ut è cœlo demissi dicerentur, quo bellum cum uitijs gererent. Iuue. Habeat iam Roma pudorem: Tertius è cœlo cecidit Cato. Nota est Catonis Vticensis peruicacia, qui sibi manus adferre, quàm Iulium uictorem agnoscere maluit. Cicero: Catoni autem quid incredibilem tribuisset natura grauitatem, iamq; ipse perpetua constantia roborauisset, semper in proposito susceptoq; consilio permansisset, moriendum

potius quàm tyranni uultus aspiciendus fuit. Cicero pro L. Murena: In quo ego accusatore iudices primum illud deprecabor, ne quid expectatio tribunatus, ne quid totius uitæ splendor & grauitas noceat, & cæt. Cicero pro Deiotaro: Frugi hominem dici, non multum laudis habet in rege, fortem, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem: hæ sunt regiæ laudes, illa priuata est. Sic si interroges cuiusmodi uir sit Agamemnon, probe respondeas, ambitiosus potius quàm cordatus. Profuerit plurimum legisse epitomen philosophiæ moralis per Philippum Melanth. cap. Quid uocet habitum electiuum. Sunt autem hi gradus, φύσις, δόξα, βούλησις, προαίρησις. Et mox: Sic constans fuit Atticus, & cæt.

Cuiusmodi Achilles, acer, inexorabilis, simplex, infensus regibus, infensus mẽdacibus, pedibus uelox. Vlysses uafer, mendax, dissimulans, oĩa tolerans, Agamemnon aĩo mitiore, sed imperij cupidus, timens populum, uoluptatis auidior quàm belli. Hector animo sublimi, mortis & auguriorum negligens, patriæ omnia posthabens. Aiax factis magis quàm ratione strenuus, contumeliæ ac repulsæ impatiens. Sic dicitur Aeneas pius, Orator Drances, impotens animi iuuenis Turnus, cunctator Fabius, audens Scipio, crudelis Hannibal, crudelis Scylla, Traianus mitis, simulatæ clementiæ Iulius, popularis Publicola, Appius aduersus plebi, timidus Plutus, huiusmodi Aristophanes inducit Plutum, atque hunc imitatus Lucianus in Timone omnia formidantem nulliq; fidentem. Phocion, sententiosus, serius, sanctus, liber minimeq; adulans. In Hortensio comitas & elegantia. Romani Imperio tumidi, Corinthij opulenti & auari, Tralatæ stupidi, Ephesij curiosarum artium studiosi. In fœmina inconstantia, futilitas & infirmitas. In uiro ferocia. In meretrice rapacitas & blandicies. In seruis furacitas & odium in dominos. In senibus morositas, parsimonia, & in reprehendendis iuuenum moribus censoria seueritas. In milite perfusio & iactantia, in lenone periurium. In Italo ciuilitas & eruditio, in Germano belli studium, atque item de cæteris quæ sunt infinita. Hæc Erasmus libro tertio ecclesiastæ. In Iob insignis est patientia. In Abraham hospitalitas, fides & obedientia. In Mose mansuetudo, sicut in Dauide, in Paulo flagrantissima charitas ac feruor mirus propagandæ Christi gloriæ. In Ioseph atque eundem in modum de cæteris. Idem libro Ecclesiastæ secundo: Docilitas, celeritas, ingenij solertia naturalis, quæ laudatur in Manasio, natiua in dicendo gratia, fidelis ac tenax memoria. Quæ tribus in rebus posita est,) Val. libro dialectices primo, capite decimoseptimo. Sensu comprehenduntur.) Scribunt philosophi tria requiri ad operationem quamcunque sensualis potentiæ. Vim ipsam sensitiuam, hoc est (ut Scotus ait) quiddam mixtum ex parte corporis cõuenienti ratione compacta, & portione quadam animæ, quam formalitatem uocant. Requiri secundo loco obiectum ipsum, id est, rem quæ sensum mouere, & terminare nata est. Postremo decens medium, ac iustum intercapedinis spacium, inter utrunque. Aliter certe res maior quàm minor, aliter distans quàm proximum, lucidum quàm obscurum, in aëre uel aqua existens conspicitur à potentia. Democritus & Epicurus (ut etiam Plutarchus recenset) uisus per imaginum insertus, uisualem arbitrantur potentiam accidere, radiósque quosdam ab oculis exertos, simulatque subiectæ rei institerint, rursus in eodem redire inserta. Empedocles imaginibus radios immiscuit, idq; coniunctum imaginis radios uocauit. Hipparchus existimat ab utroque oculo ad corporum liniamenta exporrecto. Plato per corradiantiam autumat uisum fieri lumine ab oculis quidem exerto, ad aliquantulum interualli per cognatum sibi aërem effluente. Leguntur similia & apud Gellium capite decimosexto, libri quinti. Deinde quæ singulorum sensuum

suum sunt propria.) Cognitio sensitiua est, quæ aliquid apprehendit & cognoscit aliquo sensuum interiorum uel exteriorum, circa suum obiectum uersante, aut post primam & propriam sui obiecti apprehensionem, ex his aliquid indicante, & conditionem aliquam componente, quam quidem cognitionem in animalibus brutis instinctum uocamus., ut est prouidentia formicæ, & studium apum. Est alia cognitio apprehensitiua, sine sensu & motu aliquo cognitiua, ipsa uidelicet natura cognoscente quid sibi proprium conueniens ue sit, neque enim in naturam suam res ferretur, ut grauia deorsum, aut in loco suo quiesceret, si nulla certa esset eius cognitio. Cicero libro primo quæst. tusculanarum: Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea quæ uidemus, neque est ullus sensus in corpore, sed ut non solum physici docent, uerumetiam medici, qui ista aperta & patefacta uiderunt, uiæ quædam sunt ad oculos, ad nares aut aures, à sede animi perforatæ, itaque persæpe aut cogitatione, aut aliqua ui morbi impediti apertis atque integris & oculis & auribus, nec uidemus nec audimus, ut facile intelligi possit animum & uidere & audire, non eas partes, quæ quasi fenestræ sunt animi, quibus tamen sentire nihil queat mens nisi id agat & adsit. Quid quod eadem mente res dissimilimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum, quæ nunquam quinque nuncijs animus cognosceret, nisi ad eum omnia inferrerentur, ut idem omnium iudex solus esset. Vt uisus lucidum.) Timæus Agrigentinus, Democritus Abderitanus, & Empedocles, reliquiq; non parum multi philosophi constanter asseuerant reliquos sensus fieri per passionem, solum autem uisum per actionem: Nam dixerunt ignem quendam esse in oculis nostris, qui per radios quosdam emissos circumlustrat omnia loca, atque hoc est fortasse quod ait Cicero libro quinto tusculana. Quæ autem aspectu percipiuntur, ea non uersari in oculorum ulla iucunditate, ut ea quæ gustemus, olfaciamus, tractemus, audiamus, in ea ipsa ubi sentimus parte uersentur: in oculis tale nihil quicquam fit. Hæc sunt semina omnis nostræ scientiæ.) Cicero de finibus: Quicquid porrò animo cernimus, id omne oritur à sensibus. Et Aristoteles primo posteriorum libro: Omnis doctrina & omnis disciplina ex priore fit cognitione. Itaque dubitet quis querela ne dignus sit.) Plinius libro septimo, et Lactantius libro quarto institut. Intellectu uero comprahenduntur.) Omnia quæ ab hominibus cognoscuntur, aut sensibilia sunt aut intelligibilia. Sensibilia uno modo cognoscuntur tantum per περίπτωσιν rei sensibilis in sensum, id est, per impressionem rerum sensibilium in uim sensitiuam, uel in organum sensus. D. Hieronymus libro tertio commentariorum in Oseæ caput decimumtertium: Quod si econtrario obiecerit, quare non alijs quæ minora sunt, periturum Ephraim assimilauerit, uerbi gratia, pulici qui omnia membra habet, caput, oculos, pedes, uentrem, & cætera, quæ licet oculis non uideamus, tamen sensu intelligimus, intantum ut os pulicis ac dentes non uidentes oculis, morsibus sentiamus. Sic autore Augustino contra Iulianum Pelag. libro sexto, capite secundo: Paruuli ablutio ab originali, non carne nec mente sentitur, sed fide creditur. Intellectus uarijs rationibus intelligibilia percipit, interdum ex similitudine, aut ex re altera cognata. Sic Socratem ex imagine aut ex pictura cognoscimus. Quædam ex analogia siue proportione (ut uocant) idq; cum quodam argumento, ut cum Cyclops aut Polyphemus intelligitur: interdum cum quadam minutione aut decremento, ut dum Pygmæus. Sic centrum terræ deprehensum est ex proportione minorum sphærarum ad sua centra. Alia ex transpositione, ut si intelligemus alicui oculos esse in pectore, interdum ex compositione

tione quædam intelligimus, ut Hippocentaurum, Chimeram, Cerberum, alia per contrarium, sic mortem ex uita, tenebras ex luce. Intelligimus quædam transitione, ut spatium & locum & ante narratum sermonem. Plutarchus quomodo quispiam sentiat se in uirtute profecisse: Vt qui in dimenso nauigant mari, ex ipsa uentorum ui cursuq; tempore coniiciunt se promouisse, etiam si nondum appareat portus, nusquam tamen consistunt donec attigerint. Ita non conquiescendum in philosophia, donec ad perfectum illum sapientis habitum peruentum sit. (Qua cuncta in destinatum debitumq; naturæ suæ feruntur opus) Aristoteles politicorum libro primo subindicat naturam non gignere singula ad plures usus, sed unumquodque ad suum peculiarem propriumq; finem. Neque enim natura tale quippiam, quemadmodum ærarij fabri gladium Delphicum, quasi per inopiam, sed unumquodque ad singula. Vide prouerbium: Delphicus gladius. Vt in Magnete.) De hisce lapidibus lege quæ adnotauimus in nostris in Marbodæum Gallum scholijs de lapidibus pretiosis. Ex membrorum argutia.) Id est, commoda membrorum compactione, quomodo Vergilius dixit: Argutumq; caput. Vbi causæ desierint.) Id est, ubi desierimus aut pudere, aut metuere. Vt ruborem ex pudore contractum.) Ouidius sexto metamorphoseos: Sed tamen erubuit, subitusq; inuita notauit Ora rubor, rursusq; euanuit ut solet aër, Purpureus fieri cum primum aurora mouetur, Et breue post tempus candescere solis ab ortu. Ruborem non semper esse uerecundiæ signum, multis docet argumentis Seneca epistola undecima. Quædam uero difficulter auferuntur.) De ijs lege Senecæ epistolam undecimam, libro episto. primo: Quæcunque (inquit) attribuit conditio nascendi & corporis temperatura, cum multum se diuq; animus composuerit, hærebunt. Lege item Aristotelem in prædicamento (ut uocant) qualitatis. Sunt autem adiacentia ea ferè quæ quantitatis qualitatisq; ab Aristotele in categorijs dicuntur, quatenus ad sua referuntur subiecta. Vel amor.) Sic anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam 1. Regum 18. Vel odium.) Geneseos tricesimo septimo capite: Videntes autem fratres eius, quòd à patre plus cunctis fratribus amaretur, oderunt eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui. Tuendi conseruandiq; sui.) Hic aperit sese campus & quidem latissimus, de quo qui plura uolet scire, legat Ciceronem libro de finibus quinto. Natura est quædam hæc.) Hæc penitus uidetur superesse.

Neque enim autor ille.) ἐπιφώνημα est. Segne quicquam.) Sunt qui segne ad agendum, secors ad consulendum referant. Meditatione.) Id est, exercitatione. In cane uenatio.) Canes apti sunt ad uenatum, qui norunt quando debeant mutare uocem, & quibus ambagibus feram in casses domini protrudere. Horatius in epistola ad Lollium: Fingit equum tenera docilem ceruice magister. Ire uiam, quam monstrat eques: uenaticus ex quo Tempore ceruinam pellem latrauit in aula, Militat in syluis catulus. Insidias struere.) Seneca in Thyeste:

Sic cum feras uestigat, & longo sagax
Loro tenetur umber, ac presso uias
Scrutantur ore dum procul lentum suem
Odore sentit, paret, & tacito locum
Rostro pererrat: præda cum propior fuit,
Ceruice tota pugnat, & gestu uocat
Dominum morantem.

Luca-

Lucanus 4. Nec creditur ulli Sylua cani qui presso uestigia rostro Colligit, & præda nescit latrare reperta, Contetus tremulo monstrasse cubilia rostro. Et in reliquis animalibus.) Plin. lib. 8. Maximũ animal est elephas, proximũq; humanis sensibus. Id quod ipse late persequendo docet. Idẽ de tigride quæ cæteris feris truculenta, atq; ipsa etiã elephanti uestigia spernit, homine uiso, uel hominis etiam uestigio, transferre catulos dicitur. Nimirum hæc natura est rerum, hæc potentia eius, sæuißimas ferarum maximasq; quæ nunquam uidissent, quod debeant timere, statim intelligere cur sit timendum. Cicero lib. de finib. 5. Sunt autem bestiæ quædam, &c. Homo quoniam maxime.) Quintil. Sicut aues ad uolatum, equi ad cursum, ad sæuitiam feræ gignũtur: ita nobis propria est mentis agitatio atq; solertia, unde origo animi cœlestis creditur. Cicero: Hi non uiderunt ut ad cursum equum, ad arandum bouem, ad indagandum, canem: sic hominem ad duas res (ut ait Aristoteles) ad intelligendum & ad agendum esse natum, quasi mortalem deum. Affectiones.) Val. libr. 4. elegantia. cap. 78. Ira, amor, metus, spes, gaudium) Hinc metuũt, cupiunt, gaudentq; dolentq;. D. Augustinus lib. 9. de ciuitate Dei, cap. 4. & 5. Rursus lib. 14. cap. 9. Naturæ instinctu sunt propensiores.) Cicero de fato: Stilponem Megaræum philosophum, acutum sanè hominem, & probatum temporibus illis accepimus, hunc scribũt ipsius familiares & ebriosum & mulierosum fuisse, neq; hoc scribunt uituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrina, ut nemo unquam uinolentum illum, nemo in eo libidinis uestigium uiderit. Huc adde illud Genescos 8. Sensus enim & cogitatio. Et Ciceronis illud ex ipsa statim fronte lib. 3. Tusculana. Vt penè cum lacte errorem suxisse uideamur. Id totum demũ occupat hominem.) Nusquam ferè magis locum habet Horatianum illud Satyra 3. Neglectis urenda filix innascitur agris, Nec facile repurgatur, ubi semel occuparit. In nobis fortasse situm est, uitia quemadmodum mare non admittere, uerum ut admisso limitem præscribamus, id non est cuiquam in manu, semel receptum utrumuis, haud nostro ducitur arbitrio, sed suo fertur impetu. Eodẽ spectat & illud prouerb. 29. Qui delicate à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet illum contumacem. Et Ecclesiastici 26. Difficile exuitur negocians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum. Ac huic illud Terentianum affine est: Vbi animus semel sese cupiditate deuinxit mala, necesse est consilia sequi consimilia. Plutarchus in commentario, Vtri magis absurda dicant, Stoicine an poetæ: Qui diu in uinculis fuerunt, cum soluuntur, tamen claudicant adhuc: Ita diu uitijs assueti, etiam cum ea deserunt, quædam retinent uestigia. Cicero: Qui semel uerecundiæ fines transierit, eum bene & gnauiter oportet esse impudentem. Quam ἕξιν Græci.) Leniores animi seu corporis affectiones, quidam διαθέσεις appellant: infixas uixq; mobiles ἕξεις, id est, habitus; ut ira affectio est, iracũdia habitus. D. Erasmus in Annotationib. epistolæ ad Hebræos cap. 5. διὰ τὴν ἕξιν, id est, propter habitum. Quanquam interpres non male rem explicat, si dixisset pro assuetudine siue assuefactione. Nam habitus in hunc sensum, uox est philosophis peculiaris. Et Philippus Melanchthon in Dialecticis in prima specie qualitatis explicat quid sit ἕξις. Temporariæ & ueloces. Lauren. lib. dialect. 1. cap. 10. Post ista sunt.) Vt apud Politianũ in oratione, cui titulus Panepistemon, uidere est. Quarum aliæ ad solam pertinent rerum cognitionem) Acute ut omnia & breuiter D. Augustinus hanc artium diuisionem edisserit lib. 2. de doctri. Christ. cap. 30. Rodolph. lib. 2. cap. item 2. Cicero in Topicis. Firmari.) Id est, colligere, id est, debitum naturæ robur, melius habere, uiresq; recuperare. Consumi.) Extinguiq; et mori. Itaq; illa.) Porrò illud leuiculum,

illa quidem referre sensibilia, hæc uerò intelligibilia. Noxia reliquis rebus.) Plutarchus περὶ ἀδολεσχίας: Qui de natura queritur, quòd quædam genuerit homini noxia, dissimulatis tot bonis: perinde facit, ac si quis Nilum calumnietur, alioqui frugiferum Aegypto, quòd Crocodilum habeat, aut aspidem: nec postea uelit frui prognatis frugibus, sed tantum queratur de uenenis, quæ nutrit. Aut si quis in copiosa oratoris oratione, quæ multis exuberet uirtutibus, de pauculis uoculis temerè elapsis cauilletur. Nam & efferatiora sunt usu.) Plutarchus in præceptis connubialibus: Vt tigrides circumstrepentibus tympanis aguntur in rabiem: Ita quæ bonas mentes compescunt, feras & agrestes irritant & efferant. Vt sint natiua.) Eras. Rot. lib. Eccle. 1. Accidit tamē interdum, ut homines eximijs illis uirtutibus præditi. &c. Quæ diuturnitate.) Seneca epistola 12. Quemadmodum lana, quosdam colores semel ducit, quosdam nisi sæpius macerata & recocta non perbibit: Sic alias disciplinas ingenia quum accepere, protinus præstant, hæc nisi altè descendit, & diu insedit, animum non colorauit, sed infecit, nihil ex his quæ promiserat, præstat.

EXEMPLA.

Terentius Phorm. Quia egens relicta est misera, ignoratur parens, negligitur ipsa: uide auaritia quid faciat. Plautus Milite: Licuit uxorem dotatam genere summo ducere, sed nolo mihi oblatricem in ædes intromittere. Idem Aulularia: Multum loquaces merito habemur omnes mulieres. Qui in rebus ridiculis seriam operam ponerent, eos dicebat Cato in serijs fore ridiculos. Significans assuetos ridiculis, ob habitum collectum, in serijs negocijs ita se gerere, ut non solum rideantur, sed etiam derideantur. Cicero pro Milone: Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis, qui cum à tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de eius extremis comitibus cogitauit. T. Liuius: Munditiæ ornatus & cultus, hæc fœminarum insignia sunt, his gaudent & gloriantur. Ad dicendum uerò magis appositi sunt, quibus sedatius est ingenium, quàm quibus ad iram præceps. Hos Plato putat ad perdiscendas disciplinas idoneos, illos ad gerendam rempublicam. Prouerb. 27. Similis est stillicidio assiduo, cum pluit, rixatrix mulier: qui cohibet eam, uentos cohibet. Hieremiæ 49. Arrogantia tua, & superbia cordis tui decepit te. Periander Cor. in. initio moderate imperium regere, postea tyrannice agere cœpit. Id simul atq; Pittacus Mytile. resciuit, deposito magistratu, in exilium abijt, dicens difficile esse probum esse propter mutatum Periandrum. Genesis 16. De Hismaële: Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione uniuersorum fratrum suorum figet tabernacula. Hiere. 13 Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus uarietates suas, & uos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.

De actibus. Cap. XII.



AB adiacentibus oriuntur actus. Vnumquodque enim pro modo naturę suæ, utq; aliter aliterue affectum est, agit. Actus autem in præsentia nō ita accipiendus est, ut à passione distinguatur: sed ut sit actus id quocunque aliquo modo exerceri afficiq; dicimur. Ita & timere, & dolere, & ægrotare, quiescere etiam & uacare, nobis actus erunt: omnia enim, cum actus rei scrutamur, uenient consideranda, & argu-

& argumenti aliquid in hanc illamúe partem dabunt. Possumus (si uidetur) actus pro adiacentium, è quibus nascuntur, uarietate distinguere: Vt sint alij qui proueniant ex natiuis, ut in igne calere, lucere in sole, in animali pasci, moueri, natare, uolare, dormire, ingredi, uigilare. Alij, qui à consuetudine firmatis ueniant, ut scribere, orare, mederi, iaculari, gubernare. Alij, qui ex subitis prodeant affectionibus, & breui momento prætereuntibus: ut rubere ex pudore, ex metu concuti, ex lætitia gestire. Sunt etiam qui nihil efficiunt, sed intra se consumuntur: ut sunt currere, ambulare, uolare, uidere, audire, intelligere. Quidam, qui præter seipsos opus absoluunt: ut ædificare, domum efficit: texere, pannum: scribere, literas. Et hi quidem, qui nihil extra se efficiunt, alij quidem propter finem aliquem fiunt: Vt qui ambulat, uel idcirco id facit, ut aliquò perueniat, uel sanitatis causa: qui uidet, ut aliquid percipiat: qui dormit, ut lassitudinem ponat. Alij, uel carent fine, uel in prospectu non habent. Vt gaudere planè caret fine: nemo enim est, qui quem in usum gaudeat, dicere possit, nisi ut gaudeat. Sic etiam dolere, ægrotare, metuere, sperare, irasci. Si quem enim interroges, quem in usum irascatur, in nullum dicat: sed quia iniuria prouocatus sit, facere aliter non posse. Sic etiam qui amat. Quanquam hic fortasse possit dicere; finem sibi esse, potiri re concupita: & irascens ita dicat, finem sibi esse uindictam. Verum hi forte fines sunt eorum, qui amore atq; ira perciti agunt: Amoris certe & iræ non sunt fines: cum utrunq; assequi & commodius fortasse possent, ut non amore & ira sese torquerent. Inconsultus est enim omnis animi subitus affectus: & ad eam partem animi pertinēt, quæ rationis est expers: neq; prospicere finem possunt. Et alij quidem ex præteritis nascuntur tantum, uel præsentibus: Alij etsi oriantur ex futuris, & partem aliquam percipiant futuri: non tamen ut fiant illa, sic afficimur: sed quia illa uentura arbitramur, concutimur animo & cōsistere nequimus. Quod in timore apertius est & inuidia. Quæ tamen certum est eiusdem naturæ & conditionis esse, qua reliquos omnes. Causa huius est, quoniam ista agendi uoce passionem significant. Omnis autem actio (non illa quam nos iam communi uocabulo actum dicimus, sed ea, quæ proprie physicis hoc nomine signatur) finē aliquem respicit, propter quem suscipitur ipsa. Isq; finis, uel

nis, uel res ea est, quæ patitur, uel circa ipsam est. Patiens autem non ad aliud, quatenus patiens est, sed ad agens respectat. Itaq; finem habere non potest. Neq; enim agens ei finis est, cum ipsum sit agentis finis. Nisi fortè ea sit rei conditio, ut id quod patitur, actione aliqua in agens recurrat. Vt nauem fabricanti qua ipse sit nauigaturus, finis primum quidem fabricationis est nauis. Deinde rursus, quia nauis portat tueturq; ipsum qui fabricatus est, ipse inuicem finis est nauis. Hoc enim pacto fieri potest, ut agens atq; patiens uicissim alteri finis fiant, cum perinde utrunq; agat atq; patiatur. Sed uel scrupulosiora fortasse sunt ista, uel non ita multum præsenti rerum tractatui necessaria. Illud annotandum uidetur, quædam nomina agendi faciem habere, cum reuera adiacentia sint. Quædam contrà, adiacentium uoce actum significant. Neq; enim calere & albere aliud sunt, quàm calidum esse & album: quæ certum est esse adiacentia. Sic, & scire, et cognoscere, & quiescere. At ediuerso, cursus, currēdi actum, & sermo locutionem, & locutio, loquendi actum significat. Quod igitur proprie actus est, id oportet ut sit in quadam agitatione (hoc quod Græci ἐντελέχειαν uocant) positum, id est, ut uel fieri aliquid, aut perire, uel item augeri aut diminui, uel qualitatū alteratione permutari, uel in transpositione aliqua lociq; commutatione intelligatur. Quod enim in uno fixoq; gradu consistit, certum est nequaquā agi posse. Magno usui sunt hi loci eis, qui de rerum proprietate naturaq; disserunt. Vtq; etiam de alijs disseratur, plurimum tamen fidei parant ducta hinc, hoc est, ex interioribus rerum penetralibus argumenta, atq; è natura eorum (de quibus oratio est) deprompta. Aut hæc enim rerum natura est, aut si qua alia est, ignotam nobis esse (nisi me tamen caligo ingenij mei fallit) fatēdum est. Hæc enim ferè uidentur esse illa, quæ mentis humanæ possit complecti uis. Reliqua, ut intra altiores rerum naturæ sinus recondita, aut ignoramus, aut ex istorum comparatiōe, magis quid nō sint dicere, quàm quid sint, comprehendere ualemus.

IN CAPVT XII.

ACTVS *autem in præsentia non ita accipiendus.*) *Nec ut hodieq; nostri dialectici nusquam non inquinate usurpant. Rodolp. Agricola in commentario in primam Senecæ declamationem: Potentia ad facultatem magnarum rerum pertinet, ut est regnum,*

principa-

principatus, ducatus. Potestas ad uires nostras. Inde dicimus, fac mihi potestatem dicendi, & filios dicimus in patria potestate esse, non potentia. Sic Hieronymus in præfatione ueteris testamenti: Cera multum ad fingendum facilis, etiamsi plastæ manus cessent, potestate tamen totum est, &c. Ideo traductores textuum Aristotelis omnes corrupte dixerunt potentiam & actum, quum debuissent dicere potestatem & consummationem, id est, perfectionem uel completionem. Hæc ille. Porrò Gilbertus Porretanus, actionem, interprete Hermolao Barbaro, ita finit: Actio siue factio, est forma, per quam in subiectam rem denominamur agere uel facere. Verbi gratia: Qui secat, in eo quod secat, denominatur secare, qui amat, in eo quod amat, denominatur amare. Verum ij forte fines.) Aliud est amor, seu actus amādi, & aliud qui amat, ac proinde potiri re concupita, potest esse finis eius qui amat, ut tamen inde non consequatur quo sit finis amoris. Quæ rationis est expers.) Nam, ut Cicero inquit, ira est inimica consilijs. Quod apud Platonē & cæteros itidem Græcos est νοῦν, id est, mentem, hoc Agricola pro iure suo rationem uocat. Non tamen ut fiant illa.) Bifariam aliquid facimus respectu futurorum. Primum ut futura illa eueniant, ut qui ambulat gratia futuræ sanitatis, at hoc modo futurum illud propter quod actus fit, potest finis dici. Secundo propter futura nonnihil agimus, non ideo ut illa eueniant, sed quia opinamur illa uentura. Quod in timore.) Aristoteles libro rhetoricorum 2. cap. 5. Timor (inquit) est ex imaginatione futuri mali corruptiui, aut dolorem inferentis perturbatio quædam. Inuidia, est dolor quidam, quoniam similes similis boni aliquid adepti uideantur. 2. rhetorico. cap. 10.

Quædam nomina agendi faciem habere.) Sic itidem sentire, uidere, audire, non actionem, sed paßionem significant, aut simplices (ut ita loquar) qualitates. Qui enim uidet, non secundum quod agit uidet, sed secundum quod patitur. Sensus enim (ut uulgato more loquar) est potētia paßiua, & sensatio acta fit per hoc, quod ab obiecto sensus patitur. Contrà uerò sentiri, uideri, audiri, actionem potius significant, non (ut uidetur) paßionem. Vide Aristotelem in locis sophisticis de fallacia (ut uocant) figuræ dictionis. Omnis autem actio.) Valla lib. dialect. 1. cap. 16. Quæ tamen certum esse eiusdem naturæ.) Vt quæ prima statim facie uideantur in finem aliquē referri, ut cæteræ actiones omnes. Causa huius est.) Nempe quòd non habeant finem. Finem aliquē respicit.) Arist. primo Polit. Isq; finis uel ea res est.) Vulgus philosophorum finem actionis uocat, terminum ad quem actionis, isq; semper est uel in patiente, uel circa ipsum. Vt gaudere caret fine.) Aristot. in 6. τοπικῶν meminit obiter quarundam affectionum quarum nullus est finis, sed ipsæ sunt fines aliarum operationum. Plautus Epidico: Iam ego ex corpore exigam omnes maculas næuorum tibi, gaude audacter: cui respōdet Egeo: Gaudeo, & si nihil sciam quod gaudeam. Simile est huic illud Homericum: αὐτὰρ ἐγὼ γελόω καὶ τέρπομαι ἄφρονι θυμῷ. Quidam odere rhetoricen, aut Græcas literas, cum hoc ipsum ignorent quod oderunt. Quidam illam aut illam oderūt gentem, cum nesciant quamobrem oderint. Sæpenumero etiam uidemus euenire, ut ab hoc dictum aut factum placeat uniuersis: si idem tentet alius, etiamsi doctior peritiorq;, nemo tamen ferat. Id cū quotidie uideamus accidere, tamē cur accidat, ratio reddi nō potest. Patiens autem non ad aliud quatenus.) Quandoquidem quatenus quis se punit, finem habet culpæ conditionem, non autem quatenus punitur. ἐντελέχειαν.) Origenes in epistolam ad Romanos existimat idem pollere ἐντελέχειαν & ἐνέργειαν, hoc est actum & uim ex se mouentem organum Erasmus in commentarijs epistolæ ad Galatas cap. 2. Laurentius Valla primo dialect. cap. 6. & 16. Diogenes Laertius in uita Aristotelis. Angelus Politianus Miscel-

laniorum capite primo. Philip. Beroaldus in primam Tusculanam quæstionem. Suidas, Budæus de asse libro primo. Lucianus in accusatione 6. ad uocales. de T. Cum proinde utrunq; agat.) Et hic fortasse legendum perinde, quanquàm non nescio Rodolphum & aliàs proinde pro perinde dicere solitum. Id est, ut uel fieri aliquid aut perire.) Expreßit sex nominum genera, nempe generationem, corruptionem, incrementum siue acceßionem, decrementum, alterationem, & loci mutationem. Atq; ea natura eorum.) Videlicet προβλημάτων, id est, thematum & propositorum. Reliqua ut intra altiores naturæ.) Hæc est sententia Cottæ apud Ciceronem in primo libro de natura deorum. Magis quid non sint dicere, quàm.) Augustinus libro de Trinitate 5. Intelligimus Deum, & cæte. Ioannes Capnion lib. secundo de uerbo mirifico ubi scribit de Hierone tyranno sciscitante à Simonide quid esset Deus.

EXEMPLA.

Plautus Milite, ubi actus & gestus anxij atq; cogitabundi Palestionis sub oculos ponit: Vide quemadmodum astitit seuera fronte curas cogitans. Pectus digitis pultat, cor credo euocaturus foras. Ecce autem auertit nixus læua, in femore habet manum Dexteram, digitis rationem computat feriens femur Dexterum, ita uehementer quod facto opu'st ægre suppetit. Concrepuit digitis, laborat crebro, commutat status. Ecce autem capite nutat, non placet quod repperit. Cicero pro lege Manilia: Qui sæpius cum hoste conflixit, quā quisquā cum inimico concertauit, plura bella geßit, quàm cæteri legerunt, plures prouincias confecit, quàm alij concupiuerunt. Cicero quo non alius eloquentiam melius nouit, in oratorijs partitionibus ad hunc modum finit: Eloquentia aliud nihil est, quàm bene loquens sapientia. Et Fabius ex uarijs scriptorum finitionibus maxime probat illam Cleanthis & Chrysippi, qui bene dicendi dixerunt esse scientiam. Tum autem autore Platone bene dicimus, quoties quæ dicenti & audienti utilia sunt, dicuntur, seruato orationis modo, habita ratione & temporis & dignitatis eorum apud quos differendum erit: non ergo mentiri, decipere, circumuenire, præstigiari, ut Picus Mirandula in epistola qua Barbaris patrocinatur contra Hermolaum scripsit, Rhetoris est officium: Sed id quod Flaccus inter tria poëtarum munera postremo loco posuit: Scilicet & iucunda, & idonea dicere uitæ, lectorem delectando pariterq; mouendo. Hieronymus libro primo commenta. in Oseæ cap. 4. Nunquā hæretici suo errore satiantur, nec cessent à fornicationis turpitudine, & quotidie non custodiendo legem & scripturas sanctas, dominum derelinquunt, insaniunt & inebriantur, & perdito mentis iudicio, adorāt idola, quæ de suo corde finxerunt, fornicationisq; spiritu posßidentur. Idem: Vigilando timor omnis excluditur, fiducia nascitur, caro maceratur, uitia tabescunt, charitas roboratur, recedit stultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminū caput diabolus gladio spiritus uulneratur. Ioannis octauo: Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis &c. Vos ex patre diabolo estis, & desiderijs patris uestri uultis obsequi. Terentius Andria: Nam qui cum ingenijs conflictatur eiusmodi, Neque commouetur animus in ea re tamen: Scias posse habere iam ipsum suæ uitæ modum. Scipio senior si quando uacans à negocijs bellicis, in literis uersaretur, dicere solet, se nunquam minus esse ociosum, quàm quum esset in ocio. Alexander Seuerus autore Suetonio militibus suis uini usum interdixit, qui quum à Sarracenis deuicti essent, & dicerent, uinum non bibimus, destituunt nos uires nostræ: Erubescite, inquit, quum illi qui uincunt, aquam bibant.

De subiecto

De subiecto. Cap. XIII.



Vbiecti nomen, in uarias significationes ductum est. Dicimus enim subiectum (unde origo est nomini) id quod iactum est sub aliud. Vnde inquit Poëta: Pedibusq́; rotarum Subijciunt lapsus. Item per translationem: Parcere subiectis, & debellare superbos. Iam in pronunciatis subiectum est, de quo aliquid dicitur: ut cum dicimus, homo est animal: homo est subiectū. Sic etiam subiectum, in quo est aliquid: ut prudentiæ subiectum, hominē dicimus, & subiectum formæ, materiā. Dicimus etiā id, circa quod tractatus, actioq́; rei cuiuspiam uersatur: sic subiectum uisus, colorē dicimus: subiecta artium, ea quæ præcipue sibi consideranda sumpserunt. Dicitur & aliter: octo enim significationes fecere, sed quomodo uel plures fieri possent, & quæ omnes recidant in eas quas diximus. In præsentia ~~autē nobis fit subiectum, adiacentium quidem id, cui aliquid inest:~~ actuum ~~uerò~~, & istud ~~ipsum, & illud etiā qd actioni alicuius est obie~~ctum. Illi nanq; actus, qui aliquid extra se efficiūt, necesse est habeāt subiectum ex quo proficiscantur: deinde aliud, quod expositum sit ipsis, & in quod tendant: ut calefacere, primum oportet in igne esse, is enim est qui calefacit. Deinde nisi sit aliqd in quod explicet uim suam, & in quo efficiat calorem, non poterit calefacere. Agentium enim actus (inquit Aristoteles) in patiente sunt accommodato. Sentiendi autem, & intelligendi, ea quæ obiecta dicuntur, non sunt forte nisi nominis similitudine subiecta. Sentiendi enim subiecta, efficientia uerius dicētur. Color enim, per aëra perspicuū, inuisibilibus quibusdam simulacris, & imaginē ipsius perferentibus, sparsus, ubi incurrerit in oculum, ferit ipsum, & ad uidendum excitat. Sic sonus auditū mouet, & odor olfactum: & reliqua quæ sentiuntur, ubi partem illam corporis nostri, qua percipi possunt, attigerunt, euocant animæ uim, quæ per eam se partem exerit, & ad se apprehendenda impellunt. Quæ mēs nostra deinde accepta à sensibus, cognoscit primū, deinde uariè, multipliciterq́; composita inter se atq; diuisa, formas omnes rerū habitudinesq́;, & genera, ordinemq́; cunctorū elicit, discernit, disponit, inq́; uarios artiū, sciētiarumq́; distribuit usus. Hæc ergo si intuebimur, facile nobis liquebit, sensum quidē reuera

ab ijs quæ sentiuntur pati: mentẽ ab ijs quæ intelliguntur, imaginem quandam & simulachrum patiendi accipere. Quô sit, ut existentia tantum & præsentia sentiri possint: intelligantur autem & absentia, & quæ interierũt, quæq́; nondum sunt nata. Sic ea quæ sensibus obijciuntur, similiora sunt efficientibus. Artes omnes sciẽtiæq́;, eis circa quæ uersantur comparatæ, pronunciatis poterunt ascribi. Ea cuiusmodi sint, suo loco dicetur. Subiectum autem proprie omnium id est, quod ex decem primis rerum generibus, Græci οὐσίαν, nos essentiam (si per grammaticos liceret) uerbũ è uerbo diceremus, nũc substantiã dicimus. Huic enim reliqua omnia sunt innixa, hæc receptaculum est fundamentumq́; omniũ. Magnitudo autem, quam inter adiacentia numerauimus, si substantiæ cõparetur, adiacentibus accedit: sin reliquis conferatur adiacentibus, subiecti habet uicem, non quidem ut in ipsa sint adiacentia, sed quòd nequeant nisi illius interuentu, ea præsertim quæ corpori adiacent, in substãtia reponi. Neq; enim quicquã albũ uel nigrũ sine ulla magnitudine cogitare possumus, nec callidum uel frigidum, nec durũ uel molle, nec aliorũ huiusmodi quicquam. Quare si dicam, musicum, album esse: musicum certũ est à musica dici, id autem est adiacẽs. Patet ergo, nõ esse subiectum albi. Sic iustum probum esse, iustus non est subiectum probitatis: iustus enim à iustitia nomen habet, iustitia uerò non subiectum est probitatis, sed species. Si autem dicam hominem prudentẽ esse, homo est subiectum: substãtia enim est homo. Ita aquam frigidam, aqua substantiæ est nomẽ. Ita bouẽ occidi, bos substãtia est, in quam tendit occidendi actus, sic, ut in ipsam se recipiat. Ex quibus facile perspicitur id q̃d diximus, ea quæ sensibus, mẽtisq́; agitationi exposita sunt, non satis rectè ad hanc nostram rationem posse subiecta dici. Quid ergo, si quis cum quęrat de illis, per hunc se quęrere locum credat: erratũ erit? Erit quidem, sed cuius iubeam securum esse eum qui inuenire cupiet. Id enim agat, ut inueniat: si potest ex proprijs locis, optimum quidem erit: certiore nanq; cursu intentionem mentis diriget. Sin minus potest ex proprijs, at undecunq; potest, dummodo inueniat. In artibus enim, quæ operis gratia discuntur, non quàm exacte præceptionum fines distinguas, sed quàm commode illis utare, solet æstimari.

IN CAPVT XIII.

Subiecta artium, ea quæ præcipue.) Infra lib. 2. cap. 6. Illud admonitum uelim, materiam artiū quandoq; dici id quod artibus docetur, et circa quod uersatur cura considera ticq; illarum, quod & subiectū uocari priori libro diximus. Iam in pronuntiatis subiectum est.) Lege Petri Mosell. annotationes in A. Gellium lib. 18. cap. 8. In quo est aliquid.) August. lib. 6. contra Iulianum, cap. 8. ubi disputat ecquid sit reatus, substantia ne an accidens, & si accidens, in quo subiecto. Idem probat uitam actiuam non fore in patria, ex eo quòd non inuenietur illa materia, circa quam hic modo uersatur. Modo, inquit, quia esuritur, quia sititur, misericordia miseris necessaria est. Frangis panem esurienti, quia inuenisti esurientem. Tolle famem, cur frangis panem? Tolle nuditatem, cur præstas uestem? Ac postea concludens sic ait: In futuro non erunt ista mala, ergo nec ista ministeria. Consideranda sumpserunt.) Quæ uulgo uocant subiecta attributionis, ad quæ nimirum omnia quæ in ea arte tractantur, habent reduci: sic ut isti loquuntur. Vt calescere, primum oportet in igne esse.) Tametsi ita habeat ἀυτόγραφον, tamen omnino persuasissimum est mihi, legendum esse calefacere. Color enim per aëra perspicuum.) Visus extra mittendo cum Platone, non intus suscipiendo iuxta Aristotelis sententiam, generatur. Vall. lib. 1. dialectices cap. 9. 13. 14. & 15. Et Cicero tuscul. Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus, ea quæ uidemus, neq; est ullus sensus in corpore, &c. Vbi incurrerit in oculum, ferit ipsum.) Vall. lib. 1. dialect. cap. 17. sub finem: Peripateticis placet colores tendere ad uisum, sonos ad auditum. Macrobio cum multis item philosophis, nec non Lactantio uidetur uis ipsa cernendi tendere ad obiectum, nec id sine causa uidetur. Et præsentia sentiri possint.) Est tamen quibusdam brutis memoria, meminerunt & absentium & præteritorum: Idq; sensu, sed interiore, tametsi species eorundem sint res præsentes, & per easdem agunt res præteritas. Græci οὐσίαν, nos essentiam (si per Grammaticos liceret) Seneca lib. epist. 8. epistola 59. Quid enim fiet mi Lucili? quomodo dicetur οὐσία res necessaria natura, continens fundamentum omnium? Rogo itaque permittas mihi hoc uerbo uti, nihilo minus dabo operam, ut ius à te datum parcissime exerceam, fortasse contentus ero, mihi licere. Quid proderit facilitas tua, cum ecce id nullo modo Latine exprimere possim, propter quod linguæ nostræ conuitium feci. Magis damnabis angustias Romanas, si scieris unam syllabam esse quam mutare non possim. Quæ hæc sit quæris? τὸ ὄν. Duri tibi uideor ingenij, in medio positam posse sic transferri, ut dicam, quod est. Sed multum interesse uideo, cogor uerbū pro uocabulo ponere. Sed id si necesse est, ponā quod est. D. Hieron. in epist. ad Damasum in expositione fidei catholicæ. Petrus Longobardus lib. 1. collectionum theologicarum distinctione 25. Vall. lib. 1. dialect. ca. 5. Grammaticos liceret.) Vtitur consilio Fab. Quintili. lib 8 cap. 4. ubi agit περὶ τοῦ προεπιπλήττειν. Nunc substantiam dicimus.) Ea est quæ per se subsistit, alio neutiquam indigens. Porrò prima substantia est, quæ neque in subiecto est, neq; de subiecto dicitur. At undecunq; potest.) Non alienum est, quo facilius hic locus intelligatur à iuuentute, rationem huius uerbi at, exponere. Significat enim quandoq; saltem, ut Cicero pro L. Flacco: Si non propinquitatis, at ætatis suæ: si non hominis, at humanitatis rationem præberet. Ouid. 1. de ponto: Et mala Nasonem quoniam meruisse uidetur, Si non ferre dolet, at meruisse dole. Non quàm exacte præceptionum) Quemadmodum nihil refert, quonam diuerticulo uenias in urbem, modo nihilo plus accedat negotij, & hoc tam pronum tamq; expeditum sit iter, quàm alia.

Fabio

EXEMPLA.

Hiero. lib. 7. comm. in Esaiam ca. 22. Doctrina hæreticorũ non in sensu, sed in multiloquio & clamore uersatur. Vnde ob multitudinem deceptorum, frequens ciuitas appellatur: & exultans propter superbiam. Inflati enim tument, & sacratiora se inuenisse gloriantur. Quemadmodum uidemus in quorundam catholicorum oculis ac fronte quasi relucere spiritum sanctum, placidum, mitem ac fuci nesciũ. Agnoscas in illis iam nunc meditari uim numinis, quod in resurrectione perficiendum est, ut spiritus potentior corpus ipsum quodam modo in se transformet: Sic ediuerso hæretici, qui prorsus abiecto timore dei, conuulsaq; maiorum autoritate, semet ad omnem impietatem, omneq; scelerum genus dediderunt, ipsa corporis specie diabolum uidentur exprimere. Hieronymus in Ecclesiasten cap. 8. Omnis hæreticus & falsum dogma defendens, impudenti uultu est & odietur. Plato in Phædro: Fieri non potest, ut Aspasius, qui omninò deformis est, bonus sit. Homerus Odysseæ 10. & 9. lib. Ore nigra, latis humeris, crispoq; capillo. Plautus Capti. Sed qua facie est tuus sodalis Phylocrates? dicam tibi, macilento ore, naso acuto, corpore albo, & oculis nigris, subruffus aliquantum, crispus, concinnatus. Home. Ilia. β. de Thersite. Et Eras. lib. 5. Eccles. An non uobis uidetur &c. Hieronymus comment. in Hieremiam cap. 4. Omnia autem hæc mala uenient propter malitiam cogitationum siue adinuentionũ uestrarum. Vbi sunt qui in cogitationibus dicunt non esse peccatum, cum omnia uitia iuxta euangelicam ueritatem de corde procedant? Matth. 15. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia. Hæc sunt quæ impurant hominem. Cæterum illotis manibus capere cibum, non inquinat hominem. Sic D. Hieronymus formæ decus laudat in Paula Eustochij matre, quam nec morbus, nec mors extinxerat. Sic in Paulo Concordiensi laudat floridam senectutem, immortalitatis imaginem, ac resurrectionis simulachrum. Diogenes conspecto quodam inclita facie, sed mente improba: In hospitio, inquit, pulchro hospes deformis.

De causa efficiente. Cap. XIIII.



Xterni loci sequuntur, quorum prima sunt quę cognata dicuntur. De quibus dicturus, ueniam mihi uerbi istius impetratam uelim: quemadmodum in reliquis nonnullorum nominibus, non aduersas optauerim lectoris aures. Vt enim traderẽ locos alia distinctione & ordine, quàm sunt ab alijs ante me tractati, res ipsa mihi persuasit. Oportebit itaq; penès illam, ut huius facti mei, sic etiam nominum ipsorum, uel rationem esse uel culpã. Nec inueni sanè quo alio nomine complecterer causas & euenta, q̃ cognatorum: cum sint alteris altera nascendi ac prouenindi origine coniuncta. Sunt ergo cognata (ut diximus) causæ & euenta. Causas Aristoteles quiq; secuti sunt eum, quatuor fecerunt: materiam, ex qua res est: formam, per quam est: efficientem, à qua fit: finem, propter quam fit. Sed materia & forma in partibus dicta sunt: efficientem & finem dicemus. Causam

sam igitur in præsentia dicimus rem, cuius ui euenit aliquid. Vt autem aliquid eueniat, necesse est esse id, quod uim efficiendi habeat, cuius efficacia fieri formariq; res possit. Deinde id, si non aliquo ad agendum moueatur stimulo, iners segneq; manebit: adeo nihil fit in rerum natura temerè, & cui ratio non constet: omniaq; propositum sibi destinatumq; finem habent, propter quem faciant cuncta. Qui tametsi rebus ipsis nonnunquã sit ignoratus, ut sunt ea, quæ expertia sensus, naturæ tantum in agendo sequuntur impetum: autor tamen ille conditorq; nouit, cuius in agendo numini & iussis parent. Id ergo quod faciendę rei prębet operam, efficiens est. Id cuius gratia fit res, finem uocamus. Vltimum est enim in agendo, et quod ubi consecuti sumus, desinimus ulterius tendere. Est autem potissima causarum omnium finis. Nam materia formæ expers, rudis est & inculta, nec in ullius rei transit nomen. Forma si desit efficientis uis, prouenire nequit. Efficiens nisi finis cupiditate permotum, manet otiosum. Facile itaq; liquet, finẽ, quanq̃ usu effectuq; postremus sit, omnium tamen esse proposito atq; institutione primum. Efficientiũ duplex est conditio: Alia nanq; necessitatẽ in agendo sequuntur, alia delectum. Necessitate agunt, quæcunq; consilij iudicijq; expertia sunt: ut ignis proposito sibi quod urit possit, nequit non urere. Et terra uerno tempore non herbam, non quicquid aliud pro loci, cœliue ingenio solet, potest nõ procreare. Delectu agũt, quibus liberũ est agere uel non agere, ut homines illis in rebus, quas cõsilio, ratione q; administrãt: fortasse & brutorũ nonnulla, quę docilia sunt, et iudicium quoddã quandamq; deliberationis imaginẽ habent. Quanq̃ Aristoteles putat, non agere ea, sed agi potius: proinde enim ut specie rerum perceptarum mouentur, rapi, nec contra id quod uidetur obniti posse: opinionemq; sequi, non quã uelint, sed quam à rebus acceperint: nec possi non trahi eò, quod expetendum ipsis uidetur: nec non fugere, quod apparet uitandum. At uerò si nonnunquam inter duo uelut in ancipiti pendeant, id non euenire, quia consilio in hanc uel illam deducantur partem: sed quia duabus propositis rebus, & ex æquo ferè ad se rapientibus, non aliter quàm nauis inter diuersos dissidentesq; deprehensa fluctus, incerta & dubia uidetur cui potissimum cedat: utq; illa persæpe, non qua gubernatori uisum est agitur,

sed

ſed qua undarum uiolentior rapuit cumulus: ſic iſta non ſuum nutum habent, ſed inditam tantum à rebus commodi aut incommodi ſpeciem ſequuntur. Hominem autem cum diu multumq; penſitata re deliberauerit, non tamen quod res ſuadet, ſed quod animus iubet, ſequi crebrò uidemus. Poteſt enim in ea quæ deliberando damnauit, præceps contra conſilij ſui ſententiam ruere: & contrà, toto impetu fugere, quæ ſibi maxime expetenda ſunt uiſa. Verum hæc utcunq; ſint, non planè liberum eſſe brutis agendarum rerum arbitrium, non uidetur abhorrere uero: delectu tamen agere, quando bonarum eſt ipſis malarúmque rerum diſcrimen, nemo (quod equidem credam) repugnet. Rurſus quæ neceſſitate agunt, eorum quædam naturæ conatu, alia externa ui agunt. Conatu naturæ agunt ea, quorum agendi principium eſt intra ipſa, nullo externo adiuuante. Vt ignis urit, quoniam caloris uis qua urit, natiua eſt ipſi. Itaq; non deficit res iſtas agendi uis, neq; ceſſant agere, quamdiu eſt copia ipſis alicuius, in quod efficaciam ſuam explicare poſſint. Violentè uel (ut diximus) ui externa agere dicuntur, quibus ab alio uis eſt agēdi inſerta. Vt aqua feruens calefacit: uerum non ſua, ſed ignis ui, à quo calorem accepit. Sic lapides, & ſi qua alia mittuntur tormentis, ſupra ſe & in ſublimi poſita diſijciunt, non proprio impetu, ſed eo qui iacientium uiolentia ipſis eſt intortus. Itaq; non eſt diuturna uis iſtorum, ſed renituntur, franguntq; quantum poſſunt inditum ſibi conatum, & ſtatim redduntur naturæ ſuæ. Inde fit, ut initio uehementiſſimus ſit ipſorum motus, ut qui ſit impellenti proximus, ſpacio deinde paulatim amittat uires, & elangueſcat. Sed eis quæ neceſſitate agunt, ad agēdum ſufficit, ut poſſint agere: quæ uerò delectu aut conſilio, ut etiam uelint, eſt opus. Quæ cauſa eſt, quòd in cōtrouerſijs ijs, quibus factum nec'ne ſit aliquid, quæritur, colligi ſolet, uoluerit: deinde potuerit'ne quis facere id, quod arguitur feciſſe: quæ ſi probata fuerint, facillima eſt ei quod tertium ſumi ſolet, id eſt, quòd fecerit, probandi uia. Eſt & alia efficientium diſcretio. Quædam enim ſunt (ut Græci aiunt) κύϱια, hoc eſt, præcipua & imperantia: quædam obſequuntur & miniſtrant. Et horum, alia agunt, alia agendi ſunt inſtrumenta: ut in domo facienda, architectus imperat: qui quomodo fieri quicque debeat, iubet. Is qui lapidem ſculpit, qui parietē extruit,

qui

qui cædit aptatq; materiam, ministrat. Instrumenta sunt, secures, terebra, mallei, & quæcunq; sunt alia, quibus opus suum explicat. Sic in bello, ciuitas uel princeps autor rerum gerendarum imperat: miles obsequitur: equi, arma, omnisq; copia impedimentorum militarium, instrumenta sunt belli. Sed de efficiente hactenus.

IN CAPVT XIIII.

Veniam mihi uerbi istius impetratam uelim.) Cicero lib. 1. Academicarum quæstion. Dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis, quod Græci ipsi faciũt, à quibus hæc iã diu tractantur, utamur uerbis interdum non auditis. Erasmus Roterod. lib. ecclesi. 2. Neq; uero parum difficultatis attulerunt, qui in tradendis artis præceptionibus innouant uocabula, quod insigniter studio fuit Quintiliano: quiq; inuertunt ordinem, ne nihil noui adferre uideantur. Quatuor fecerunt.) Cicero in partit. orat. Causarum autem genera sunt plura. Nam sunt aliæ, &c qui locus diligẽter est euoluendus: nam maxime facit ad hanc rem. Plato adiecit Idæam illam suam uniuersalem formam, quam necesse est intueri artificem ut exemplar. Seneca lib. epist. 8. epist. 66. accurate simul & copiose, de numero causarum, deq; alijs quæ non parum huic capiti conducunt disserit, adductis uniuscuiusque causæ exemplis aliquot. Efficientem.) Seneca alicubi uocauit opificem. Si non aliquo ad agendum moueatur stimulo.) Egregia est Plutarchi in symposio septem sapientum de uentre sententia, qui nisi identidem esset mire famelicus, irruaretq; latrans stomachus, plerique omnes desides essemus, iuxta atq; ignaui. Huius ergo gratia probe saburrandi, alij alio excitamur.

Nec in ullius rei transit nomen.) Complete scilicet ut uocant. Adeo nihil fit in rerum natura temere.) Augusti lib. ciuit. diuinæ 5. cap. 1. & proxime sequentibus. Cæliue ingenio.) Hoc est, innata terræ proprietate, indoleq;. Ingenium, nec inusitatum, nec inelegans est pro natura. Exemplorum ubiq; est satis. Delectu agunt.) Tria sunt eligibilia: nimirum honestum, utile, delectabile. Plinius lib. 8. cap. 5. de intellectu & memoria elephantorum. Ibidem cap. 12. de solertia animalium. Idem libro 9. cap. 4 de aquatilium sensu. Idem lib. 10. cap. 43. Fortasse & brutorum nonnulla.) Castor ob uitæ conseruandæ spem, alterum testiculorum euellit insequenti. Elephas item mauult duorum pati dentium, quàm totius uitæ dispendium. Quanquam Aristoteles putat.) Aristotelis opinio est, in brutis nullam prorsus esse deliberationem, proinde nec prudẽtiæ particulam: cui fortiter reclamat Plutarchus Chæro. in commentario ubi edisserit, utra animatia prudentiora sint, terrestriáne an marina, & in eo libello an brutis insit ratio, ac Lucianus in metamorphosi. Vide Vall. lib. 1. dial. cap 9. At uerò si nonnunquã.) Dispice lector optime, num satis occurrat obiectioni per ὅμοιον illud, quod meo quidem iuditio (ut pace tãti uiri dixerim) magnam partem potius uideatur ἀνόμοιον. Nec me fugit esse permultos, qui habere uidẽtur, quod occurrat obiectioni, si uera narrent de cane uenatico, qui leporem insequens si forte incidit in biuiũ, nec sciat utra fugerit lepus, alteram uiam ingressus, si odorem non persentiscat leporis, ea relicta, cõijcit se in alteram: quod non absq; deliberatione fieri uidetur. Hoc ideo dixerim, ne quis me temere tantum uirum suggillasse calumnietur: certe Rodolphi iudicio admodum confido, uel in hac sane parte. Verum liberum esto suum cuiq; iudicium. Non aliter quàm nauis.) Eadem aut ferè eadem extat similitudo apud Homerum Iliad. 4. & 10.

ὡς δ' ὅτε πορφύρῃ πέλαγος μέγα κύματι κωφῷ

δαόμενον λιγίων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα
ἄντως οὐδ' ἄρα τι προκυλίνδεται οὐδ' ἑτέρωσε
πρίν τινα κεκριμένον καθαβήμεναι ἐξ Διὸς οὖρον.

Potest enim in ea quæ deliberando damnauit.) Vt Dauus ille Horatianus in lib. sermo. 2. saty. 7. hero suo loquens. Non uidetur abhorrere uero.) Rodol. ubiq; ferè usurpat abhorrere, citra præpositionis interuentum. Sic & Plinius quoq; lib. 37. cap. 8. Viliori est turbæ Prasius, cuius alterum genus sanguineis abhorret. Cicero adijcit præpositionem, ut lib. 15. epist. A ducenda uxore sic abhorret, ut quicquam libero lectulo neget esse iucundius. Terent. in Hecyra: Nam omnino abhorrere animum huic uideo nuptijs. Sueto. in Calig. Nec abhorret à ueritate. Catul. Sæuaq; abhorrebas prisci præcepta Catonis. Vt ignis urit, quoniam caloris.) Dictu mirum quàm salsè nec minus item eruditè dixit Hesiodus:

οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ ληίζετ' ἄμεινον,
τῆς δ' ἀγαθῆς, τῆς δ' αὖτε κακῆς οὐ ῥίγιον
δειπνολόχης, ἥ τ' ἄνδρα καὶ ἴφθιμόν περ ἐόντα
εὕει ἄτερ δαλοῦ καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν.

Violente, uel ut diximus.) Violentum autore Aristo. 3. ἠθικῶν, cuius principium est externum, passo conferente uim, ut est motus grauis sursum, & contra leuis deorsum. Naturale est illud, quod fit à principio intrinseco passo conferente uim, ut est motus grauis deorsum, leuis itidem sursum (ut statim redduntur) hoc est, redeunt ad qualitates, motusq; sibi naturales.

Vehementissimus fit ipsorum motus.) Aristoteles 8. Phys. Motus naturalis uelocior est in fine, quàm in principio. Violentus uerò motus uehementior in principio, quàm in fine.

Voluerit, deinde potuerit'ne.) Quintil. lib. 7. cap. de coniectura, primum à præteritis: in hijs sunt personæ, causæ, consilia: nam is ordo est, ut facere uoluerit, potuerit, fecerit.

Exempla efficientis causæ.

Cicero quum Voconiū forte obuiū haberet cum filiabus tribus insigniter deformibus, tacite ad amicos dixit uersiculum Græcum: φοίβου ποτ' οὐκ ἐῶντος ἔσπειρεν τέκνα: Id est, Phœbo haud sinente, hic seminauit liberos. Sentiēs illum inuito Apolline liberis operam dedisse, siue quòd Apollo pulcher à poëtis fingitur, siue quòd oriente sole fœtus existiment concipi feliciores. Augustinus libro 3. contra Academicos cap. 18. Eruditio artium liberalium modesta sane atq; succincta, & alacriores, & perseuerantiores, & comptiores exhibet amatores amplectendæ ueritati, ut & ardentius appetant, & constantius insequantur, & inhæreant postremo dulcius. Orator quidam Aristippum reum defendit in iudicio, uicitq; litem. Is quum uelut artem suam præferens philosophiæ, diceret, quid tibi profuit Socrates Aristippe? Hoc, inquit, quod oratio quam pro me dixisti, uera fuit. Defenderat ut uirum bonum & innocentem. Vt autem talis esset, qualis ab oratore prædicabatur, Socrates præstiterat, à quo philosophiam didicit. Orator non hoc efficit, ut quis sit uir bonus, sed ut talis uideatur iudicibus, etiamsi non sit. Præstantius igitur est quod præstat philosophus, quàm quod orator. Terentius Eunu. Viden' ocium & cibus quid faciat alienus? Plautus Curculione: Flamma fumo est proxima. Fumo comburi nihil potest, flamma potest. Esaiæ 47. Non sunt prunæ quibus calefiant, nec focus ut sedeant ad eum. Ibidem 66. Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? Prouerb. 20. Subsannatores facit uinum, & tumultus parit ebrietas. Quisquis illa delectatur, non erit sapiens. Prouerbior. 18. Hilaris animus facit ægritudinem. Matthæi 15. Non quod ingreditur. Rom. 11. Quòd si primitiæ sanctæ. Danie. 2. Deus transfert & con

stituit

stituit regna. Cice. 11. Philip. Lex, inquit, nihil aliud est, nisi recta & à numine deorũ tracta ratio, imperans honesta, & prohibens contraria. Prouerbiorum 8. Per me reges regnant, & iusta constituunt. Hierony lib. 1. comment. in Oseæ cap. 2. Hæretici matrem habent iniquitatis suæ superbiam, dum semper aliena se scire iactitant, & in ecclesiæ contumeliam debacchantur. Sed infirmabitur arrogantia eorum, & populus ac magister pariter corruent. Domus & diuitiæ dantur à parentibus: à domino autem propriè uxor prudens, Prouerb. 19. Terent. Adel. Pueri inter sese quàm pro leuibus noxis iras gerunt: Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.

De fine. Cap. XV.


Inem potissimum esse causarum diximus. Is enim est cuius gratia omnia agunt. Agunt autem omnia boni alicuius gratia: & quicquid bonũ esse sibi, uel natura monstrauerit, uel ratio persuaserit, in id ferũtur. Quo pacto ergo ratio boni in rebus discreta erit, eodem & finium sumemus diuersitatem. Quędam enim sunt per se bona, quædam quia aliis conferunt, bona dicũtur. Quæ per se sunt bona, ea certum est summa esse, & supra quæ nihil sit expetẽdum. Ea sunt (ut breuissimè dicamus) status uniuscuiusq; rei in suo genere perfectissimus. Summũ itaq; ignis bonũ est, & supra quod nihil requirat, esse maxime calidum & siccum: & aquæ, maxime humidam esse & frigidã. Sic arboris, sic bouis, sic equi, perfectissima illa absolutissimaq; habere, quæ sibi tribuit in suo genere rerum natura. Hominis etiam, non qua uiuit, qua sentit, spectandum est summum bonum, sed qua mentis est atque consilij capax: hac enim maximè censetur homo. Conferentia dicuntur, quæ ad summa consequenda adiumento sunt, ut cibus, potus, uestis, & reliqua quæ tuendę hominis uitæ conducunt. Nec enim perfectè, id est, feliciter, uiuere potest quis, si ea conditione sit, ut uiuere omnino non possit. Sed bonorum atque proinde finium quandoque ratio initur pro singularum rerum conditione, quam habet in genere suo quæque: quemadmodum iam prædiximus: & sicut dicimus ædificantis finem esse domum, & belli finem uictoriam: quæ quidem esse in suo genere ultima uidentur: neque enim ædificat amplius ille, neque hic bellum gerit, ubi domum fuerint atque uictoriam consecuti. Quòd autem ille extruendo parieti calcem parat, lapides congerit: certum est parietem finem quendam esse, sed non ultimum: quia domus causa paries

paratur: sic & hic, cum tormenta instituit subruendis muris proturbandisq; defensoribus, oppidorum expugnandorũ gratia hæc agit: ergo & hic finis quidem est, sed medius & uictoriæ conferẽs. Quandoq; uero fines accipimus ex toto ordine rerum, quo cuncta, alterũ alterius usibus, uidentur addicta, quoniã omnia melioribus seruiũt. Sic si omnia quęcunq; sunt, uno uelut complexu colligamus, quẽad modum unũ est summè, & sine ullo perfectionis detrimento bonũ, sic unus est ultimus omnium finis. In eis uerò, quę in media sunt rerum serie sita, alterũ incumbit alteri, prout est cuiusq; magis minúsue cõsummata natura. Sic igitur in equo est duplicẽ intelligere finẽ: alium naturę suę: itaq; ferocẽ, indomitũq; esse, & nullis obnoxiũ habenis, optimum in ipso fuerit, q naturę suę accommodatius id est, q̃ sessorem pati, fodi calcaribus, & freno flecti, frangiq; in giros. Nec enim omnibus tãtus ingenitus esset libertatis amor, si serua nasci melius ipsis fuisset. Alium contrà finem in ipso accipimus, ut humanis usibus accommodatus est. Sic bonum esse dicimus, non quod sibi maxime cõuenit, sed quo maximè satisfaciat ministerijs nostris. Sic terra herbis, arboribusq; uestita, perfectissima uidetur: quippe quòd ijs procreandis est nata: at nobis, in fora, in uicos disposita, in ędium templorumq; areas æquata, sterilis & nuda, aptior est. Istud etiam prætereundum non uidetur, posse unius plures esse fines, ut alius sit operis, alius operãtis, alius iubentis. Sic ædificationis quidem, quod ad ipsam pertinet, finis est domus: quod ad ædificantem, merces locatæ operæ: quod ad iubentem, uel ut habitet domum, uel ut donet, uel ut uendat. Sic studiorum proprius est finis eruditio: at eius qui studet, potest etiam quidam finis esse eruditio, sed fortasse est uel gloriæ, uel lucri spes. At patris qui sumptum studenti præbet, amor, incrementaq; filij. Amici quoq; qui suasit, ut aliquando opera fortasse & eruditione studentis utatur. Illud etiã dicendum est, ut quicque in agendo primum est: ita finem sibi destinat postremũ. Media quanto magis à primo recesserũt, tãtum citra postrema subsistunt. Prima enim ad agendum potissima sunt, postrema ad expetendum: illorũ enim gratia alia expetuntur. Sic in facienda naue, primæ sunt partes eius qui impensas præbet, cuius finis sunt opes quæ ex subuectis parantur mercibus. Illum nauta sequitur; is nanq; non eousq; se porrigit,

rigit, uerum lucrum ex nauigandi mercede ſpectat. Iam qui nauem fabricatur, non id quærit, ecquis ipſa ſit nauigaturus, modo extruat nauem. Sic qui ligna cædunt, qui ancoras, funesq; parant: non illi nauem ſpectant, ſed ut materiam ſolam præbeant, instrumentū nauticum parent. Quô fit, ut uirtus, quoniam optima eſt, laboribus & ſudore quæratur, ut quæ in arduo ſit & longiſſime poſita, cuiq; parandæ omnia alia ſint deſtinata. Vitia uerò & uilia omnia, ad manū ſint, & (ut inquit Heſiodus) cumulo liceat accipere.

IN CAPVT XV.

Finem potiſſimum eſſe cauſarum.) Capite proximo ſuperiore ante medium, & lib. item 2. cap. 11. Finis inquit potiſſimus eſt rerum omnium &c. Cuius gratia omnia.) Cicero lib. 2. Offi. Finis eſt, cuius gratia aliquid fit: ut domus conſtruitur gratia tuendi ſe aduerſus iniurias cœli. Auguſtinus lib. de morib. monachorum cap. 13. Finis enim, quò referuntur ea quæ facimus, id eſt, propter quem facimus, quicquid facimus, ſi non ſolum inculpabilis, ſed etiam laudabilis fuerit, tunc demum facta etiam noſtra laude aliqua digna ſunt. Sin ille uere meritoq; culpatur, quem ſpectamus & intuemur, quum in aliquo uerſamur officio: id quoq; officiū nemo improbandū uituperādumq; dubitauerit. Agunt autē omnia boni.) Ariſto. in ipſa ſtatim fronte lib. ἠθικῶν. 1. D. Auguſt. lib. 11. de Trinitate cap. 6. Et belli finē uictoriam.) Cicero ad Atticū lib. epiſtolarum 8. Vt enim gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori uictoria: ſic moderatori reipublicæ beata ciuium uita propoſita eſt, ut opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, uirtute honeſta ſit. Sic arboris, ſic bouis.) Valla lib. dialect. 1. cap. 11. Nec enim perfecte.) Ariſtot. li. Rheto. 1. cap. 5. Sine ullo perfectionis detrimento.) Is nimirū eſt, opt. maxi. Omnis enim perfectio, ex ipſo, & in ipſo eſt, & ultra quē non eſt quò ſpes ſe extendit. Auguſtinus de uera innocentia, cap. 198. Finis hominis iuxta philoſophiā moralē, eſt obedire rationi. Hæc eſt actio uirtutis, ſed magis philoſophicum eſt conſtituere eundem finem, quem lex Dei conſtituit, ſcilicet obedire Deo. At ſecundum euangelium, finis hominis eſt Deum agnoſcere, amare, timere, mandata eius ſeruare, & accipere miſericordiam oblatam propter Chriſtum, & uiciſſim pro illo beneficio gratum eſſe, deo obedire, & Dei gloriam illuſtrare. Sic igitur in equo eſt duplicem intelligere.) Ioannes Chryſoſto. Homel. 30. Quod nemo læditur niſi à ſeipſo: Quæ ſit uirtus, ſimilitudinem ex corporeis ſubſtantijs capiamus Verbi gratia: Videamus quæ ſit equi uirtus. Numquid in argēteis frenis, pulchriſq; tapetibus, ac ſericis flammulis, phaleriſq; gemmatis, iubaq; aureis intexta funiculis equi uirtus iudicatur, an uelocitate curſus, fortitudine pedum, greſſuſq; cautela, ac pectoris firmitate, cunctiſq; quæ itineri faciendo apta uidentur, aut prælijs peragendis, ut uel interritus hoſtem petat, uel in aduerſis proprium poſſit ab exitio liberare ſeſſore. Nonne in his potius equi uirtus, quàm in illis, de quibus ſuprà dictum eſt, declaratur? Quod autem eſt reliquorum animaliū, nonne in eo omnis probitas habetur, ſi uel ferre onera fortiter, uel robuſta poſſunt mouere carpenta? Nunquid uolens aliquis probare animal, ad ea reſpicit, quæ ei ſuperpoſita uiderit, an (ut diximus) ſi non potius membris, ungulis ualidum ſit, inſpicietur? Item ſi uineam probare uolumus, nunquid ad hoc inſpicimus, ſi latos habeat pampinos, aut flagella magis diffuſa? An ad illud potius aſpicimus, ſi denſior ei fru-

ctus sit, & uua fœcundior. Similiter de oliua & huiusmodi arboribus contemplamur. Igitur eo modo quoq; de hominib. agamus, discutientes quæ, & ubi sit uera hominis uirtus, & tunc eum lædi putemus, quũ in ipso fuerit læsus. Itaq; ferocem indomitumq; esse.) Columella lib. 7. cap. 27. Plutarchus in uita Themistoclis: Immites pulli, optimi equi euadunt. Nec enim omnibus tantus ingenitus esset.) M. Tul. lib. 5. de finibus bo. & malo. Ne bestiæ quidem, quas delectationis causa concludimus, cum copiosius alantur, quàm si essent liberæ, facile patiuntur sese contineri, motusq; solutos & uagos à natura sibi tributos requirũt. Non quod sibi.) Rodolphus aliquoties, contra ac Lauren. Vall. docet, utitur sibi, sed tamen ita, ut eo doctißimi quiq; non raro usi fuere. Qui uerò in aureolis hisce libris, qui tantis exuberant uirtutibus, de pauculis uoculis cauilletur: idem facit querenti de natura, quòd quædam genuerit noxia, dißimulatis tot bonis. Quis est etiam qui non quandoq; in pulchro corpore aut næuum, aut uerrucam habeat? Posse unius plures esse fines.) Meminit eiusdem rei idem quoq; autor libro secundo capite quarto: sanè quàm apposita similitudine de cibo desumpta. Sic & belli fines sunt, medij quidem, hostis profligatio & uictoria: ultimus autem, pax & reipub. incolumitas. Amor incrementaq; filij.) Non satis apparet, quonam pacto amor filij dicatur finalis causa, cum potius efficiens sit causa, nisi forte sic accipias, proinde à patre filio sumptum suppeditari, ut à filio ametur, uel ut filius ametur ob doctrinam à patre, uel ali quot item alias singulares ingenij dotes. Vt quæ in arduo sit.) Atque hoc est quod dicit Homerus, μωλύ herbam radice nigra, sed flore lacteo mortalibus inuentu esse difficillimã: & quæ de aureo ramo commemorat Verg. in sexto. Vitia uerò.) Vt quæ præclara sunt, uix multo cultu proueniunt, contrà cæpe, allium, & quædam huiusmodi, etiam reposita aut suspensa proferunt sese: Ita quæ sunt egregia, non nisi multo contingunt labore, quæ mala, paßim sunt obuia. Habet autem hoc ferè perpetuum ac peculiare Rodolph. ut in calce locum aliquem tractet quàm maxime amœnum, quo lectorem uoluptate alliciat, & inuitet ad sequentia libentius legenda. Cumulo licet accipere.) Fertur & huiusmodi sententia: Διζημένοισι τ᾽ ἀγαθὰ μόλις παραγίνεται, τὰ δὲ κακὰ καὶ μὴ διζημένοισι, id est, bona uix accidũt ijs, qui quærunt: mala uel non quærentibus obtingunt. Σύντομος ἡ πονηρία, βραδεῖα ἡ ἀρετή. Adag. Compendiaria res improbitas, uirtus longa. Quô fit, ut uirtus quoniam optima est.) Vide adagium: Difficilia quæ pulchra. Demosthenes: Δεῖ τοὺς πόνους διώκειν, ἀφ᾽ ὧν τὰ μεγάλα καὶ λαμπρὰ γίνεται τοῖς ἀνθρώποις. Eras. Rot. lib. Ecclesiast. secundo: Multos deterret à cultu uirtutis illud undiq; iactatum, eam circa difficilia uersari. Hoc enim in totum negari non potest, eleuandum est, si dixerimus magnam difficultatis partem abesse, si toto pectore uelimus esse boni. Amanti enim nihil difficile. Tum quod initio submolestum est, breui assuetudine primum fit leuius, mox etiam iucundum.

EXEMPLA.

Cicero Philippica septima: Si pace uolumus frui, bellum gerendum est: si bellum omittimus, pace nunquam fruemur. Rursus octaua Philippica: Quæ causa iustior est bella gerendi, quàm seruitutis depulsio? in qua etiamsi non sit molestus dominus, tamen est miserrimum posse si uelit. Terentius Andria: Feci è seruo ut esses libertus mihi, propterea quod seruiebas liberaliter mihi. Terentius Phormione: Nostrapte culpa facimus, ut malos expediat esse, dum nimium dici nos bonos studemus & benignos. Quintilianus lib. 10. capit septimo: Qui stultis eruditi uideri uolunt, stulti eruditis uidentur. Cicero Tusculana. disput. Socratem ferunt

runt quum usq; ad uesperam contentius ambularet, quæsitumq; esset ex eo, quare id faceret, respondisse, se quo melius cœnaret, obsonare ambulando famē. Cicero in Tuscul. Noctu ambulabat in publico Themistocles, quòd somnū capere non posset, quærentibus respondebat: Milciadis trophæis se somno suscitari. Hiere. 32. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. 1. Regum decimoquinto: Pro eo quod abiecisti sermonem domini, abijciet te dominus, ne sis rex. Oseæ quarto: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Prouerb. uigesimo: Propter frigus piger non arat, & mendicabit in messe, & nihil impetrabit. Prouerb. decimosexto: Omnia facit dominus propter se, etiam impium ad diem malum. Prouerb. 31. Date siceram adflictis, & uinum mœstis, ut poti obliuiscantur inopiæ suæ, & ærumnarum Ad hunc ordinem referendum est, quòd sanctiss. dixerunt Stoici, omnia condita esse hominum caussa, homines uerò deorum caussa. Alexander ille Magnus dicere solebat, se urbes capere, non ut homines occideret, ædificia exureret: sed ut eis meliores leges præscriberet, ut iam non hostis, sed deus aliquis uideretur aduenisse. Gregorius Nyssenus in mystica Mosaicæ uitæ enarratione: Vt agriculturæ finis est frugum perceptio, ædificationis ædium est habitatio, & nauigationis diuitiæ, certaminis corona: Sic uirtuosæ uitæ finis est, ut seruis Dei sis & uociteris. Cicero lib. de Oratore. 1. Sit ergo in Iure Ciuili, inquit, finis hic, legitime atq; usitate in reb. caussisq; ciuium æqualitatis cōseruatio. Matthæi. 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, glorificentq; patrem uestrum, qui est in cœlis. Hieronymus in prima ad Algasiam quæstione: Et quia omnis prædicatio falsa, sectatur lucra, & gloriam quærit humanā, ut per gloriam nascantur compendia, asserit eum camelorum uestitum pilis, nulli posse adulationi succumbere, & qui locustis uescitur ac melle syluestri, opes neque alias terrenas delitias quærere, rigidaq; & austera uita aulas uitare palatij, quas querunt qui purpura, bysso & mollibus uestiuntur. Augustinus de utilitate credendi ad Honorium: Hæreticus est (ut mea fert opinio) qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusq; sui gratia, falsas ac nouas opiniones uel gignit, uel sequitur. Hieronymus libro primo Commentariorum in Hieremiam capite tertio: Nulla enim hæresis nisi propter gulam uentremq; cōstruitur, ut subuertat mulierculas oneratas peccatis, semper discentes, & nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes.

De euentis. Cap. XVI.


POterant (quod ad euenta pertinet) uideri sufficere quæ de causis diximus. Neq; enim melius ratio uarietasq; euentorum cognosci aut tradi potest, q̄ ex causis: nos tamen si quid uel proprium est huius loci, uel hic dicet fortasse cōmodius, exequamur. Euentorū autē primum nobis est sumenda pro causis differētia. Vt enim sunt causæ efficiēs & finis: sic euenta possumus dicere esse effectū & destinatum. Quod enim fit ab efficiente, effectum dicere libet, quando effectus nomen aptissime efficienti coniungitur. Cicero quidem

promi-

promiscue effecta, & euenta ea quæ à causis fiunt uocat, sed causam (id quod ex uerbis illius perspicere licet) ad sola efficientia redegit. At uulgo effectus nomen tam late extendimus, quàm causam. Mihi ad loquendi usum, & ad propriam nominis uim, euenta commodius uidentur dici, quæcunq; ex causis oriuntur. Euentaq; efficientium, rectissime effecta uidemus: quando efficientis & effectus nomina iuncta sunt arctissime: & in eodem genere, alterum agentis, alterum patientis præ se fert faciem. Eritq; hic locus nobis quemadmodum causarum, duplex: sicut enim ille diuiditur in efficientia & finem, sic iste diuidetur in effecta & destinata. Fiunt autem ista plerunq; causæ & euenta, prout uarie ultro citroq; comparantur: suntq; eadem etiam persæpe & fines, & efficientia, & effecta, & destinata. Vt in ædificatione, is cui struitur domus, primum efficiens est, & domus finis est ultimus. Quæ autem media sunt, architectus, fabri, instrumenta, si domum ut effectum accipimus, efficientia sunt: domino uero comparata, effectorum obtinent locum: sin domum statuimus finem, destinata sunt: at domini respectu, quia parādis ipsis insumitur opera, medij quidam sunt fines. Idem enim finem esse & efficiens, nihil repugnat, non modo diuersis, sed eidem etiam, dummodo diuersa ratione, comparatum: ut qui domum ædificat qua ipse utatur, efficiens est domus, quatenus eam ædificat: & finis, quatenus eam propter se, hoc est, habitandā sibi parat. Sic forma & finis idem esse possunt: forma enim omis ferè actionis proximus est finis. Materia & finis, materia & forma, efficiens & materia, efficiens & forma, nequaquam possunt in idem conuenire. Neq; enim nauem fabricāti, finis esse possunt ligna, è quibus ipsam fabricatur: neq; idem esse ligna possunt, quod forma nauis: sed neq; ligna, neq; forma nauis, neq; alia quæuis huiusmodi queunt ipsa sese efficere: quod necesse esset, si idem & efficiēs esse, & uel forma uel materia posset. Huius etiam admonendi sumus, cuiuslibet euentus in suo genere unam esse causam: & contrà quoq; causæ cuiuslibet, unus est per se & proximus euentus. Quòd prædiximus autem, esse nonnunquam plures unius rei fines, id nō obstat isti quod iam dicimus, quod uel ex uerbis illis perspici poterit. Aedificātis enim finis unus & solus, est domus: ad quem cum peruenerit, cessat. Quod autem præter domum,

uel lu-

uel lucrum, uel aliud quicquam pro opera petit, id non facit quatenus ædificans est, sed quia uel inops uel auarus est. Sic etiā forte gloriam sperat ex opere: uerum non quantum ædificans, sed quia aliquà id sibi putat profuturum. Potest itaq; quis, ut non sequātur ista, ædificare: ut non fiat domus, ædificare non potest. Copiosus est hic locus causarum & euentorū, & in uarios patens usus. Huc enim ferè redeunt cuncta, quæcunq; in consilio hominū deliberationeq; uersantur. Duo enim ista in consulendo maxime sequimur, expediat nec ne, & an fieri possit: quorum quid expediat, ex fine colligimus: quid fieri possit, ex efficientibus. Quicquid enim utile, id alicui rei consequendæ utile oportet esse. Sic quicquid fieri posse uolumus, maxime ex efficientis facultate poterit ostendi. In laude etiam & uituperatione, præcipuas hi loci obtinent partes, cum utraq; illa, non alia re certius, uerius'q; constent, quàm effectis, & fine. Ad uirtutis uero rationē præcipue pertinet finis, quando multis in rebus nō tam refert quid facias, quàm ob quam causam facias. Et idem factū, alius ut ob iram, inconsultum'q; mentis impetū uituperabit, alius ut magnanimitate & constantis uiri proposito dignū laudabit: sic honestum, quia per se expetendum dicimus, quod ultimi finis propriū est, ex destinatis uel maxime dignoscetur. Neq; hæc tamen eò pertinent, ut uel hos locos à reliquis quæstionibus, uel ab his quæstionibus reliquos locos excludendos putem: neq; si maxime conuenire istis dico, idcirco solum cōuenient. Varia est horum omnium ratio, & de quibus perpetuū nihil semel poterit præcipi: sed quid optimum sit, rerum præsens usus melius docebit.

IN CAPVT XVI.

Huius admonendi sumus.) Euentum uocat, quod prouenit ex causæ actione, quod nostri causationem appellant, barbare quidem, ut pleraq; omnia, sed tamen non pessime. Nec enim sunt in hoc solliciti, dum res ipsa uolentibus discere appareat. Effecta, euenta seu opera & tanquàm fructus efficientium. Atque horum quædam propria seu proxima sunt, quædam accessoria, seu (ut ita dicam) secundaria, ut ignis calor proximus effectus est. Quòd autem hinc in luto sequitur induratio, in cera mollities: accessiones sunt primi illius euentus. Destinata, quæ in certum finem aliquem ordinantur, ut quos medios fines esse diximus. Fiunt enim eadem plerunque causæ, & euenta, prout uarie comparantur.

In laude etiam & uituperatione.) Cum utraq; illa non alia re certius uerius'q; constent, quàm effectis, destinatis & fine, ut cū quo animo curaq; aliquid factum sit ostenditur. Duo

M enim

enim ista in consulendo.) Quintil. lib. 4. cap. 10. refert quibusdam placuisse in suasionibus tria esse spectanda: sit'ne utile, sit honestum, & an sit necessarium. Caeterum ipse Fabius extremum hoc membrum reijcit. Nã ubi necessitas est, ibi cõsilio locus esse non potest. Lege Isocratem in Philippico, cuius orationis status est negocialis. Qualis est itidẽ eiusdem oratio de pace. Et idem factum alius ob iram.) Vt uidere est in Iulij Caesaris caede, & in morte Catonis, & Bruti filiorũ, quas alij laudant, alij uerò immane quiddã esse putant. Et idem factum, alius ut ob iram inconsultumq́;.) Eras. lib. 2. de ratione concionãdi: Tantum autem momenti habet finis, ut commutet facti nomen. Dauid reprehẽditur, quòd occiderit Vriam, q̃a scelus erat quod appetebat. At Phinees duob. occisis, laudẽ meruit: quia nec odio, nec liuore, nec praedae gratia occidit, sed ut populum à turpi exemplo deterreret, & legi diuinae suã uindicaret autoritatem. Constantis uiri.) Quod genus est, si quis Achillis in bello cessationem, aut uituperet propter iram, aut laudet, quòd uir magnanimus iniurias ferre non possit. Suntq́; eadem etiã persaepe & fines, & efficientia, & effecta, & destinata. Saepenumero haec in idem recidunt, nec tam re, quàm comparatione distinguuntur, ut domus, & effectum, & destinatũ, tum finis quoq; & efficiens esse potest. Efficiens, quatenus praestat ut ab iniuria tempestatũ tuti simus. Quid fieri possit ex efficientibus.) Non sunt autem tentanda, quae fieri nõ possunt. Quaedã honesta sunt ac magnifica, sed magno reip. malo tentãtur, si nequeas perficere. Atq; haec est praecipua pars boni consultoris, dispicere nõ solum quid per se optimum sit, sed quid pro temporum ratione possit obtineri. Expediat nec'ne, & an fieri possit.) Cum de Graecorum libertate quidam in medium adduxisset magnifica quaedam, sed factu perquàm difficilia: Tua, inquit Agis, uerba hospes opus habent uiribus & pecunia: perq̃ scitè declarans frustra de his uerba fieri, ad quae perficienda non suppetit facultas. In consultationibus enim non solum spectandum est quid sit factu pulcherrimum, sed quid fieri possit. Septem ab Aristotele ad Alexandrum numerantur, de quibus in ciuili statu seu republica cõsultatur atq; deliberatur: Sacra uel religio, leges, reipublicae instauratio uel institutio, foedus sociale, bellum, pax, prouentus seu uectigalia. Vide adagium: Qui bene conijciet, uatem hunc perhibeto optimum. Quaecunq; in consilio hominum deliberationeq́; uersantur.) Erasmus Rot. lib. 2. de ratione concionandi: De genere suasorio illud in summa praecipitur, ut dicturus expendat quid & quale sit quod persuadere destinat, qui sint quibus consulit, & quis sit ipse qui suadet: & quae sequuntur. Ac mox: Quod Fabius suasorium appellat, alij uocãt deliberatiuũ. Dubitari potest, an expediat cõiugatos ad cõtinentiae uotũ recipere uirente etiamnũ aetate. Item, An phas sit profiteri uitam monasticam inscijs aut inuitis etiam parentibus, quibus liberorum officio opus sit. Item: Quanquam autem quod nullo fieri potest modo, nõ cadit in genus suasoriũ: tamẽ in primis spectandum, an hoc de quo deliberatur possit fieri &c. Quorum quid expediat, ex fine colligimus.) Theodorus Chius Ptolemaei regis in arte rhetorica praeceptor, in consilium ascitus, cum deliberaretur, utrum Pompeius ab Aegypto repellendus esset, an admittendus, ei suit receptum occidendum, addens hoc dictũ: Mortuos non mordere. Lege apud T. Liuium M. Furij Camilli dictatoris concionem, de nõ migrando Veios, ad pop. Rom. contra Trib. pleb.

EXEMPLA EFFECTORVM.

Cicero de claris oratoribus: Pacis est comes, otijq́; socia, etiã bene cõstitutae ciuitatis quasi alumna quaedam, eloquentia. Hierony. Quibus ferè nihil solet cũ literis conuenire. Est enim alumna pacis eloquentia, laetis ac trãquillis rebus efflorescit. Primi reg. 24. Ab impijs egre

dietur

dicitur iniquitas. Matthæi 7. Omnis arbor bona, fructus bonos facit: putris autem arbor, fructus malos facit, &c. Igitur ex fructibus ipsorum agnoscetis eos. Matth. 13. Cum autem germinasset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Aeschines aduersus Timarchum: ἐκ γὰρ τῶν πράξεών τινα ὥρισεν κρίνειν, ἐκ τούτου τοὺς νόμους ἔθεντο οἱ παλαιοί. Ex malis moribus leges bonæ sunt factæ. Plautus: Sparsisti aquam, iam rediit animus. Ouidius de Ponto: Et iam deficiens sic ad tua uerba reuixi, Vt solet infuso uena redire mero. Cicero lib. Tuscul. disputa. primo: Mentem hominis quamuis eam non uideas, ut deum nō uides, tamen ut deum agnoscis ex operibus eius: sic ex memoria rerum, & inuentione, & celeritate motus, omniq; pulchritudine uirtutis uim diuinæ mentis agnoscito. Cicero lib. quinto Tuscula. 4. Sic enim princeps ille philosophiæ disserebat: qualis cuiusq; animi affectus esset, talem esse hominem: qualis autem homo ipse esset, talem eius esse orationē, orationi autem facta simillima, factis uitam. Affectus autem animi in bono uiro laudabilis, & uita igitur laudabilis uiri boni & honesta. Ergo quoniam laudabilis, ex quibus bonorum beatam uitam esse concluditur. Matth. 12. Progenies uiperarum, &c. 1. Ioan. 2. E nobis profecti sunt, sed non erant ex nobis. Iacobi. 3. Quòd si æmulationem amaram habetis, &c. Gal. 3. Hoc solum cupio discere à uobis, utrum ex operibus legis, spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei. Ab effectu siue energia scripturam sacram commendat Erasmus Rot. lib. 4. Ecclesiast. Quintilianus lib. 2. cap. 22. Possim hic Ciceronis respondere uerbis, apud quem hoc inuenio: Mea quidem sententia nemo esse potuit omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atq; artium scientiam consequutus. Seneca epistola. 34. Si agricolam arbor ad fructum perducta delectat: si pastor ex fœtu gregis sui capit uoluptatem: si alumnum suum nemo aliter intuetur, quàm ut adolescentiam illius suam iudicet: Quid euenire credis his, qui ingenia educauerunt, & quæ tenera formauerunt, adulta subito uident? Seneca episto. 74. Semina in corporibus humanis diuina dispersa sunt, quæ si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt, & paria his ex quibus orta sunt surgunt: Si malus, non aliter quàm humus sterilis ac palustris necat, ac deinde creat purgamenta pro frugibus.

EXEMPLA DESTINATORVM.

Cicero: Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modo asellus onustus auro posset ascendere. Plautus Mercatore: Non potest quæstus consistere, si eum sumptus superet. C Licinius Caluus quum cōtra Varium magna eloquentia apud iudices orasset, adeo ut in capitis periculum sua facundia induxisset, Varius dixisse dicitur: Rogo uos iudices, num quid ego quia iste disertus est, dānandus sum? 1. Tim. 4. Attende tibi ipsi, & doctrinæ, persiste in his. Nam si id feceris, teipsum seruabis, & eos qui te audierint. Tertullianus lib. aduersus Marcionem tertio: Desinat nunc hæreticus à Iudæo aspis (quod aiunt) à uipera mutuari uenenum. Cassianus quarto cap. collatiōis primæ: Itaq; & uitæ nostræ finis quidem est regnum Dei: qui uerò sit scopus, debet diligenter inquiri. Qui si nobis similiter compertus non fuerit, frustra nitendo fatigabimur: quia sine uia tendentibus, labor est itineris, nō profectus. Ad quod obstupescentib. nobis, senex intulit: finis quidem nostræ professionis, ut diximus, regnū Dei seu regnū cœlorum est: Destinatio uero nostra, id est, scopus, puritas est cordis, sine qua ad illum finem impossibile est quempiam peruenire. Eras. Rot. lib. Ecclesiast. 1. Itidem Germanus dabit operam, ut uitata immanitate sit fortis, & ad impia illabefactabilis: Hispanus Christi gloriam sitiat: Italus sobrietatem, quam in cibis potuq; præstat, in cæteris etiā adhibeat: Gallus natiuam facilitatem flectat in obsequium Dei: Gelrius natiuam astutiam

uertat in Euāgelicam prudentiam: Hollandus natiuam simplicitatem, Euangelica prudentiæ condiat. 2. Paralip. 19. Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunq; iudicaueritis, in uos redundabit: sit timor Dei uobiscū. 2. Paral. 31. de Ezechia: Præcepit etiam populo habitantium in Ierusalem, ut darent partes sacerdotibus & leuitis, ut possint uacare legi domini. Hilarius lib. de trinitate. 8. Vt uero boni & pruden tibus uiris naturæ ac studij est, totos se ad beatæ spei alicuius obtinendam, uel rem, uel tempus præparare, ne in aliquo minor sit expectatione procinctus: Ita istis hæretico furore amē tibus, sollicitudinis maximæ est, toto aduersus piæ fidei ueritatem, impietatis suæ ingenio la borare, ut aduersus eos qui religiosi sunt, uincāt esse irreligiosi, & ultra spem uitæ nostræ uitæ suæ desperatione potiores sint, & plus impendant cogitationis ad falsa, quàm nobis doctrinæ aptamus ad uera. Fortasse non iniuria dixerit aliquis, ecquid hæc exempla uelint, non uideo, quando possent id genus myriades innumeræ undecunque ceu cum puluisculo conuerri, ociosumq; esse in re aperta exempla inculcari, quæ uulgo sunt decantatissima. Equidem hæc ut pleraq; alia an adscriberem dubitauimus, utpote à breuitate proposita diuersa, nisi idcirco planè ascripsimus, quòd propositum fuit nobis semidoctulorum quoq; potius seruire commodis, quàm nostro stomacho obsequi. Quanquam hæc non ita multum adferunt momenti, adiuuant tamen. Quòd si quis dissentiat, cum hoc non contenderim. Malui itidem hoc operæ male ponere, quàm quibusdam parum eruditis non satisfacere. Super hæc cum uideam à quibusdam annotatoribus atq; scholasticis, quædam uelut obtorto (quod aiunt) collo in annotationum aceruū trahi: cur uerear eiusmodi recensere, quæ præter annotationum legē ita uenuste dicta sunt, ut uenustius dici non possint? Sed priusquam ab his digrediamur, uisum est etiam illud paucis admonere: Materiam & formam, quas causas fecit Aristoteles, Rodolphum in partes suprà retulisse.

De loco. Cap. XVII.



Pplicita placuit uocare, quæ addita rei extrinsecus, non sunt quidem causa eius, præbent tamen illi denominationem. Ea sunt, locus, tempus, & quæ dicimus connexa, tria uidelicet è primis rerum generibus, id est, prædicamentis, illa ferè, quæ ubi, quando, & habere dicuntur. Et Cicero quidem adiunctorum nomine ista complectitur: nos adiuncta credimus illa esse, quæ inferius dicemus contingentia: quæ quantum ab his distent, suo loco cum explicabuntur nobis, haud erit difficile uidere. Equidem inueniendorum locorum hanc unā mihi persuadeo fuisse causam, ut quæcunq; uel in rebus sunt, uel attingunt ipsas, uel quæ undecunq; accita ad ipsas, aliqua parte ad faciēdam de illis fidē prosint: ea in certū, conclusumq; redigeremus ordinem, pro cuiusq; qualitate quā habent, propositæ rei comparata. Sic enim facillime posse animum certa & non fallente uia, quæcunq; de re quaq; dicenda sint, eruere: si quàm minimo errore per

rore per

rore perplexa, & suæ quæq; reddita naturæ, intuenda sibi darentur. Placuit ergo mihi, quàm exactissime simul & quàm apertissime possem, cuncta distinguere: Quæ fuit etiam causa mihi addendi noua plerisq; nomina, ne si in eadem subinde reuoluerer, aut aliqua manerent non nominata, aut diligentiæ ratio, quã in secernendis sumpseram rebus, ea confundendis rursus nominibus uel omittendis, mihi periret. Itaq; ista & applicita uocauimus, & ab adiunctorum uel genere diduximus, uel exemimus aceruo. Cum pateãt enim latissime, & per omnem ferè rerum eant naturam (nec ut Cicero sensit, ad solum pertinẽt oratorem ista, sed multum philosophis etiam, cum qui naturas rerum scrutãtur, tum uel maxime qui mores hominum formant, quodq; consequitur, & medentibus, & respondentibus de iure, locus, tempus, & reliqua connexa tractantur) non est ergo uisum mihi, cum sint ista genere diducta, nomine confundere: & inueniendi copiam, quam rerum nobis amplitudo ostendit, tradendo angustius, ad inopiam redigere. Pendent itaq; totę quęstiones, pleręq; ex loco, pleręq; ex tempore. Vt, an reddat Arethusa fons Alphęum amnem, ex Elide subter maria transmissum: tota ferè ex loco spectatur quæstio. Sic etiã, Nilus oriatur ne ex montibus Aethiopię, quod Aristoteles negat, Ptolemæus ait: an, ut Iuba autor fuit, circa Atlantem habeat fontes. Iam temporis propemodũ uidetur esse, possint'ne diuturnitate siccari maria, & sicca rursus obrui aquis. An ad ultimum habitantibus orientem Indis, sol in exortu continuo supra uerticem sit positus, ut Herodotus credidit. An sint populi: quibus perpetua dimidio anno nox, dimidio sit dies. Et de connexis tanto plura possunt quæri, quãto per plura sparguntur, quàm locus & tempus. Quis dubitet ergo, cũ uideat extra rhetoris fines quæri de istis, quin possint etiam ex eis argumenta deduci? Locum autem in præsentia non uelim tam scrupulose accipi, quàm ab Aristotele acutissime quidem, sed astrictius quàm nostro instituto conueniat, definitus est. Ille enim dixit locum esse extremum illud circumfusi unicuiq; rei aëris, uel aquæ, uel quocunque alio contineretur, quod quantum ad loci rationem pertinet, sit immobile. Quod esse quidem reuera proprium cuiusque rei locum non est negandum: sed nos de loco loquimur, quemadmodum Vergilius, qui ait: Est locus,

Hesperiam Graij cognomine dicunt. Et: Deuenere locos, ubi nunc ingentia cernes Mœnia. Et sicut uulgo quærẽtibus quo in loco quis sit, respondemus, in foro, & in urbe, & ruri esse. Sane multa sunt locorum discrimina: sed ea in capita quædam colligamus, quo facilius queant perspici. Locorum igitur discretio, uel ex ipsis quatenus loci sunt sumitur, uel ex ijs quæ circa ipsum sunt ducitur. Et eorum quędam naturę sunt, alia hominum opere uel opinione accessere runt. In locis ipsis differẽtia est, qua rem uel hic uel ibi esse dicimus: & qua alium locum distantem, alium uicinum: & alium amplum, alium angustum: & alium sublimem, alium humilem uocamus. Ex eis quæ accedunt loco à natura, sunt, maritimus'ne an terrestris, an aërius sit: aquosus an inaquosus, & planus an montosus, & asper an mollis, & occultus an cõspicuus, lucidus an obscurus, adustus sole, an frigore rigens, an inter utrunq; temperatus, pestilens an saluber, sterilis an fœcũdus. Ab hominibus, alius celeber, alius desertus dicitur, sacer'q; & prophanus, publicus & priuatus, cultus & neglectus, pudendus & honestus. Iam urbs, rus, domus, forum, templum, uicus, pro locis sunt. Iam prouincię: ut in Italia quem, in Germania, in Hispania esse dicimus. Iam singulæ urbes, ut Romæ, Capuæ, Tarenti esse. Sic in ciuitate, & in patria, & peregre esse. Sed multa est adhuc (præter hæc quæ recensemus) diuersitas, & propemodum immensa. Per omnes enim argumẽtorum locos, & quidem uarie numero se'q;, possunt ista diduci: sed nobis omnia complecti, nec animus est, nec est necesse. Satis fuerit hac in re quærere uolentibus, hactenus aperuisse uiam. Non enim in abstruso latet res, sed in proximo posita, nisi conniuere uelimus, non potest nos fugere. Huius loci est, quicquid in laude & uituperio, de patria, de ciuitate in qua natus quis, educatus, eruditus est, ponitur. In consilijs etiã persæpe ualet. Hinc illa Macedonũ interrogatio, Eequid Romani uolare possent? aut quo pacto Macedoniæ montes essent transituri: Hinc Annibalis in Italiam transgressi exhortatio militum, ut acriter pugnarent, quippe qui à tergo Alpibus, à latere duobus maribus clausi, nulla sperarent effugia: at contrà Romanis, timidis esse licere, qui in tuta fugã suam conferre possent. Hinc Milonis inuidia, quòd P. Clodium in monumentis maiorum suorum occiderit. Clodij quoq; de uiolatis

Bonæ deę cęremonijs accuſati defenſio, quòd eo tempore non Romæ, ſed Interamnæ fuiſſet.

IN CAPVT XVII.

APplicita placuit.) Mea quidem ſententia non paulo commodior uidetur, hoc in loco præſertim, antiqua capitum diſtinctio. Cæterū quando ita in indice capitum per Rodol. deſcripto habetur, non auſus ſum uel latum digitum diſcedere ab autographo. Vel genere diduximus.) Hoc adijciens, innuit ea nimirum, quæ Cicero adiuncta uocat, plura eſſe, quàm ut commode ſub unum genus cogi poſſint. Nec ut Cicero ſenſit) Hoc per parentheſim legendum uſque ad tractatur, alioqui non bene cohærebit, ob id quod mox ſequitur: Non eſt ergo. Ciceronis autem uerba ſic habent: Eſt igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modo non Iureconſultorum, ſed ne philoſophorum quidem: quæ Ciceronis uerba facile commonſtrant, cum non in ea fuiſſe opinione, ut putaret locum hunc penitus alienum eſſe à philoſophis, & iureconſultis, ſed duntaxat magna ex parte. Id quod nec ipſe negare poteſt Agricola. Vt enim demus locum, tempus & connexa ad cæteros quoq; pertinere: tamen hoc conſtabit, contingentia ad ſolum ferme oratorem pertinere, maximamq; partem adiunctorum eſſe contingentia. An reddat Arethuſa.) Gregorius Nazian. in Monodia in magnum Baſilium: Ego uerò quando cœpi, ſi quid mirū in orbe terrarum reperitur, ad noſtræ amicitiæ comparationem adducam, ut eſt Alphæus fluuius, qui ex Peloponeſo ad amarum Arethuſæ fontem in Siciliam, per aquas marinas ingreditur, nec propterea ex eius dulcedine quicquam commiſcendo amittit. Meminit utriuſq; Ouidius 5. transformationum. Vergil. lib. Aeneid. 3. Alphæum fama eſt hunc Elidis amnem Occultas egiſſe uias ſubter mare, qui nunc Ore Arethuſa Siculis confunditur undis. Et Cicero 6. in Verrem actione. Item: Si quæratur ubi terrarum ſit paradyſus, in quem Deus collocarat Adam: Et ubi ſit purgatorium, in centro ne terræ, an alibi? quando conſtat omnino alicubi eſſe. Nilus oriatur ne.) Prodigij ſimillimum eſt, quod de fluuio Sabbatici memoriæ prodiderunt. Ioſephus de bello Iudaico lib. 7. capite 35. Plinius lib. 5. Petrus Galatinus lib. 11. de arcanis catholicæ ueritatis capite 9. Homerus de Titarcſio flumine, & Ouidius 5. μεταμορφώσεων: Clitorio quicunq; ſitim de fonte leuauit, Vina fugit, gaudetq; meris abſtemius undis. Extra rhetoris fines.) Rodol lib. 2. cap. 25. Extremum illud circumfuſi.) Locus, ut Ariſtoteles 4. φυσικῶν definit, dicitur omne corpus continens & circundans, iuxtaq; circunſtans ipſum locatum, & ſecundum aliquam ſui partem ipſum tangens. Verbi gratia dictum ſit, ut quod uolumus perſpicuum fiat, ſi ſphæram ſiue globum in aquam immergas, tum extremitas illa aquæ quæ globum undique contingit, ipſius globi locus eſt. Fortaſſe non minus uerè, atque haud ſcio an etiam uerius dixerit, quiſquis is fuit: Locus nihil aliud eſt, quàm alteri corpori ceſſiſſe ſpatium. Item locus non eſt cœlum, ſed cœli quiddam, ultimus ſcilicet, & tangens mobile corpus, terminus quieſcens, & ob hoc terra quidem in aqua eſt, hæc uerò in aëre, hic autem in æthere, & æther in cœlo, cœlum autem non amplius in alio eſt. Sanè multa ſunt locorum diſcrimina) Origenes homilia 2 in Hieremiam. Georgius Trapezun. lib. rheto. 3. Eraſ. Rotero. in opere de conſcribendis epiſt. de demonſtratiui generis epiſtolis. Qua alium diſtantem.) Homerus octauo Iliad. lib. in ipſo ſtatim exordio de Barathro: quod ut pleraque alia imitatus eſt Vergilius:

Bis patet in praeceps tantum, tenditq; sub auras,

Quantus ad aethereum coeli suspectus olympum. Et lucae 16. Lucanus in 9. Pharsaliae lib. At tibi quaecunq; es, Lybico gens igne dirempta, In noton umbra cadit, quae nobis exit in arcton. Et rursus libro 3.

Ignotum nobis Arabes uenistis in orbem,

Vmbras mirati nemorum non ire sinistras.

Huc refer sex mundi positiones, quas refert Cleomedes cap. 1. primi eius operis quod circularem inspectionem meteororum inscripsit. Aristot. 2. de coelo & mundo. Seruius lib. 9. Aeneid. Cicero de uniuersitate. Planus, an montosus. Valla lib. 1. cap. 23. montuosus potius, quàm montosus praecipit esse dicendum. Cicero pro Cn. Plancio: Montuosa, & fidelis, & simplex, & fautrix suorum regio. Pestilens.) D. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum de Platone: Sed & ipse cum esset diues, & thoros eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset uacare philosophiae, elegit Academicam uillam ab urbe procul, non solum desertam, sed & pestilentem, ut cura, & assiduitate morborum, libidinis impetus frangeretur. Discipuliq; sui nullam aliam sentirent uoluptatem, nisi earum rerum quas discerent. Alius celeber.) Vall. lib. 4. cap. 97. Lucae 7. Synagogam ipse aedificauit. Desertus.) θρήνων primo: Quomodo sedet sola ciuitas. Vergil 2. Excessere aditis omnes. An saluber.) Cice. lib. 2. de natura deorum: Etenim licet uidere acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, quae terras incolunt eas, in quibus aër sit purus & tenuis, quàm illorum qui utantur crasso coelo, atq; concreto: quinetiam cibo quo utare, interesse aliquid ad mentis aciem putant. Et idem in oratione pro Cluentio. Plin. lib. epist. 5. Sterilis an foecundus.) Origenes ultima in Amos homil. Sacerq; & prophanus.) Vergil. 2. Aeneid.

Fatale aggressi sacrato auellere templo

Palladium: caesis summae custodibus arcis,

Corripuere sacram effigiem, manibusq; cruentis,

Virgineas ausi diuae contingere uittas. Adagio: Lex & regio. De Asylo Iudaico lege Deuter. 4. & 9. & Nume. 35. De puteo uiuentis et uidentis, Gene. 16. & 25. Hier. 7. Nolite confidere in uerbis mēdacij, dicentes: Templum domini, Templū domini, Templū domini. Michol despexit Dauid saltantem ante arcam, 2. Regum 6. Pudendus & honestus.) De sepulchris concupiscentiae, legito Numeri 11. Διογένης ὀνειδίσαντος αὐτῷ τινος ὡς εἰς ἀκαθάρτους τόπους εἰσέρχεται, ἔπη καὶ ὁ ἥλιος, ἀλλ' οὐ μιαίνεται. Diogenes reprehensus, quòd loca parum munda ingrederetur: Num, ait, uides idem agere solem, qui tamen minime contaminatur? In laude & uituperio.) Themistoclem ferunt Seryphio cuidam in iurgio respondisse, cum ille dixisset non cum sua, sed patriae gloria, splendorem assecutum: nec Hercle, inquit, si ego Seriphius essem nobilis, nec si tu Atheniensis esses clarus, unquam fuisses: quod ita refert Plutarchus in Apophthegmatis: Ἀλλ' οὔτ' ἂν ἐγὼ Σερίφιος ὢν ἐγενόμην ἔνδοξος, οὔ σὺ Ἀθηναῖος. Item illud: Ἀνάχαρσις παρ' Ἀθηναίοις σολοικίζει, Ἀθηναῖοι δὲ παρὰ Σκύθαις, Id est: Cum Thebani deuictis apud Leuctra Lacedaemonijs, ad ipsum uenissent Eurotam, & quidam gloriabundus dixisset: Vbi nunc Lacones? Spartanus quidam ab illis captus, non adsunt, inquit, alioqui uos huc non uenissetis. Ne uictus quidem & captiuus potuit obliuisci indolis Laconicae, nec tulit uictoris iactantiam. Quid? quòd D. Paulus quoq; ob commertium Cilicum (Cilix enim erat) contraxit uitium, ut non posset quod sentiret, pure & eleganter explicare Graece? De patria, de ciuitate) Ad Titum cap. 1. Cretenses semper mendaces, malae bestiae, uen.

tres pigri. Cicero in principio de fato. Aphthonius cap. de uituperatione in Philippum: Nec quamuis media in Græcia uersaretur, mores animi conuictu mutãs, ad meliora deflexit: sed barbaricam semper impotentiam inter Græcam retinuit institutionem. Educatus.) Horatius lib. 2. epist. Boetum in crasso iurares aëre natum. Iuuenalis: Veruecum in patria crassoq; sub aëre natos. Ecquid Romani uolare possent.) Hoc non in Romanos, at à quibusdam barbaris in ipsos Macedones dictum esse legitur. Huic simile scribit quiddam & Q. Curtius lib. 7. Eius, inquit, superbiæ haud immerito illudens, pinnas ait habere milites. Hinc Milonis.) Cicero in epist. 15. lib. 1. epistolarum. Et Iuuenalis multis quoq; in locis. In monumentis maiorum.) Matthæi 23. Quia ædificatis sepulchra prophetarum, &c. De uiolatis Bonæ deæ ceremonijs.) Bonam deam Romanæ mulieres colebant. Eam Græci Gynæciam, Romani Dryada uocant puellam, Fanni uxorem existimant. Sacra ei à Romulo pro salute Pop. Rom. instituta, urbi Romæ æqualia sunt. Hæc sacra in domo consulis per eius uxorem Vestalesq; uirgines quotannis fiebant. Mulieres quæ sacra factura erant, coma, mitra, mulieribus soleis, purpureis fasciolis, strophio, psaltrio ornatæ erant. Ad ea sacra ne imprudenti quidem uiro intrare licet. Suntq; à uiris tam aliena, ut eius deæ nomen Latinum scire uiris nefas existimatum sit: à matronis tantum ei sacrificabatur, non uiris modo, sed & picturis masculis remotis. Cicero in Paradoxis: Familiarißimus tuus Cornificius de te priuilegium tulit, ut si in opertum Bonæ deæ accesisses, exulares. At te id fecisse etiam gloriari soles. Quod eo tempore non Romæ.) Apud Liuium M. Volscus falsi testimonij conuincitur: dixerat enim M. Volscus à Cæsone in Saburra fratrem eius interfectum, at alij constanter affirmabant, Cæsonem eo die quando frater Volscij interfectus esset, Romæ non fuisse. Sed Interamnæ.) Est autem Interamna urbs in Vmbria, ubi prata quater in anno secantur, etiam non rigua, ut ait Plin. cap. 28. lib. 28.

EXEMPLA.

Plautus Mercatore: Sum'ne ego miser, qui nusquam bene queo quiescere? Si domi sum, foris est animus: sin foris sum, animus domi est. Ita mihi in pectore, atq; in corde facit amor incendium. Hierony. lib. 2. aduersus Pelagianos: A sagitta uolante per diem, à negotio perambulante in tenebris, qui nostrum poterit liberari? Ecce enim peccatores intenderunt arcum, ut sagittent, obscuro rectos corde. Nolunt prauos uulnerare, sed rectos corde. Sagitta per diem uolitat, per hæreticos in sanctarum intelligentia scripturarum. Negotium in tenebris in nocte perambulat per philosophos, qui per obscuritatem sermonum inuoluere cupiunt ueritatem. Terent. Eunu. Quis homo pro mœcho unquam uidit in domo meretricia deprehendi quenquam? Cicero ad Atti. Ne uiuam mi Attice, si mihi non Tusculum ubi certe sum libenter, sed μακάρων νῆσοι tanti sunt, ut sine te sim totos dies. Plautus Asinaria: Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit? Cice. in 5. Philip. Illud uero deterrimum auditu, non modo aspectu, in Cella concordiæ collocari armatos, è templo carcerem fieri. Hieremiæ 11. Quid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Hierony. in epistola ad Damasum: Quoniam uetusto oriens in se populorum furore collisus, indiscissam domini tunicam & desuper textam minutatim per frusta discerpit: & Christi uineam exterminant uulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile tibi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, poßit intelligi: Ideo mihi cathedram Petri & fidem apostolico ore laudatam censui consulendam: inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi uestimenta suscepi. Eusebius Ecclesiast. histor. lib. 4. Et sunt adhuc etiam nunc qui audierunt à Polycarpo, quòd Ioannes Apo

stolus discipulus domini, apud Ephesum cum balneas lauandi gratia fuisset ingressus, & uidisset ibi Corinthum, exiluerit continuo, & discesserit non lotus, dicens: Fugiamus hinc, ne & balneæ ipsæ corruant, in quibus Corinthus lauatur, ueritatis inimicus. Aeschines in Demosthenem: ὁ γὰρ μισότεκνος καὶ πατὴρ πονηρὸς οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημαγωγὸς χρηστὸς οὐδ' ὁ τὰ φίλτατα, καὶ οἰκειότατα σώματα μὴ στέργων οὐδέποτε ὑμᾶς περὶ πλείονος ποιήσεται τοὺς ἀλλοτρίους οὐδέ γε ὁ ἰδίᾳ πονηρὸς οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημοσίᾳ χρηστὸς οὐδ' ὅστις ἐστὶν οἴκοι φαῦλος οὐδέ ποτ' ἦν ἐν μακεδονίᾳ κατὰ τὴν πρεσβείαν καλὸς κἀγαθὸς οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξε. Id est, Qui enim filios odit, & malus pater est, nunquam bonus gubernator populi esse potest. Nec is qui charissima & familiariss. corpora non amat & fouet, nunquam nos alienos pluris æstimabit. Nec qui priuatim est malus, unquam publice bonus esse potest. Nec qui domi est improbus, in Macedonia atque legatione probus est. Non enim mores, sed locum mutauit. Cuidam Atheniensi sic apud Antalcidam glorianti, uerumtamen nos sæpenumero uos à Cepheso propulimus: Sed nos, inquit, uos nunquam ab Eurota submouimus. Significans hoc ipsum esse fortitudinis argumentum, quòd Lacedæmonij frequenter ausi fuissent usq; ad Cephesum flumen Atticæ progredi, quum Athenienses nunquam sustinuissent accedere ad Eurotam Spartæ fluuium. Cicero pro Milone: Etenim palàm dictabat consulatum Miloni eripi non posse, uitam posse. Significauit hoc sæpe in senatu, dixit in concione. Quin etiam Fauonio &c. Hierony. aduersus Vigilantium: Si agnus ubique est, & hi qui cum agno sunt, ubiq; esse credendi sunt. Et cum diaboli & dæmones toto uagentur in orbe, celeritate nimia præsentes sunt: quomodo martyres post effusionem sanguinis in arca inclusi tenebuntur, ut exire non possint? Aggæi 1. Nunquid tempus nobis est, ut habitetis in domibus uestris laqueatis, & domus ista deserta?

De tempore. Cap. XVIII.



Tempus definiri solet, esse numerus motus secundum prius & posterius. Nos apertius dicemus, esse ex cœli, solisq; uertigine deductum spacium, quo rerum omnium agitationem, uicissitudinémque metimur. Indè horam sumimus fere continentem spacio uigesimam quartam diei partem. Dies, spacium est illud, intra quod cœlum raptu suo solem nobis eo loco quo proxime abstulerat sistit. Ex diebus mensis fit, intra quem à sole luna profecta, spaciumq; omne cœli emensa, rursus redditur soli. Et annus, quo sol percurso duodecim signorum orbe, ad eam qua fuerat, cœli partem redit. Potest nobis tempus eadem ratione diuidi, qua locus diuisus est: ut alia in tempore spectentur, quæ propria sint ipsius, ut præsens, præteritum, futurum, ut nunc, tunc, modo, mox, pridem, sero, nuper, olim, cito, tarde, diu, breui. Alia ex ijs quæ à natura accedunt ipsi, ut dies, nox, mensis, annus, hyems, uer, æstas, autumnus. Se-

renum quoque & nubilum, turbidum & tranquillum, pluuium, niuosum, uentosum, & feruens æstu, & molestum frigore, temporis sunt discrimina. Ex hominibus sumuntur, & quæ ad ætates hominum pertinent, ut pueritia, adolescentia, iuuenta, uirilis ætas, senecta: & quæ conueniunt agendis rebus, quales sunt festi profesti'que dies. Et messis, uindemiæ, arandi, serendi, terendi tempus: & pacis, & belli, & famis, ubertatis, pestilentiæ, sanitatis dicimus. Et sumitur in tempore quoque commoditas quædam ad conficiendum aliquid, quam occasionem uocant, cuius (ut inquit Liuius) oportunitas momento præteruolat, nunquam reditura. Vnde & tempestiue, & intempestiue, & oportune & importune fieri aliquid iudicatur. Nec minor est temporum quàm locorum uarietas. Latissime quoque & sine modo spargi possent ista, si quis dicere, quantum res caperet, non quantum satis est, uellet. Multum ad fidem, multum ad affectus, & tempora contulerint diligenter inspecta. Ergo pro Milone est, non esse credibile sumpsisse ipsum consilium occidendi Clodij, tempore quo petebat consulatū. Et Ciceroni obiectum est ab Antonio, quòd in medio armorum ciuilium fremitu dicax fuerit. Quid Vergilius? Hic Priamus, quanquam in media iam morte tenetur, Non tamen abstinuit, nec uoci iræq; pepercit. An ulla re potuit magis exprimere magni, & inuicti animi uirum, cuius libertatem, spiritumq; ne extremi quidem temporis necessitas comprimeret? Iterumq; Quin etiam hyberno moliris sidere classem, Et medijs properas Aquilonibus ire per altum. Alia quæ dixit Dido, aptiora forte fuerint affectui Aeneæ: hoc ad suadendum utilitatis ratione fuit potissimum. In summa, ut in usu rerum præcipua est temporum obseruatio, sic ad fidem faciendam maxime est accommodata: quandoquidem ut plurimum quidque habet uirium in agendo, ita ad fidem maxime contulerit in disserendo.

IN CAPVT XVIII.

Tempus definiri solet.) Cicero libro de Inuentione primo: Tempus autem est id quo nunc utimur (nam ipsum quidem generaliter definiri difficile est) pars quædam æternitatis, cum alicuius annui, menstrui, diurni, nocturni'ue spacij certa significatione. D. Aurelius 11. confeßionū lib. cap. 14. fatetur ingenue, quid nam sit tempus, explicare se nescire. Plato tempus κόσμου κίνησιν, hoc est, mundi motum. Zeno, ut est apud Diogenem Laërtium in uita Zenonis, dicit spacium motionis uniuersi esse tempus, à qua sententia minimum

abest Rodolphus. Esse numerus motus.) Valla lib. dialect. 3. capite 5. Non placet, nos metiri magnitudine motus tempus, & magnitudine temporis motum, quod quomodo fiat, non uideo. Nos apertius dicemus.) Ita fere finit Themistius paraphrastes in lib. Aristot. de physica auscultatione 4. Illud te nolim lateat lector, circumferri tabulam de temporum ratione per Ioachimum Antuuerpianum, non temere à magno illo omnis eruditionis antistite D. Erasmo nostro commendatam, qua nihil memini legere conducibilius. Inde horam sumimus.) Lege Eras. Roterod. annotationes in Matthæum capite 11. Nonne duodecim horæ sunt diei? Vt dies, nox, annus.) Seneca epistola 53. Dies & nox, aëris infimi uices sunt. Marcus cap. 13. Vigilate igitur &c. Non otiosum est item quod apud Homerum est, de partibus noctis, Iliad. 10. Hyems, uer, æstas, autumnus.) Ouidius de remedio amoris: Poma dat autumnus, formosa est messibus æstas: Ver præbet flores, igne leuatur hyems. Serenum quoq; & nubilum.) Matthæi decimosexto: Cum cœperit esse uespera &c. Sed desino λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ ἅπτειν, id est, lucernam accendere in meridie. Et quæ ad ætates hominum pertinent, ut pueritia.) Eras. Roterod. in Methodo ueræ theologiæ, acute uarietatem temporum ecclesiæ dei præscribit, quæ obseruata, oscuritatem discutiat in sacris literis. Et Lactan. de diuino præmio lib. 7. cap. 15. Non inscite (inquit) Seneca Romanæ urbis tempora distributa per ætates, & quæ sequuntur. Pythagoras ille Samius apud Nasonem lib. metamor. 15. pueritiam confert ueri, iuuentutem æstati, autumno uirilem ætatem, hyemi senectutem. Initium carminis est: Quid non in species secedere quatuor annum? Quales sunt festi profestiq; dies.) Dies auspicati & inauspicati. Home. odyss. 21. νῦν μὲν γὰρ κατὰ δῆμον ἑορτὴ τοῖο θεοῖο. Lege adag. Nephasti dies. Ter. in Heau. Nunc si cōmodum est, Dionysia hic sunt, hodie apud me sis uolo. Diogenes grāmaticus sabbatis Rhodi disputare solitus. Tiberiū ad se uenientem, ut ipsum extra ordinem audiret, non admisit, sed per seruulum suum in septimum distulit diem. Is quum Romam uenisset, & pro Cæsaris foribus adstaret, cupiens illum salutare: Tiberius iussit, ut post septimum annum rediret. Nec alia pœna tantam grammatici superbiam ultus est. Cice. pro Cælio: Si quis forte nunc iudices adsit, ignarus legum, iuditiorum, consuetudinis uestræ, miretur profecto quæ sit tanta atrocitas huius causæ, quod diebus festis, ludisq; publicis, omnibus negocijs forensibus intermissis, unū hoc iudiciū exerceatur. A temporum item periculis orsus est pro Sexto Roscio. Opinor hoc loco posse obiter accommodari, quæ referuntur de Iubileo, quomodo celebretur, Leuit. 26. & Nume. 8. Vide Origin. homel. super Numeros 23. & rursum in calce lib. 3. super Iob. Et messis.) Sene. epist. lib. 3. epist. 22. Ab ipsa messe discedam. Nec minor est temporum, quàm.) Nam utrunq; tam uarias suscipit denominationes, quàm sunt res quæ in loco & tempore geruntur. Quam occasionem uocant.) Vide adag. Nosce tempus. Valla lib. dialect. 1. cap. 17. Eras. in annotat. ad Roma. cap. 13. Oportunitas.) Quam Græci uocant καιρὸν: quid autem proprie καιρὸς, & quomodo differat ab eo χρόνος, lege F. Quintil. lib. 3. cap. 7. & Eras. in annot. Acto. cap. 1. Cic. O brute, ubi es? quantam εὐκαιρίαν amittis? Homerus: νῦν κεν εὔπλοιαν Δὼν κλῆρος θεοειδής. Plautus Persa: Ea nunc occasio decidit de cœlo. Nam ipsa oportunitas non potuit oportunius aduenire. Eras. Rotero. lib. 2. de ratio. concion. Ducuntur enim laudes à tempore præterito, ueluti quum referuntur oracula, miracula, aut præsagia quæ natiuitatem præcesserunt. Momento præteruolat.) Liuius lib. 3. primæ decad. Puncto temporis rerum momenta uertuntur. T. Liui. ab ur. cond. Puncto sæpe temporis maximarum rerū momenta uerti. Idem de bello Maced. Versa momento temporis fortuna pugnæ est. Gregor. Nissenus:

μήτε ἀθυμῶν ἀπελπίσῃς εὐημερίαν, μήτε καλῶς πράττων ἀθυμίαν. εἷς ἐνιαυτὸς τέσσαρας ὥρας ἔχει, μία καιροῦ ῥοπὴ πολλὰς πραγμάτων μεταβολάς, id est, sicubi aduersa laboras fortuna, ne futuram desperes felicitatem, deniq; in rebus prospere cedentibus, suspecta tibi semper sit aduersitas. Annus unus quatuor consistit partibus, unicum temporis momentum, uariam secum affert rerum imitationem. Multum ad fidem, multum ad affectus.) Mirum est quanto artificio id testetur Hieremias cap. 8. Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur, & hyrundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui. Populus autem meus non cognouit inditium domini. Lege Linguam D. Eras. ubi Zenonis silentij pertinacis miraculum exaggerat, quòd senex, quòd inter pocula, &, ut nihil aliud, quòd Athenis solus omnium, nihil obstrepat. Nondum legisse memini, quid magis faciat ad hanc rem, quàm oratio planè diuina Rodol. Agric. de tempore, nocteq; qua natus est puer Iesus. Tempestiue & intempestiue.) Ouid. Quinetiam accendas uitia irritesq; uitando, Temporibus si non aggrediare suis. Dicax fuerit.) Cicero lib. de orat. 2. Dicere enim aiunt Ennium, flammam à sapiente facilius ore inardentem opprimi, quàm bona dicta teneat, hæc scilicet bona dicta quæ salsa sunt: nam ea dicta appellantur propria iam nomine. Quid Vergilius.) Vergil. 7. Iam mediam nigra carpebant nocte quietem. Eras. in. 2. Copiæ commentario, de temporis descriptione, aliud habet exemplum Vergilianum, huic loco saneq́ appositum. Virium habet in agendo.) ὁμοιοτέλευτον est. Præcipua est temporum obseruatio.) Teren. in Heauton. Datur modo, fruare dum licet, nam nescias, eius sit potestas posthac an unquam tibi.) Demosthenes: ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς μόνον οὐχ' ἵησι φωνὴν ἀφιείς, id est, præsens occasio tantum non dicit uocem amittens. Adagio: Nosce tempus.

EXEMPLA.

Primæ Thessa. 5. Non sumus noctis neq; tenebrarum, igitur non dormiamus sicut cæteri, sed uigilemus & sobrij simus. Quum quispiam gloriaretur se multos annos audisse Carneadem, alius quidam subiecit, non quandiu audisset spectandum, sed an senem audisset, quum iam Carneadis disputationes non ad ostentationem & captãdos plausus comparatæ essent, sed ad utilitatem & rerum explicationem, seu, ut Plutarchus ait, πρὸς τὸ χρήσιμον καὶ κοινώνικον. Cicero in 2. Philippica: Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum uini in Hippiæ nuptijs exhauseras: ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu uomere postridie. Teren. And. Nunc hæc dies aliam uitam affert, alios mores postulat. Idem: Nostin' mores mulierum: dum moliuntur, dum comuntur, annus est. Plau. Iam quasi uulturij triduo prius prædiuinant quo die esuri sient. Horatius: Sub galli cantum consultor ubi hostia pulsat: Nescis quid serus uesper uehat. Cicero pro Milone: Videte nunc illum egredientem è uilla subito, cur uesperi, quid necesse est tarde qui conuenit præsertim id temporis. M. Voltricilius Pitholarus, cum C. Seruilius uno tantum die consul fuisset: Antè flamines, inquit, nunc cõsules diales sunt. Secundæ Thessalonicenses quinto: Semper gaudete, &c. In Vatinium qui paucis diebus consul fuit, ita iocatus est Cicero: Vatinij anno magnũ ostẽtum fuit, quod eo consule nec bruma, nec uer, nec æstas, nec autumnus fuisset. Nam his horis annus totus distinguitur, quarum unaquæq; tres menses occupat. Iubium Curtium, quo iunior uideretur, multa de annis ætatis suæ mentientem ita redarguit: Ergo, inquit, cum unà declamabamus, non eras natus. Quarti Regum 4. Quam ob causam uadis ad eum? hodie non sunt calendæ, neq; sabbatum.

De connexis. Cap. XIX.



Onnexa dicimus, quæ nõ circunstant quidem rem, quemadmodum locus & tẽpus, sed extrinsecus tamẽ in ipsam incumbere uidentur. Vt diuitiæ connexæ sunt diuiti: sunt enim extra illum, habet tamen diues ab eis quod dicitur diues. Sic & coniugium in connexorum est numero: nam ut maritus quis dicatur, non nisi ab uxore: nec quòd uxor, nisi à marito cõtingit. Quid ergo? dicat aliquis, esse maritũ, nónne est in eo quẽ uocamus maritũ? sic & diuitẽ esse, in eo qui diues dicitur? quid obstat ergo, quò minus adiacẽtia uocẽtur ista? Haud difficile est uidere, quid inter ista & adiacentia intersit. Quanq̃ æque insit ei qui maritus est, maritum esse: ut ei q̃d calet, esse calidum, quod adiacẽs esse apertũ est: tamen nõ solum calidum esse, sed & calor à quo calidum nomẽ accepit, inest rei quæ calet: ita non fit autẽ in marito: nam esse maritũ, inest ei quem maritum dicimus: uxor tamen, à qua habere quòd maritus dicatur, nemo dubitauerit, extra maritum est. Sic regiũ nomen in rege est: à regno tamen quod est extra regẽ, ut rex dicatur, necesse est sibi contingere. Est præterea hæc quoq; differentia, quòd in adiacẽtibus, ea quæ dant denominationem, non possunt sine eo q̃d denominatur, esse. Vt calor nullo pacto permanere potest, eo quod est calidũ sublato: nec perempto homine, sapientiæ quæ in illo fuerat, permanere nec res, nec nomen potest. In diuitijs contrà: potest enim manere id unde diuites sumũt nomen, tametsi nemo sit diues. Quanq̃ enim nomen diuitiarũ non retinet aurum, si in nullius sit possessione: res ipsa tamen durat, unde & dicti fuerunt diuites, & rursus queant dici. Possunt diuidi connexa, ut alia dicantur in proximo posita, & tanquã attingentia rem: ut in aëre nebulosum dicimus, & uentosum: in aqua limosum, piscosum: sic in terra herbidum, arboribus refertum. Eiusq; generis item sunt, altum, humile, mons, uallis, tumulus, lacus: quorũ nihil per se intelligi potest, sed omnia ex alio spectantur. Sic in corpore hominis, armatũ, uestitũ, præcinctum, calceatum dicimus, & sanguine cõspersum, & luto oblitum, & puluere oppletum. Alia sunt connexa quæ uelut è regione & de longinquo rem aspiciunt: ut sunt pleraq; eorum, quæ non tam sensu possunt in re deprehendi, quàm intelle-

ctu. Vt

ctu. Vt sunt quæ uel in possessione intelliguntur, ut diuitiæ, opes, regnum, imperiũ, potestas, dominium, seruitus, obsequium: quæq́ reliqua huiusce sunt cõditionis, ut magistratus omẽs, & omne id quo uel in homines, uel in res imperiũ iusue habere intelligimur, & quæ aliam quandam coniunctionem significant rerum: ut amicus, hostis, ciuis, peregrinus, domesticus, exterus, familiaris. Sic cõiugium, id est, maritus & uxor: sic ciuitas, id est, consentientes ciues: sic reliqua, quorumcunq; cum sit in aliquo nomen, id ab alio tamen quod extra ipsum est oritur. Aequalitas autem uel inæqualitas, ut sunt à philosophis definita, differentium rerum eadem uel diuersa quantitas: ut tripedale tripedali comparatum, æquale est: & tripedale bipedali, & maiora minoribus sunt inæqualia: similia etiam, ut dicuntur diuersa eandem habentia qualitatem, ut album albo: & dissimilia, quæ diuersas qualitates habent, ut sunt album & nigrum: hæc omnia huius loci poterant uideri, si acciperẽtur ueris & his ipsis quibus comparantur nominibus: & talibus etiam, quæ proprie essent connexa, & non imaginem potius connexorum haberent, hoc est, quæ eiusmodi essent, quorum cum esset unum, etiam alterum esset. Nunc pro eo quod dicendum erat, minus potens potest, ergo magis potens potest: &, doctior huius rei nescit, ergo indoctior nescit: quæ sane uera connexorum sunt nomina: pro eo nos dicimus, miles potest, ergo rex potest: & præceptor nescit, ergo discipulus nescit: cum horum quoduis alterum possit sine altero esse, & rex potentior milite, & contrà miles potẽtior rege: & discipulus præceptore, & eruditior discipulo præceptor esse possit. Sic etiam si dicatur, Annibal non potuit capere Romam, qui potentior fuit, ergo Gothi imbecilliores non poterunt capere: nomina sunt connexorum ista, sed res nequaquam: non fuerunt enim eadem tempora Annibalis & Gothorum: quare cum simul non sint, similia sunt connexis, connexa non sunt. Si quis tamen ad legem quam prædixi argumentetur, ductum erit hoc è loco argumentum. At cum rarissima hęc sit obseruatio, sintq́; hæc reliquis eis quæ comparata dicimus, usu tractatúque similia, in eundem cum illis locum contulimus æqualia & similia, diuersáque istorum dissimilia & inæqualia. Nam ea quæ nos postea dicemus similia, separatum habent ab alijs accidentibus

locum

locum: non enim in hanc significationem similia dicuntur: quod cũ dicetur de ipsis, non erit difficile perspectu.

IN CAPVT XIX.

Connexa dicimus.) Sunt autem illa conexa, quæ neq; sunt in re, neq; sunt causa rei, neq; rem circumstant: sed tamen quoquo modo in rem inclinant atq; incũbunt. Quod genus sunt, patronus, libertus, tutor, pupillus, senatus, populus, causa, effectus, fauor, gratia, uxor, maritus, socer, gener, nurus, socrus, nouerca, priuignus, cliens, patronus, locator, conductor, &c. Vide copiæ caput 26. Ita non fit autem in marito.) Reclamant fortiter, qui hodie in philosophia reales uocantur, dicunt enim respectum hic esse, ut illic calorem. Vt in aëre nebulosum.) Tametsi enim nebula in aëre sit, non tamẽ ibi ut in subiecto. Eiusq; generis item sunt altum.) Merito posset fortasse quispiam putare, altum potius adiacens esse, quàm connexum, cum dicatur ab altitudine, quam ipsi rei inesse constat, perinde atq; prudentia inest. Verum scire conuenit, altum relatiuum esse, nec ullam rem absolute altam dici, sed alteri comparatam, proinde id cui comparetur extra eam est. Sic ciuitas, id est, consentientes ciues.) Cicero in somnio Scipionis: Nihil est enim illi principi Deo qui omnem hunc mundum regit quod quidem in terris fiat acceptius, quàm concilia cœtusq; hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur. Eandem habentia qualitatem.) Videlicet in specie. Si acciperentur ueris his ipsis.) Quod si utamur his uocabulis quæ sunt, æquale, inæquale, simile dissimile, tum sanè ad hunc locum spectabunt. Cæterum si ijs nominibus omissis, alia supponamus, ut uerbi causa pro inæqualibus magistrum & discipulum, in cæterisq; eodem modo: iam sane argumentum non ex hoc loco, sed à comparatis ductum putabitur. Nunc pro eo quod dicendum erat.) Lege libri huius caput 24. Et discipulus præceptore.) πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων, id est, pleriq; discipuli magistros antecunt. Ad legem quam prædixi.) Vt scilicet potentior & imbecillior sint. Aristot. lib. rhetor. 2. cap. de locis enthymematum: Est & alius locus ex his quæ ad inuicem. Nam si alteri iuste ac bene agere inest, alteri pati inerit, & si imperasse, etiam fecisse. ut de publicanis Diomedon publicanorum princeps: Nam si uobis locare turpe non est, nec nobis conducere.

EXEMPLA.

Veteranus quidam quum uocatus in ius periclitaretur, adijt in publico Cæsarem, rogãs ut sibi uellet adesse: Cæsar è comitatu suo selectum ilico dedit, eiq; litigatorem commẽdauit. Hic miles uociferans, at non ego Cæsar periclitante te Actiaco bello uicarium quæsiui, sed pro te ipse pugnaui, simulq; detexit cicatrices. Erubuit Cæsar, atq; ipse descendit in aduocationem, ueritus ne non modo superbus, uerum etiam ingratus uideretur. Cuidam graui amico suadenti, ut se ad exemplum paternæ frugalitatis componeret, satis procaciter Iulia, ille inquit, obliuiscitur se Cæsarem esse, ego memini me Cæsaris esse filiam. T. Liuius Decad. 3. lib. 8. de Scipione Aphricano castigaturo legionem quæ defecerat: Corpora, inquit, ora, uestitum, habitum, ciuium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium uideo. Lysimachus in Thracia superatus à Dromòcheta, quum ob sitis impatientiam, tum se, tum exercitum dedisset, posteaquam bibit iam factus captiuus: O Dij, inquit, quàm breuis uoluptatis gratia me ex rege feci seruum. Antiochus quum Annibalem quanquam exulem inuitante occasione iuberet hostes aggredi, sacerdos consultis extis minime conuenire significabat. Cui Annibal: Scilicet tu facies quod caruncula, non quod exercitatissimus imperator dicat? Lucius Philip

pus con

pus consul L. Crasso summæ dignitatis & eloquentiæ uiro, manum inijci iusserat, eò quod uocem illius indigne ferret, qua dixerat sibi alio senatu opus esse. At Crassus reiecto lictore, non es, inquit, mihi tu Philippe consul, quando ego tibi non sum senator? Lege F. Quintilia. lib. 8. Hierony. in epistola ad Nepotianum: Scitū est illud oratoris Domiti. Cur ego, inquit, te habeam ut principem, quum tu me non habeas ut senatorem? Idem lib. 2. aduersus Iouinianum: Quoscunq; formosos, quoscunq; calamistratos, quos crine composito, quos rubentibus buccis uidero, de tuo armento sunt, imò inter tuos sues grunniūt. De nostro grege tristes, pallidi, sordidati, & quasi peregrini huius seculi, licet sermone taceant, habitu loquuntur & gestu. Vide quid intersit, si inique Castorem Domicio comparo, sed tamen ille inimico seruum remisit, tu ab auo abduxisti. Ille incorruptum audire noluit, tu corrupisti. Ille ad tutorem seruum contra dominum repudiauit, tu etiam accusatorem adhibuisti. Hæc Cicero pro Deiotaro. T. Liuius ab urbe cond. lib. 6. Quot enim cliētes circa singulos fuistis patronos, tot nunc aduersus unum hostes eritis, ostendite modo bellum, pacem habebitis. Cicero in Verrem: Seruus nemo est tam domini, quàm tu libidinum, neq; seruus tam fugitiuus à domino, quàm tu à iure, à legibus, à castimonia: nec quisquam tam barbarus lingua, & natione, quàm tu natura & moribus, neq; tam hostis hominibus, quàm tu dijs immortalibus. Terent. Andria: Quandoquidem tam iners, tam nullius consilij sum: Seruon' fortunas meas me commisisse tam futili? Ego precium ob stultitiam fero. Plautus: Tu proreta isti naui es, ego gubernator ero. Terent. And. Fidelem haud fermè mulieri inuenias uirum. Idem Heauton. Quàm iniqui sunt patres in omnes adolescentes iudices, Qui æquum esse censent, nos iam à pueris ilico nasci senes: Neq; illarum affines esse rerum quas fert adolescentia. Ex sua libidine moderantur quæ nunc est, non quæ olim fuit. Cicero pro lege Manilia: Non enim potest exercitum is continere imperator, qui seipsum non continet, neq; seuerus esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iudices non uult. Secunda Timoth. decimo: Arma militiæ nostræ non carnalia sunt. Anui cuidam paupercule, Philippum appellanti ut causam ipsius cognosceret, quum hac flagitatione frequenter obstreperet illi: respondit sibi non esse ocium: cumq; anus inclamasset: Proinde ne rex quidem esse uelis: Philippus admiratus aniculæ liberam uocem, non illi solum præbuit aures, uerum etiam alios audiuit. Hoc idem Latini tribuunt Adriano imperatori. Plinius in laud. Traia. Tibi tua salus inuisa est, si non sit cum reipub. salute coniuncta. T. Liuius lib. quarto de bello Macedonico & Asiatico: Omnes alij ordines, omnes homines mutationem in meliorem statū reipub. sentient, ad coniuges tantū nostras pacis & tranquillitatis publicæ fructus non perueniet. Serui, inqt: Mem. tribunus pleb. apud Salustiū, ære parati iniusta imperia dominorū non perferunt, uos Quirites in imperio nati æquo animo seruitutem toleratis. Non posthac dico uos seruos, Ioannis decimoquinto. Terentius Adelph. Quid hoc est negoci? hoc est patrem esse? aut hoc est filium esse? Si frater aut sodalis esset, qui magis morem gereret? Hic non amandus, hiccine non gestandus in sinu' st? hem. Itaque adeo magnam mihi iniecit sua commoditate curam, Ne forte imprudens faciam quod nolit, sciens cauebo. Liuius libro quarto de bello Macedonico & Asiatico: Et cum tibi uiro liceat purpura in ueste stragula uti, matrem familiās tuam purpureum amiculum habere non sines? & equus tuus speciosius instratus erit, quàm uxor uestita?

O De antece-

De antecedentibus, consequentibus, & adiunctis, quid Cicero, quid Boëtius dixerit. Cap. XX.



Olim quisquam credat me ignorare, propter hanc insolitã accidentis appellationem, quid uulgo hoc nomine philosophi significent: ut sit accidens id nõnunquam omne, quod non sit substantia: nonnunq̃ uero, quod abesse rei & adesse, ut non corrumpatur res, potest: ut calor accidens est aquæ, potest enim adesse aquæ & abesse, ut tamen permaneat aqua. Ego accidentia uoco in præsentia, quorum utrumuis & esse, & interire, sine alterius pernicie possit: quemadmodum dicimus in rebus accidere ea, quæ temere, & nullo delectu aut prouidentia uidentur fieri. Ex qua significatione Seneca inquit: Non accidunt (ut putas) omnia, sed eueniunt. Et Quintilia. in Aegro redempto: Poteram (inquit) nihil ex accidentium meorum nouitate mirari. Sic nos ea quæ temere & nulla sunt existendi necessitate coniuncta, uocamus accidentia. Ea in quinq; diduximus species, contingentia, pronunciata, nomen rei, comparata, & similia. Esse autem hæc omnia ex accidentium genere, hinc facile perspici potest, quòd omnes hi loci, non solum in ijs sunt, quæ sunt coniuncta cum re, & quæ simul esse oportet: sed & in eis, quæ antecedunt rem, & quæ consequuntur. Sic ea quæ contingentia uoco, ut iurgatum esse, antecedit quãdoq; cædem, & expalluisse, aut latebras quæsisse, aliquando consequitur cædem: utraq; uero cædis sunt accidentia: quia & illa sine cæde, & cædes sine illis potuit euenire. Nomina etiam rerum & proñuciata itidem de rebus, existentium nõ solum sunt rerum, sed & futurarum, & earum quæ fuerunt. Similiter cõparationes similitudinesq́;, nõ modo ex ijs ducimus, quæ rebus cõiuncta sunt: sed persæpe ex ijs, quæ præcesserunt: nonnunquam & ab ijs, quæ temporum ordine sequuntur. Quoniam autem adiunctorum, antecedentium, & cõsequentium, locus iste nos admonet, aptissimum uidetur hic recensere, quid istis nominibus Cicero uoluerit accipi. Sane ille, nõ locum, nõ tempus, nõ connexa, non contingentia, posuit inter locos: sed hæc omnia nomine adiunctorum complexus est. Ego, de loco, tempore, & connexis, cum de illis dicerem, rationem reddidi. Contingentia uero recte illum locum,

quem

quem adiunctorum uocari Boëtius putauit, intra se claudere uidentur: quoniam eiusmodi sunt, ut esse cum re proposita & sine ea possint, malui tamen contingentia ea quàm adiuncta uocare, quoniam ut modo ostendi, adiũctorum, & antecedentium & cõsequentium nomen, uelut tres sunt gradus, per quos omnes accidentium loci ducerentur. Sed quæ antecedentia & consequentia uocauerunt Cicero, Quintilianus, & Boëtius, additaq; eis etiam repugnantia, loci non sunt, sed argumentandi formæ quædam, quas licet per omnes locos colligere. Qua in re, quo litem hanc Ciceroni & Quintiliano remittam, quos diuersa ab istis magnorum studiorum ratio facile tuetur, ut hæc ab alijs accepta, aliena quoque traderent fide: Boëtij certe non immerito desiderauerim diligentiam, quia nullam studiorum partem uideri potest impensiore tractasse cura. Nam & Aristotelis Topica ex Græcis Latina fecit, & in Ciceronis Topica ædidit commentarios, & quatuor Topicorum libros ipse conscripsit. In eorum librorum tertio de antecedentibus sic ait: Antecedentia sunt, quibus positis, necesse est ut aliquid sequatur: uelut cum dicimus, si homo est, animal est. Quod si uerum est, etiam animal antecedens erit ad hominẽ. Licet enim dicere, si omne animal est, homo est: eruntq; hinc inde, animal homini, & homo animali antecedens. Ad hoc, quo pacto distinguetur hic locus ab alijs, cum sit ex omnibus ferè locis tale aliquid sumere, quo posito, sit necesse aliquid sequi? ut posita definitione, sequitur definitum: posita specie, sequitur genus: posito toto, sequũtur partes: & ad causas euẽta, & ad euenta causæ, & ad omnes ferè locos aliquid necessario sequitur. Quid ergo fuit opus nomen antecedentium secernere, si sunt ea reliquis locis, non uni alteriue, sed propè omnibus communia? Præterea libet quærere, an si dicam, homo est, ergo animal est: sit dictum argumentum ab antecedentibus. Quod si aiat, haud uideo quod dicetur à specie ductum. Sed negat Boëtius, dicitq; solum ab antecedentibus sumi argumentum, cum per conditionem effertur: ut, si homo est, animal est. Primum ergo magnæ infelicitatis damnat antecedentia, cum possit ex reliquis omnibus depromi argumentatio, ex antecedentibus non possit. Cum enim antecedentia aliter pronunciari nequeant, quàm quo pacto ipse præscribit, non poterit uti-

que ex ipsis confici argumentatio. Nec enim est argumentatio: si homo est, animal est: sed pars solum argumētationis, quæ quidem, si addideris, sed homo est, ergo animal est: tum demū erit expleta. Deinde, cum locorum distinctio, pro diuersa habitudine rerum sumatur, quam accipiunt aliæ alijs comparatæ, ut animal homini com paratum, genus est: uirtuti uero sentiendi, subiectum est: corpori & animæ, est totum. Cum ergo inter ista, si homo est, animal est: &, homo est, ergo animal est: nullum sit rerum discrimen: quî potest fieri, ut dicantur è locis diuersis sumptæ argumentationes? Quæ fuit igitur causa tradendi Boëtio ista hoc pacto? Dicam equidem. Vir ingeniosus, qui uidebat, si antecedentia faceret omnia, ad quæ simpliciter illata, aliud sequeretur, non habiturum se quo consequentia inueniret: undecunq; enim duceret argumentum, si necessario sequeretur aliud, oportebat id ab antecedentibus dici: non habebat ergo, quod à consequentibus uocaret. Instituit ergo, ut antecedentia per conditionem (ut dicimus) pronunciarentur, & consequentia essent eadem illa, mutato tantum ordine, & per contradictionem, & asseuerante prolatu. Vt sit ab antecedenti, si homo est, animal est: deinde à consequenti, sed nullum animal est, ergo homo non est: fietq; ex duobus locis argumentatio una. Mihi persuasum est, multo aliter sensisse Ciceronem, & uoluisse ex antecedentibus argumentationem duci, quoties proposita conditionali, ab eo quod per conditionem antecedens fecimus, quo ordine propositum erat, duceretur argumentum: ut si homo est, animal est: deinde ab homine quod antecedens fecit, ducit argumentationem, quam ab antecedente uocat: sed homo est, ergo animal est. Sic cum conuerso ordine, ab eo quod ex conditione consequens erat, duceret argumentationem, à consequentibus uocabat: ut si homo est, animal est: animal hic est consequens: ducitur ergo à consequenti, sed nullum animal est, ergo nullus homo est. Verum ista, quomodocunq; libeat accipere, non loci sunt, sed formæ argumentandi: cum non rerum inueniēdarum ratione, sed certa colligendæ argumentationis lege constent. Repugnantia quoq; Boëtius uoluit esse contraria consequentium. Sed quoniam hæc etiam per tot locos spargi possunt, per quot consequentia sparguntur, & ad certum argumentandi modum sicut cōsequentia

quentia trahuntur, neq; suum poterunt proprium habere locum, & ad iudicandum potius quàm inueniendum pertinebunt. Nos ergo, antecedentia, consequentia, adiuncta, ita putamus accipienda, ut temporum ea distinguamus ordine: hocq; semel in omnes accidentium locos admonitum uolumus, posse ex quolibet eorum per tres istos gradus duci argumenta, & quenq; locum in quærendo hoc ordine excutiendum esse. Tria autem nomina ista, quoties per se ponentur, poterunt quidem & ad pronunciata referri: sed accommodatissime naturæ proprietatiq; contingentium accedent.

IN CAPVT XX.

Nolim quisq̃ credat.) Est ἀντιπόφορα siue προκατάληψις, quam Fabius præsumptionem uocat. *Quæ temere & nullo delectu aut prouidentia.*) D. Aug. lib. 5. de trinit. ca. 21. ubi explicat illud Mat. 10. Non'ne duo passeres asse uæneunt, & unus ex illis non cadit super terrã sine patre uestro? *Ex qua significatione Senc. inquit, non accidunt.*) Sen. in lib. de diuina prouidentia: Ideo fortiter omne ferendũ est, quia non (ut putamus) incidũt cuncta, sed eueniũt. Ad hunc modum legitur in Seneca per D. Eras. nouissime castigato. Idem in eodem libro, quare multa bonis uiris aduersa eueniunt: Nihil accidere bono uiro mali potest. Plau. Most. Insperata accidunt magis sæpe q̃ quæ speres. *Sed eueniũt.*) Ter. Phor. Quàm sæpe sorte temere eueniunt, quæ non audeas optare. Plaut. Spero ego mihi quoq; tẽpus tale euenturum, ut tibi gratiam referam parem. Vergil. 6. Aeneid. Sed non euenisse uolent. Contingunt bona, accidunt mala, eueniunt utraq;. *Sic ea quæ contingentia uoco.*) Vtitur figura, quæ uocatur à Græcis ἀπὸ κοινοῦ, id est, à communi, quæ fit, cum dictio semel prolata, sæpe subintelligitur, ut: Sunt nobis mitia poma, Castaneæ molles, & pressi copia lactis. *Aliter sensisse Ciceronem.*) Id quod eius exempla satis commonstrant atq; declarãt. Ex antecedentibus: Si omne argentum legatũ est mulieri, & pecunia numerata est argentũ, igitur pecunia numerata legata est mulieri. Ex consequentibus: Si non argentum est legatum, & numerata pecunia non est legata, non est ergo numerata pecunia argentum. Haud scio num satis apposite uulgus dialecticorum uocet hanc argumentandi rationem: Ab antecedentibus quidem, à tota conditionali cum positione antecedentis ad positionem consequentis. A consequentibus uerò: ab tota conditionali cum destructione antecedentis, ad destructionem cõsequentis. *Si omne animal est, homo est.*) Imò prorsus inualidam esse sequelam aiunt quidam, nisi syllogismum absoluas, id'que subsumptione minoris: & omnis species animalis est, ergo homo est.

Quoties proposita conditionali.) Rodol. Agricola contendit tum duci argumentum ab antecedentibus, si proposita conditionali argumentatione, ab eo quod in conditionali antecedens est, mox inferimus: ut si homo est, animal est: sed homo est, ergo animal. Boëtius putat exemplum quod adfert Cicero, esse argumentum ab antecedentibus potius, quàm consequentibus. Cæterum Rodolp. consequens esse dicit, quod ex conditionali manat, hoc modo: Si mulier nupserit ei quo cum connubium non esset: Agnoscis antecedens: qui nati sunt patrem non sequuntur. Hoc consequens. Iam ex consequenti sic colligitur: Si qui liberi patrem non sequuntur, efficitur: Ergo pro liberis nihil apud patrem remanebit. Porrò totus hic locus, ut prima

fronte nonnihil uidetur obscurior, ita aliquanto lucidior erit, si huc adhibeatur illud: Argumentatio ab antecedentibus est, cum in propositione conditionali sumitur id quod est antecedens, & ab eo contexitur argumentatio. Exemplum. Si homo est, animal est, homo est antecedens, ab hoc sumitur argumentum: Atqui homo est, igitur animal est. Exemplum Ciceronis. Si pecunia signata argentum est, legata est mulieri. Pecunia signata, antecedens est, inde argumentum sumitur. Sed pecunia signata argentum est, igitur legata. A consequentibus autem fit argumentatio, quoties ex conditione hypothetica, id quod consequens est, sumitur in argumentatione, ut si sentit, animal est: animal est consequens, inde sic colligitur: Sed non est animal, igitur nec sentit. Exemplum Ciceronis: Si numerata pecunia non est legata, non est numerata pecunia argentum. Non numerata pecunia est consequens. Est autem numerata pecunia argentum, legata igitur est.

EXEMPLA.

Cicero lib. de inuent. 1. Si summopere sapientia petenda est, summopere stultitia uitanda est: summopere autem sapientia petenda est, summopere igitur stultitia uitanda est. Si rhetor est, est & uir bonus dicendi peritus: sed est uir bonus dicendi peritus, igitur est rhetor. Si mutuum est, obligatio est: sed est obligatio, ergo est mutuum. Si res furto subtracta est, usucapi non potest: sed res furto subtracta est, igitur usucapi nequit. Inst. de usucapioni. §. Furtiuæ quoque res. Boëtius lib. 3. Topic. diff. Si peperit, cum uiro concubuit: peperit autem, ergo cum uiro concubuit. Si peperit, cum uiro concubuit, non autem concubuit cum uiro, quare ne peperit quidem.

De contingentibus. Cap. XXI.



PRimum accidentium genus contingentia diximus, quoniam circa rem contingãt, id est, eueniant, ea quidem conditione, ut siue ista non eueniant, res existere: siue res non existat, ista euenire possint. Vt pallor ante ægritudinem. Nam potest quis pallere, ut non ægrotet: & ægrotare, ut non palluerit. Sic iurgium ante cædem: potest enim iurgatus quis esse, ut non occiderit: & alius occidisse, qui non sit iurgatus. Sic forma ad luxuriam. Nam & formosus frugi, & deformis potest esse profusus. Miretur forte quis, cum uideat pallorem, ægritudinem, formam, luxuriam, adiacentia esse, & iurgium & cædem actus, quare ea iam contingentia faciamus: aut quid hoc loco sit opus, si illo satis fuerunt hæc explicata. Non est ergo nobis ignorandum, locorum fines non tam pro rerum uarietate, quam ex seipsis accipiunt, quàm pro habitudine eorum quibus applicantur, distingui. Sic candor, adiacens est niuis, & caloris species, & contingens pulchritudinis. Nec est inutile, etiam si id natura rei non cogeret, plures tamen esse locos, hoc est, aditus et uias unius

inue-

inueniendæ rei: ut si minus unus perducat nos ad id quod quærimus, altero tamen tertio'ue tentãtibus, aliqua parte procedat. Differunt autem à connexis contingentia hoc pacto, quòd connexa uno significantur nomine, quod continuo ut prolatum est, & eam rem indicat in qua est, & id quod extra ipsam est, unde id oritur nomen. Nam cum diuitem dicis, accipis statim eum qui est diues, & diuitias à quibus diues uocatur: sic contrà, in diuitiarum nomine illico & opes ipsas, & eum qui possidet agnoscis. At in contingentibus, uel potius in omnibus accidentibus, necesse est, ut duo conferamus, quo ea intelligamus esse accidentia. Nam si astutiam per se dicas, adiacens uidetur: si seruum, cõnexum erit: si coniungas seruum astutum, contingens est. Et connexum connexo contingit, ut seruus diues. Et adiacẽs adiacenti, ut astutus medicus. Et in summa, quẽadmodum prædiximus, omnia quæcunque huius sunt generis, ut alterum sine altero possit ultro citroq́; esse & perire. Non tamen hoc sic accipi uelim, ut omnia quæcunq; sunt rei contingentia, conferre putem ad inuentionem, aut ad hunc locum credam pertinere. Nec enim excidit nobis id quod prædiximus, non omnia probandis omnibus apta esse. Verum illa demum contingentia nostri sunt negotij, quæ uelut indagine uestigijs'que quibusdam ad ipsam rem nos possunt perducere: cuiusmodi sunt, uel unius efficientis facta, uel subiecti unius adiacentia, uel quæ in eodem sunt loco, uel tempore, uel quomodolibet aliquid commune inter se habent, quo de uno possit in aliud fieri transitio. Apud Quintilianum itaque in Mathematico, uir fortis, hoc ipsum quod fortiter fecit, in argumentum adfert futuri parricidij, quoniam utraq; ait opus esse impetus & furoris cuiusdam, ut ambo unius animi possint uideri. Terentius quoq;: Nõ dubium est (inquit) quin uxorem nolit filius, Ita Dauum modo timere sensi. Nam quid per se timor Daui ad nuptias filij, nisi id esset, quòd omnia communi inter ipsos consilio agerentur, & eadem omnia uellent atq; nollent? Huc pertinet etiam, quod solebãt qui accusabant in foro quàm maxime premere uitam anteactam: quod non eò modo spectabat, ut inuidiam reo conflarent, uerum quoniam uidebatur animus à quo illa fuerant profecta, nec à præsentis quoq; sceleris abhorrere fide. Huius sunt generis, quæcunq; sunt

monſtra oſtentaq́ꝫ rerum, ut defectus ſolis lunæq́ꝫ, & ſtellæ crinitæ, quęq́ꝫ alia uel uideri ſolent uel audiri: quibus inſignium populorum urbium'ue clades auguramur. Ita in cæde uultus turbatior, implicati animi index, minæ, uitata colloquia, ſpreti congreſſus. In ægritudine uero, ſpōtanea membrorum laſſitudo, faſtidium cibi, inquietudo peruigiliarum: quæq́ꝫ reliqua huiuſcemodi rem antecedunt. Ex adiunctis collegit Aſdrubal apud Varum fluuium auctas eſſe copias Romanas, quoniam ſtrigoſiores equos, & coloratiora uideret corpora. Annibal etiam cum exercitum admouiſſet urbi, nondum fractas eſſe res Romanas, quoniam ager in quo tum caſtra locauerat proſcriptus ſit, & inuenerit emptorem. Et Quintilianus, non eſſe cæci, aut ſolliciti percuſſoris uulnus: quoniam ſolum unum ſit, certioreq́ꝫ loco, quàm pro cæci, uel feſtinantis trepidatione factum. Cicero quoq; Catilinam docet malum aliquod publicum meditari, quoniam anguſtia rei familiaris prematur. Sic ex conſequentibus ducitur, ſceleris aliquos agitaſſe conſilia, quoniam diducti non conſtiterint inter ſe uerbis: furtum feciſſe, quoniā res inuenta domi ipſius: cędem admiſiſſe, quoniam fugam, uel latebras, uel arma circumſpexerit. Illa quoq; quæ εἰκότα dicuntur, id eſt, conſentanea uel ueriſimilia, huius ſunt loci, quale eſt, fortem eſſe, quia lato ſit pectore: & quia pauper ſumptuoſe uiuat, furari: & ſi qua matrona ſola per uiam noctu pergat, mœchum expetere. Signa quoq; nonnulla poſſunt huc referri: ut futuræ poſtridie ſerenitatis, ueſpertinus occidentis rubor: & ſperatæ ſanitatis, oris exulceratio. Pleraq; tamen uel ad actus, ut uiuum eſſe, quia ſpiret: uel ad effecta, ut ignem eſſe quia ſit fumus, referuntur. Quę quidem ſi magis latius'ue pateant quàm ea quibus adhibentur, communi nomine ſigna uocantur: ut quod percuſſus ſit, quia cicatricem habeat: poteſt enim cicatricem, uel quia ceciderit, uel ex ulcere habere: & grauidam eſſe, quia tumeſcat uterus, quia uel ueneno, uel morbo poteſt tumeſcere. Sin uero uel minus pateant, ut ignem eſſe, quia fumus ſit: poteſt enim & ſine fumo ignis eſſe, uel item ex æquo, ut fœtam eſſe quia habeat lac, τεκμήρια, id eſt, indicia uocātur. Ea Quintilianus inter argumenta non putat habenda, quia nihil poſt ſe dubij relinquant. Quod quidem acutiſſimo uiro miror potuiſſe in mentem uenire. Ergo ſibi nihil eorum, quibus mathematici

tici inuenta sua colligunt, argumentum esset, cum certis & de quibus ambigi non possit rationibus omnia demõstrent. Cumq́ id agamus argumentando, ut quàmminimum dubitandi reliquamus locum, qui potest fieri, ut qui ad liquidum indubitatumq́ rem perduxerit, uideatur non esse argumentatus? At nos incerta pleraque pro manifestis argumenta sumimus, quanto melius igitur res ipsa nostro cõsuluit pudori, ut faciat ipsa per se fidem, ne cogatur in locum eius is qui dicit suo succurrere mendacio.

IN CAPVT XXI.

Contingentia diximus.) Videntur haec esse facti alicuius circunstantiae, aut prioris, aut praesentis, aut consequentis, quae quasi indagine quadam, per uestigia nos ad rem perducunt: ut iurgium ante caedem, et post caedem titubatio ob conscientiam sceleris. Vt pallor ante aegritud.) Opinor esse legendum ad pro ante: nam pallor collatus ad aegritudinẽ, est accidens eius, sicut forma ad luxuriam. Et alius occidisse, qui non sit iurgatus.) Sic Ioab confodit Amasam. 2. Reg. 20. Et deformis potest esse profusus.) Cic. pro Rosc. Comoedo: Oro atq; obsecro, & quae sequuntur. Quo de uno possit in aliud.) Huius generis est illud: Omnes congruunt, unum cum noris, omnes noris. Apud Quintil.) Hoc exemplo explicantur unius efficientis facta. In mathematico.) Declamatione 5. Nam quid per se timor Daui.) Contingẽtia, ergo filiũ odisse nuptias, et Dauũ idẽ timere ait. Hic est cõmune illud in utroq;. Monstra, ostentaq;.) Ter. in Phor. Quot res, inquit, post illa mõstra euenere mihi. De asina locuta lege Nume. 22. Defectus solis lunaeq;.) Matth. 24. Stellae crinitae.) Silius Italicus libro primo:

Crinem ut flammifero terret fera regna cometes,
Sanguineum spargens ignem, uomit atra rubentes
Fax coelo radios, & saeua luce choruscum
Scintillat sydus, terrisq; extrema minatur.

Suetonius in Nerone: Stella crinita quae potestatibus exitium portendere uulgo creditur, per continuas noctes oriri coeperat. Plin. lib. 2. Arist. in meteoris. Claudianus:

Augurium qualis laturus in orbem,
Praeceps sanguineo delabitur igne cometes,
Prodigiale rubens: non illum nauita tuto,
Non impune uident populi, sed crine minaci
Nunciat aut trabibus uentos, aut nubibus ignes.

Vel uideri solent.) Danie. 5. & Mat. 24. Sub excidium urbis Hierosolymitanae, sydus gladij figura in coelo apparuit, urbi imminens, & die Azymorũ cum bos ad arã traheretur, medio templo peperit. Vel audiri.) Lege Plutarchũ q oracula defecerunt, & de ea uoce passim audita, Pan mortuus est. Euseb. de praeparatione euangelica. Et Theodoretũ de curatione Graecarũ affectionũ sermone de oraculis. In excidio Hierosolymitano, nocte Pentecostes, sacerdotes audierũt uocẽ è proximo dicẽtis: Migremus hinc. In aegritudine.) Eòdem pertinent signa letalia, quae recenset Plin. lib. 7. ca. 21. Quaeq; reliqua huiusmodi.) Sen. epist. 103. Tempestas minatur anteq̃ surgat, crepant aedificia anteq̃ corruant, praenunciat fumus

incendiũ: subita est ex homine pernicies, et eò diligẽtius tegitur, quò propius accedit. Annibal etiã cum exercitũ admouisset urbi.) Cum Corinthiorũ urbem obsideret Archidamus, uidit è solo mœnibus proximo exilire lepores, moxq; uersus ad commilitones, habemus, inquit, hostes expugnatu faciles. Quod fortuitu acciderat, ueluti in omen rapiens. Molles enim ac parũ uiros, Græci leporis uocabulo notare solent, argumento est illud è comœdia: Tute lepus es, & pulpamentũ quæris. Apud Varum flumen.) μνημονικὸν ἁμάρτημα ἐστί. Nam non Varum, sed Metaurum constat esse legendum. Liui. 2. belli Puni. lib. 7. Alter in destinatis iam inde ante animo latebris subsedit, alter per uada nota tranauit Metaurum. Strigosiores equos.) Id est, exhaustos atq; macilentos. Cic. in Bruto de claris oratorib. Etiam & in Lysia, sunt sæpe etiam lacerti, sic ut & fieri nihil posit ualentius, uerum est certe genere toto strigosior. Neq; ita longè hinc dissident, quæ in arcanis literis memoriæ prodita sunt, primum q. Noë collegerit aquas nondũ subsedisse super faciem terræ, q. columba posteaq̃ non inuenisset ubi requiesceret pes eius, reuersa est in arcã. Gene. cap. 8. Deinde q. Salomon ei nutrici iussit dari infantẽ, cuius cõmota sensisset uiscera. 3. Reg. 3. Postremo quod Achias propheta prophetauit Hieroboã per pallij scissionem, diuisionem regni Salomonis, 3. Reg. 14. Sic apud Aristophanem in nubibus, Strepsiades filium Socratica è schola redeuntẽ, ex ipsa fronte conijcit malã causam agere posse, quod nescio quid Atticæ astutiæ simul atq; impudentiæ præferret. Sic apud Terent. Chremes, ex multis simul coaceruatis, acute colligit Bacchidem filij sui Clitiphonis amicam esse, q. in cubiculum lectus sit allatus, q. ingressi pessulum ostio obdũt. Sic itidem Plato lib. de legib. 1. colligit ex Atheniensibus qui probi sint, eos egregie probos esse, quod in male instituta maleq; morata repub. qui boni sint, eos natura & insignite bonos esse oportere. Quippe qui neq; fingere putandi sunt probitatem, nimirum inter improbos, quibus morum similitudine poterant etiam commendari: neq; corrumpi queant deprauatis aliorum moribus. Simili argumento Simo Terentianus colligit probitatem filij sui. Et Plau. Aul. Cererin' mi Strobile hi sunt facturi nuptias? Qui? Quia temeti nihil allatum intelligo. Non constiterint inter se uerbis.) Legitur in historia Susannæ de duobus presbiteris. Daniel. 13. Arist. in 1. ἀναλυτικῶν lib. Illa quoq; quæ εἰκότα dicuntur.) De uerisimilibus, signis & indicijs, lege Erasmi librum secundum de ratione concionandi, ubi ista sane quàm appositis declarat exemplis. Signa quoq; nonnulla.) Qua de re explicatius nemo, quod sciam, egit, quàm unus D. August. lib. de doctri. Christiana 2. cap. 1. σημεῖα sunt signa euidentia & necessaria, hoc est, ex quibus necessario colligi potest, ut sol oritur, ergo dies est: εἰκὼς signum uerisimile, ut mulier pallet, ergo peperit. Omnis autẽ confirmatio constat aut ex consequentibus, aut ex repugnantibus. Quædam autem necessario consequuntur, ut coijsse cum uiro quæ peperit, aut moriturum, cui cor sit uulneratum. Quædam probabiliter: ut esse impudicam, quæ iuuenum conuiuijs delectatur. Eadem de repugnantibus differentia est. Necessario repugnant, spirare & mortuũ esse. Probabiliter, odisse filium quæ mater est. Quia pauper sumptuose uiuat.) Euclio Plautinus: Nam uerisimile non est hominẽ pauperẽ pauxillum parui facere quoniã minimũ petat. Vespertinus occidentis rubor.) Matth. 16. Cum cœperit esse uespera, dicitis serenitas erit, nam rubet cœlũ. Lege Plinij lib. 18. cap. ultimũ, & Ambro. 5. lib. ἑξημέρων cap. 13. Vel ad effecta.) Matth. 24. Ab arbore autem fici discite similitudinem, cum iam ramus eius tener fuerit, & folia fuerint enata, scitis q. prope sit æstas. Grauidam esse quia intumescat uterus.) Gene. 38. Fornicata est Thamar nurus tua, & uidetur uterus illius intumescere. Apud Senc. in 2. declamat. conuertit contradictionẽ aduersarius in eam ipsam, pro

qua

qua posita est, sumpto ex coniunctis argumento: ut, omnes exorauit, ergo blanda est. Blanda est, ergo meretrix. Est sane hoc genus argumentandi acerrimum, quãdo datur aliquid ex his quæ aduersarius pro se posuit, couertere & retorquere in eum, & suo illũ gladio iugulare, ita tamen si uehemẽs & firmum argumentũ poßit dici, alioqui friuolũ uidetur & hominis uerba cauillantis: & hoc quod hic positũ est non satis dignũ argumentum uidetur ingenio & fama Portij Latronis, cuius hæc est declamatio. Cõmuni nomine signa uocan.) F. Quintil. lib. 5. cap. 9. τεκμήρια, id est, indicia.) Eras. in 11. locupletandi ratione posterioris Copiæ commentarij. Ea Quintil. inter argumenta.) Lib. 5. ca. 1. Cum id agamus argumentando.) Hoc obiter hic annotãdum, ridicule à quibusdã credi, simul & affirmari, omnia argumenta topica tãtum esse probabilia, cum à definitione ad definitum, & uicißim, necessaria sit probatio, similiter à differentijs & proprijs ad speciem, rursus à genere ad speciem remouendo, & à specie ad genus affirmando: ex his enim fontibus sumuntur illæ demonstrationes, quæ proprie dicuntur apud dialecticos demõstrationes: nam ab enumeratione partiũ seu formarum ad totum, necessaria collectio est. Quin etiam ex causis & effectis, ex repugnantibus, & adiunctis, sæpe necessaria collectio est, tametsi non perpetuo. Ad liquidum indubitatumq́;.) Aemulatus est Fabium lib. 5. cap. ultimo: Et ad liquidum confessumq́; perducunt.

EXEMPLA.

Stratonicus cum esset Pellæ, & in puteum descendisset, rogauit num esset aqua potabilis: quum dixissent qui aquã hauriebant, nos istam bibimus: Non est igitur, inquit, potabilis, quod illos uideret pallidos luridosq́;. Nam id interpretabatur malæ ualetudinis argumentum, quã ex aqua contraxerãt. Hippomachus tibicen quum discipulũ suũ in arte peccare conspiceret, ab auditoribusq́; laudari, fuste admonuit, ut desisteret, hoc inquiens erroris maximũ est indiciũ, te uulgus laudat tui, Aelianus. Syllæ iactãti sese respõdit quidã: Quomodo uir bonus esse potes, qui tantas poßideas opes, quum à patre nihil tibi sit relictum? Refert Plutarchus in illius uita. Lucius Sylla cognomento Felix, quum cogitaret de occidendo C. Cæsare, amicis ne id faceret dehortantibus, indignum enim esse talem necare puerum: Desipitis, inquit, si in hoc puero non uidetis multos inesse Marios. Deprædendit in eo excelsam indolẽ nullis honoribus satiandã, ut qui uixdum pubescẽs sacerdotiũ ambierit. Idem populum Romanũ subinde monere solet, cauerent puerum male præcinctum. Plau. Pseud. An inuenire postules quenq̃ coquum, Nisi miluinis, aut aquilinis ungulis? Idem: Perinde ut quisq́; fortuna utitur: Ita præcellit, atq́; exinde sapere eum omnes dicunt, hominẽ cautum eum esse declarãt, stultum autẽ illũ cui male uerterit. Teren. Heau. Id quod est consimilis moribus, Conuinces facile ex te natum, nam tui similis est probe. Nam illi nihil uitij est relictum, quin id itidem sit tibi. Tum præterea talem nisi tu, nulla pareret filium. Idem Adel. Erubuit, salua res est. Idem Phor. Nam si te senserit timidum pater esse, arbitrabitur commeruisse culpam. Iuuen. saty. 14. Si damnosa senem iuuet alea, ludit & hæres. Plau. Aul. Non temerariũ est ubi diues blande appellat pauperem. Plaut. Sticho: Nam curiosus nemo est, quin sit maleuolus. Teren. Phorm. Ecce similia omnia, omnes congruunt, unum dum noris, omnes noris. Plau. Si hic homo sinapi uictitet, nõ censeã tam esse tristem posse. Arcesilaus: ὥσπερ ὅπου φάρμακα πολλὰ καὶ ἰατροὶ, ἐν θαῦμα νόσοι πλεῖσαι, οὕτω καὶ ὅπου νόμοι πολλοὶ ἐνθαῦμα πλεῖστας κακὰς εἶναι εἰκός ἐστι, καὶ ἀδικίαν μεγίστην, id est, Perinde atq́; medicorũ frequentia, plurimaq́; pharmaca non paucos significant loci alicuius morbos: Sic ubi innumeras uideris leges, illic certum est homines esse improbos, & inexhaustã morum iniquitatem. Cic. in Salust. Neq́; enim qui ita uiuit ut tu, aliter ac tu loqui potest: neq́;

qui tam illoto sermone utitur, uita honestior est. Δίων ὁ χρυσόστομος ἰδὼν τινὰ φθονερὸν σφόδρα κεκυφότα, εἶπεν ἢ τούτῳ μέγα κακὸν συμβέβηκεν, ἢ ἄλλῳ μέγα ἀγαθόν. Archidamus Zeusippi filius, cum quidã sibi commẽdaretur hoc nomine, quod bonus esset cantor: At hic, inquit, apud nos bonus cupediarius. Tacitus lib. 17. Nemo enim unq̃ imperium flagitio quæsitũ bonis artibus exercuit. Quintil. lib. 5. cap. 9. Hermagoras putat non esse uirginem Atalantam, quia cũ iuuenibus per syluas uagetur. Quod si receperimus: uereor ne omnia quæ ex facto ducuntur, signa faciamus. Eadem tamen ratione, qua signa, tractantur. Nec mihi uidentur Areopagitæ, cum damnauerunt puerum coturnicum oculos eruentem: aliud indicasse: q̃ id signum esse perniciosissimæ mentis: multisq; malo futuræ, si adoleuisset. Vnde Sp. Melij, Marciq; Manlij popularitas signum affectati regni fuit existimatum. Cice. in Philipp. 9. Declarauit q̃ odisset senatũ, cum autorẽ senatus extinctum læte atq; insolenter tulit. Plato in Phæd. Fieri non potest (ut Aspasius inquit) ut qui omnino deformis sit, bonus sit. Cic. pro Milo. Sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper uim quacũq; ope possent, à corpore, à capite, à uita sua propulsaret: non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis, omnibus qui in latronos inciderint, aut illorum telis, aut uestris sententijs esse pereundum. Seneca epistola centesima decima quinta: Quomodo conuiuiorum luxuria, quomodo uestium ægræ ciuitatis indicia sunt: Sic orationis licentia (si modo frequens est) ostendit animos quoque à quibus uerba exeunt procidisse. Hieronymus aduersus Iouinian. lib. 1. Nam, inquit, cum monachum esse se iactitet, et post sordidam tunicam et nudos pedes, et cibarium panem, & aquæ potum ad candidã uestem & nitidam cutem, ad mulsum & elaboratas carnes, ad iura Apitij & Paxami, ad balneas quoq;, & fritilla, & popinas se conferat: manifestum est, quod terram cœlo, uitia uirtutibus, uentrem præferat Christo, & purpurã putet regna cœlorũ. Et tamen iste formosus monachus, crassus, nitidus, dealbatus, & quasi spõsus semper incedẽs &c. Mater est, gaudet ergo alere quod genuit. Mater est, non odit ergo filium. Nouerca est, non igitur amat priuignum. Nouerca est, male igitur uult priuignis. Mater est, ergo indulgentia corrumpit liberos. Seruus est, igitur hero clàm obmurmurat. Male partum est, male igitur disperit. Puer seruis incipit fari, ergo firmiore linguæ plectro euadet. Ingenio est ad iram præcipiti, igitur ad perdiscendas disciplinas idoneus est. Sedato præditus est ingenio, ergo natus gerendæ reip. Iob cap. 5. Eliphas ob id colligit certum esse, Iob non esse sanctum, sed sceleratum, quia cum deus ita grauiter afflixisset: quasi diceret: Deus neminem unq̃ sanctum afflixit, neq; etiã afflictum ostendes quenq̃ sanctorum, quocunq; te uertas. At cum te deus grauiter affligit, certum est te non sanctum esse, sed sceleratũ. 4. Reg. 3. Primoq; mane surgentis, & orto iam sole ex aduerso aquarum, uiderunt Moabitæ econtra aquas rubras quasi sanguinẽ, dixeruntq;: Sanguis gladij est, pugnauerũt reges contra se, & cæsi sunt mutuo, nunc perge ad prædam Moab. 2. Machab. 5. Visis armatis equitibus per aëra discurrentibus, atq; per ordines suos concurrentibus, colligit populus noui & magni quippiam imminère. Vide Vale. Maxim. de prodigijs. Prouerb. 16. Qui multum fingit, machinatur malum: qui labra componit, mala perpetrabit. Plin. lib. 10. cap. 36. Mares negãtur anno diutius uiuere, argumẽto quia nulla ueris initio appareat nigritudo in rostro, quæ ab æstate incipit. Ter. And. Importunitatem spectate aniculæ, quia cõpotrix eius est. Ter. Ego nõ ueritus sum dudũ abs te cauere, ne faceres quod uulgus seruorũ solet, dolis ut me deluderes. Idem Heau. Anus foribus obdit pessulũ, ad lanã redit. Hinc sciri potuit (aut nusq̃ alibi Clinia) Quo studio uitã suã te absente exegerit. Plaut. Epid. Satur


homo

homo est, habet profecto in uentre confidentiam. Idem Menech. Folia nunc cadunt. Nunc si triduum hoc hic erimus, tum arbores in te cadent. Terent. Adelp. Omnes quibus res sunt minus secundæ, magis sunt nescio quo modo Suspiciosi ob contumeliam, omnia accipiunt magis propter suam impotentiam. Prouerb. 16. Præit deiectioni superbia: Et anteit ruinam superbia. Sapientiæ decimoseptimo: Semper præsumit sæua perturbata conscientia. Ecclesiastici 19. Amictus corporis, & ingressus hominis, & risus dentium, enunciant de illo. Prouerbiorum 11. Vbi superbia, ibi contumelia: ubi humilitas, ibi sapientia. Hieronymus in epistola ad Heliodorum: Sed ubi honor non est, ibi contemptus est: ubi contemptus, ibi frequens iniuria: ubi autem iniuria, ibi & indignatio: ubi indignatio, ibi quies nulla: ubi quies non est, ibi mens à proposito sæpe deducitur. Vbi autem per inquietudinem aliquid aufertur ex studio, minus fit ab eo quod tollitur: & ubi minus est, perfectum non potest dici: ex hac supputatione summa illa nascitur, monachum perfectum in patria sua esse non posse: perfectum autem esse, nolle delinquere est. Lucæ 12. Cum uideritis nubem orientem. Eccli. 22. Ante ignem uapor camini & fumus: sic ante sanguines conuitia. Cato apud Plin. lib. 7. testatur senile iuuentam præmaturæ mortis signum. Idem Plin. scribit quæ spectatißime florent, celerrime marcescere. Vt luxus depræhenditur è cantu, è tibicine, è coronis proiectis, ac similibus indicijs: Ita iracundum intelligas è seruorum uultibus inustis. Hieronymus in Ezechielem: Pro signo sunt interioris hominis uerba erumpentia. Vnde libidinosum aliquando turpis sermo demōstrat, auaritiamq; latentem paruulæ rei cupido signat. Minoribus enim maiora monstrantur, uultuq; & oculis dissimulari non potest conscientia. Dum luxuriosa & lasciua mens lucet in facie, & secreta cordis motu corporis & gestibus indicantur. Vnde:

Heu quàm difficile est crimen non prodere uultu.

Roma. 10. Quisquis enim inuocauerit nomen domini, saluus erit. Vt loci salubritas incolarū colore depræhenditur: Ita muneris sanctitas eorum arguitur uita, qui in eo uersantur. Sanguis crassus & niger est, uitiosus est igitur. Rubet & pellucet, igitur integer est, autore Celso. Viuido est ingenio, caput ergo erigit. Capite est deiecto, hebetiore igitur ac segniore animo est. Obæratus est, igitur mentitur. Quidam Metapontinus Laconi obijcienti ignauiam, atqui inquit, non parum alienæ regionis poßidemus. Ergo, inquit Lacon, non solum ignaui estis, uerum etiam iniusti. Significans non posse fieri, ut quis meticulosus & imbellis, multum teneat alienæ ditionis, nisi fraude partum. M. Callidius Gallum accusauit, M. Tullio defendente: quūq; accusator affirmaret se testibus, chirographis, quæstionibus probaturum, sibi à reo fuisse præparatum uenenum, sed interim rem tam atrocem, remisso uultu, languida uoce, nec reliquo gestu parum concitato pronunciaret: M. Tullius: Tu, inquit, nisi fingeres M. Callidi sic ageres? Ex actione colligens illum non ex animo loqui.

De nomine rei. Cap. XXII.



NOmen quoq; rei rectè mihi inter accidentia conferri uidetur. Nec enim est aliud nomē, quàm uox ad rem significandam consensu hominum instituta, quod, si quid aliud, uel maxime accidentium naturam habere manifestum est. Nam & rei antequam fit, & postquam facta est, nomen est, & aliud quoq; nonnunquam eiusdem rei nomen est: ut Romulus

post mortē dictus est Quirinus: & apud poëtas, Hippolytus, postea quam redditus à Pallade est uitæ, Virbius. Cicero quidem ab Etymologia, hoc est (ut ipse dixit) uerbū è uerbo, à ueriloquio: ut aptius & mollius putauit, à notatiōe: ut uulgo dicimus, ab interpretatione nominis: separatum locum descripsit. Quod fieri posse non abnuo, & nonnunquam argumenta inde duci apertius est, quàm ut ostendendū sit. Vnde & multa in nomē Verris cauillatus est, & in Chrysogonum pro Sex. Roscio. Et facere dictorum crebra sumitur occasio, ut Augustus de eo qui locum paternæ sepulturæ arabat, hoc (inquit) est patrem colere. Et qui filios ex ancilla suscipiebat, dictus est uerus familiæ pater. Quòd autem locum nomini inter ea quæ sunt in substantia fecerint, nō uideo quam rationē sint secuti: cum rerum apud oēs gētes eadē sit substātia, nomina diuersa. Quinetiā & apud eosdem populos, idem nomen, persæpe aliud apud maiores, aliud apud posteritatē significet. Vt latro prisco sermone qui mercede militaret significabat: Hostis, q̄d nūc peregrinus: & parricida, quisquis hominem necasset: hodie quid significent, nemo nescit. Ad hæc ut quædam interpretationes conueniant, ut toga à tegendo, & dux quia ducat, & quia regat rex: ita pleræque aut in aliquo non conueniunt, aut discrepant omnino. Prætorium à prætore dici manifestū est: tamen & in castris ubi consul tendebat, & in ciuitatibus item ubi ius reddebat, dicebatur prætorium. Sic codicis & libri nomina si reddantur originibus suis, neutrum hodie congruet ei quod significat: quorum alterū à caudicibus, hoc est, tabulis ductum est: alterum arboris significat corticem: quòd his primū materijs rudis uetustas ad inscribendas literas uteretur. Quamobrem cum ex his liquere uideatur, nequaquam nomen inter ea quæ sunt in substantia numerari posse, non inueni quem sibi locum putarem uerius magisq; è natura sua conuenire. Vsus eius non simplex est: Quandoq; enim ex ipsa ui aut interpretatione nominis. Vt qui dicat, animam constare ex aëre, quem inspirando haurimus: quoniā anima, quod uentum significat, sit uocata. Sic pecuniam in instrumento domestico esse, quia ipsa instruatur domus. Alius est usus, cum ducimus ex ὁμωνυμία, id est, agnominatione, uel (ut uulgo loquimur) ex æquiuocatione argumentum. Vt expetēdas esse humanitatis artes, quia

tes, quia nihil tam proprium sit hominis, quàm ipsa humanitas. Et pessime facere qui plebem contra patres cōcitent, quoniam nullum in terris nomen uenerandum magis sit quàm patrum. Et Isocrates in Helenes laude, pulchritudinem inquit admirandam maxime laudandamq́; esse: eiusq́; inter reliqua signum facit, quòd uirtutem maxime probamus, quoniam pulcherrima rerum sit omnium. Facile est perspectu, quomodo humanitatis, & patrum, & pulchritudinis nomen in diuersas flectatur significationes. Quod si occultius fiat, aut rebus in idem tendentibus, captiosa fit argumentatio. Sin apertius, in ridiculum persæpe euadit. Vt certam esse progeniē Aeneæ Neronem, quoniam patrem Aeneas sustulerit, Nero matrem. Sic & in eis quæ paulò ante diximus, in quibus colendi & familiæ nominum ambiguitas (quemadmodum hic quod sustulisse dicitur) causam ridiculo præbēt. Alius præterea est huius loci usus, cū trāslato nomine, deinde ducimus ex re, non quam hoc in loco, sed quam proprie significat, argumentum. Quale est apud Ouidium: Quis enim celauerit ignem, Lumine qui semper proditur ipse suo? Ignem pro amore posuit: deinde ex lumine argumentatur, tanquam de uero igne loqueretur. Sic apud Terentium Phormio: Hisce ego dictis illam tibi tam incēsam dabo, ut ne extinguas lachrymis, si totus extillaueris: incēsam pro irata dixit, deinde reliqua subiecit, uelut uere ardentē crederet. Ergo propter eas quas dixi causas, nomē ab eis quæ in substantia sunt remoui, protuliq́; iudicium meum, quorum diuersa si quis putabit accedere propius uero, nihil obstabit, quo minus non me, sed quæ credat optima, sequatur.

IN CAPVT XXII.

NEc enim est aliud nomen.) Aristoteles lib. 1. περὶ ἑρμηνείας: *Nomen igitur est uox significatiua, secundum placitum, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata. Nomen autem cum dicimus, cognomen quoq;, & agnomen intelligatur oportet. De hominis enim certo, ac proprio uocabulo agitur, ut si dicamus aliquem calidum uocari, quòd temerario & repentino cōsilio sit. Cicero lib. de inuēt. 2. Et aliud quoq; nonnunquam eiusdem rei.) Geneseos cap. 17. Non uocabitur ultrà nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham, quia patrem multitudinis gentium dedi te. Principio enim fuit pater Aram, & ideo uocatus est Abram: Deinde uerò pater totius seculi, & proinde dictus est Abraham. Ingens aperiret se hic campus, si quis mysteria Hebraicarum literarum, quibus scriptura arcana paßim utitur, uel paucis subindicaret, & rebus, & effectibus respondere, eamq́; ob rem accurate esse excutienda. In quibus interpretandis utinam tam essemus circunspecti,*

specti, quàm sumus frequentes, & audaculi. Hieronymus ad Paulam Vrbicam, de interpretatione Alphabeti Hebraici: Nomina quidem Hebraica identidem omnes ubique occinimus, usum tamen eorum etymonq; tam pauci norunt, quàm multi eum se nosse arbitrantur. Mirabor enim si quisquam illa scitè interpretabitur, omnis antiquitatis ignarus: ita ut ferè sunt isti, qui tantum uersantur in plusquam mutis literis, ac spinosis quæstiunculis. D. Eras. in argumento epistolæ ad Romanos, de nomine Pauli. Eras. Roter. lib. Ecclesiast. 2. Nec oportet Hebraica nomina quamuis non intellecta, cum tædio audire, quum in canonicis literis ne apex quidem unus temere positus sit. Cicero ab etymologia.) Eras. Rot. lib. 2. de ratione concionandi: Iam quibusdam etymologia uidetur habere speciem definitionis, quòd pleraq; nomina ab ipsa rerũ natura sumpta sunt. Inde enim nomen habet etymologia, quòd uera sit aptaq; rei nota quam significat, & quæ sequuntur. Profuerit plurimum diligenter expendisse Ioannis Apelli cap. de definitione, ubi agit de equiuocatione. Sub qua etiam argumentandi modus ab æquiuocis comprehenditur, quotiens translato nomine, postea in priore nominis significatione persistimus etiamnum. Romulus.) Ouidius Metamorphoseos 15.

Hippolytus.) Ouid. 15. Metamor. Hieronymus lib. Comment. 2. in epistolam ad Ephesios, cap. 4. Finge aliquem uenire tantæ scientiæ medicum, qui iuxta fabulas ethnicorum, Aesculapium poßit imitari, & in nouam figuram, nouumq; nomen posset Virbium suscitare, &c. Est & hoc quoq; ex hoc albo eorundem. Daniel desideriorum uir appellatus est, quia panem desiderij non manducauit, & uinum concupiscentiæ non bibit. Nemroth uenator, Genesis 10. Orig. homilia in numeros 25. Nomina hominibus sæpe pro rebus imponuntur, ut Ioseph, Dauid. In malis item Io. Chrysostomus homilia in Gene. 34. Nominum impositio sanctorum sæpe ab actibus. Idem in eandem homil. 50. Nomina sanctorum non fortuito imponuntur. Cyprianus de cardinalibus operibus ad Cornelium Papam: Solent matres infantulis nuper editis in ipso uitæ introitu aptare uocabula, & ex aliquibus præcedentibus uel circunstantibus causis, uel ex genere, uel ex euentibus imponere nomina, ut in ipsis primordialibus initijs quædam præfigerentur commonitoria ingredientibus uitam, ne nomen esset ad ignominiam, si originalis naturæ traductio à consueto limite deuiaret, & uirtute patrum degenerans indigna succeßio, monstri, non hominis faciẽ exhiberet, &c. Plato in Cratylo, Dialectici dicit esse munus, imponere rebus nomina, quòd is colligere sciat atq; diuidere, nec ab alio quàm à dialectico, commode id fieri posse existimat. Irum nomen suum inopia permutasse, cum antea diceretur Arugus, Lege Homerum Odyß. 19. Vnde Vlyßi inditum sit nomẽ: & Demosthenes Aeschinem σπερμόλογον appellauit contumelioso uocabulo, quòd ad quæstum quiduis diceret, quo conuitio nos rabulas dicimus. D. Erasmus in priore Copiæ Comment. cap. 15. de etymologia. Nonnunquam argumenta inde duci.) Hieronymus aduersus Vigilantium: Quis martyres unquam adorauit aut martyrum ossa? Non omnis qui colit aut ueneratur aliquid, mox illud adorat. Veneramur martyrum reliquias, non adoramus. Ouidius in epistola Cydippes ad Acontium: Mirabar quare tibi nomẽ Acontios esset, Quod faciat longe uulnus acumen habes. Et Theocritus quoq; ἔρως κηριοκλέπτης. Plautus in Menechmis: Huic urbi nomen Epidãno inditum est, quia nemo ferè huc sine damno diuertitur. Sæpe etiam in calumniam trahimus, ut hic uero nomine Niger, nomẽ ex re habet, credo hoc nomen, non fortuito, sed præsagio quodam & omine contigisse. Aut inuertimus nomen, ut falso nomine Innocentius, cum nihil sit eo nocẽtius. Candidus, cum præter nomen nihil habeat candidi. Aut per ἀντίφρασιν: ut Vigilantius dictus, cum Dormitantius merito debeat appellari.

lari. In nomẽ Verris iocatus est Cicero quasi sic dictus esset, q omnia uerreret, hoc est, nihil reliqui faceret homo furax. Quo genere iocandi quidam furem pro Tullio Tollium dixit. Erasmus lib. 2. Ecclesiast. Fabius putat ex nomine sumi materiam iocorum potius quàm argumenta, quemadmodum Cicero multa iocatur in Verris nomen, quòd homo furax omnia conuerreret. Sic iocatur in testem Phormionem, & Plinius Maior in historicũ quendam qui bibaculus dicebatur, & erat, inquit. & quæ sequuntur. Cicero in Verrina actione: Sed repente ex homine tanquã aliquo Circeo poculo factus est Verres. Quoniam tyro in castris auidius bibebat uinum, militari ocio pro Tiberio, Claudio, Nerõe, dictus est, Biberius, Caldius, Mero. Et in Chrysogonum.) Chrysogonus est appellatus, quòd aurum undecunq; pariat: nam χρύσος Græce aurum, γόνος fœtum significat. Chrysostomus de sancto & adorando spiritu: Venit Manes uerè μανὴς, hoc est, insaniens suæ seductionis nomen habens, & dicit: Ego sum paracletus quem promisit saluator Apostolis. Ab hac etymologia nõ ita multum abhorret illud Plauti in Bacchid. Credo hercle aduenies nomẽ mutabit mihi, Facietq; extemplo Crucisalum me ex Chrysalo. Cicero in 11. Philippica: Lysidicum ipsum, inquit, in Græco uerbo qui omnia iura dissoluit, nisi forte iure germanum Cymber occidit. D. Paul. in epistola ad Philemonem: Qui tibi aliquando inutilis, nunc autem & mihi & tibi utilis. Cicero in oratione de responsis aruspicũ de sacris Bonæ deæ uiolatis atq; absoluto Clodio sic iocatur: Fit, inquit, ei deæ, cuius ne nomen quidem uiros scire fas est. Quam iste idcirco Bonã ducit, quòd in tanto sibi scelere ignouerit. Non ignouit mihi, non nisi fortè tibi ignotum putas, quod te iudices dimiserũt excussum & exhaustum, suo iudicio absolutũ, omniũ condemnatum. Sunt qui scribant olim Anaxagoram recitantem apud Thebanos librum Thebaidos, cũ uidisset attentum neminem, clauso codice dixisse: εἰκότως καλεῖσθε Βοιωτοὶ βοῶν γὰρ ὦτα ἔχετε, id est, iure uocamini Booti, qui quidem aures habeatis boum, uidelicet alludens ad etymologiam nominis· βοῦς enim bos, & ὦτα aures, atq; ex his Boëtorum nomen uidetur esse cõpositum. Sustulit.) T. Liuius lib. primo Decad. 1. Nã & expositos iussu regis infantes sciebat, & tempus quo ipse eos sustulisset, ad ipsum congruere:

Quis neget Aeneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Valla libro quinto capite decimotertio. Ouidius de tristibus:

Non peto quas quondam petij studiosus Athenas,
Oppida non Asiæ non mihi uisa prius:
Non ut Alexandri claram delatus in urbem,
Delitias uideam Nile iocose tuas.

In prioribus enim uerbũ peto, pro adeo accipitur: in posteriore, pro postulo. Quod si occultius fiat, aut rebus in idem tendentibus.) Cicero lib. 4. ad Herennium de permutatione. Et Erasmus lib. 3. Ecclesiastæ de Ironia. Aut quum alio sensu cõfitemur quòd obiectum est. Saluius Liberalis in defensione diuitis rei dixit: Quod ad Cæsarem si Hipparchus sextertiũ poßidet. & quæ sequuntur. In quibus colendi.) Olim erat magna sepulchrorum religio, eaq; pars agri quæ sepulchro erat dicata, non proscindebatur aratro. Vectius itaq; quum nihil hac religione deterritus, patris monumentum exarasset, Augustus facete iocatus est: Hoc, inquiẽs, est uere patris monumentũ colere. Lusit ancipiti uerbo. Colimus ea quæ ueneramur, & colitur ager aut aliud simile. Gemina fuisset amphibologia, si pro monumento dixisset memoriam, quod ab illo dictum arbitror. Siquidem eorum memoria nobis sacrosancta dicitur,

quos uita defunctos ueneramur, & memorias ad Græcorum imitationem uocamus defunctorum monumenta. Curtius eques Romanus delitijs diffluens, quum apud Cæsarem cœnaret, macrum turdum sustulit è patina, cumq; tenens interrogauit Cæsarem, liceret'ne mittere: quumq; is respondisset, quid ni liceat? Ille protinus auem misit per fenestram, iocum arripiens ex ambiguitate uerbi. Nam cibus è conuiuio dono mittitur amicis, quod apud Romanos erat solēne: & mittitur qđ abijcitur. Nec hoc ioco Cæsar offensus est. Herodotus de Apolline Crœsum Lydorum regem inducēte ad inferendum bellum Cyro Persarum regi: Perdet Crœsus Halyn transgressus plurima regna. Perdo significat amitto & destruo. Quū plerique rei quos Seuerus Caßius accusabat, absoluerentur, & is cui Cæsar forum extruendum locarat, diu traheret illum operis expectatione: Vellem, inquit Caßius, & forum meum accusasset. Iocatus est ambiguo uerbo. Nā absoluitur quod perficitur, & absoluitur qui à causa liberatur: absoluit opus architectus, & reū iudex absoluit. Post Pharsalicū cōflictū quū fugisset Pōpeius, Nonius quidā dicebat septem adhuc aquilas superesse, proinde bono animo essent hortabatur. Recte, inquit Cicero, hortareris, si nobis cum graculis bellum esset. At ille aquilas dixit uela Romana aquilis insignita. Et facete dictorum.) Cicero lib. 2. de Orato. Quintilianus lib. 6. cap. 13. Macrobius lib. Saturnal. 2. cap. 20. Verus familiæ pater.) Iocus est in æquiuocatione uocabuli patris. Nam pater & eum significat qui genuit, & qui familiæ columen est. Faustus Syllæ filius, in sororem quæ eodem tempore cum duobus adulteris haberet consuetudinem, Fuluio fullonis filio, & Pompeio cognomine Macula, facetißime lusit: Miror, inquit, sororem meam habere maculam, quum fullonē habeat. Inter ea quæ sunt in substantia fecerint.) Quorū est Petrus ille Hispanus. Siquidem ille tria ponit: Descriptionem, finitionem, & interpretationem. Aliud apud maiores, aliud apud posteritatē.) Sic latriæ nomen apud gentiles non religionem. sed seruitutis genus quoddam obstrictius significabat, quod hoībus notæ superioris ab inferioribus exhibebatur. Nunc apud Theologos significat cultum, quem soli Deo attribuimus. Ad eundem quoq; modum & multa alia uerba translata à nostris, in alio usu, siue uno, siue præcipuo remanserūt. Iam Dei nomē, & angelis, & sanctis apud illos tribuebatur. Angeli hoī cuilibet nuncio, Apostoli classi, sancti, uiro cuique pietate antecellenti, Ecclesiæ, conuentui populi, Euangelij, nuncio fideli, crucis, uallo, martyris, testi. Adde duliam simul & hyperduliam, quæ nos alio modo, quàm illi, accipimus. Longum esset hic omnia enumerare, quæ nostri alium in usum transtulerunt. Quod uel ideo subijcere uisum est, ut nomen sacrificij (quod iam nunc abolere manibusq; & pedibus nequicquā moliuntur propudia ista) nō idem hoc tēpore apud nos, atq; olim apud ueteres illos significare constet. Constetq; proinde sacrificia esse opera, quæ reddimus Deo ad honorem, non tantum, ut agamus pro accepto beneficio gratias: sed quô mereamur accipiendum beneficium, remißionemq; peccatorum, quibus item reconciliemus seu placemus iratum Deum. Sunt autē ea duplicia: quædam propiciatoria, alia dicuntur εὐχαριστικά. Verum de ijs copiosius in nostra parasceue. Latro significabat apud ueteres eum qui mercede militabat.) Quem hodie stipendiarium uulgus uocat: autor est Festus Pompeius. Deinde apud posteriores eum significat qui uias obsidet, & uiatores spoliat. Nam qui occidit homines, grassator dicitur. Iuuenalis: Interdum & ferro grassator agit rem. Hæc Rodolp. commenta. in prologum Senecæ. Plautus Milite: Videtur tempus esse, ut eamus ad forum. Vt in tabulis mihi quos consignaui hic heri latronibus ego denumerem stipēdium. Sed de his quid attinet pluribus dicere, quando in omniū manibus sunt, quæ ea de re scripsit Chœroboscus grammaticus. Hostis quod nunc pe-

nunc peregrinus.) Horatius lib. I. Epist. Non qui ciuem dignosceret hoste. Hodie sunt perduelles. L. quos nos hostes. ff. de uerb. sig. Quod si quis plura eiuscemodi uolet scire, legat Ioannem Apellum sub calcem de diuisione. Cicero in Bruto de Theophrasto: Cum percunctaretur ex anicula quadam, quanti aliquid uenderet, & respondisset illa atq; addidisset, hospes non potes minoris, tulisse cũ molestie, se non effugere hospitis speciẽ, cum ætatẽ ageret Athenis. Cicero I. Officio. Hostis enim apud maiores nostros dicebatur quem nunc peregrinum dicimus. Vall. lib. elegantiarum 4. cap. 83. Quid? quod is qui hodie dicitur propheta, olim dicebatur uidens. Primi Reg. 9. Olim in Israel sic loquebatur unusquisque uadens consulere Deum: Venite, & eamus ad uidentem. Qui enim propheta dicitur hodie, uocabatur olim uidens. Vt quædam interpretationes conueniant.) Quintil. lib. 6. cap. ultimo: Nam & sæpe plurimũ lucis affert ipsa translatio, cum etiam ipsi iurisconsulti, quorũ summus circa uerborum proprietatẽ labor est, litus esse audeant dicere, quod fluctus elidit, & pleraq; alia id generis inuenire est apud eundem Fabium lib. I. cap. 10. sub calcem. Vt toga à tegendo.) Sic non prorsus Vallæ in hoc assentior, pœnitere à pœna dictum, sed magis arbitror à pone tenendo, hoc est ab intelligendo post factum, unde & Græcis dicta est μετανοία. De appellationib. à uirtute aut à uitio impositis, uide Sabellicũ in exemplis lib. 5. Itaq; pleræq; aut in aliquo.) Cicero lib. de natura Deorum 3. In enodandis autẽ nominibus, quod miserandum sit, laboratis. Saturnus, quia se saturat annis: Mauors, quia magna uertit: Minerua, quia minuit, aut quia minatur: Venus, quia ad omnia uenit: Ceres, à serendo. Quàm periculosa consuetudo? In multis enim nominibus hærebitis, quid Veioui facies, quid Vulcano? Quanquam quoniam Neptunum à nando appellatis, nullum erit nomen, quod non possis una litera explicare, unde dictum sit. In quo quidem magis tu mihi natare uisus es, quàm ipse Neptunus. Magnam molestiam suscepit, & minime necessariam, primum Zeno, post Cleantes, deinde Chrysippus, commenticiarum fabularum reddere rationem: Vocabulorum cur quiq; ita appellati sint, causas explicare Quintil. lib. I. cap. 10. Valla lib. 6. elegantiarum cap. 36. & 37. carpit illud: Oratio dicta est, quasi oris ratio. Quanquam dicat D. Hieronymus in epistola ad Cyprianum in expositione Psal. 89. Oratio, est oris ratio. Reliquos'que Varronis etymos, quibus ipse & lusit, & lusus est. Eras. in annota. prioris ad Corinth. tertio sugillat D. Thomã, quòd interpretetur benignitatem quasi bonam ignitatem. Quandoque enim ex ipsa ui aut interpretatione.) Ouidius:

Victima quæ dextra cecidit uictrice uocatur.
Hostibus à domitis hostia nomẽ habet. Idem in sexto Fastorum:
Stat in terra sua instando Vesta uocatur:
Causaq; par Graij nominis esse potest.

Fides Cicero primo Officiorum: Credamus, quia fiat quod dictum est, appellatã fidem. D. Augustinus lib. 2. q. 2. ad Simplicianum: Misericordia quoq; hominis habet nonnullam cordis miseriam, unde etiam Latina lingua nomẽ accepit. Idem quoq; lib. de utilitate credendi, plura habet, quæ faciunt ad etymologicon. Lactatius lib. 6. de uero cultu cap. 17. Sicut aqua quidẽ semper iacẽs & quieta, insalubris est, & magis turbida est: Sic animus immotus ac torpens inutilis est etiã sibi, nec uitam ipsam tueri poterit, quia nec faciet quicquam, nec agitabit, quum ipsa cogitatio nihil aliud sit, quã mentis agitatio. Augustin. in Psalm. 43. Merito & gratia nominatur, quia gratis datur. Exigitur ergo à te, ut & tu gratis cũ colas, nõ quia dat tẽporalia, sed quia præstat æterna. Idem in Psalm. 70. Merito & negocium dictum est, quòd negat ocium. Vbi consul tendebat.)

 Id est,

Id est, tentoria habebat. Virgil. Aeneid. secundo: Hic sæuus tendebat Achilles. Animam constare ex aëre.) Aristot. in primo de anima, & Cicero in prima item Tusculana, compendio perstringunt diuersas de anima opiniones. Anima aura.) Horatius: Nam corpus onustum Hesternis uitijs animum quoq; prægrauat ipsum, Atq; affigit humo diuinæ particulã auræ. Quod uentum significat.) Plautus de Euclione: Qui quum it dormitum, follem obstruxit ob gulam, ne quid animæ amittat dormiens. Vt expetendas esse humanitatis artes.) Augustin. ad Memorium: Literæ, quas uariarum serui libidinum, liberales uocant, nihil in se habent congruum liberalitati. Isocrates in Helenes laude.) Helenes encomium extat apud Isocratem in oratione quinta, Ioanne Lonicero interprete.

Quod si occultius fiat.) Primi Regum 20. Iratus autem Saul aduersum Ionathan, dixit ei: Fili mulieris ultro uirum rapientis, nunquid ignoro, quia diligis filium Isai? Saul Ionathæ matrem pro adultera: appellat mulierem ultro uirum rapientem, significans eum non esse legitimum, sed suppostitium. D. Aurelius Augustin. lib. 2. de doctri. Christia. cap. 31. Gellius lib. 18. cap. 13. Et idem libro item eodem cap. 2. Fabius lib. 1. cap. 16. Seneca lib. episto. 5. Politianus Miscellaniorum cap. 54. Nec raro in odium, imò in exitium.) Iudic. 12. cap. Cum quispiam dixisset Gebolet pro Schebolet, impurißime præfocatus est. Hoc in eum porrò finem retuli, ne temere cuiusquam nomen impetamus. Et familiæ nominum.) Si diligenter expendas, potius nomine patris quàm familiæ esse æquiuocationem, fortasse non male deprehenderis. Cum translato nomine.) Fusius explicantur ista apud D. Augustinum libro secundo de doctrina Christiana cap. decimo, & apud eundem libro tertio de doctri. cap. decimosexto & decimoseptimo. Quale est apud Ouidium.) Quin illud eiusdem poëtæ non ita multum huic diuersum est lib. primo Tristium: Vtq; comes radios per solis euntibus umbra est, Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit: Mobile sic sequitur fortunæ lumina uulgus. Sic apud Terentium.) Fortasse non peßime dici poßit, Terentium in metaphora probe perstitisse, quando & lachrymis iram restinguimus.

EXEMPLA.

Genesis 2. ἄυτη κληθήσεται ἀνδρὶς, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη ἄυτη. Hæc uocabitur uirago, quia ex uiro sumpta est. Vide D. Hieronymi quæstiones siue traditiones Hebraicas in Gene. Genesis 30. Et uocauit Adam nomen uxoris suæ uitam, siue Heua, quũ ipsa fuit mater cunctorum uiuentium. Matthæi 1. Pariet autem filium, & uocabis nomen eius Iesum: is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis. Alexander Macedonum rex, miserat epistolam ad Antipatrum, per quendam nomine Athliam: quum id temporis fortè adesset Diogenes, qui Cinico more dixit, Athlius per Athliã ad Athliũ. Porrò Athlius Græce miserum sonat, multisq; laboribus afflictum, unde & Athletis nomen. Sensit philosophus principes ob ambitionem aßiduis bellis tumultuantes, uerè miseros esse. Aeque miseros, qui illorum cupiditatibus inseruirent. D. Hieronymus in commentarijs in epistolam ad Titum cap. 3. Nunc ipsum nomen uidetur plenißime uentilandum. Hæresis Græce ab electiõe dicitur, quòd scilicet unusquisq; id sibi eligat, quod ei melius esse uideatur. Philosophi quoq; Stoici, Peripatetici, Academici, Epicurei, illius uel illius hæreseos appellantur. Palladas:

Ρῶ καὶ λάμβδα, μόνον κόρακας, κόλακάς τε διΐστα.
οὐκοῦν, τ' αὐτὸ κόραξ βωμολόχος τε κόλαξ
τοὔνεκ' ἔμοι βέλτιστε, τὸ δὴ ζῶον περιφύλαξο,
ὑιδδὲ καὶ ζώντων τοὺς κόλακας, κόρακας.

Id est,

Id est, Literæ hæ duæ ρ & λ, separant coruos & assentatores. Idem in reliquis est coruus, scurraq́; assentator. Quamobrem optime amice beluam istam obseruato, cum scias adulatores uiuentium esse coruos. Lucianus: ποδάγρα καλοῦμαι γιγνομένη ποδῶν ἄγρα. Podagra uocor, cum sim pedum præda. ἄδηλον: τί μόναχοι, τί τοσοίδε: τοσοίδε τί, πῶς πάλι μοῦνοι ὤπλυθὺς μοναχῶν ψευσαμένη μονάδα. Cice Id enim est sapientis prouidere, ex quo sapientia appellata est prudentia. Vide Gellium lib. 16. cap. 10. Plin. lib. 8. cap. 3. Locupletes dicebant, hoc est, agri plenos. Ouid. 5. Fast. Aut pecus, aut latum diues habebat agrum: Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta. Idem:

Ingenium magni liuor detraxit Homeri.
Quisquis es, ex illo Zoile nomen habes.
Dum petit infirmis nimium sublimia pennis,
Icarus Icareis nomina fecit aquis.

Plau. Pseu. Forum coquinum qui uocant, stulte uocant. Nam non coquinū est, uerum furinū est forū. Cicero pro domo sua, in nefariū P. Clodij stuprū cum sorore germana designatum cauillatur: Vide (inquit) ne tu te debeas Iouem dicere, quòd tu eandem sororem & uxorē appellare poßis. Suetonius in Claudio: Nam illa eius quotidiana, & plane omnia horarum & momentorum erant, quid ego tibi Theognius, id est, dijs genitus uideor. Ruth 1. Ne uocetis me Noëmi, id est, pulchram, sed uocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine ualde repleuit me omnipotens. Egressa sum plena, & uacuam reduxit me dominus. Cur ergo uocatis me Noëmi, quam dominus humiliauit, & afflixit omnipotens? Hierony. Heliodoro: Quid facis in turba, qui monachus es, monachus enim solitudinis nomen est. Cicero lib. 3. de finibus bon. & malor. Nam sine hac arte (dialectica) quemuis arbitramur à uero abduci falliq́; posse. Recte igitur si omnibus in rebus temeritas ignoratioq́; uitiosa est, ab his ea quæ tollit, hæc uirtus nominata est. Physicæ quoq; non sine causa idem tributus est honos. Si Ariani iure optimo uocati sunt Christomachi, quod uiderentur cum Christo belligerari, sicut Macedoniani merito dicti sunt Pneumatomachi, ob pugnam cum spiritu sancto, cui in dicendo restiterunt, secus de eo sentientes atq; ecclesia. Eadem libertate Lutheranos non iniuria licebit appellemus Euangeliomachos, quòd cum Euangelio pugnent, torquentes illud ac laniantes. Marci 5. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et respondit dicens: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Galenus in exhortatione ad bonas artes: Vnde non iniuria quis dixerit eos generoso cognomine notari dictos Athletas, uel quòd ab Athleta cognomine habeāt, ἄθλιοι, id est, miseri: uel quòd utrique communiter ab Athliotete, id est, miseria, uelut ab una terra cognomen sortiti sunt. Marci 3. Et imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui. Hierony. ad Cyprianum in explanatione psal. 89. Oratio iuxta Grammaticos omnis sermo loquentium est, cuius etymologiam sic explicant: Oratio, est oris ratio. Ioan. 1. cap. Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas, quod sonat, si interpreteris, lapis. Genes. 25. Plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob. Exodi 2. Vocauitq́; nomen eius Moses: quia de aqua tuli eum. Gene. 32. Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respondit, Iacob. At ille: Nequaquam inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël: quoniam si contra deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis? Vide D. Hieronymum in quæstionibus siue traditionibus Hebraicis in Genesim. Et Erasmum libro quarto Ecclesiastæ, sub finem.

De pronunciatis. Cap. XXIII.



LOcum, qui sumitur ex eis, quæ quisquam de re proposita uel dixit, uel (quod perinde est) sensit, eum quidam à iudicio, nonnulli ab autoritate, Cicero testimonia uocauit, Aristoteles & itidem quandoq; Cicero & Quintilianus probationes inartificiales dixerunt. Nos (si quicquam nobis post tantos uiros licet) pronunciata appellare maluimus, quoniam reliqua nomina adductiora erant: & ab arte (quatenus ad nostrum utiq; institutum pertinet) non credidimus semouenda. Pronunciata autem dicimus, quæ quisquam ulla de re, ut affirmaret aut negaret, est elocutus. Ea quidem (ut modo diximus) Aristoteles, quiq; ipsum secuti sunt Cicero & Quintilianus, remota dixerunt ab arte, exemeruntq; numero locorum. Quapropter ne cui negligētius uideamur uel imperitius fecisse, qui coniiciamus illa in hunc locum, facti nostri paucis reddenda nobis est ratio. Si quis igitur testimonia, id est, quæcunque aliquis ea de re de qua disserimus dixit, sic accipiat, ut inter disserendum tractantur à nobis, fideiq; parandæ sunt instrumentum: non uideo, qui minus ista contineantur arte, quàm reliqua cuncta, quæ uel effecta sunt rerum, uel contingentia, è quibus argumenta sumuntur. Cumq; ea, & quæri à dicentibus, & inueniri uideamus, & alius alio melius & commodius eis utatur: constanter ipsa & artis, & huius esse loci, contenderim. Aristotelē uero, quiq; alii autores ista tradidere, credo equidem sensisse arte carere testimonia, non quatenus à disserente confirmandis adferuntur rebus: sed ut ab eis ipsis quorum sunt testimonia, præsentem in rem dicuntur. Foro nanq; & ciuilibus attribuerunt ea certaminibus. Et testis sane oratio, inquantum probatur ab ipso res, nihil ad disserentis rationem pertinet: nec iam ut inueniendi argumenti locus potest accipi, cum non dicentis arte, non argumentatione, sed etiam qui dixit tacente, hæc peragatur probatio. Sic tormenta, sic chirographa, sic leges, sic plebiscita, quæ ad rem pertinēt, non oratoris expectant uocem, sed ipsi sibi iudices oculis auribusq; faciunt fidem. Non magis sunt itaq; disserēdi artis ista, quàm si quis cum multa se pro republica pertulisse dicat, idq; probare uelit, diducta ueste, silens demonstret in aduerso pectore cicatrices, & conspicien-

tiendum concionis oculis, id quod erat animis probaturus, ostendat. Quando uero in orationem sibi assumit ista qui dicit, tum artis esse, declarat eorum, qui uel in scholis eruditionem tradunt, uel in publico de ciuilibus negocijs disputant, labor: quem sumunt, quô uel confutent eos qui diuersa dixerunt, uel eorum qui secum sensere, uerba confirment. Quinetiam tradita sunt ab autoribus præcepta testium interrogandorum: & astruendæ testimonijs infirmandæq; fidei, prout res poposcerit, ratio monstrata: & testium quoque æditæ seorsum interrogationes, & confutationes ipsorum, & asseuerationes perpetuarum orationum monumentis comprehensæ. Qui potest ergo fieri, quod arte sit traditum, quod præscripto tractetur artis, ut id esse possit ab arte semotum? Nisi sine arte credimus dixisse Lucanum: Quis iustius induat arma Scire nephas, magno se iudice quisq; tuetur. Victrix causa deis placuit, sed uicta Catoni: cum diuinum & humanum testimonium pariter sit una argumẽtatione com plexus. Ad artem pertinent igitur (ut semel finiam) testimonia, quoties ex ipsis à dicente, non per ipsa fit à teste probatio. Sunt ergo pronunciata omnia, aut diuina, aut humana. Diuina sunt, quæcunq; dei uel numinis uoce proferuntur: ut quæ per quietem, quæq; locis sacris, aut uiris flagrantiore diuinorum amore afflatis, aut postremo rum etiam nonnunquã scelerum obnoxijs territamenta solent reddi, quæq; item diuinarum rerum ministri sacerdotes uatesq;, uelut interpretes & cœlestium arcanorum conscij, prædicant. Humana sunt, quorum prima est à nobis origo. Quæ uel in scriptis sunt posita, ut chirographa, instrumenta, epistolę, libri: uel in oratione, ea'que uel libera, ut laudationes, res iudicatæ, dicta testium, pacta, conuenta: & doctorum, clarorum aut magnorum uirorum sententię, & rumor, famaq; populi, uel in oratione expressa: aut religione, ut iurata: aut tormentis, ut quæsita. Videtur hic locus similitudinẽ quandam habere illorum, quæ superius uocauimus connexa: quoniam ab oratione res uel dicta uel pronunciata dici potest: estq; extra rem oratio. Verum hoc interest, quòd (quemadmodum cum de connexis loqueremur diximus) necesse est, connexa si tueri nomen suum debeant, simul utraq; esse: quod in pronunciatis non euenit: nam dicimus de re aliqua, quando non est ipsa; dicimus etiam ueluti de re,

quæ

quæ tamen ipsa non modo non est, sed ne fuit quidem unquam, nec unquam est futura. Quo facile perspicitur, & posse rem sine oratione, & orationem sine re esse, & pronunciata recte inter accidentia numerari. Itaque sunt etiam & antecedentia pronunciata, ut prædictiones uatum, famæ expectatio. Et consequentia, ut rumor opinioq; de rebus ad posteritatem diffusa. Et adiuncta, ut laus uituperatioq; extantium, & iacta in omnem partem de præsentibus uerba.

Possunt etiam inter pronunciata numerari quædam, quæ non in oratione, sed in re sunt posita, qua quid dicere quis uelit significat. Vt qui interrogatus, qualis esset hominum uita, cum parumper se ostendisset subito abscondit: quod solum in eius locum fecit, quo uolebat breuem esse ipsam pronunciare. Et Tarquinius Superbus, cum eminentiora papauerum capita baculo decuteret, non dixit quidem, sed signo quocunque potuit pronunciauit, primores Gabiorum à Sexto filio auferri debere. Nobilitas quoque huius loci esse poterit, quandoquidem non aliud esse uidetur, quàm uel maior uirtus, uel opes, uel res gestæ, fama hominum celebrata. Diuerbia etiam, ut: Ne quid nimis, Modus optimus, Tempori seruiendum: quæq; alia huius generis publico hominum iudicio firmata sunt, & locum habent testimoniorum: non iniuria quis numerauerit in pronunciatis.

IN CAPVT XXIII.

PRobationes inartificiales.) Cicero in Topicis: Quæ autem extrinsecus assumentur, & maxime ex autoritate ducuntur. Itaq; Græci tales argumentationes ἀτέχνους uocant. Aristoteles lib. rhetoricorum 1. cap. 15. Quintil. lib. Institut. 5. cap. 1. D. Eras. 11. locupletandi ratione posteriore Copiæ commentario. Testimonia.) Testimonium est omne illud quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. D. Erasmus in paraclesi: Hunc autorem nobis non schola Theologorum, sed ipse pater cœlestis, diuinæ uocis testimonio comprobauit, idq; bis, primum ad Iordanem in baptismo, deinde in monte Thabor in transfiguratione. Hic, inquit, est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite. Sic cherographa.) Ad hunc modum ubiq; inueni descriptum ab Agricola, ei dipthongus aliquoties uel in i uel in e Latinum uerti potest. Commodius tamen in i ut λύκειον lycium siue lyceum. Diducta ueste silens demonstret.) Hæc historia eleganter explicatur apud Fab. Quintil. lib. 6. cap. 2. Extat & apud Iustinum lib. 2. exemplum non ita dissimile, de Pisistrato, qui hoc pacto tyrannidem inuasit apud Athenienses. Quin etiam tradita sunt ab autoribus.) Cic. in rhetoricis lib. 2. & Quintil. lib. 5. cap. 7. Fideiq; parandæ sunt instrumentum.) Cice. lib. 1. tuscul. 1. Autoribus quidem ad istam sententiam quamuis obtinere uti optimis possumus, quod in omnibus causis, & debet, & solet ualere plurimum. Huic loco ex-

actius

actius intelligendo, non minimum momenti attulerint ea, quæ D. Augustinus præcipit de moribus ecclesiæ: Cum aliquid, inquit, discutimus, rationem præcedit autoritas. Nam potest infirma ratio uideri: quæ cum reddita fuerit, autoritatem postea per quam firmetur, assumit. Lactantius & Hieronymus prodiderunt, non recte D. Cyprianum fecisse, quòd Demetrianum hæreticum oblatrantem ueritati, diuinis eloquijs confutarit, quibus non obaudiebat solum, sed insultabat Demetrianus. Cum ante omnia fuisset agendum & eis, quas non contemnebat, rationibus, & ijs quæ recipiebat, gentium monumentis. Antecedentia, pronunciata, ut prædictiones.) Cicero lib. de diuinatione primo: Platoni cum in cunis paruulo dormienti apes in labellis consedissent: respõsum est, singulari illum suauitate orationis fore. Ita futura eloquentia præuisa in infante. Pausanias in Atticis: σωκράτης τῇ προτεραίᾳ νύκτι ἢ πλάτων ἔμελλε φοιτήσειν μαθητὴς, ἐσπτῆναι οἱ κύκνον εἰς τὸν κόλπον εἶδεν ὄνειρον, id est, Socrates priore nocte, qua Plato futurus esset discipulus, inuolare ei cygnum ad sinum uidit somnio. Diuina sunt quæcunq; dei.) Porrò autem cogimur hic uel inuiti extra oleas (ut aiunt) currentes, paucis παρέργως respondere ijs, qui continuo quiduis reijciendum esse iuxta ac fastidiendum uociferantur, nisi statim per scripturam fuerit utcunq;, imò euidenter atq; manifeste probatum. Quorum errorem cum sæpe aliâs, tum maxime in epistola aduersus Luciferianos refellit D. Hieronymus: Exigis, inquit, ubi scriptum sit: in Actibus apostolorum. Etiamsi scripturæ autoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Idem in epistola ad Marcellam de dogmate Montani, & in epistola ad Licinium. August. de natura & gratia cõtra Pelagianos cap. 39. Credamus igitur, inquit Pelagius, quod legimus: & quod non legimus, nefas credamus astruere: Contrà ego, inquit August. dico: Nec omne quod legimus, credere nos debere, propter illud quod ait Apostolus: Omnia legite, quæ bona sunt tenete: & astruere aliquid etiam quod non legimus, nefas non esse. Cice. lib. 1. Tuscul. quæst. Vt enim rationem nullam Plato afferret (uide quid homini tribuam) ipsa autoritate me frangent. Idem lib. 1. de natura Deorum: Eodem spectat & id, quod de Pythagoreis accepimus, quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, quũ ex eis quæreretur, quare ita esset, respondere solitos: αὐτὸς ἔφη, id est, ipse dixit. Ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio præiudicata poterat, ut etiam sine ratione ualeret autoritas. Quantum magnorum autoritas uirorum in rebus ualeat, satis patet ex Noctibus Gellianis lib. 11. Sed longum sit recensere hic omnia: qui uelit plura super hac re cognoscere, legat licebit Basilium de spiritu sancto. Ioannem Cocleum lib. 1. de autoritate ecclesiæ & scripturæ, cap. 5. ubi probat non omnia quæ recipit ecclesia, in scripturis expressa esse. Legat Edoardum Pouelum lib. 2. in propugnaculo summi sacerdotij euangelici, ac septenarij sacramentorum. Legat Cornel. Crocum in libro quem inscripsit ecclesiam. Hæc uel idcirco adscribenda putauerim, ne quis parum prudens fidem habeat libellis ἀνωνύμοις, qui hodieq; super hac re circunferuntur, qui uix dici queat, quàm inepte hoc tractent argumentum, neq; terram attingentes neq; cœlum. Dixerat ô mores, ô tempora Tullius olim. At quanto nunc iustius exclamemus, adeoq; ingemiscamus, repertos esse seculo nostro haud grandes homunculos, qui de cunctis ecclesiæ quæstionibus uno linguæ rotatu sole clarius coruscent, homines non satis eloquentes omnia una saliua contaminent, & (ut inquit ille) domestico præconio plures suæ stultitiæ testes colligant. Iam uerò ut nullus aut fere nullus locus crebrius inter dicendum incidit, sic haud scio, an sit alius quisquam quo maxime hoc seculo astuta malitia, & malitiosa astutia abutantur quidam. Quocirca ut recta argumentandi ratio melius obseruetur, operæpretium mihi facturus uideor, si paucis

quæ ad id faciant, ut legitime per eum argumentemur, illustrem obseruatiunculis. Principio illud non indignum obseruatione, locum ab autoritate negatiue desumptum prorsus inutilem esse, adeoq; persæpe omnino erroneum. Atq; hoc est cur D. August. in lib. de hæresibus refert, hæresim genuisse quosdam, quòd per hunc locum negatiue argumentantes, asserebant Melchisedech non fuisse hominem, cæterum uel filium dei, uel angelum. Ex eo nimirum, quòd in epistola ad Hebræos dicitur, scripturam non meminisse, uel patris, uel matris, uel genealogiæ ipsius Melchisedech. Consentaneum igitur fore censebãt, eum nec patrem, nec matrem, nec genealogiam habuisse. Quandoquidem id nusquam literis proditum esset. Proindeq; non fuisse hominem, quia constat hominem omnem, præter primos parentes, & patrem, & matrem habuisse. Eadem argumentandi ratione, ut autor est Augusti. lib. de natura & gratia, non parum multi conati sunt conuincere Cayn è matre sua Eua filium genuisse, quia aliarum fœminarum nondum meminerat scriptura. Sic itidem Pelagius cum suis (ut idem August. in eodem, quem modo citaui, testatur lib) constanter asseuerabant, iustos quorũ bona opera scriptura deprædicat, peccata autem silentio transit, totam uitam citra peccatum transegisse. Lege D. Hierony. in 26. caput Ezechi. prophetæ, lib. comment. 8. Eant nunc inquam eant pede infausto, puri puti sycophãtæ, magni quidem nominis professores, nouorumq; dogmatum autores, ueterũ instauratores, sed φίλυθοι, πιοχαρεῖς καὶ ὀδολιεχεῖς, ipsissimi sophistæ, qui hæc atq; his similia uerborum portenta, plusquàm sophisticas argutias per uniuersam terrarum orbem non uereantur disseminare. Sed pene exciderat omnium uulgatissimum & perinde appositissimum exemplum Ioannis Vbersteinij Dalemensis è libro de purgatorio, ubi sic habet: Quæsiui iam multis annis aliò atq; aliò absconditum thezaurum, & non potui inuenire, ergo nusq̃ thezaurus est absconditus. Hæc dialectica q̃ sit elumbis & impotens, nemo non uidet, nisi tam sit lippus ut nihil uideat. Et tamen non facile dixerim, quantum Ecclesiæ conflauerit perniciei, & quot ad orcum pertraxerit incallidas animas. Siquidẽ illud omniũ ferè hæreticorũ extitit semper promptissimũ argumẽtum. Hinc Heluidius Mariæ perpetuã castitatẽ negauit. Hinc Arrius, Marcion, Basilides, Ennomius, & Manichæi, plurimã erroris partẽ fulcillarũt. Hinc sibi Lutherus abstulit sacramenta. Et habet sibi tã familiarẽ hãc dialecticã homo ille, ut nullus apud Vuittenbergã, ne infantulus quidẽ sit, qui non pernoscat hinc argutari cõfidẽtius. Non legitur, inquiũt, in Euãgelio, ergo sic nõ est. Cauillãtur et hinc nostrates aliquot obstreperæ mulierculæ. Non est hoc, aiunt, in libro meo, ergo sic non est, neq; etiam credamus commatercula. Hæc ille. Aut iuris flagrantiore diuinorum.) Ecclesi. capite 37. Anima uiri sancti annunciat aliquando uera, quàm circumspectores sedentes in excelsis. Proinde locus hic (ut ait quidam) duntaxat efficacia & uirtute sermonis tenet in eo qui nec fallere, nec falli potest, cuiusmodi est deus solus, uel alij à deo illuminati. Iuxta illud Hieronymi, quod citatur in decretis canonicis distinct. 9. cap. Ego solis, & cap. libellis, dist. 20. Territamenta solent reddi.) Terent. Phorm. Quot res post illa monstra euenère mihi? Introijt in ædes ater alienus canis: Anguis per impluuium decidit de tegulis: Gallina cecinit, interdixit ariolus, Aruspex uetuit ante brumam autem noui negocij incipere, quæ causa'st iustissima, Hæc fiunt. T. Liuius libro 1. decad. 1. Ad Ianiculum forte uentum erat, ibi ei carpento sedenti cum uxore aquila suspensis demissa leuiter alis pileum aufert, superq; carpentum cum magno clangore uolitans, rursus uelut ministerio diuinitus missa capiti apte reponit, inde sublimis abijt. Cicero in Pisonem: Nolite enim putare P. C. ut in scena uidetis homines sceleratos impulsu deorum terreri, furiarum tædis ardentibus, sua quenq; fraus, suum facinus, suum scelus,

lus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. Hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Idem in oratione de aruspicum responsis. Sacerdotes.) χρύσης Apollinis sacerdos, Iliad. α. Vatesq; uelut interpretes.) Spurina aruspex admonuit C. Cæsarem, caueret discrimen ingens quod ultra Calendas Martias non proferretur. Eo die quum iret in senatum, Spurinæ forte obuio, quid ais, inquit, non'ne uenère Calendæ Martiæ? Venère, inquit, sed nondum præteriere. Nam eodem die cæsus est Cæsar. Actorum 17. Sicut & quidam uestratium poëtarum dixerunt: Nam huius progenies etiam sumus. Secundæ Petri primo: Non enim uoluntate hominis allata est olim prophetia, sed à spiritu sancto impulsi, locuti sunt sancti dei homines. Humana sunt.) Quintilianus libro Institut. 5. cap. 10. in calce, pronunciata humana in plura secat capita. Nanq; primum locum dat eis, quæ omnibus uera esse uideantur. Quemadmodum omnium mentibus insitum est esse deos, parentes esse uenerandos, beneficium esse dandum amicis. Secundum ijs, quæ ab unaquaque gente approbata sunt. Deinde si quid à sapientibus uiris sit dictum. Postea quæ quis in sua arte peritus dixerit. De quæstionibus per tormenta, Valerius lib. 8. capite 4. De testibus, Valerius lib. 8. capite 5.

Vel in oratione, eaq; uel libera.) Cicero in partit. orat. Ex oratione aut libera, aut expressa. & quæ sequuntur. Expressam intelligit, ubi quis coactus fatetur aut testatur. Orationem, intelligit sermonem. Matth. 8. Quid rei nobis tecum est Iesu fili dei? uenisti huc cruciandum nos ante tempus. Res iudicatæ.) Cic. 2. rheto. lib. Iudicatum est, de quo iam ante sententia alicuius, aut aliquorum constituta est. Asconius Pædianus: Præiudicium certe aliud nihil est, quàm res quæ cum statuta fuerit, affert iudicaturis exemplum quod sequantur. Cice. in oratione pro Cluentio, ubi iure Oppianicum ueneficij damnatum fuisse, duobus ostendit præiudicijs. Instrumenta.) Lactan. lib. 4. cap. 20. Pacta.) Aristot. primo rhetorices cap. 15. Magnorum uirorum sententiæ.) Ad Titum 1. Dixit quidam ex istis proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri: Testimonium hoc est uerum. Lege quæ annotauimus in Aphthonium cap. de sententia. Quæ non in oratione, sed in re sunt posita.) Heraclitus cum in seditione rogaretur à ciuibus, ut pro concione suaderet concordiam, ascendit pulpitum, & calicem impleuit frigida, ac farinam infusam iudice miscuit ac bibit, itaq; discessit, uidelicet ipsa re loquens, plerunq; seditiones ex luxu superfluarumq; rerum appetentia nasci. Melitius quod ore eloqui non sinitur, manu designat: Tribus enim apertis digitis, & denuo clausis, & uno tantum digito rursus extenso, populo figura diuulgabat, quod tres unum sint. Tripartitæ historiæ lib. 5. cap. 48. Arcesilaus quum arderet podagræ doloribus, cumq; Carneades inuisisset, atq; exiret tristis, mane, inquit, Carneade, nihil enim illinc huc peruenit, ostensis pedibus & pectore. Sentiens pedes quidem dolere, sed animum dolore uacuum esse. Legebat Alexander epistolā à matre missam, quæ arcana quædam & calumnias aduersus Antipatrum continebat, simulq; ut solet, cum rege legebat Hephestion, nec eum uetuit legere, sed perlecta epistola anulum signatorium è digito detractum ori illius appressit, hoc gestu admonens, ut arcana contineret. Sic in Act. Apostolorum Agabus apud Cæsareā detracta Paulo zona stringens sibi pedes, prædixit fore, ut is cuius esset ea zona, Hierosolymis uinciretur à Iudæis, ac gentibus traderetur. Rumor, famaq; populi.) Marci 11. Timebant populū: omnes enim habebāt Ioānem, q uere propheta fuisset. Ioan. 5. Si enim credidissetis Mosi, credidissetis utiq; mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius scriptis non creditis, quomodo uerbis meis credetis? Vt qui interrogatus.) Aphthonius Sophista cap. de χρεία: Pythagoras interrogatus quanta esset hominū uita, parumper uidendum se præbens,

 subito

subito abscondit: uitæ humanæ naturam conspectus breuitate indicans. Xenocrates cum legati ab Alexandro 50. ei talenta attulissent, quæ erat pecunia temporibus illis, Athenis præsertim, maxima: adduxit legatos ad cœnam in Academiam, eis apposuit tantum quod satis esset: cum postridie rogarent, cui numerari iuberet: Quid uos hesterna, inquit, cœnula non intellexistis me pecunia non egere? Apud Laërtium Diogenes hospitibus quibusdã Demosthenem uidere cupientibus, non indice, sed medio porrecto demonstrauit, parum uirum innuens, & effœminatum. Nobilitas.) Aristoteles 4. Polyticon cap. 4. Iuuenal. saty 8. Iudocus Clichtoueus in libello de uera nobilitate. Publico hominum iudicio firmata sunt.) Cice. in orati. pro domo sua: Vt est autem in Græcis artificibus, eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri non poterunt: sic nonnullos uidemus, qui cum oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris studium deuenire. Dicta item factaq; hominum, quorum memoria religione quadam occupauit mentes hominum, oraculorum instar habentur. Diuerbia etiam.) Seneca epistola 76. Tamdiu discendum est, quàmdiu nescias, & si prouerbio credimus, quàmdiu uiuas. Cice. de libro finibus tertio: Quæq; sunt, inquit, uetera præcepta sapientum, qui iubent tempori parêre, & sequi deum, & se noscere, & nihil nimis. Cicero pro L. Murena: Inuentus est scriba quidam Cuci Flauij, qui cornicum oculos confixerit. Idem pro L. Flacco: Vtrunq; igitur nostrum, an uestrum est prouerbium: Phrygem plagis fieri solere meliorem. Idem in 3. in Catilinam: Factum atq; trãsactum est. Vide D. Erasmum ante Chiliades suas, ubi bene prolixe hæc prosequitur. Et posteriorem Copiæ commentarium de Iudicijs.

De comparatis. Cap.. XXIIII.



Omparatio frequens est, & magno usui rhetoribus locus. Paratus enim fere & ad manum est. Et quoniam ex ijs sumitur, quæ non alte sunt eruenda, sed propemodum nota sunt atq; conspicua: etiam expeditam proinde uim habet ad rudiores animos permouendos. In nomine uero non usquequaq; consentit usus. Nanque apud poëtas comparationem uocant grammatici, quam nos similitudinem dicimus: quale est: Ac ueluti magno in populo cum sæpe coorta est Seditio: & quæ sequũtur: notus est enim apud Vergilium locus. At quam comparationem nos, illi plerunq; exemplum dicũt: quo nomine utitur & Aristoteles. Et est sane exemplum inter comparata, sed non omnibus comparatis conueniet hoc nomen. Quamuis enim illud apud Ciceronem: An uero uir amplissimus, P. Scipio Pontifex Maximus, Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem statum reipublicæ priuatus interfecit, L. uero Catilinam, orbem terrarum cæde & incendijs uastare cupientem, nos COSS. perferemus? quamuis enim illud inquam exemplum sit, nõ tamen istud quod subijciemus dici poterit exemplum; Ego te consulem

fulem putem, cum tu me non putes consularem? Et apud Quintilianum in milite Mariano: Tu si tribunus esses, hoc fecisses? si miles, hoc tulisses? comparationem fieri certum est: probare enim uult, quia aduersarius, nec si tribunus fuisset, hoc conari: nec si miles, hoc perpeti uoluisset: ergo nec illum tribunum qui occisus est, id debuisse tentare: nec militem qui occidit, perpeti: exemplum uero istud esse nemo dixerit. Iam illud multo apertius apud Vergilium: Captiq; dolis, lachrymisq; coacti, Quos neq; Tytides, nec Larissæus Achilles, Non anni domuere decem, nō mille carinæ: indignitas rei comparatione, non exemplo colligitur. Hoc enim uult efficere poeta, indignissimum fuisse, capi unius fraude & artibus eos, quos nullæ uires superare potuerunt. Explicemus ergo quid differant comparatio & exemplum: quomodo item à comparatione similitudo discernatur. Comparationem uocamus, cum duo, aut plura, in tertio aliquo conferuntur, quod commune sit eis. Vt Catoni licuit sequi bellum ciuile, ergo & Ciceroni licebit sequi. Commune est hic ambobus, sequi bellum ciuile. Exemplum, est species quædam comparatiōis. Est enim uel aliquid maius, uel par, uel minus, quod ad imitandum, uitandúmue sumitur. Estq; ea non solum huius loci, sed etiam à specie ducitur: ut apud Lucanum: Omnisq; potestas Impatiens consortis erit. Subijcit: Nec longe factorum exempla petantur, Fraterno primi maduerunt sanguine muri. Romulus enim & Remus, primi Romæ reges, ostendunt regnum non posse in consortium mitti. Et à coniugatis etiam prædiximus duci. Similia sunt, quando iunguntur aliqua, non in tertio quod sit ambobus cōmune (quemadmodum fit in comparatione) sed utrunq; in singulis, quorum quemadmodum hoc in isto, sic illud se habeat in illo. Vt si dicam, quemadmodum uascula oris angusti superfusam humoris respuunt copiam, sensim autem instillantibus, replentur: sic tenera puerorum ingenia, grandia non percipiunt, modica & uiribus suis apta commodius addiscunt. Hic uascula oris arcti, & minora puerorum ingenia conferuntur, non in uno aliquo: sed illa, in eo quod est, non admittere ea quæ impetu superfunduntur: hæc in eo, quòd difficiliora subito nequeunt amplecti. Ducitur omnis cōparatio aut à maioribus, aut à minoribus, aut à paribus. A maioribus, ut

bus,ut rex non potest, ergo nec miles: & ausus est uulnerare, ergo & maledicere. A minoribus,ut ediuerso, miles potest,ergo & rex potest:&,non est ausus maledicere, ergo nec uulnerare est ausus. A paribus:ut,si potuit manes arcessere coniugis Orpheus: Si fratrem Pollux alterna morte redemit:quid Thesea magnum? quid memorem Alcidem? Ex his enim colligit Aeneas, sibi quoque ad inferos ius esse descendere,quoniam par illis:& mihi, inquit, genus à Ioue summo est. In inueniendis autem istis ad ea præcipue respiciẽdum est,quæ eiusdem sunt generis,cum eo quod nostri est propositi. Neque enim quicquid quomodolibet maius erit: nec si quid par aut minus,ad hunc locum pertinebit,ut si de eruditione quæratur, non in hac parte rex maior erit plebeio: sed magister discipulo,& exercitatus rudi. Sic si quęretur de regum uiribus:non qui maius saxum tollere,aut grauiorem perferre poterit laborem, maior erit: sed cui opes ampliores,cui numerosior popularium manus. Cum dixerim autem comparationem in uno fieri, quod sit comparatis commune:nolo quenquam id fallat,quòd nonnunquam eis quæ comparantur,sua singulis tribuuntur propria: Vt si Didonem decet habitare Africam,decebit & Aeneam petere Italiam. Quanquam autem non in uno proximo conferuntur ista, non tamen argumentandi uis in singulis est posita, sed in communi quod ista coniungit. Neq; enim hoc nititur Aeneas,quod uel Dido in Africa habitet,uel ipse Italiam petat,sed eo quod subijcitur apud poëtã: Et nos fas extera quærere regna:ut sit argumentationis huius iste uelut neruus,Didonem decuit peregrina regna quærere, ergo Aeneam itidem decebit. Sic etiam Iuno: Pallas'ne exurere classem Argiuũ potuit,& quæ sequuntur. deinde subiecit: Ast ego una cum gente tot annos bella gero:commune ambobus quo Iuno nititur, est ulcisci inimicos:ut si Pallas potuit ulcisci inimicos suos, & Iuno poterit. Causa uero propter quam sic diducũtur ista potius,quàm commune in utrisq; ponatur,non est negligenda nobis. Quanquam in nonnullis ad eloquendi magis,quàm inueniendi rationem pertineat:in plerisq; tamen præcipua est & acris in istis inuentio. Primum,quòd latius & minus dialecticè,hoc est perplexe,spinoseq; dicuntur ista: & latitudine atq; diuersitate decorem quendam accipiunt: quod solum fere

lum fere

lum fere sectatus uidetur Virgilius in exemplo, quod priore posuimus loco. Deinde, quòd ea quæ poterant alioqui paria fortasse uideri, explicatione quid in singulis intersit, ingens plerunq; in alteram partem capiunt incrementum. Vt in secundo exemplo, cum posuisset primum Pallada, nihil adiecit Iuno, quô minorem illam monstraret, quasi turpe putaret, quærere maiorem se alterius deæ conuicio fieri. At cum ad personam suam uenisset, non solum opposuit se Palladi, ut diceret: Ast ego, sed adiecit, quæ diuûm incedo regina. Nec id satis putauit: addidit etiam: Iouis & soror & coniunx: ut uel ex hac magnitudine sua admoneret, minoris numinis & uelut priuatam deam esse Pallada. Postea subiecit: Pallada exurere potuisse, hoc est, funditus euertere classem Argiuorum, quódque plus sit, id unius solum Aiacis iniuria permotã fecisse, deq; ipso grauissimas sumpsisse pœnas: se uero non unum odisse, sed gentem: neq; tamen euertere potuisse, aut pœnas sumere: sed etiam bellum cum cõtumacibus gerere, & quidem tot annos. Sic in exemplo Ciceronis quod diximus, cum simpliciter diceretur, P. Scipio rectè seditiosum ciuẽ interfecit, ergo nos rectè interficiemus: paria propemodum hoc pacto fiebant. Diduxit ergo, & singula sua apparatu instruxit. P. ergo Scipio cum T. Gracchum mediocriter labefactantem statum Reip. priuatus interfecerit, quid nos? Catilinam, non statum Reip. sed orbem terrarum: non labefactantem, sed uastare cupientem: non mediocriter, sed cæde & incendijs: cum nos, non priuati, ut Scipio: sed Coss. non interficiemus, sed perferemus? Si tamẽ hęc acrius intueamur, satius fuerit dicere, duplicatis è locis constare has argumentationes. Vt sint hinc ductæ à minoribus: Pallas potuit, ergo Iuno poterit. Scipioni priuato licuit, ergo Coss. licebit. Hinc uero ducantur à maioribus: potuit ob noxam unius euertere classem Argiuûm, ergo indignum erit me tot annos una cum gente frustra contendere: &, potuit occidere T. Gracchum minus obnoxium, ergo poterimus Catilinam sceleratissimum.

IN CAPVT XXIIII.

ET quoniam ex ijs sumitur quæ non altè sunt eruenda.) Elucidandorum obscuriorum causa, comparationes adhibentur: notißimæ ergo esse debent, nihil habentes ambiguitatis. Δεῖ γὰρ, inquit Aristoteles, ὑπὲρ τῶν ἀφανῶν τοῖς φανεροῖς μαρτυρίοις χρῆσθαι. Quintilianus lib. 8. cap. 3. Atq; id certè negari non potest, præcipue obseruandum, ne id quod

quod comparationis, similitudinis'ue gratia asciuimus, aut obscurum sit, aut ignotum: debet enim quod illustrandæ alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo quod illuminat.

Ad rudiores animos permouendos.) M. Tullius in tertio de Oratore: Tum illa quæ maxime mouent, similitudo & exemplum. Quintilianus lib. 9. cap. primo: Duo maxime mouent, similitudo & exemplum. Dictu mirum, quantæ sint efficaciæ ethnicorum cum instituta, tum exempla, quando talibus uelut efficacissimis, dominus Iesus percellere solet suæ gentis duritiem, ingerens illis Cananæam, Centurionem, publicanos, peccatores, reginam Sabæ, Niniuitas, Tyrios ac Sydonios. In nomine uero non usquequaq; consentit usus.) Cicero in Rhetoricis lib. 1. Comparabile autem est, quod in rebus diuersis similem aliquam rationem continet: eius sunt partes tres, Imago, Collatio, Exemplum. Imago, est oratio demonstrans corporum aut naturarum similitudinem. Collatio, est oratio rem cum re ex similitudine conferens. Exemplum, est quod rem autoritate aut casu alicuius hominis, aut negocij confirmat, aut infirmat. Vocant Grammatici.) Lege Iulium Ruffinianum de figuris sententiarum & elocutionum, Diomedem lib. 2. Porrò grammatici comparationem quamlibet ad imitationem uel reprehensionem uitæ pertinentem, exemplum uocāt: nobis aliter usurpatur, nempe pro comparatione qua uel ex una specie genus, uel ex parte totum colligitur, atque adeo quo cuncta ex uno aliquo, uel uniuersa ex singulis ostenduntur: propter aliquam in omnibus similitudinem, quæ in uno uel singulis eorum satis intelligitur. Quam Rodolph. uocat comparationem, Grammatici exemplum, quod etiam in comparatione continetur. At non omnia comparata in exemplis. Quam sanè alij comparationem, hanc ipse similitudinem: quod alij pleriq; omnes à maiori, à minore, aut à simili deductum existimant, hoc ipsum Rodolph. pro iure suo uocat comparationem. Est autem comparatio, duarū rerum aut plurium in uno tertio collatio. Vide suprà lib. huius cap. 4. Quam nos similitudinem dicimus.) Hac in re, ut ferè plerisq; alijs omnibus, acerrimo Quintiliani iudicio subscribit, qui hunc ad modum accipit similitudinem libro institutionum 5. cap. 1. Qua ratione se Lucretius dicit præcepta philosophiæ carmine esse complexum: nanq; hac, ut est notum, similitudine utitur:

Ac ueluti pueris absynthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Aspirant mellis dulci flauoq; liquore.

Ac ueluti magno in populo.) Qua similitudine Seruius, & Quintilianus perfecti oratoris simulacrum expreßisse putant Maronē. Quo nomine utitur & Aristoteles.) Libro Rhetorices 1. cap. 2. Et est sanè exemplū.) Rodolp. lib. 2. cap. 18. Argumentatio quæ naturam habet inductionis, exemplum uocatur, quod genus est, quotiens una aut altera parte, aut specie enumerata, non genus aut totum, sed aliam quampiam partem speciem'ue inde colligimus. Atq; hæc demum ea est, quam rhetoricam inductionem uocant: quæq; alio nomine dici solet exemplum: quod nomen ab Aristotele ijs etiam argumentationibus datur, ubi ex pluribus particularibus unum particulare colligitur. Quanquam non me clàm est, exempli nomē illis propriè tribui solere, ubi rē gestam alteri rei probandæ refellendæ'ue accommodamus. Sed nō omnibus comparatis.) Est autem comparatio tanquam magis cōmune ad exemplum, & non contrà. An uerò uir amplißimus P. Scipio pontifex maximus T. Gracchum.) Plutarchus in uita Gracchorū, Appianus libro bellorum ciuilium primo. Velleius Paterculus & T. Liuius lib. 58. 60. 61. Et apud Quintilianū in Milite Mariano.) Lusius Mario ex sorore nepos, quum Marius iterum Consul esset, uim admonuit militi cuidam ado-

dam adolescenti, nomine Trebonio. At is Lusium interfecit. Id factum multis incusantibus, non inficiatus est adolescẽs se ducem suum interfecisse, sed causam addidit ac probauit. Marius itaq; quum iußisset adferri coronam, pro facinore in bello præclare gesto dari solitam, Trebonio imposuit, graui exemplo monens cæteros, ne simili modo tentarent adolescentium pudicitiam, quando non solum absoluit, uerumetiam coronauit eum, qui & imperatoris cognatum, & ducem suum ferro necasset. Enodatius locum hunc explanat Agricola libro tertio cap. 2. Simile quiddam narratur de Iphicrate duce: is cum apud populum Atheniensem proditionis reus peragerctur, percunctatus est Aristophontem accusatorem, num ipse proditurus esset Rempub. si quis pecuniam dedisset: cumq; is se facturum negasset, quod igitur, inquit, tu facturus non eras, ego feci. Lege Appianum lib primo. Valerium lib. sexto de fortitudine, & Plutarchum in uita Marij. Exemplum est species quædam comparationis.) Aristoteles libro Rhetoricorum secundo capite uigesimo: Diomedes libro itidem secundo: παράδειγμα est enarratio exempli, uel rei præteritæ relatio, significans adhortationem dehortationémue. Virgilius:

– An non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledeamq; Helenam Troianas uexit ad urbes?

Lucæ nono: Domine, u dicamus ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos, quemadmodum & Helias fecit? Conuersus autem Iesus, increpauit illos, dicẽs: Nescitis cuius spiritus estis uos. Filius enim hominis non uenit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum. Erasmus Rot. lib. Eccle. secundo: Exempla idem efficiunt quod similia, nec quicquam interest, nisi quòd hæc sumuntur à factis cum autoritate: ut, quemadmodum equus si paulatim exerceas, redditur ad ferendos summos labores tolerantior: ita corpus hominis si per gradus assuescat maioribus, tolerat quæ alius non auderet attingere: Simile est. Exemplum erit. Milo Crotoniates, qui singulis diebus ad aliquot stadia gestando uitulum, eundem pòst taurum factum, ad tantundem spacij facile gestauit. Et deinde, Porrò quando exemplaria. &c. Idem lib. Ecclesiast. 3. Illud artis est, ut exẽpla quæ per se sunt imparia, &c. Est enim uel aliqd maius uel par.) Quintilianus lib. 5. cap. 11. plura significata, & acceptiones huius nominis enumerans, ita tandem subiungit: Potißimum autem est inter ea quæ sunt huius generis quod proprie uocamus exemplum, id est, rei gestæ, aut ut gestæ utilis ad persuadendum id quod intenderis, commemoratio. Quemadmodum uascula oris angusti.) Si quis aliud desideret exemplum, huic illud fuerit affine, quod est apud D. Hieronymum in epistola ad Gaudentium de infantulæ institutione: Vt enim aqua in areola digitum sequitur præcedentem: Ita ætas mollis & tenera, in utramq; partem flexibilis est, & quocunq; duxeris, trahitur. Et illud item Grego. Nazian. in principio libri tertij de theologia: Quemadmodum aqua quæ non certis canalium marginibus dirigitur, sed per areæ diffunditur planiciem, euanescit: Ita & res per sermonis uastitatem diffusa, lectorem fallat. Ducitur autem omnis cõparatio aut à maioribus, aut à minoribus.) Aristoteles lib. Rhetoricorum. 2. cap. 23. de locis enthymematum. Cicero lib. de Orat. 2. Maiora autem, & minora & paria comparabimus sic. Ex maiore: Si bona existimatio diuitijs præstat, & pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis est expetenda? Ex minore sic: Hic paruæ consuetudinis Causa, huius mortem fert tam familiariter: Quid si ipse amasset, quid hic mihi faciet patri? Ex pari sic est eiusdem, & cupere contra Remp. & largiri pecunias. Sic etiam Iuno, Pallas ne exurere.) Vergilius libro 7. Aeneid. de eadem: – Mars perdere gentem

Immanem Lapithûm ualuit, concessit in iras
Ipse deûm antiquam genitor Calydona Dianæ,
Quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente:
Ast ego magna Iouis coniunx, nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia uerti,
Vincor ab Aenea.— Eodem spectat & illud eiusdem Poëtæ:
Antenor potuit medijs elapsus Achiuis, &c.

EXEMPLA.

Salustius: Maiores uestri parandi iuris & constituendæ maiestatis gratia, per secessionem, armati Auentinum montem occupauere: uos pro libertate quam ab illis accepistis, nonne summa ope nitemini? atq; eo uehementius, quòd maius dedecus est parta amittere, quàm omnino non parauisse. Si Scipio, Petreius, & Cato Vticēsis leuius duxerunt sibi mortem consciscere, quàm Iulio Cæsari uiro sic satis honesto debere uitam: An Cicero uir optimus, qui semper oderat tyrannos, uitam debere potuit Antonio crudelissimo, & omniũ hominum teterrimo, huic potuit supplex agere gratias, ac seruatorem appellare, poterit sceleratissimo latroni, ac publicæ libertatis oppressori suam incolumitatem acceptam ferre? qui inter pocula exprobret quod dedisse uideri uult, quia per scelus non eripuit, qui leuissima causa prouocatus, quod dedit eripiat. Hieronymus in apologia aduersus Luciferianos: Si enim propter unũ uerbum aut duo quæ contraria fidei sunt, multæ hæreses abiectæ sunt ab ecclesia, quantò magis hic inter hæreticos habebitur, qui tantas peruersitates & tam multa dogmata contra fide adinuenit, Deiq; & ecclesiæ hostis extitit. Ambrosius lib. 5. epist. 33. Arrianos peiores esse quàm Iudæos certum est, hi enim quærebant utrum soluendum sit Cæsari tributum, illi imperatori uolunt dare ius Ecclesiæ. Irenæus 4. lib. contra hæret. Hæretici alienũ ignẽ afferentes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, à cœlesti igne comburentur, quemadmodũ Naath & Abiu. Qui uerò exurgũt contra ueritatem, & alteros adhortantur aduersus ecclesiam, remanēt apud inferos uoragine terræ absorpti, quemadmodum circa Oreb, Dathan & Abiron. Qui autem scindunt & separant unitatem ecclesiæ, eandem quam Hieroboã pœnam percipiunt à Deo. 2. Timoth. 3. Quemadmodum autem Iannes & Iambres resistebant Moysi: ita & hi resistunt ueritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem: sed non proficient amplius, siquidem amentia istorum euidens erit omnibus, quemadmodum & illorum fuit. Theodosius episcopus Synādēsis usq; adeò insectatus est hæreticos quos Macedonianos appellant, ut etiam è possessionibus suis eos deturbaret. Contra quos uniuersos tam clericos quàm iudices prouinciales armabat. Super hæc Constantinopolim usq; profectus, omneis Cæsaris præfectos aduersus hæreticos persequendos sibi adiunxit. Et nos eos intra domesticos parietes impune grassari sustinemus, nec uel pedem è limine proferimus, ut præfectorũ auxilia mercamur? Si fures licet cum reipub. necessitas exigit, in crucem sublimes rapere, cur non liceat ubi publica animarum salus exposcit, & uehementer quidem exposcit, hæreticos crepitantibus urere flammis? Gelasius pontifex Rom. libros combussit, & hæreticos ablegauit in exilium: ergo idem poterit & Hadrianus pontifex. Valentinianus atq; Martianus hæreticos ad unum omnes asseruantes libros contra Calcedonense concilium perpetuo damnarunt, exilio primum. Deinde & rursus libros mādarunt comburendos: Et quisquam audebit expostulare cum Carolo, quod similia tentarit? Theodosius imperator Manichæos hæreticos, publice combustis eorum libris omnibus exuens fortunis, successione omni priuauit ultimoq; sup-

Mo4; supplicio tradendos mandauit: Ergo idem poterit & Carolus imperator semper Augustus. Sapiens ille rex Hiram alienigenæ & filij mulieris uiduæ uidelicet pauperis consilium in extruendo templo non est dedignatus, & consules alijq; peritos in quaq; re in consilium dedignabuntur adhibere, si forte de ea deliberent, ut theologos, si de re Theologica, nempe de hæreticis pariter & anabaptistis comburendis aut certe capite truncãdis. Teren. Eunucho, scena: Nunquis hic est? Deum se in hominem cõuertisse: at quem Deum? qui templa &c. Ego homuncio hoc non facerẽ. Oportuit Christũ pati, nos ergo quid segniter agemus? Augustin. in Psal. 34. sermone. 2. Si ille, quid ad nos? Chrysost. in ioannem, Homil 85. Si asinum deus loqui fecit, & per uatem benedictiones spirituales nobis largitus est: multò magis per sacerdotes, etiamsi praui sunt, Deus omnia efficit. Origenes in homilijs in Lucam: Si Iesus filius Dei subditus est Ioseph & Mariæ, ego non subijciar Episcopo, qui mihi à Deo ordinatus est? non subijciar presbytero, qui mihi domini dignatione præpositus est? Hieronymus aduersus Ruffinum: Demosthenes à cane quomodo ρῶ litera exproẽda esset, discere non erubuit: & nos pudebit, si homines homine præceptore utamur?

A MAIORI.

Terent. Adelph. Nam qui mentiri aut fallere insueuerit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit cæteros.

Idem Andria: Si illum obiurges, uitæ qui auxilium tulit,
Quid facies illi qui dederit damnum, aut malum?

Idem Hecyra: Nam ut hic laturus hoc, ipsam rem ut siet, resciuerit,
Non ædepol clam me est, cum hoc quod leuius sit,
Tam animo iracundo tulit.

Idem Heauton. Quem feret, si parentem non fert suum?

Cicero in Antonium: Quid faceres domi tuæ, quũ alienæ tam sis insolens? Cicero in Philip. Qui familiarem iugularat, quid hic data occasione faciet inimico? Ouid. lib. 2. Amorum:

Quod decuit reges, cur mihi turpe putem?

Genesços cap. 32. Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra hominem præualebis? Iob 4. Ecce qui seruiunt Deo, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem, quantò magis qui habitant domos luteas? Idem Iob. 25. ca. Ecce luna etiã nõ splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius, quantò magis homo putredo, & filius hominis, uermis. Matt. 12. Si ipsum patrem familiàs uocauerunt Beelzebub, quantò magis domesticos eius? Hieronymus 6. Comment. in Ezech. ca. 18. Astra quoq; non sunt munda in conspectu eius, & aduersus angelos suos peruersum quid excogitauit. Si autem sublimis illa natura peccato nõ caret, quid dicendum est de hominibus, qui fragili carne circundati, debent loqui cũ Apostolo: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Iudicũ 14. Patri meo & matri nolui dicere, & tibi indicare potero? 4. Regum 5. Pater, si rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras: quantò magis quia nũc dixit tibi, lauabere & mũdabere? Prouer. 15. Cum infernus & perditio Deo pateant, quantò magis corda hominum ei patent? Barbarus ille & gentilis Ephron offert Abraham ignoto hospiti gratuitũ sepulchri munus, & uix adduci precibus potest, ut oblatam accipiat pecuniam: & sacerdotes sepulturæ ius uendimus in alieno? Vel potius quod publicũ est, id ceu priuatum ære locamus. Rom. 8. Qui proprio filio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit, quĩ fieri potest, ut nõ & cũ eodẽ oĩa nobis donet? Prioris Petri 4. Et si iustus uix saluus efficitur, impius & peccator ubi cõparebit? Hiero

nymus in 3. cap. Malachiæ prophetæ: Si sacerdotes purgandi sunt, & colandi, ut purum aurum remaneat & argentum, quid de cæteris est dicendum? Si Christo putet elata doctrina & fastuosa eloquentia, quanto magis oderit arrogantem ac superciliosam inscitiam, & sanctimoniæ fuco personatam infantiam.

A MINORI.

Cicero pro lege Manilia: Et quisquam dubitabit quid uirtute profecturus sit, qui tantum autoritate profecerit? aut quàm facile imperio, atq; exercitu socios & uectigalia conseruaturus sit: qui ipso nomine ac rumore defenderit? Ibidem: Maiores nostri sæpe mercatoribus ac nauiculatoribus iniuriosius tractatis bella gesserunt: Vos tot ciuium Romanorum milibus uno nuncio atq; uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Idem pro Pub. Sestio: Ergo hominis desperati, & proditoris Reip. casum lugebunt fortasse qui uolent, ciuis florentissimi & optime de Rep. meriti periculum lugere senatui nō licebit? Idem pro Archia: Saxa, & solitudines uoce respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur, atq; consistunt: nos instituti rebus optimis, non poëtarum carminibus moueamur? Terentius: De psaltria hac audiuit, id illi nunc dolet alieno, pater is nihili pendit. Plautus Menechmis: Folia nunc cadunt, nunc si triduum hoc hic erimus, tum arbores in te cadent. Teren. Phorm. Quid faceres, si aliquid grauius tibi modo ferendum foret? Cum hoc non possum, illud minus possem. Ibidem: Adeòn' hoc indignum tibi uidetur, filius homo adolescens, si habet unam amicam, tu uxores duas? nihil pudere, quo ore illum obiurgabis? responde mihi. Horat. lib. epist. 1.

Quæ lædunt oculos, festinas demere, si quod
Est animum, differs curandi tempus in annum. Ouid.
Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec sitiens ora lauabis aqua.
Vt ualeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet. Ouid. in Epistolis:
Quid facies præsens, quæ nondum uisa placebas?

Cicero pro Milone: Neq; in ijs corporibus, atq; in hac imbecillitate nostra inest aliquid quod uigeat & sentiat, & non inest in hoc tanto naturæ tam præclaro motu. Hieremiæ 35. Nunquid nō recipietis disciplinam. Matth. 6. Quòd si gramen agri, &c. Posterioris ad Corinth. 3. Quod si administratio mortis, &c. Primæ ad Timotheū 3. Stulte, tu quod seminas, nō uiuificatur. 1. Corinth. 3. Quòd si quis propriæ domui præesse nō nouit, quomodo ecclesiam Dei curabit? Exod. 4. Filij Israel non me audiūt, & quomodo me audiet Pharao? Deut. 17. Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, morte moriatur homo. Quid igitur futurum ei, qui blasphemo ore incesserit? D. Hieronymus in epistola ad Theodorum in epitaphio Lucinii Betici: Et si adhuc in carne positi & renati in Christo, non sumus Græcus & Barbarus, seruus & liber, masculus & fœmina, sed omnes in eo unum sumus: quanto magis cum corruptiuum hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, non nubent neq; nubentur, sed erunt sicut angeli in cœlis? Primæ Ioannis 4. Qui enim non diligit, &c. Ad Hebræos 10. Qui aspernatus fuerit Moysi legē, &c. Lactantius lib. 5. de iustit. capite 19. Quòd si seruorum nequissimus habetur, & cæt. Hieronymus libro 1. aduersus Pelagianos: Si damnatur in lege ignorātia, quantò magis in Euāgelio conscientia? Si ad serui Eliæ iniuriam ignis descendit de cœlo, & non Samaritas, sed Iudæos consumpsit incendiū: quantò magis ad contemptū filij Dei, in impios Samaritas debet flāma sæuire? Hieronymus

in 5. ad

in 5 ad Algasiam quæstione. Cyprianus: Si per unum hominem mors potuit introire, quantò magis per unum hominem, qui & deus erat, potuit uita restitui? Cice. Si gladiatorum miseret eò magis, quò minus sunt supplices, quantò rectius fortißimus uir contumax periculorum nos mouebit? Hieronymus in epistol. ad Demetriadem, de uirginitate seruanda: Solent miseri parentes & non plenæ fidei Christiani, deformes & aliquo morbo debiles filias, quia dignos generos non inueniunt, uirginitati tradere, tanti (ut dicitur) uitrum, quanti margaritũ. Si Saul deo unicè charus, è regno suo turpißime semel profligatur, quòd contra mandatum domini pepercerit Agag Amalechitarum regi, cur non uel optimo iure debeat in ultimas usq; terras protrudi, qui contemptis imperatorijs sanctionibus & pontificijs cautionibus, adeoq; sacrosanctæ matris ecclesiæ traditionibus, ad pestilentißimos hæreticorum errores conniueat? T. Liuius ab urbe cond. lib. 5. Obsecro uos, uenandi studium ac uoluptas, homines per niues ac pruinas in montes syluasq; rapit: belli necesßitatibus eam patientiam non adhibemus, quam uel lusus ac uoluptas elicere solet? Piscatores, inquit Aristippus, aqua marina totos se madefieri non recusant, ut exiguum capiant gobium: & ego ut balænam ingentem capiam, uino paulum diluto leuiter aspergi non ferã? Sic respondit Aristippus, cum in eum expuisset aliquando Dionysius. Cice. Tuscul. 2. Hæc pueri possunt, uiri non poterunt? Cice. lib. de finib. 2. Quòd si in ipso etiam corpore multa uoluptati præponenda sunt, ut uires, uelocitas, ualetudo, pulchritudo: quid ni idem in animis fiat, in quibus doctißimi illi ueteres cœleste ac diuinum quiddam inesse putarunt?

A PARI.

Cicero pro A. Cecinna: Si quis me exire domo coëgisset armis, haberẽ actionem: si quis intrare prohibuisset, non haberem? Teren. in Eunu. Parmeno. Ego ne ut Thaidi me dedam, & faciam quod iubeat? Gnato. Quid est Thraso, quò minus quàm Hercules seruiuit Omphale. Cice. pro Sexto Roscio: Vt illud incredibile est, mortem oblatã esse patri à filio, sine plurimis & maximis causis, sic hoc uerisimile non est, odio fuisse parẽti filiũ, sine causis multis, et magnis & necessarijs. Si enim ex eo quòd quis comptus est, aut noctu errabundus, adulterũ arguere per Aristotelem, primo ἐλεγχῶν libro prohibemur, neq; comatam (ut uoluit Ioannes Picus in quadam ad Hermolaum Barbarum epistola) orationem omnem dicemus esse cinædam. Iacobi 5. Elias homo erat, similiter obnoxius affectibus ut nos, &c. Themistocles Simonidi poëtæ petenti quiddam à se parum æquum, respondit ad hunc modum: Neq; tu bonus esses poëta, si præter cantum caneres: Neq; ego bonus princeps, si præter leges iudicem. Cic. Neq; enim ratio afferri potest, quur si cuiquã nouo ciui poterit adimi ciuitas, non omnibus patricijs, omnibus antiquißimis ciuibus poßit. Primæ ad Corinthios cap. 9. An non habemus potestatem. Sed næ ego ineptus, qui hisce exemplis nusquam non obuijs lectorem oneratum uelim. Possum iamdudum ignarus, decoris ac iudicij expers uideri, nodum, quod aiunt, in scyrpo, uel potius in mari aquam quærere. Pergamus igitur, ac quæ reliqua sunt, breuiter recenseamus. Vt rex non potest.) Lege lib. huius cap. 19. de connexis, sub calcẽ, ubi deprahendes quæ ad hunc faciant locum argumenta. Et, non est ausus maledicere, ergo nec uulnerare est ausus.) Ex hoc nimirũ exemplo nequaquã difficile est uidere, non satis exacte præcipi à dialecticis Aristotelicis quibusdam, à maiori per negationem duntaxat argumẽtum duci, à minori per affirmationem, à pari utroq; modo, quandoquidem hic à minori per negationẽ, & à maiori per affirmationem Rodolphus argumentatur, & Cice. quoq; lib. Offi. 3. Neq; est contra naturam, spoliare eum si poßis, quem honestum est necare. Si potuit manes arcessere.) Locus est Aeneidos 6.

dos 6. *Præcipua est & acris in istis inuentio.*) Vide infrà 2. libr. cap. 15. circa medium. *Et minus dialecticè, hoc est, perplexe spinosaq́;.*) D. Hierony. in comment. super epist. ad Titum: Dialectici, quorum princeps Aristoteles est, solent argumentationum retia tendere, & uagam rhetoricæ libertatem in syllogismorum spineta concludere. Lege lib. sequentis cap. 15. & undeuigesimum. *Explicatione quid in singulis intersit.*) Commonstrat hoc artificij D. Erasmus in opere de epistolis conscribendis, cap. de amplificatione, & in posteriore copiæ commentario, eodem titulo. Ibidem de tertio modo locupletandi exempla: Qui copiosissime uolet exemplum tractare, is singulas similitudinis & dissimilitudinis partes explicabit, atq; inter sese comparabit. *Diduxit ergo, & singula suo apparatu.*) Quintil lib. 5. capite 10. Eras. posterioris Copiæ comment. 9. dilatandi ratione. Sed omnium instar est quod D. Ioan. Chrysost. tam graphice, tamq́; copiose nobis deliniauit exemplum, Homelia ad Neophitos 25. Non enim sumus tantum liberi, sed & sancti, & non tantum sancti, sed & iusti: nec solum iusti, sed & filij: nec solum filij, sed hæredes: nec solum hæredes, sed & fratres Christi: nec tantum fratres Christi, sed & cohæredes: non solũ cohæredes, sed & membra: non membra tantum, sed & templum: nec templum tantum, sed organa spiritus. Benedictus deus qui facit mirabilia solus. Eôdem spectat amplificatio à minore ducta, qua utitur Erasmus Rotero. lib. 3. eccles. de amplificationum modis: Si quis homo gratis tibi donaret, &c.

De similibus. Cap. XXV.



OMnium locorum è quibus ducuntur argumenta, nulli fere minus est uirium contra renitẽtem auditorem, quàm similitudini: ad eum uero qui sponte sequitur, docendumq́; se præbet, accommodatior nullus est. Aperit enim rem (si recte adhibeatur) & quãdam eius imaginem subijcit animo: ut cum assentiendi necessitatem non afferat, afferat tacitum dissentiendi pudorem. Quapropter ad probandum non ita crebro, ad explanandum illustrandumq́; sæpe ab oratoribus, à poëtis sæpius adhibetur. Habet tamen persæpe probantis speciem similitudo, eo ipso, quòd rem qualis sit indicat. Itaq; cum legis Quintiliani illud: Vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus uel instillantibus etiam replentur: non conficitur utiq;, debere propter hoc tenera puerorum ingenia pro modo uirium suarum doceri: sed tamen concipiendo quisq; rem apud animum suum sub hac imagine, persuadet sibi, aliter fieri non posse. Apud Lucanum egregia uidetur similitudo pro argumento posita: Cæsaris an cursus uestræ sentire putatis Damnum posse fugæ? ueluti si cuncta minentur Flumina (quos miscent) pelago subducere fontes, Non magis ablatis unquam decreuerit æquor, Quàm nunc crescit aquis. Planum est uidere, si quis sic argumentetur:

tur: flumina subducta mari non minuunt ipsum, ergo nec uos deserentes Cæsarem, retinebitis cursum rerum suarum, frigidum esse & plane eneruę argumentũ. Quando uero sumitur non ad peruincendam rem, sed docendam, rapitq; mentes ad se similitudo: non iam quisquis hæc audit, cogitat de Cæsare uel militibus id quod sunt: sed in specie maris, Cæsarem: in fluminum, milites capit: quodq; in proprijs Cęsaris, militumq; personis incredibile fuisset, abrepto iam transformatoq; in alienam imaginem animo, uelut perspectum in similitudine accipit, prorsusq; sic esse sibijpsi persuadet. Quid sit similitudo, & quemadmodum distinguatur à comparatione, superius diximus. Quia uerò tota extra rem est, difficilior uidetur inuentu. Quod nanque confertur, extra rem esse certum est: ut mare extra Cęsarem. Id etiam in quo fit collatio, extra est, cum (ut prędiximus) non in uno aliquo conferãtur: nanq; incrementa, & decrementa maris, in Cæsarem cadere non possunt, tametsi enim de utroq; fortasse in proposita similitudine crescere dici posset & decrescere, non tamen una in utrisq; est ratio istorum: sed eadem nomina erunt, res liquet prorsus esse diuersas. Demus ergo si possumus, uiam aliquã, quo paratius ista inueniri queant. Primum uideamus in re proposita, cui similitudinem quærimus, quid sit id quod exprimere similitudine uolumus, idq; quale sit, & quid efficiat, diligenter intueamur. Deinde rem quampiam quæramus, quæ habeat in se aliquid, cui sit similis in ipsa uis, qualis est in proposito nostro eius, quod cupimus imitari. Neq; si primò nõ occurrat, desistamus: sed subinde alias res excutiamus et alias: non erit quisquam tam infelicis conatus, ut quãuis semel iterumue non succedat, tertio tamen aut quarto non eruat aliquid. Aperiamus igitur primum hac uia similitudinem, quam nobis in exemplum ex Lucano desumpsimus. Cæsar repressurus militum seditionem, quid eos similitudine docere uoluit? nempe amplitudinem rerum suarum ex illis non pẽdere. In re quidem sunt Cæsar & milites Cæsari deseruientes: docendum autem est, non esse milites, quibus magnitudo Cæsaris sit innixa. Ante omnia ergo quærendum habuit Cæsar aliquid, cui numerus quidam rerum deseruiret, quemadmodum sibi laborabãt milites, quodq; non crescat earum rerum ministerio. Id fuit mare, cui quidem se, fluminibus uero mi-

ro mi-

ro milites contulit. Circumspiciamus aliud. Forte tam omni ex parte accommodatum non inueniemus. Tenuis enim esset ingenij laus, si passim posset ex obuio sumi. Inueniemus tamen aliquid. Fingamus, ut dicant homines, admittere se nolle solem, sed lucis omnibus receptaculis occlusis, exclusuros ipsum. Sic enim quanquam ueneratio solis quæ ex hominum usu tribuitur, sibi peritura sit: lumini tamen reuera maiestatiq; suæ nihil decrescet: sic nec Cæsari quidem quicquam de sua peribit amplitudine, licet deserant ipsum milites sui. Sed protinus à prioris similitudinis ui desciscimus, quòd quemadmodum ibi flumina aliquid mari inferunt, ita hic nihil est quod homines afferant soli: nisi uelimus dignationem in eius locum recipere & admirationem hominum. Quæramus aliud in hoc ipso proposito. Quid agunt milites seditione? ut concutiendo statum rerum Cæsaris, etiam ipsum atterant Cæsarem. Scrutemur aliquid, quod sine damno concutitur. Scopuli quibus fluctus perpetuò illiduntur. Sed segnius illud, hoc uiuidius: ignem cõcuti uentis, & non decrescere, sed ali uidemus. Rursum milites quid præstant Cæsari? Ornant quidem augentq; decus rerum Cæsaris: ex illo tamen opes sunt ipsis, & dignitas, & singulorum magnitudo. Quæramus quod ornetur alio, & idipsum sustineat & tueatur. Terra uiret herbis, gratiamq; ab ipsis habet: ex ipsa uerò herbæ recipiunt uigorem. Itaque in similitudinem transferemus: quemadmodum istas non sine periculo suo reuelli transferriq; posse: terram uero sua fœcunditate facile alias sibiipsi herbas reddituram: sic Cæsaris militum defectionem ipsis periculo fore, Cæsari ex opibus suis alios milites facile redituros. Sic etiam qui fœcundum agrum ignauia deserãt, sibi quidem imminere egestatem, agrum celeriter allecturum sua ubertate qui colant. Facile est uidere has omnes similitudines eò ducere, quod initio ostendendum sumpsimus, nihil militum defectione Cæsari periturum de sua magnitudine: quæ eò latius diximus, ut uel ipsa copia ostenderemus quomodocunq; aliquam similitudinis inueniendæ uiam. Multum autem profuerit in hac re intueri, quæ de eo cui similitudinem quærimus, per tropum (quam translationem uocamus) efferuntur. Dabit nanq; similitudinem nobis sine cunctatione id, in quo translata illa propria sunt uel natiua. Vt si amorem quod

malus

malus sit, similitudine quæras effingere: uide quæ de amore translatione soleant dici. Vulgo itaque iam usurpatur, ardere quem amore. Paratam nobis continuo similitudinem uidemus ab igne, in quo uerus est ardor. Et quoniam ardere in bonam etiam dici partem potest, licebit etiam ignis similitudine ipsum laudare. Vt uel uituperando dicamus, quemadmodum omnia consumit ignis ac destruit quęcunq; complectitur, sic amorem mentium nostrarum robur, uiresq́; omnes consumere, & uelut in cinerem redactas dissipare. Vel laudando, ut quemadmodum ignis rebus immistus, calorem ipsis uitęq́; prębet uigorem: sic amorem nobis industriam strennueq́; agendi stimulos subijcere, nec quenquam rem ullam recte sine operis amore conari. Sic etiam quia dicuntur homines premi amore, similitudo ab oneribus duci potest. Iam astrictos etiã amore dicimus, similitudo à uinculis & compedibus sumetur. Ita si insanire dicantur, furentibus: si consumi, in ignem impositis: si languere, ægrotantibus asimulabimus: Contra uero si laudare instituimus, similitudinem ab eis quæ in laudem dicuntur trahemus, ut tenacem esse amorem, solidum, non fractum, dulcem dicimus. Poterit ergo ex eis, quibus horum unumquodque reuera inest, similitudo depromi. Delectus adhibendus est, ut pro rei qualitate ipsam adaptemus. Vt si docere uolumus, aperta sit similitudo: si laudare, splendida: si uituperare, pudenda: si rem attollere, magnifica. Liquidius nanque oportebit rem quanq; talem uideri, qualem imagine sua uolumus aliam esse monstrare. Dissimilium non ita creber est usus. Quid sint autem, facile est deprehendere ex similibus. Non enim aliud est dissimilitudo, quàm contraria eius, quod ostendere uolumus, similitudo. Itaq; & idem est eorum cum similitudine locus. Coniunxit utrunq; Quintilianus: Non enim uox (inquit) illa præceptoris, ut cœna, minus pluribus sufficit: sed ut sol, uniuersis idem lucis calorisq́; largitur. Tractatur uarie hic locus: & uberius uel astrictius pro iudicio dicentis effertur. Poëtarum itaque nonnunquam fabulæ, & illæ quas uocant Aesopicas, latius nonnunquam narrantur, nonnunquam contrà breuiter colliguntur similitudines. Vt in Quintiliani illis exemplis. Sic & Aeschines, qui cum Demosthenem diceret omnem in oratione fiduciam habere, tibijs assimulauit eum, quibus si collum dematur, reli-

reliquum corpus inutile est. Et ille contrà Aeschinem trutinę similem: quæ à quacunque parte infunditur, eò inclinat. Sumuntur autem utraque, & comparata & similia, ex antecedentibus, consequentibus & adiunctis. Ex antecedentibus est. An uir clarissimus P. Scipio: & quæ sequuntur. Et, Pallas ne exurere classem. Ex consequentibus. Vt Iuuenalis: Tantum igitur muros intra toga contulit illi Nominis ac tituli. Notus est locus. Comparat enim Ciceronis rebus Augusti bella. Ex adiunctis. Si te Carthaginis arces Phœnissam Libycæ'que aspectus detinet urbis. Antecedentia uero similia sunt, ut apud Ciceronem pro lege Manilia, Medeæ, quæ membra fratris discerpsit, quo colligendis illis persequentem moraretur patrem, assimilatur Luculli exercitus, opibus Mithridatis à persequendo ipso Mithridate distentus. Adiuncta sunt: Vt pro Roscio, anseres & canes qui in Capitolio alebantur, ut fures detegerent: quibus accusatores similes dixit orator, ut nocentes in R. P. ad pœnas scelerum dandas in ius uocarent. Ex consequentibus Lucanus sumpsit, cum perturbationem ciuitatis explicaret, confusione ea quę sit in fine mundi rerumq; omnium futura. Copiosi sunt hi duo loci, & uulgi opinioni sensibusq; aptissimi. Nam ut comparatis facilime peruincuntur rudiores animi (nec enim facilius quisquam credit, quàm quod iam in alio uidetur probasse) sic similitudo ad explanandum est iisdem maxime accommodata. Hebetes enim mentes, & quæ in ipsas res penetrare nequeunt, ut quale sit quicque possint perspicere, non alia re aptius, quàm imagine & figura notiorum aliarum rerum, in id quod ostendere uolumus ducuntur. Acriora ingenia, uelut qui uident, oculis sequuntur: contrà hebetes, tanquam cæci, tactu explorent iter oportet.

IN CAPVT XXV.

Nulli ferè minus est uirium contra renitentem auditorem. Cicero lib. 1. rhetoric. cap. de reprahensione: Cum autem pro comparabili aliquid inducetur, quoniam id per similitudinem maxime tractatur, in reprahendendo conueniet simile id negare esse, quod conferetur ei, qui cum conferetur. Id fieri poterit, si demonstrabitur diuersum esse genere, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione. & quæ sequuntur. Lege Georgium Trapezon. lib. rhetori. 3. cap. de locis dialecticis. Lactantius lib. 7. de diuino præmio cap. 9. Sicut oculus euulsus à corpore ac separatus, nihil potest uidere: Ita & anima separata nihil sentire, quia & ipsa pars corporis: falsum hoc & dissimile est. Anima enim non pars corporis, sed in corpore. Sicut id quod in uase continetur, uasis pars non est, nec ea quæ in domo sunt,

mo sunt, partes domus esse dicuntur: Ita nec anima pars est corporis, quia corpus uel animae est uel receptaculum. Ibidem ca. 13. Sed sicut in fidibus ex intentione neruorum effici concordem sonum atq; cantum, quem musici harmoniā uocant: Ita in corporibus ex compage uiscerum ac uigore membrorum uim sentiendi existere, quo nihil dici deterius potest. Et quandam eius imaginem subijcit animo.) Arist. lib. rhetc. 3. cap. 4. Illud orationis genus maxime probat Quintilia. lib. 8. cap. 6. in quo trium permista est gratia, similitudinis, allegoriae, & translationis: ut Cice. pro Murena: Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam uarias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus: quantas perturbationes & quantos aestus habet ratio comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox interposita, saepe & perturbat omnia, & totā opinionem parua nonnunq̄ commutat aura rumoris. Cic. pro Cn. Planco: Sin hoc persaepe accidit, ut & factos aliquos & non factos esse miremur, si campus ille undae comiciorum, ut mare profundum & immensum, sic efferuescant quodam quasi aestu, ut ad alios accedant, ab alijs autem recedant, in tanto nos impetu studiorum, & motu, temeritatis modum aliquem, & consilium, & rationem requiramus? Ad explanandum illustrandumq;.) Nullum autem familiarius docendi genus, nec efficacius quàm similium collationē. Proinde similitudines siue parabolas à rebus uulgatissimis sumet, qui suam doctrinā quàm maxime popularem esse uelit. Neq; uerò tātum ad docendum ac persuadēdum efficax est similitudo, uerum etiā ad commouendos affectus, ad delectandū, ad perspicuitatem, ad eādem sententiā ne possit elabi, penitus infigendam animo. Qua de re lege praefationē Erasmi in parabolas. Et adagio: Culicem colant. Et, Purpura iuxta purpuram iudicanda. Testamur & nos hoc ipsum in opere cui titulum nuncupauimus, Similia sacra. Quintil. lib. 8. ca. 3. A poëtis saepius adhibetur.) Id quod abunde satis à nobis indicatū est in libello nostro de poëticis similitudinibus.

Itaq; cum legis Quintil. illud: Vascula oris angusti superfusam.) Chrysost. homil. de Lazaro 2. Mater amans quum infantem lactantem parat ad solidum cibum adducere, ut si simul multum uini infundat ori, nihil prodest puero, refundente puero quod datur, ac tunicula quā pectus tegitur irigante: quòd si sensim ac paulatim infundat, puer quod traditum est, absq; molestia transmittit: Sic & concionator non multam uerborum exaggerabit copiam, ac audientium opprimet ac delassabit crebris clamoribus aures, uerum indies sermonem protrahere, & subinde quae salubriora sunt, magisq; mentes illorum recipere uidentur, inculcare. Seneca epistola 85. Alimenta quae accipimus, quae diu in sua qualitate perdurant, & solida innatant stomacho, onera sunt. At quum ex eo quod erant, mutata sunt, tunc demum in uires & sanguinem transeunt. Item in his quibus aluntur ingenia praestemus, & quaecunque hausimus, non patiamur integra esse, nec aliena sint, sed concoquamus illa, alioqui in memoriam abeunt non ingenium. Apud Lucanum egregia uidetur similitudo.) Huc adscribendum quod refert Plutarchus in uita T. Flaminij: Is dehortans Achaicos, ne sibi uindicarent insulam Zacynthiorum, dicebat: κινδυνεύσειν ἂν ὥσπερ αἱ χελῶναι π' ὀξέρωτέρω τῆς κεφαλὴν τ' πελοποννήσου προτείνωσιν, id est, periculum ipsis fore, quemadmodum testudinibus si longius à Peloponeso proferrent caput. His non dissimilia Titus Liuius de bello Macedonico libro sexto, ubi sic loquitur Quintus: Si utilem possessionem eius insulae censerem Acheis esse, autor essem S. P. Q. R. ut eam uos habere sineret: caeterum sicut testudinem, ubi collecta in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus uideo esse, ubi exerit partes aliquas, quodcunq; nudauit, obnoxiū atq; infirmū habere: Haud dissimiliter uobis Achaei clausis undiq; maris, quod intra Peloponesum est termino, ea et iungere uobis, & iuncta tueri facile,

si semel auiditate plura amplectendi hinc excedatis, nuda uobis omnia quæ extra sint, & exposita ad omnes ictus esse. Non magis ablatis unquam decreuerit æquor) Apud Lucanum lib. 5. est descenderit, sed hæc lectio pugnat cum Rodolphi contextu Repetuntur enim postea crescere & decrescere, incrementa & decrementa maris. Velut perspectum in similitudine accipit.) Elegans cum primis est hæc Lucani similitudo, cæterum meo quidem iudicio elegantior, & ad inueniendi rationem accommodatior ea, quæ est apud Plautum in Mostellaria, ubi Philolaches adolescens sic exorditur: Recordatus multum & diu cogitaui, argumentaq; multa In pectus institui ego, atq; in corde meo, si quod est mihi Cor, eam rem uolutaui, & diu disputaui hominē cuius rei Quando natus est, similem esse arbitrarer, simulachrumq; habere, iam id reperi exēplum, nouarum esse ædium arbitror similem Ego hominem, quādo hic natus est. & quæ sequuntur. Dictu mirum in quot locos hæc similitudo longe festiuissima possit diduci: & haud scio an exercendæ iuuentuti magis appositum possit exemplar suppeditari. Idē in Captiuis: Parasitorū genus simile est cochleis: Nam cum humor est, lābunt: si non, suo uiuunt succo. Ac ne quis mihi nasutior obijciat allatam è Mostellaria similitudinem prorsus esse reijciēdam, quòd Rodolphus loquatur de similitudine quæ habet probantis speciem: legat licebit ex Truculento Plauti & hoc affine Lucani exemplo habens quandam probantis speciem. Nam hoc assimile est: Quasi de fluuio qui aquam deriuat sibi, nisi deriuetur, Omnis aqua abeat in mare: Nam hoc in mare abijt, misereq; Perijt, sine bona animi gratia: hæc cum uideo fieri, suffuror, Suppilo, de præda prædam capio: Meretricem ego esse reor, Mare ut est, quod des deuorat, nunquàm abundat. Terra uiret herbis, gratiamq; ab ipsis habet.) D. August. de uera innocentia cap. 364. Ita sunt palmites in uite, ut uiti nihil conferāt, sed inde accipiāt unde uiuat. Sic quippe uitis est in palmitibus, ut uitale alimentū subministret eis, nō sumat ab eis. Ac per hoc & manentē in se habere Christū, et manere in Christo discipulis utrunque prodest, non Christo. Nam præciso palmite potest de uiua radice alius pullulare: qui autem præcisus est, sine radice uiuere non potest. Per tropum.) Verecunda debet esse translatio, ut Cice. lib. 3. ad Q. Fratrem scribit, ut deducta esse in alienum locum, non irruisse, atq; ut precario, non ui uenisse uideatur. Idem docet autor ad Herennium lib. 4. ubi de translatione scribit. Idemq; Cicero in oratore perfecto. Quintil. lib. 8. cap. 2. & 6. Eras. Roterod. in priore copiæ comment. cap. 17. Trapezontius lib. 5. rheto. Dabit nanq; similitudinem nobis sine cunctatione.) Tale est & illud prioris ad Corinthios 9. Omnis autem qui certat, per omnia temperans est. Illi quidem igitur ut perituram coronam accipiant, nos autem ut æternā. Metaphora est sumpta à certamine pugilum, unde D. Paulus non illibenter solet similitudines ducere. Vide Budæum in annotationibus in Pandectas circa medium, ex L. Athletas. Quo loco Apostolus, inquit, eleganti metaphora usus est, quam semel susceptā ad extremum pertulit, ubi uitam nostram instituendam esse docet ad exemplar athleticæ.

Vt si amorem, quòd malus sit, similitudine.) Plaut. Cistellaria: Credo ego amorem primum apud hominem carnificinam commentum, & quæ sequuntur. Vide quæ de amore translatione.) Ea in Trinummo Plautina Lisiteles adolescens sic recenset: Multas res simul in meo corde uerso, &c. Cicero 4. Tusculana. Ardere quem amore.) Plutarchus: τὸ ἐρᾶν ποιεῖ θερμοὺς καὶ ἱλαροὺς καὶ διακεχυμένους, id est, Amor facit calidos, & hilares, & effusos. Plautus Menechmis: Quaqua tangit, omne amburit, si propius astas, Aestu calefacit. Idem Mercatore: Sum'ne ego miser, qui nusquam bene queo quiescere: Si domi sum, foris est animus: sin foris sum, animus domi est. Ita mihi in pectore atq; in corde facit amor incēdium.

Niex

Ni ex oculis lachrymæ descendant, iam ardeat credo caput. Terent. Eunucho: Et amore ardeo, & prudens, sciens, uiuus, uidensq; pereo, nec quid agam scio. Vide Vallam lib. elegantiarum 6. cap. 11. Omnia consumit ac destruit.) Plutarchus in commentario, Ignis ne an aqua sit utilior. Siue operis amore conari.) Aristot. 10. Ethico. Qui nanq; cum uoluptate operantur, singula magis discernunt atq; exactius comprehendunt. Cicero 2. Tuscula. Negligenda lectio quæ caret delectatione. Vide prouerbium: μουσικὴν ἔρως διδάσκει, Id est, Musicam docet amor. Premi amore.) Plautus in Trinũmo: Ita est amor, balista ut iacitur. Nihil sic celere est, neq; uolat, atq; is mores hominum moros & morosos efficit. Dulcem dicimus.) Plautus Caßina: Omnibus rebus ego amorem credo, & nitoribus nitidis anteuenire. Demiror, qui tot utuntur condimentis, eos eo Condimento uno non utier, quod præstat omnibus. Nam ubi amor condimẽtum inerit, cuiuis placiturum credo. Neq; salsum prorsus, Neq; suaue esse potest quicquam, Vbi amor non admiscetur, fel quod est amarum, id mel faciet. Vt pro rei qualitate ipsam adaptemus.) Fabius Quintil. lib. Instit. orato. 8. cap. 3. D. Erasmus lib. Ecclesiast. 3. Similitudo uerò siue collatio, est explicata metaphora, &c. Idem ibidem: Porrò quot modis adhibetur similitudo, &c. Liquidius nãq; oportebit.) Quintil. Debet enim, quod illustrandæ alterius rei gratia sumitur, ipsum esse clarius eo quod illuminat. Eras. lib. Ecclesiast. 2. Vitandæ sunt insuper similitudinis, &c. Coniunxit utrunq;.) Huius generis est illud: Vt breuis est rosæ nitor, ita fugax est iuuentus: Properas carpere rosam priusquam marcescat, & non adniteris, ne sine fructu tibi effluat iuuentus. Et illæ quas uocant Aesopicas, latius nonnunquam.) Apuleius in lib. de Deo Socratis, apologum illum Aesopicum de uulpe & cane mira uerborum parsimonia perstringit, eandemq; rursus plurimis uerbis quàm effusißime explicat. Breuiter colliguntur.) Quò autem paratius sit totum hunc locum plenius adsequi, asscribam huc similitudines aliquot euangelicas pariter & apostolicas. Vt, Nocturnus suffossor, pecunia fœneratori debita, dispensator iniquus, uitis & palmites, & pueri in foro canentes, sepulchra dealbata, uos estis sal terræ & lux mundi, ipse erat lucerna ardens, messis quidem multa, &c. neq; uinum nouum in utres ueteres mittunt, cauete à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis, colantes culicem, glutientes camelum, sanctum non esse canibus dandum, lucerna corporis tui est oculus, modicum fermentum totam massam inficit, canis reuersus ad uolutabrum. Persæpe non undiq; respondet collatio, est ubi summam similitudinis siue parabolæ satis sit attigisse. Id quod declarat Erasmus in compendio Theologiæ pluribus adductis parabolis euangelicis. Hieronymus contra Iouinianum lib. 2. Idẽ epist. cuius hoc initium, Lugentis nũcio. D. Augustinus lib. 2. ca. 7. ad inquisitiones Ianuarij. Cyprianus in symbolum Apostolorum: Cum proferuntur exempla, non per omnia similitudinem seruare possunt rei illius, cui præbere reputantur exemplum: sed unius alicuius partis, pro qua uidentur assumpta, similitudinem tenent, &c. Lege Ioannem Driedonem de regulis & dogmatibus sacræ scripturæ, lib. 3. cap. quarto. Sic & Aeschines in oratione contra Ctesiphontem: καὶ νὴ τοὺς θεοὺς τοὺς ὀλυμπίους ὡς ἐγὼ πυνθάνομαι Δημοσθένην λέξειν, ἐφ' ᾧ νυνὶ μέλλω λέγειν ἀγανακτῶν μάλιστα ἀφομοιοῖ γάρ μου τὴν φύσιν ταῖς σειρῆσιν ὡς ἔοικε, καὶ γὰρ ὑπ' ἐκείνων οὐ κηλεῖσθαι φησὶ τοὺς ἀκροωμένους, ἀλλ' ἀπόλλυσθαι, διόπερ οὐκ εὐδοκιμεῖν τὴν τῶν εἰρημένων μουσικὴν καὶ δὴ τὴν ἐμὴν τῶν λόγων ἐμπειρίαν καὶ τὴν φύσιν μου γεγενῆσθαι ἐπὶ βλάβῃ τῶν ἀκουόντων, Id est, Audio insuper Demosthenem (quod per deos cœlestes grauate dicam) uocem meam Syrenibus comparare uelle. Etenim ut ab illis nõ mulcentur ij qui eos audiunt, sed perduntur, ex quo fit, ut non omnibus earum musica placeat: Sic dicendi faculta-

tem meam atq; quòd natus sum, fuisse ad calamitatem audientium dicit. Demosthenes cótrà in oratione pro Ctesiphonte, qua in mores Aeschinis inuehitur, ubi tragicã simiam illum nominat: Homines tantum pingues ac robusti duriq;, similes sunt gymnasiorum columnis, ut dixit Aristoteles. Quum Leosthenes ciuitatem Atheniensium ad bellum perpulisset, magnificis spebus ad nomen libertatis ac principatus erectam, Phocion illius uerba dicebat esse cupressis similia, quæ sublimes cũ sint ac pulchræ, fructum non habẽt. Nihil potuit dici accómodatius in sermonem splendide magnificeq; pollicentem, sed infrugiferum: quemadmodum cupressus arbor sublimi compositoq; in conum uertice, procul egregium quiddam polliceri uidetur, at uix ulla sterilior. Cato usuras comparauit homicidio. Interrogatus enim quæ esset optima ratio rei familiaris, quum de agricultura respondisset, & alius interrogasset de usuris: quid inquit, est hominem occidere? Oratores qui inter dicendum uociferantur, Cicero dicebat claudis esse similes, qui sic ad clamorem, ut illi ad equos confugerent. Hoc genus homines & hodie uidere est, qui quum sentiunt se causa inferiores, ad furiosa iurgia confugiũt, ut quoniam rationibus persuadere non possunt, improbitate metuq; extorqueant. Aristonem Chium (autor est Laërtius) dixisse dialecticorum disputationem ἀραχνίοις, id est, araneorum telis similem, quòd egregie esset subtilis, sed parũ utilis. Demetrius uitã perpetuo tranquillam, & sine ullis fortunæ incursionibus, mari mortuo comparauit. Demosthenes diuites indoctos appellauit oues onustas aureo uellere. Diogenes autem dixit eos similes ficis arboribus in præruptis locis stantibus. Nam harum fructibus non homines, sed coruos uesci: Sic horum pecunias nulli esse usui uiris probis, uerum ab assentatoribus absumi. Diogenes Cynicus opulentum quendam, cæterum indoctum, πρόβατον χρυσόμαλλον, id est, ouem aureo uellere dixit. Plura eodem spectantia referuntur ab Aristotele li. Rhetoricorum 3. ca. 4. de imagine. Obijcit item Aeschines Demostheni, quod subinde mutata factione, Euripum ipsum inconstantia sua uicisset. Diogenes animaduertens Olympionicem quendam oculos defigere in scortum, adeo ut præteritum capite reflexo intueretur: Ecce, inquit, ut aries Martius à puella publica obtorto collo uictus abducitur. Trutinæ similem.) Demosthenes in calce orationis in Aeschinem, Leonardo Aretino interprete: Nec instar uestrum quemadmodum statera ad eam partem unde capit, inclinans consului, sed omnia integre, sine ulla animi corruptela, peregi. Medeæ, quæ membra fratris discerpsit.) Ouidius 7. Metamor. Cicero de natura deorum 3. Iuuenalis Saty. 6. Seneca in tragœdijs. Opibus Mythridatis à persequẽdo.) Plutarchus paulò diuersius hanc rem narrat: ratio eius sic habet de Mithridate fugiente: Aderant à tergo Romani, quàm proxime incumbentes, & celeritate quippe præstantes, Mythridatem ipsum cepissent, uerum cæca militum auaritia, quæsitum tot laboribus, tot periculis, tot quippe prælijs hostem Romanis eripuit, & Lucullum ipsum partæ uictoriæ præmio priuatum fecit, iam enim ad ipsum Mithridatis equum uentũ erat, tum onustus auro mulus, siue sponte, seu Mithr. industria, sequentibus Romanis obiectus, eos ab insectatione aliquantum continuit. Et ad diripiendum aurum certatim intenti, fugiendi ei ocium præstitere. & quæ sequuntur. Lucanus sumpsit.) Lib. Pharsaliæ 1. Sic cum compage soluta,

Secula tot mundi suprema coëgerit hora
Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis
Sydera syderibus concurrent. – Et uulgi opinioni sensibusq;.) Vide præfationẽ nostrã in Similia sacra. Io. Chrysost. homilia in Ioã. 35. ex cap. 5. super illo: Videte regiones quia albæ sunt iam ad messem, subindicat cur per totum, aut ferè totum euangelium seruator

noster

noster Iesus Christus utatur trãslationibus, & similitudinibus: Itidem & prophetæ. Origenes homilia in Leuiticũ 10. Chrysost. homilia in Genesim 13. Augustin. in principio li. 2. de doctri. Christ. D. Grego. 3. Moral. cap. 36. Eras. in Methodo studij theologici. Idem Adagio: Culicẽ colant. Bilibaldus Pircheimerus in præfatione ante Charontẽ. Nam ut cõparatis facillime peruincuntur rudiores animi.) Cicero in de Oratore: Commemoratio autẽ antiquitatis, exẽplorũq; prolatio, summa cũ delectatione, & autoritatẽ orationi adfert, & fidem. Quint. lib. 3. cap. 10. Itaq; quamuis exẽpla plurimũ in consilijs poßint, quia facilime ad consentiendũ hoĩes ducuntur experimentis: refert tamen quorũ autoritas & quibus adhibeatur. Rodolph. Agric. lib. 2. ca. itẽ 2. Præceptis enim aures ferè imbuuntur, exẽpla docẽt oculos. Augustin. de correctione Donatistarũ ad Bonifaciũ ca. 20. Sed si aliter nõ meruit pacẽ habere domus Dauid: nisi Absolon filius eius in bello, quod cõtra patrẽ gerebat, fuisset extinctus: quis magna cura mandauerit suis, ut eũ quãtum possent, uiuũ saluũq; seruarent: & esset cui pœnitenti paternus affectus ignosceret: quid ei restitit nisi perditũ flere, & sui regni pace acquisita, suã mœsticiã consolari? Sic ergo catholica mater bellantibus aduersus eam quid aliud q̃ filijs suis: quia utiq; ex ipsa magna arbore, quæ ramorũ suorũ porrectione toto orbe diffunditur: iste in Africa ramusculus fractus est: cũ eos charitate parturiat, ut redeant ad radicẽ: siue qua uerã uitã habere non possunt: si aliquorũ perditione cæteros tã multos collegit: præsertim quia isti non sicut Absalon casu bellico, sed spontaneo magis interitu pereunt, dolorẽ materni cordis lenit, & sanat tantorũ liberatiõe populorũ. EXEMPLA.

Vt enim nulla materies tã facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igni ignẽ concipere poßit: sic nulla mens est tã ad cõprahendendam uim Oratoris parata, quæ poßit incẽdi, nisi inflammatus ipse ad eã, & ardẽs accesserit. Cicero lib. 2. de Oratore. Idẽ in 2. Philippica: Vt quidã morbo aliquo, & sensus stupore suauitatẽ cibi non sentiunt: Sic libidinosi, auari, facinorosi, ueræ laudis gustum non habent. Idẽ 8. Philip. In corpore si eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri ac secari patimur membrorũ aliquod potius, quã totũ corpus intereat: sic in Reip. corpore ut totum saluũ sit, quicquid est pestiferũ, amputatur. Cicero de responsis Aruspicũ: Etenim ut P. ille Scipio natus mihi uidetur ad interitũ exitiumq; Carthaginis, qui illã à multis imperatorib. obsessam, oppugnatã, labefactatã, penè captã, aliquando quasi fatali euẽtu solus euertit: sic T. Annius ad illã pestem comprimendã extinguendamq;, funditus delendã natus esse uidetur, & quasi diuino munere donatus Reip. Cicero: Tanq̃ leuia quædã uina nihil ualẽt in aqua: sic Stoicorũ ista, magis degustata q̃ potata delectãt. Idẽ: Vt enim pictores, & ij qui signa fabricãtur, & ueri etiã poëtæ, suũ quisq; opus à uulgo cõsiderari uult, ut si qd repræhẽsum sit à pluribus, id corrigatur, idq; secũ, & cũ alijs quid in eo peccatũ sit, exquirunt: sic aliorũ iudicio permulta nobis facienda, aut non faciẽda, imitanda & corrigẽda sunt. Cice. pro L. Murena: Nam ut tẽpestates certo aliquo cœli signo cõmouentur, sæpe improuiso nulla ex certa ratione obscura aliqua ex causa concitantur: Sic in hac comitiorum tempestate populari, sæpe intelligas quo signo commota sit, sæpe obscura est, ut casu excitata esse uideatur. Idem libro primo familiarium epistolarum: Nunc ut Apelles Veneris caput & summa pectoris politißima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatã reliquit: Sic quidam homines in capite meo solum elaborarũt, reliquum corpus imperfectum ac rude reliquerunt. κρίνει φίλον ὁ καιρὸς, ὡς χρυσὸν τὸ πῦρ: Id est, Vt ignis aurum, amicum ita tempus arguit. Cicero lib. familia. episto. 9. Nam etsi non facile dijudicatur amor uerus & fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut quasi aurum igne, sic beneuolentia fidelis pericu-

periculo aliquo perspici posit. Caetera sunt signa communia. Lucianus: Charon: Tibi ergo ô Mercuri dicere uolo, cui nam mortales adsimiles mihi uideantur, atque horum uita omnis. Vidistin' aliquando bullas illas in aqua torrente aliquo cum strepitu scaturiente, existentes? Tumores illos inflatos dico, quibus cogitur spuma. Earum sanè quaedam sunt paruae & exiles, quae iam statim dissolutae euanescant. Aliae uerò diutius durant, atq; alijs ad se coactis uehementer inflantur, ac in maximum surgunt tumorem. Tandem & hae dissoluuntur omnino pereuntq;, neq; enim secus fieri poterit. Haec tibi hominum uita, singuli flatu tumescunt, ita ut alij sint maiores, alij autem minores. Postremo alij quidem momentaneam moxq; deficientem sentiant inflationem, alij uerò prius deficiant quàm omnino constituantur. At omnes destrui & euanescere necesse est. Mer. Nihilo tu quidem infelicius hominum naturam similitudine expreßisti, quàm uel ipse Homerus, qui uniuersum mortalium genus arborũ folijs comparat. βίας: ἐοικάσι τοῖς ὄμμασι τῆ γλαυκὸς οἱ περὶ τὴν ματαίαν σοφίαν ἠσχολημκότες, καὶ γὰρ ἐκεῖνης αἱ ὄψεις, νυκτὸς μὲν ἐῤῥῶνται, ἡλίου δὲ λάμψαντος ἀμαυροῦνται, καὶ τούτων ἡ διανοία ὀξυτάτη μὲν ἐστὶν πρὸς τὴν ματαιότητος θεωρίαν πρὸς δὲ τὴν τοῦ ἀληθινοῦ φωτὸς κατανόησιν ἐξαμαυροῦνται, Id est, Non admodum absimiles sunt uanae disciplinae intenti, ijs qui caesijs sunt oculis. Nam sicut ij interdiu ad solis splendorem nihil uident, noctu uerò firmior ipsis redditur uisus: Ita illi quum circa inanem speculationem sint oculatißimi, ad ueram disciplinam & lucidißimam caecutiunt. Aristoteles: ὥσπερ καπνὸς ἐπιδάκνων τὰς ὄψεις οὐκ ἐᾷ προσβλέπειν τὸ κείμενον ἐν ποσὶν οὕτως ὁ θυμὸς ἐπερχόμενος τῷ λογισμῷ ἐπισκοπεῖ καὶ τὸ συμβησόμενον ἐξ αὐτοῦ ἀτόπως οὐκ ἀφίησι τῇ διανοίᾳ προσβλέπειν. Id est, Perinde atq; fumus oculos commordet, & aspectum ita conturbat, ut neq; ea nobis uidendi potestas fiat, quae sunt ante pedes: Ita oborta ira rationi caligo offunditur, ut se delinquere nulla cogitatione deprahendere posit. ὁ ἀνάχαρσις πότε ἀστραγαλίζων καὶ ἐπιτιμηθεὶς ὅτι παίζοι· ἔφη καθάπερ τὰ τόξα διὰ παντὸς ἐντεταμένα ῥηγνύται ἐπὰν δ' ἀνεθῇ εὔχρηστα γίγνεται πρὸς τὰς χρείας οὕτω καὶ ὁ λογισμὸς ἀεὶ ἐν τῷ αὐτῷ μένων, id est, Anacharsis quum ad talos ludens à quopiam aleonem se esse male audiret: Perinde, ait, atq; arcus semper intensus rumpitur, si uerò remittatur, utilis redditur & tractabilis: Ita & de animo sentiendum est: si nunquam ab instituto deflectat, hebetiorem fieri. Terentius Hecyra: Pueri inter se quàm pro leuibus noxis iras gerunt: quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerũt. Itidem illae mulieres sunt ferme, ut pueri, leui sententia, fortasse unum aliquod uerbum inter eas iram hanc cõciuerit. Plautus Asinaria: Non tu scis, hic noster quaestus aucupij simillimus est, &c. Idem in eadem: Quasi itidem est amator, lenae nequam est, nisi reces, &c. Familiare. Regnante Gallo in Sicilia, insulares illi ad defectionem spectantes cupiebant omnes Gallos dare internicioni, uerum non inueniebatur aptus modus. Quidam igitur iurisperitus caeteris longe callidior, iußit alios bono esse animo, promisitq; die Iouis futura se omnes Gallos extirpaturum, perrexitq; domũ, & caua arundine capta, indutus est uestem morionis, inq; forum sese coniecit saliens, clamans, caeteraq; morionis officia agens. Mirabantur cum Galli, tum Siculi, hominem alioqui sapientem in hanc miseriam incidisse. Ille interim adeo facetum morionem agebat, ut omnes ad cachinnos prouocaret. Accedebat ad Gallum, & iniecta arundine in eius aurem, aut narrabat historiolam, aut prophetice loquebatur, aut dicebat aliquid quod Atticis salibus condiretur. Gallus, ut est natura iucundus, prorumpebat in risum. Omisso Gallo accedebat ad Siculum, in cuius domo Gallus ille diuersabatur, & per arundinem dicebat: Decretum est die Iouis futura ante solis ortum dare Gallos internicioni. Siculus, utpote uersutus, effusius ridebat quàm

Gallus, ac si rem iucundissimam audisset. Venit dies Iouis, nec unus quidem Gallus euasit. Nam morio ille totam perambulauerat Siciliam: Ita nostrates histriones in actionibus publicis, fictis personis impostorum, disseminant sua hæretica semina, & adducunt populum, qui capitur fabellis & facetijs in nouam sectam, ut desciscant à catholica ecclesia. Et cum iuxta Solomonem, innumerus sit numerus stultorum, complures reperiunt quos capiant: quærunt enim similes labra lactucas. Ille morio ex ore in aures tantum, hi etiam in oculos uenenum suum efflant. Vtriq; palliati, utriq; occisores. Ille corporum, isti animorum. Vtriq; histriones agunt, utriq; scurrantur. Dormientes inuadunt utriq;, illos corpore, hos animo sopitos. Si simplex Gallorum animus non indulsisset facetijs plus satis, nō fuissent tam miserè trucidati. Discamus ergo alieno periculo esse paulo uigilantiores. Venenum æque nocet, siue solum, siue melli permistum sumatur.

DISSIMILIA.

Plutarchus Comment. πῶς ἄν τις διακρίνει τὸν κόλακα τοῦ φίλου: Simia dum hominem imitari conatur, sæpe capitur: ast adulator idē faciens, alios capit & allicit. Idē de Alexandri uirtute siue fortuna: Athletæ abstinent à laborib. necessarijs, ut in nō necessarijs ualeāt, nobis contra faciendum. Basilius Homilia 2. de ieiunio: his qui bellicis in rebus exercentur, quiq; in palestris luctando desudant, conuenit, ut copia ciborum reddant seipsos corpulentos, & obesos: uidelicet quo ualidioribus neruis labores queant capessere. Contrà uero quibus nō est colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, aduersus spirituales malitias: hos oportet per sobrietatem & ieiunium ad certamen exerceri. Idem: Famulus profugit ab hero uerberante: Tu uero non recedis à uino, quod contundit caput tuum. Vide principium lib. 1. de ratione concionandi per Erasmum. Cicero pro Cn. Plancio: Quanquam dissimilis est pecuniæ debitio, & gratiæ. Nam qui pecuniam dissoluit, statim nō habet id quod reddidit: Qui autem debet, æs retinet alienum. Gratiam autem, & qui refert, habet, & qui habet, in eo ipso quod habet, refert. Idem in Oratore: Nam omnium magnarum artium, sicut arborū, altitudo nos delectat, radices, stirpesq; non item, sed esse illa sine his non potest. Demades autore Plutarcho, dicere solebat, Athenienses nunq̄ decernere de pace, nisi pullatis uestibus indutos. Innuēs eos esse bellandi cupidiores q̄ sat esset. Nec nisi clade suorū admonitos, de pace cogitare. At nos quantò sumus Atheniensibus uecordiores, qui ne tot annorum malis docti, bellum odimus, & de pace, quam inter Christianos perpetuam esse oportebat, tandem incipimus cogitare. Cicero Philippica 3. Certus autē dies, non ut sacrificij, sic consilij expectari solet. Demosthenes: ὑμεῖς δ' ὦ ἀθηναῖοι οὐκ αἰσχύνεσθε εἰ ἐπὶ μὲν τοὺς πορθμέας τοὺς εἰς σαλαμῖνα πορθμεύοντας νόμον ἔθεσθε, ἐάν τις αὐτῶν ἄκων ἐν τῷ πόρῳ πλοῖον ἀνατρέψῃ τούτῳ μὴ ἐξεῖναι πάλιν πορθμεῖ γενέσθαι ἵνα μηδεὶς αὐτοσχεδιάζῃ τὰ τῶν ἑλλήνων σώματα τὸν δὲ τὴν ἑλλάδα καὶ τὴν πόλιν ἄρδην ἀνατετραφότα τοῦτον ἐάσετε πάλιν ἀπευθύνειν τὰ κοινά, Id est, Vos autem uiri Athenienses nō pudet super eos quidē qui in Salamina uehunt, lege cauisse, si quis eorū imperitus nauem subuertit, huic non licere iterum rectorem esse, ne Græcorum corpora per imperitiam perdat. Qui autem rempub. uestram & uniuersam Græciam funditus euertit, ei rursus permittere rerum publicarum tractationem? Chrysost. homilia in epistolam ad Hebræos decimo: Vt fundus, inquit, optimus sit, cuncta molimur, cumq; fideli uiro magno cum studio tradimus: cæterum quod nobis charissimum omnium est, omnino negligimus neque curamus, quemadmodum filium nostrum fideli cuipiam uiro permittamus, qui ipsius tueri ac

seruare pudicitiam poßit. Et certe nulla nobis possessio, nullus fundus æque nobis gratus atque charus esse debet: quippe hæc omnia filijs quæruntur. Igitur maior nobis possessionum cura est, quàm eorum quorum illæ gratia comparantur, quod profecto absurdißimum est. Et quæ sequuntur.

De oppositis Cap. XXVI.



NOn debet cuiquam mirum uideri, si repugnãtia (cum superius non putauerimus ex Boëtij uel Ciceronis potius sententia inter locos ponenda) nunc ipsi uelut obliti nostri, inter locos numeremus. Equidem non id tunc egi, ut docerem repugnantia locum non esse: sed ostendere uolui, in eam conditionem, qua Boëtio uisum est, ut esset repugnans, quicquid contrarium esset consequentis, non posse hoc pacto certum eis & seiūctum ab alijs locum attribui. Repugnantiam autem in præsentia definimus, ut sit rerum per se dissidens habitudo, qua fit, ut alterum dici id esse quod alterum, nõ possit. Quod autem (per se) addidimus definitioni, id eò pertinet, ut ostendamus, non quicquid de altero negatur, repugnans esse. Nec enim etsi dico Ciceronem non esse infantem, ideo infantem esse repugnans est Ciceroni; nec si dico Catonem non auarum fuisse, repugnat idcirco auarum esse Catoni. Non enim per se ista, hoc est, Cicero quatenus Cicero est, & Cato quatenus Cato, tales negantur esse: sed quia Cicero eloquens est, cui repugnat esse infantem: & Cato uir bonus, cui repugnat itē auarum esse. At homo & irrationale repugnant: quoniam rationale quod repugnat irrationali, in substãtia est hominis: ergo homo per se, hoc est, per substantiam suam, ab irrationali dissidet. Sic homo & uirtus repugnant, quoniam homo per se existentium generis est, uirtus uero inhærentium: neq; enim dici potest, homo est uirtus. Adeoq; longe magis repugnant, quãtum ad se, id est, ad substantiã suam, homo & uirtus, quàm homo & irrationale. Ista enim in proximo & sub eodem genere posita distant: utrunq; enim intra animalis est complexum: at illa toto rerũ ordine, hoc est, prædicamentis sunt diducta. Quod autem uulgo dicimus, nõ repugnare homini uirtutem aut uitium, id in eam sententiam dicitur, non ut alterum dici possit id esse quod alterum, sed quia nihil obstet, quo minus inesse alterum alteri possit. Repugnant autē, aut unum

uni,

uni, aut uni plura. Illa opposita, hæc differentia uocamus. Et quæ nos opposita, Cicero contraria dixit. Boëtius commodius opposita putauit dici, quoniam ea quæ τ' ἐναντία Græci uocant, aptius contraria dicerentur: quæ Cicero quidem dixit aduersa. Vtcunque uocentur, haud multum intererit: nos Boëtium (quando usus magis in hunc morem triuit ea nomina) sequamur. Opposita sunt, quæ repugnant unum uni, sic, ut neque alterum de altero, neq; ambo de tertio dici possint. Ea Aristoteles his ferme uerbis diuidit. Alterum inquit, alteri opponi dicitur quadrupliciter, uel ut quæ sunt ad aliquid, uel ut contraria, uel ut priuatio & habitio, uel ut affirmatio & negatio. Vt ad aliquid opponuntur, sicut duplum dimidio. Vt contraria, sicut malum bono. Vt secundum priuationem & habitionem, sicut cæcitas & uisus. Vt affirmatio & negatio, sicut sedet non sedet. Vtq; paucis dicamus, omnia aut relata sunt, aut contraria, aut priuatiua, aut contradicentia. Ad aliquid (quæ & relata dicuntur) sunt ea, quæ secũdum hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur: Vt seruus, domini dicitur seruus: & dominus, serui dominus: sic pater, filij pater dicitur: & filius, patris filius: & totum, dicitur partis totum: & partes, totius esse partes dicuntur. Potest autem dubitatione dignum uideri, cum tantum unum uni dixerimus opponi, quomodo id constare possit in relatis, cum unius domini multos uideamus seruos, unius patris multos filios esse. Certum est enim, hunc patrem & hos filios relata esse, similiter hunc dominum & hos seruos. Sunt qui credant filios referri ad patrem, & seruos ad dominum, multos ad unum, non quatenus multi sunt, uel hi singuli, sed quatenus cõmunis ratio est unaq; in omnibus & filiorum & seruorum, quemadmodum in istis, patris & domini. Scotus oĩm qui philosophiam tractauerunt disputator multorum consensu acerrimus, uoluit in patre qui multos haberet filios, multa proinde nomina respectusq; esse patris: quemadmodum si iurisperiti, patri suam in quenq; filium describerent patriam potestatem: & domino in quenque seruum, proprium discretumq; ius mancipij. Sed reconditiora sunt hæc, neque nostræ (quod aiunt) farraginis: ergo reliqua prosequamur. Contraria, sunt opposita, quorum uti unque potest simul existere, & alterum sine altero esse. Vt calidum

& frigidum contraria sunt, existuntq; utraq; simul. Quod quidem in contradictione fieri non potest, nec in priuatione: quorum si est alterum, non potest alterum esse. In relatis uero non potest alterum sine altero esse: non enim potest esse dominus, ut non sit seruus: nec e diuerso seruus, ut non sit dominus. At calidum nihil repugnaret esse, ut non esset frigidum: nec nigrum, ut non esset album. Priuatio, est defectus alicuius, in eo, quod id natum est habere: Vt cæcitas est defectus uisus, non in quouis, nec enim lapis cæcus dicitur, sed in eo quod natum est uidere. Sic mutum esse, non cuiusq; est, sed eius, quod natum est loqui: & demens, eius quod sapere: & mortuum, eius quod uiuum esse posset. Contradicentia sunt, quorum negatur uno id ipsum, quod est altero affirmatum. Vt sedere non sedere: currere non currere. Quod dicimus autem negari uno id ipsum, quod est affirmatum altero, hoc cò pertinet: nam si dicas hominem aliquem currrere, & aliquem hominem non currere, non contradicunt ista: potest enim utrunq; esse uerum: nam potest aliquis homo currere, ut Cicero: & simul aliquis non currere, ut Cato: uerum non negatur uno, quod erat affirmatum altero. Quare ut contradicant, necesse est idipsum neges quod affirmasti: ut quoniam dixisti aliquem hominem currere, neges currere aliquem, hoc est, nullum dicas currere. Estq; ea perpetua & immota contradicentium lex, ut de omni re necesse sit uere alterum dici, utraque de nulla.

IN CAPVT XXVI.

Cum superius non putauerimus.) Lib. huius cap. 20. sub calcem. Quæ repugnant unum uni.) Illud non indignum obseruatione, unum eadem ratione uni tantum opponi: at si diuersas species rationes, potest fieri, ut uni plura sint opposita, quomodo auaritiæ non liberalitas modo, sed & prodigalitas etiam repugnat. Quod autem (per se) addidimus: Per se, hoc est, secundum substantiam suam. Nam Cicero, & infantem esse, dissident, at non secundum substantiam, sed secundum accidens: quia cum eloquens sit Cicero, non potest esse infans, & è conuerso. Secus de Cicerone & infantia, si utrunque absolute species: Nam cum genere rerum hæc differant, nunquam alterum de altero per se absoluteq; dici potest. Repugnantia igitur sunt, quorum alterum ab altero secundum substantiam suam dissidet, nec unquam de se inuicem dici possunt, ut homo & asinus, Cato & Cicero, uirtus & uitium. Aliter ab Aristotele definiuntur ad aliquid, hoc modo) Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum est esse, ad aliud quodammodo se habere: id est, sunt talia uocabula, quorum principale significatum nihil aliud est quàm ad alteram rem habitudo, ut emptio, uenditio, senatus, plebs, potestas, consuetudo, ius, tutela, occupatio, inuentio, traditio, usucapio, locatio,

tio, mutuum, stipulatio, furtum, contumelia, obligatio, exceptio, magistratus, ciuitas, libertas, seruitus, ingenuitas, libertinitas. Inter cætera quæ monet Aristotel. in conuertendis relatiuis seruanda, multis uerbis præcipit & hoc, ut accurate diligenterq; uocem conuertentem excogitemus: uidetur enim prima fronte alam posse referri ad auem, tanquam ad conuertens, et non tamen potest. Nam etsi omnis auis alata sit, non tamen quicquid alatum est, auis est. Apes enim & muscæ, uespertiliones, & scarabei alata sunt, aues tamen non sunt, conuertens ergo alæ erit alatum, ficta conuersione, hoc modo: Ala alati ala. Alatum ala alatum. Similiter caput rectius ad capitatum, quàm ad animal refertur. Nam etsi caput in solis animalibus reperitur, non tamen ad animal recte referatur. Nam sunt multa animalia teste Arist. capite carentia, ut conchæ & ostrea. Sunt qui credant.) Pater per se ad unum quiddam refertur, nempe filium: nam inde habet ut pater dicatur: quòd autem hic filius Petrus sit, aut Paulus, aut plures, id sanè accidit. Proinde pater (ut diximus) per se ad unum quiddam refertur, quanquam per accidens ad plura referri contingat. Adeò uerò mutuo se respiciunt pater & filius, ut penè eadē persona intelligantur. Contraria sunt opposita.) Contrariū est, quod positum in genere diuerso, ab eodem cui contrarium esse dicitur, plurimum distat, ut frigus calori, uitæ mors. Disparatum autem est id quod ab aliqua re per appositionem negationis separatur, hoc modo: sapere & non sapere. Cicero lib. 1. de inuentione: Vulgus dialecticorum sic finit: Contraria, sunt quæ sub eodem genere posita, plurimum à se inuicem distant, & eidem subiecto (modo eorum sit capax) uicißim insunt, à quo mutuo se expellunt, nisi alterum eorum insit à natura. Illud haud quaquam prætereundum silentio, quod est apud Augustinum in Enchiridio ad Laurentium cap. 14. Et item in sententijs Theologicis lib. 2. distinctione. 24. Quapropter, inquit, in ijs contrarijs, quæ mala, & bona uocantur, illa dialecticorum regula deficit, qua dicunt nulli rei duo simul inesse contraria, nullus enim aër simul est & tenebrosus & lucidus: nullus cibus aut potus simul dulcis & amarus: nullū corpus simul ubi album, ibi & nigrum: nullum simul ubi deforme, ibi & formosum, & hoc in multis ac pene omnibus contrarijs reperitur, ut una in re simul esse non poßint. Cum autem bona & mala nullus ambigat esse contraria, non solum simul esse possunt, sed etiam mala omnino sine bonis, & nisi in bonis esse non possunt, quamuis bona sine malis esse poßint: potest enim homo uel angelus, non esse iniustus, iniustus autem non potest esse, nisi homo uel angelus, & quæ sequuntur. D. Hieronymus aduersus Iouinianum ita ratiocinatur, ex prioris ad Corint. cap. 7. Si bonum est non tangere, malum est igitur tangere, cum bono malum sit contrarium. Hanc Hieronymi ratiocinationem ita refellit Augustinus, in quadam ad Hieronymum epistola, ut dicat quædam esse indifferentia, quæ nec bona sunt, nec mala, ueluti nasum emungere, aut saliuam iacere. Quòd si in uerbis Hieronymi malum & bonum ubiq; consimiliter sumantur, rectè procedit illius argumentatio, iuxta propositam à Corinthijs quæstionem. Si commodum est nō ducere uxores, ob sarcinas curarum, ob uincula affinitatum, incommodum est igitur ducere. Vt cæcitas est defectus uisus, non in quouis.) Lege adag. Canis festinans cæcos parit catulos.

RELATA.

2. Corinth. 11 Siquidem istiusmodi pseudoapostoli, operarij dolosi sunt, sumpta personæ apostolorum Christi, atq; haud mirum, quandoquidem ipse Satanas transfiguratur in angelum lucis. Non magnum est igitur, si & ministri illius personam in se transferunt, quasi sint ministri iustitiæ, quorum finis erit iuxta opera eorum. Sapientiæ 4. Multigena autem im-

piorum multitudo non erit utilis, & adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita à uento commouebuntur. Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Ex iniquis enim omnes filij qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua. Augustinus de spiritu & litera cap. 30. Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij, utique libertatem sonare, ubi autem spiritus domini, ibi libertas: si ergo serui sunt peccati, quid se iactant de libero arbitrio? Cyprianus ad Iubaianum: Si cuius patri aliquis conuitium fecerit, si contumeliosus & procax pudorem eius & honorē maledico ore lacerauerit, indignatur filius & irascitur, & læsi patris iniuriam quibuslibet modis uindicare conatur. Tu Christum putas in pijs & sacrilegis, & in patrem suum blasphemis impunitatem dare, & eis in baptismo peccata dimittere? Lactantius libro 5. de iustitia, capite 20. Nam si is qui in hac terrestri militia regi suo fidem seruat, in aliquo egregio facinore, si postea uixerit, acceptior fit & charior, si perierit, summam consequitur gloriam, quòd pro duce suo mortem occubuerit: Quantò magis imperatori omnium Deo fides seruanda est, qui non tantum uiuentibus, sed & mortuis potest præmium uirtutis exoluere? Esaiæ 24. Et erit sicut populus, sic sacerdos, & sicut seruus, sic dominus eius, & sicut ancilla, sic domina eius. Sicut emens, sic ille qui uendit. Sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit. Sicut qui repetit, sic qui debet. Ioannis octauo: Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis, &c. Vos ex patre diabolo estis, & desiderijs patris uestri uultis obsequi. Ioannes Chrysostomus aduersus Iudæos oratione quinta: Ergo famuli quidem ferunt dominos, filij parentes frequenter et præter æquum punientes: Tu uerò non sustines deū te corripientem, qui plus habet in te iuris, utpote uere dominus, qui plus te diligit quàm pater, quiq; nihil per iracundiam, sed omnia facit in utilitatem tuam.

CONTRARIA.

Hieronymus lib. secundo aduersus Iouinianum: Pseudoprophetæ semper dulcia pollicentur, & ad modicum placent. Amara est ueritas, & qui eam prædicant, replentur amaritudine. Augustinus libro primo de Ciuitate dei cap. 12. Si aliquid prodest impio sepultura preciosa, oberit pio uilis aut nulla. Micheæ 3. Hæc dicit dominus super prophetis qui seducunt populum meum, qui mordēt dentibus suis, & prædicant pacem. Et si quis non dederit in ore eorum quippiā, sanctificant super eum prælium. Ad eum qui patrem despiciebat: Non te pudet, Diogenes inquit, eum contemnere, cui debes hoc ipsum quod tibi places? Dicti gratia sita est in allusione contrariorum. Pugnant inter sese, despectui esse, & sibi placere. Demonax autore Stobæo, cum quidam suggillato apud se amico diceret: Non æquum est ut inimici mei tu sis amicus: Neque rursum, inquit, par est te amici mei hostem esse. Augustinus de ciuitate libro 5. cap. 12. Marcus Cato in oratione de præda militibus dispartienda: Fures inquit, priuatorum furtorum in neruo atq; in compedibus ætatem agunt: fures publici, in auro atq; purpura. Cicero in Topicis: Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur, & bonitatem, si malitiam. Prouerbiorum 10. Iustitia integri dirigit uiam eius. At in impietate sua cadit impius. Seneca epistola 40. Si imagines nobis amicorum absentum iucundæ sunt, quæ memoriam renouant, & desiderium absentiæ falso atque inani solatio leuant: Quanto iucundiores sunt literæ, quæ uera amici absentis uestigia, ueras notas afferunt? Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus uarietates suas: & uos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Hiere. 4. Quia stultus populus meus me non cognouit, filij insipientes sunt, & uecor-

uecordes, ſapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere non nouerunt. Eſaiæ 5. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarũ. Hiero. lib. commen. in Eccleſ. cap. 9. Videas enim in eccleſia imperitiſſimos quoſq; florere: & quia nutrierunt frontis audaciam, & uolubilitatem linguæ conſecuti ſunt: dum non recogitant quid loquantur, prudentes ſe & eruditos arbitrantur: maxime ſi fauorem uulgi habuerint: qui magis dictis leuioribus delectatur & commouetur. Et econtrario eruditum uirum latere in obſcuro, perſecutiones pati: & non ſolum in populo gratiam non habere, ſed inopia & egeſtate tabeſcere. Hæc autem fiunt, quia incerto ſtatu feruntur omnia: & non eſt in præſenti retributio meritorum, ſed in futuro.

PRIVANTIA.

Cicero libro Tuſcul. quæſt. 5. In ſurditate uerò quidnam eſt mali? Erat ſudaſter M. Craſſus, ſed aliud moleſtius, quod male audiebat, etiamſi (ut mihi uidebatur) iniuria Epicurei noſtri Græce fari neſciunt, nec Græci Latine: ergo hi illorum, & illi in horum ſermone ſurdi, omnesq; id nos in his linguis, quas non intelligimus (quæ ſunt innumerabiles) ſurdi profecto ſumus. At uocem citharœdi non audiunt, ne ſtridorem quidem ſerræ cum acuitur, aut grunnitum, quum iugulatur ſus, nec cum quieſcere uolunt, fremitum murmurantis maris. Socrates ſcientiam dicebat unicum eſſe bonum, contrà unicum malum ignorantiam, quòd quicunque committunt rem iniuſtam, hoc peccant, quod ignorant quid cuique ſit tribuendum: & qui fortes ſunt, non alia re fortes ſunt, niſi quòd ſciunt ea expetenda, quæ uulgus exiſtimat horrenda, & qui intemperantes ſunt, hoc errant, quòd ea putant ſuauia aut decora, quæ minime ſunt. Summum igitur bonum eſſe dicebat ſcientiam rerum expetendarum ac refugiendarum. Timotheus dicebatur dux fortunatus. Huic inuidentes nonnulli pinxerant ciuitates ultro ſe reti implicare, ipſo dormiente. Hac contumelia nihil offenſus Timotheus, ciuiliter reſpondit: Si tantas urbes capio dormiens, quid facerem uigilans? Lactantius libro 5. Inſtitut. Vnaquæque enim ſecta omneis alias euertit, ut ſe ſuaq; confirmet, nec ulla alteri ſapere concedit, ne ſe decipere fateatur. Eſaiæ 30. Filij mendaces, filij nolentes audire legem dei, qui dicunt uidentibus: nolite uidere, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt. Loquimini nobis placentia, uidete nobis errores. Auguſtinus ad Eleuſium: Sacrificant in diſſentione & ſchiſmate, & pacis nouum populum ſalutant, quem à pace exterminant. Hieronymus libro decimo commentarior. in Ezechielem capite triceſimoſecundo: Pulchreq; eccleſia appellatur terra uiuentium, ut econtrario hæreticorum conciliabula mortuorum terra eſſe credantur. Idem in Eccleſiaſten cap. 9. Verba ſapientiũ in quiete audiũtur, pluſquàm clamor poteſtatem habentis in ſtultis. Quemcunq; uideris in eccleſia declamatorem, & cum quodã lenocinio ac uenuſtate uerborum excitare plauſus, ac riſus excutere, audientes in affectus lætitiæ concitare, ſcito ſignum eſſe inſipientiæ, tam eius qui loquitur, quàm eorum qui audiunt. Verba quippe ſapientium in quiete, et moderato audiuntur ſilentio: qui uerò inſipiens eſt, quàmuis ſit potens, & clamorem ſiue ſuæ uocis, ſiue populi habeat acclamantis, inter inſipientes computabitur. Auguſt. lib. 18. de ciuitate dei cap. 51. Qui ergo in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid prauumq; ſapiunt, ſi correpti, ut ſanum rectumq; ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaq; peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici ſunt.

CONTRADICENTIA.

Ariſtip. Diog. offendẽs lauãtẽ olera, dixit illi ad aurẽ: Si Dionyſio morẽ geſſiſſes, profecto nõ lauares olera. Dioge. uiciſſim in aurẽ dixit: Si tu lauares olera, Dionyſio nõ inſeruires. Augu. ad he-

ad hæreticos loquens: Vndiq;, inquit, tergiuersatio uestra contunditur. Aperte dicite, non uos credere Christi euangelio. Nam quòd euangelio, quod uultis creditis, quod uultis non creditis, uobis potius quàm euangelio creditis. Idem ad hæreticos Faustinianos: Sicut te Manichæus impiam docuit peruersitatem, ut ex euangelio quod hæresim tuam non impedit, hoc accipias, quod autem impedit, non accipias: Sic nos Apostolus docuit piam prouisionem, ut quisquis nobis adnunciauerit præter id quod accepimus, anathema sit. Orige. aduersus Celsum: Videtur Celsus ut Christi calumnietur doctrinam, sacris literis ubi libitum fuerit, fidem præstare. Diuinitatem uerò ex libris aperte nunciatam quando non admittit, euangelicis literis nihil credere.

DISTANTIA SIVE DIVERSA.

Hierony. lib. 1. aduersus Iouinianum: Redempti sumus precioso sanguine Christi, immolatus est pro nobis agnus, & aspersi calidißimo rore hyssopi, omnem pituitam noxiæ uoluptatis excoximus. Quibus in baptismate mortuus est Pharao, & uniuersus eius suffocatus est exercitus, cur rursum Aegyptum quærimus, & post manna angelorum cibum, allia, & cepe, & pepones, & carnes uarias suspiramus? Cicero pro Archia poëta: Ergo ille corporis motu, tantum amorem sibi conciliarat à nobis omnibus: Nos animorum incredibiles motus celeritatemq; ingeniorum negligemus? Idem pro lege Manilia: Non enim illum eximia uis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut uenti aliqui noui tam celeriter in ultimas terras pertulerunt, sed hæ res, quæ cæteros remorari solent, non retardarunt: non auaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam uocauit, non libido ad uoluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non deniq; labor ipse ad quietem. Postremo signa & tabulas cæteraq; ornamenta Græcorum oppidorum, quæ cæteri tollenda esse arbitrabantur, ea sibi ille ne uisenda quidem existimauit. 2. Corinth. 6. Quod enim consortium iustitiæ cum iniustitia? aut quæ cōmunio luci tenebris? aut quæ concordia Christi cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quid conuenit templo dei cum simulachris? Tertullianus de præscrip. hæret. Quid ergo Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? Idem libro aduersus Marcionem tertio: Desinat nunc hæreticus à Iudæo, aspis (quod aiunt) à uipera mutuari uenenum. Augustinus in Manichæos: Sed uestrum oculum maleuolus error in solam paleam nostræ segetis ducit. Nam & triticum ibi cito uideretis, si & esse uelletis. Eusebius eccles. histo. libro quarto. Idem etiam ipse Polycarpus, Marcioni aliquando cum occurrisset, dicenti sibi: Agnosce nos: Respondit, agnosco. Agnosco primogenitum Satanæ. Tanta tunc Apostoli atque eorum discipuli in religione cautela utebantur, ut ne uerbi quidem communionem cum aliquo eorum qui à ueritate deuiauerant, habere paterentur. Sicut & Paulus dicit: hæreticum hominem post unam & alteram correptionem deuita, sciens quia peruersus est huiusmodi, & peccat, cum sit à semetipso damnatus. August. lib. 5. contra Donatistas de baptismo cap. 10. An uerò solis, uel etiam lucernæ lux quum per cœnosa diffunditur, nihil inde sordidum contrahit: et baptismus Christi potest cuiusquam sceleribus inquinari?

De diffe-

De differentibus. Cap. XXVII.


Ifferentia sunt, quæ sic repugnant, ut non certo ductu unum contra unum dirigatur, sed satis est substantijs inter se esse dimota. Vt Cicero & Cato differunt, quoniam non est Cicero quod Cato: non tamen sic differunt, ut calidum & frigidū: calido enim nihil opponi potest aliud, quod eodem modo cum ipso quo frigidum pugnet: at quemadmodū Cato à Cicerone distat, sic etiā Scipio, sic Lælius, sic quemcunq; aliū hominē sumas distabit. Quapropter neque colores quos medios uocāt, contrarij inter se erunt: Quēadmodum enim flauus cœruleo, sic etiam Indicus, & ruber & uiridis distat: & potest ex quolibet colore in quēuis, & per quemlibet ex albo in nigrum fieri transitus. Similiter saporū etiā diuersę species contrarię non sunt, sed uerius differentes. Sic quęcunq; alię sunt multę species, sub uno genere cōprehensę: non magis censendę sunt contrariæ, q̃ iustitia, temperantia, fortitudo, reliquæq; species uirtutum. Differunt autem omnia aut solum ut singula: ut singuli inter se homines, singuli equi, & quæcunque indiuidua sub una continentur specie. Aut specie: ut quæcunque indiuidua sub diuersis sunt speciebus, uel ipsæ inter se species diuersæ, ut hic homo & hic equus, & homo & equus. Aut genere: ut quæ diuersorum sunt generum, ut uitis & equus: quorum hic animalis est species, illa plantæ: & ipsa quoque genera diuersa, ut animal & planta. Possumus addere istis ea, quæ prædicamentis differunt, ut homo & candor, quorum homo substantia, candor est qualitas. Quæcunque ergo prædicamentis differunt, genere differunt: & quæ genere, etiam & specie: & quæ specie, singulatim differunt. Contra, quæcunq; singula sunt eadem, hoc est, quæ numero una dicuntur, etiam specie sunt eadem: & quæ specie, ea genere: & quæ genere, prædicamento quoque sunt eadem. Quô fit, ut maxima differentia, & minima unitas sit in prædicamento: contra, minima differentia, maxima unitas sit in singularibus. Quorumcunque autem duorum, alterum de altero negatur, ea ut minimum singulatim, hoc est, numero oportebit differre. Nolim autem quenquam fefellerit nominis huius ambiguitas, qua dicimus aliqua singulatim uel numero eadem esse, uel differre. Quandoq; enim aliqua

numero eadem uocamus, quantum ad substantiam suam pertinet: ut idem numero dicimus hominem & animal rationale, quoniam eadem est utriusque substantia: & Ciceronem unum numero dicimus, quoniam nulla est ipsius ad seipsum differentia. Quandoq; uero denominatione dicimus eadem: ut idem numero dicimus Ciceronem & eloquentem: non quod idem sit Ciceronis & eloquentiæ substantia, sed quòd insit Ciceroni eloquentia, atq; ob id, idem & Cicero, & eloquens uocetur. Verum in præsentia de eis solum dicimus, quæ substantijs eadem sunt atq; differunt, quoniam denominatione idem differens à se dici potest: ut Cicero uir, à Cicerone puero, non substãtia, sed ætate differt: & contrà, quæ maxime differunt, denominatione eadem dicũtur: ut idem & homo, & musicus, & pater dicitur, cum substantijs hæc tria & prædicamento differant. Sane omnia argumenta huiusmodi: In foro est, ergo non est ruri. Et illo tempore factum est, ergo non est hoc tempore factum. Et mea res est, ergo non est tua. Et huius est filius, ergo non illius, ad hunc locũ rediguntur. Quoniam enim ea natura est rerum, ut tãtum unum aliquid istorum de re dici possit, (nec enim potest aliquid nisi in uno loco esse, nec nisi in uno tempore factum esse, quæq; reliqua similis sunt cõditionis) ergo cum unum aliquid de re affirmaueris: reliqua omnia, quę ab eo in eodem genere differunt, negabuntur de eadem.

Erit fortasse, cui uideatur neque repugnantia ab alijs locis, neque ipsa quidem inter se opposita & differentia, satis diligenter esse discreta. Nam ut prius de hoc dicamus, quod posterius sumpsimus, pater & filius quæ relata sunt, & calidum & frigidum quę contraria, nemo est qui dixerit ista non esse differentia. Deinde priuantia quoque & contradicentia, cum eadem esse non possint, differant necesse est. Iam quod ad reliquos locos pertinet, calidum & frigidum in adiacentibus diximus, & patrẽ & filium numerauimus inter connexa, & partium & totius sui sunt loci: ita etiam homo & equus species sunt, & animatum & inanimatum propria: ut uideatur (id quod antea in Boëtio annotauimus) repugnantia per omnes ductum iri locos. Non negauerim uera esse quæ contra dicuntur. Verum non ob id efficitur, ut perturbentur loci: quod facile uidebit, qui meminerit eius quod diximus etiam ante: locorum discrimẽ, non tam

ab re-

ab rerum naturis, quas habent per se quæq;, accipi: quàm ab habitudine, quam sumunt inter se comparatæ. Quod itaq; ad opposita & differentia attinet, certum est contraria specie inter se differre: & relata quidem quomodo differant, haud temere affirmauerim. Verum utcunq; sit, cum certa inter se lege differãt, ut uni tantum unum opponatur, opposita dicimus ea, propter certam & destinatam ex natura sua repugnãtiam, qua uelut singula è regione alterum cõtra alterum certo sunt structu locata. Pater itaq; & filius, opposita sunt inter se comparata: comparatus autem quantum ad substantiam suam, pater domino, filius seruo, non opponi dicentur ista, sed differre. Sic calidum et frigidum inter se contraria sunt: calidum, & dulce, frigidum & humidum differentia. Relata igitur & contraria (ut diximus) quanquam inter se comparata opponi proprie dicantur, differunt tamen etiam: sed opposita potius dicuntur, quod certioris est & acrioris repugnantiæ nomen. Contradicentia autem & priuantia differentiæ nomen non accipiunt. Cum sit enim differre dictum, quasi in diuersum ferre, non potest id nisi inter rem & rem fieri: at contradicentia & priuantia, una quidem parte res sunt, ut uisus & sedens: alia parte tantum negationem rei significant, ut cæcitas & non sedens. Non magis ergo possunt ista inter se differre, quàm (quod dici solet) uiui cum mortuis bellum gerere. Haud absimile iis, quæ dicta sunt, fuerit, quod responderi possit ad eam partem, qua dicebatur, repugnantia per alios sparsa locos esse. Possunt enim ea quæ repugnantia dicuntur, nonnunquam accipi seorsum quodlibet, uel saltem sic, ut non componantur inter se, & uel alterum de altero dicantur, uel ambo de tertio aliquo: hoc enim modo suis quæque redduntur locis. At cum uel in tertium aliquod incidunt, uel alterum de altero dicitur, repugnantia sunt, huiúsque loci propria fiunt. Totum itaq; & pars, pater & filius, nisi de altero dicatur alterum, aut ambo de tertio aliquo, nequaquam repugnant: quippe quorum alterum altero constat, neque sine altero uel fieri possit uel esse: cum uero quis dicat, exempli causa, irascibile in anima partem esse ipsius, alius discretam per se distinctámque esse animam: certum est repugnare ista, quod idem totum esse faciant et partem. Sic album & nigrum quibus insunt comparata, non contraria

sunt, sed adiacentia. Sic currere non currere, non contradicunt: sic quiescere & moueri, non priuatiue repugnant: si de homine illa, ista de lapide dicantur. Illud tamen prætereundum non est, contradicentium priuatorumq; partes eas, quæ negant, non posse in aliũ conferri locum. Cum enim negatio, non significari, non intelligi sine affirmatione possit: semper repugnantiã eius quod negat, præ se ferat necesse est. Non currere nanq; sine cursu, nec cæcitas sine uisu, intellectu comprehendi nequit. Cumq; negationem significent, semper in eis & negatio, et cursus uisusq; intelligitur: habentq; uelut innatam quandã in se repugnãtiam ad id, cui contradicunt, aut cui priuatiue repugnant. Habent autẽ hi loci proprium hoc, quod non potest ex ipsis quicquam confirmari directe, sed è diuerso: ut si in uno neges, in altero affirmandum est: contraq; alterius affirmatione negãdum est alterum: ut si dicas, iste pater est, sequitur non esse filium: & filius est, certum est patrem non esse: sic, cæcus est, ergo non uidet: contrà quoque, uidet, igitur cæcus non est. Complectimur tamen nonnunquam hincinde repugnantia, atque directe probamus. Vt si lucrum est habere, damnum est perdere: Si utile est possidere, inutile est amittere. Illud uero argumentandi genus: An perdere possim quæris? seruare potui: &, Cui totum dederam, illi negarem partem? non ex repugnantibus est, sed à maiori: neque enim ut repugnantia hic sumuntur, sed consentanea ad id, quod institutis confirmare: & ut sit alterum altero maius & difficilius effectu. Neque enim quia seruare repugnat ei quod est perdere, probaturam se putat Medœa, perditum ire se posse Iasonem: sed quia difficilius maiorisq; negocij est, seruare, quàm perdere. Sic etiam, quia maius est totum donare quàm partem, probabit non se cunctaturum in parte, cum dederit totum.

IN CAPVT XXVII.

QVemadmodum enim flauus cæruleo.) Porrò cum oppositorum unum uni duntaxat repugnet, & medij colores plures eidẽ possunt repugnare, consentaneũ est eos differri posse, opponi non posse. Sic etiã Indicus.) Is est supra modũ nigricãs, & atramenti ferè retinens colorem. Qui plura uolet cognoscere de coloribus, is legat Plato. in Tymæo Gellium libro 2. capite 26. Antonij Thylesij libellum de coloribus, Scholia nostra in Marbodæum Gallum de lapidibus preciosis, Lazarũ Baysium de re uestiaria cap. 2. Similiter

liter saporum etiam diuersæ species.) Theophrastus in sexto de causis plantarum: septem proprie & per se saporum discrimina numerans, dulce, pingue, amarum, austerum, acre, acidum, & acerbum, mox ait addere aliquos octauum, salsum scilicet, & præter hos credere quosdam, uinosum saporis discrimen & genus esse: quoniam in multis terræ fructibus inueniatur, & ex terris aliquibus effluat hic sapor. Verum tamen ut in lacteo sapore accidit, qui ad dulcis genus refertur, sic etiam uinosum ad aliquid prædictorum referendum esse. Siquidem dulcia uina, austera & acida inueniuntur. Plinius numerum eorum auxit, generaq; fecit: uidelicet, dulcis, suauis, pinguis, amari, austeri, acris, acutiq;, nos acidum diximus, acerbi, acidi, & salsi: & præter hæc tria genera, alia: Vnum quo plures sentiuntur sapores, ut in uinis: nanq; in his & austerus, & acutus, & dulcis, & suauis: omnes alieni, ut ille ait. Alterum itidem in quo sit & alienus quidem, sed & suus quidam, & peculiaris, ut in lacte: quoniam ut idem ait, inest ei, quod tamen iure dici non potest, dulce, & pingue, & suaue, obtinente lenitate: quæ ipsa succedit in saporis uicẽ. Et hæc Plinius pro saporibus quo diximus loco. Ex quibus ratiocinari facile est, quatenus & quomodo à Theophrasto discrepet: Suauem enim & acutum non numerat Theophrastus, sed oxin tantum. Videturq; Plinius æquiuocam ad acutum & acidum saporem, uocem illam, non ad alterum, sed ad utrunq; explicuisse. Veruntamẽ credendum est in dulci suauẽ intellexisse Theophrastum. Non probauit præterea Theophrastus salsum saporem dici: cuius manifesta est causa: quoniam alterius qualitatis communicatione, non propria ui tale dicitur, & quoniam in nullo fructu inuenitur: octauum tamen fieri hunc ab aliquibus dixit. Vinosum deinde per se saporem non esse, & lacteum ad dulcem referri, & quem Plinius lenem uocat, in dulci numerãdum fuisse ab eo, uerisimile est. Plinius lib. 10. cap. 29. In luscinia cantione sonorum discrimina demonstrat. Quia dicimus aliqua singulatim.) Vide censuram Rodolph. de uniuersalibus in annotationibus libri huius capite 6. Quam ab habitudine quam sumunt.) Imò ex nominibus, titulis'ue, quos ex illa rerum adinuicem habitudine sumũt. Nolim autẽ quenq̃ fefellerit.) Quæ alij nomine, iuxta ac definitione eadem appellant, ab Rodolpho dicuntur eadẽ substantijs, ac rursus quæ partim proprio, partim accidente eadẽ uocãt, ea uocat eadem denominatione. Irascibile in anima partem esse.) Plato ita diuisit animum, ut tres eius essent partes, mẽs, irascentia, concupiscẽtia. Autor Apuleius in lib. de Platonica philosophia, & Diuus Paulus in priore ad Thessalonicenses epistola cap. 5. partitur hominis animum in treis partes, in summam ac Deo proximam, quam uocat spiritum, in imam, qua trahitur ad turpia, quam appellat corpus, in animam mediam, qua diligimus parentes, qua de re copiosius disserit Erasmus in Enchidio militis Christiani. Aristote. libro Politi. 1. Duæ sunt animæ partes, rationalis, & quæ ratione destituta est. Sunt item gemini animarũ habitus, quorũ prior est appetitio, posterior mẽs. Vt autem corpus in generatione antecedit anima, sic pars irrationalis antecedit eam partem, quæ habet rationem, patet id in pueris, quibus statim ira & uoluntas & concupiscentia existit. At ratio & mens procedente ætate in illis fieri natæ sunt. Quapropter corporis curam necesse est prius suscipere quàm animi. Quæ maxime differũt, eadem dicuntur.) Videtur hic mihi duobus locis aliquid abesse, altero: Quæ maxime differunt, eadem dicuntur, ubi legendum puto, denominatione eadem dicuntur. Altero, hæc tria prædicamentorum, ubi legendum censeo, & prædicamento. Atq; directe probamus.) Quintil. libro 12. capite. 1. Verum & uirtus quid sit, aduersa ei malitia detegit, & æquitas fit ex iniqui cõtemplatione manifestior, & plurima contrarijs probantur. Iam uerò tametsi non sit propriè huius

instituti, tamen quia contrariorum diuersorumq; incidit mentio, quorum cõmoda inter se relatio non uulgariter confert ad inuentionem dialecticam, & inde multum aculeorum accedit orationi, ad hæc quum uix aliud amplificandi genus crebrius occurrat, tum apud profanos, tum apud sacros etiam autores, quàm nobile illud schema, quod Græci partim ἀντίθετον siue ἀντίθεσιν, partim ἐναντίωσιν appellant, facturus operæpreciumi mihi uideor, si huc adscripsero. Id autem est, quum contrarijs opponũtur contraria, quod fit interim uel singulis uerbis, sic Cicero in inuectiua 2. in Catili. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia, hinc pudicitia, illinc stuprum, hinc fides, hinc fraudatio, hinc pietas, illinc scelus. Teret. Adelphis: Illum amãt, me fugiunt, illi credunt consilia omnia, illum diligunt, apud illum sunt, ego desertus sum: illum ut uiuat, optant, meam autem mortem expectant. Idem in Phorm. in fine sce. Itane patris: Te'ne à symbolo uenire unctum, &c. & D. Paulus in Ro. cap. 2. 8. 11. Cicero lib. de finibus primo: Bonum liberi, misera orbitas, bonum patria, miserum exilium est, bona ualetudo, miserũ morbus: Bonum integritas corporis, misera debilitas: incolumis, bonũ acies, misera cæcitas. Terentius in Heauton. Quid cum illis agas, qui neq; ius, neq; bonum, atq; æquum sciunt, melius, peius, prosit, obsit, nihil uident nisi quod lubet. Rodolphus lib. 2. cap. 18. Pleriq; rhetores enthymema uelut dignatione quadam uocantes, dederunt ei argumentationis genus, quod ex contrarijs conficitur: quale est, quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris? & quæ sequuntur. Fab. lib. 9. cap. 3. in fine: Contrapositũ autem, uel ut quidam uocant, contentio (ἀντίθετον dicitur) non uno fit modo &c. Erasmus Roterod. lib. 3. Ecclesiastæ de contentione. Idem libro tertio: Ecclesiastæ de amplificatione: Est autem alius usus contrariorum ad uehementiam faciens, & cæte. Huius generis plura recensentur ab autore ad Herennium libro quarto cap. de contrario siue de contentione, quam Græci appellant ἀντιμεταβολὴν, sed omnium instar est copiosissima perinde ac saluberrima D. Ioannis Chrysostomi comparatio monachi & regis, per contentionem. Erasmus in sexto locupletandi ratione de Copia rerum. Interim integris orationibus. Quocirca ut plenius utrunque intelligatur, & facilius à iuuentute, cui hæc potissimum parantur, ad inueniendi quoque rationem utcunque possint accommodari, familiaribus aliquot illustrabo exemplis. Esaias 65. cap. Ecce qui seruiunt mihi, manducabunt, uos autem esurietis. Ecce qui seruiunt mihi, bibent, uos autem sitietis. Ecce qui seruiunt mihi, lætabuntur, uos autem confundemini. Ecce qui seruiunt mihi, exultabunt, uos autem clamabitis ob dolorem cordis, & propter contritionem spiritus ululabitis. Huc refer argumentum à contrario sensu, quod autore Alciato in lib. 2. de uerborum significatione, quatuor argumẽtorum genera complectitur. Dum scriptura ueteris instrumenti sermonem suum ad populi rudes affectus attemperat, modo minitans externa incommoda, modo pollicens huius seculi commoda, quid aliud quàm antithetorum exemplum nobis proponit? Huc item accommodandi sunt loci duo, quos nostri Aristotelici uocant à contrario, & in ipso: quod genus est, quoties duo uicissim coniunguntur in antecedente, & his duobus opposita uicissim coniunguntur & in consequente. A contrario enim dicitur illis argumentum, quando ordine contrario locantur opposita in antecedente & consequente. In ipso uerò, quando in eodem ipso ordine consequens habet opposita quo in antecedente, ut: Qui timet dominum, faciet bona: igitur qui bona non facit, nõ timet dominum. Iustitia est uirtus, igitur quod non est uirtus, non est iustitia. Si humilitas est uirtus, igitur superbia uitium. Si grata est ciuilitas, ingrata est rusticitas. Vera scientia humilem facit & benignum: Sophistice igitur inflatum reddit & iracundum. Iacobus cap. 3. Non est enim

enim ista sapientia è supernis discendens, sed terrena, animalis, dæmoniaca. Vbi enim æmulatio & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autem è supernis est sapientia, primum quidē casta est, deinde pacifica, modesta, tractabilis, plena misericordia & fructibus bonis, absq; dijudicatione, sine simulatione. In hoc autem genere argumentationum ferè fit ut diuersi generis opposita inter ipsa confundantur atq; permisceantur. Vt si non sunt expetendæ diuitiæ, paupertas est fugienda. Labor bonus & sanctus est, ocium igitur malum & execrandum. Huiusmodi autem exemplis plena est omnis scriptura, maxime eorum librorū qui sapientiales nominantur, in quibus id peculiare paßim occurrit, ut quod in priori sententiæ cuiuslibet membro dicitur de iustis, pijs & sapientibus, eius oppositum in altera parte de iniustis, impijs & insipientibus. Cuius rei appositißima sunt exempla apud Salomonem in Prouerb. cap. 10. Sapiens filius patrē gaudio adficit: At stultus filius matrē adfligit. Acgestatem adfert manus ociosa, sed manus sedulorū ditat. Qui colligit in æstate, prudens est. Qui dormit in messe, confunditur. Impius ceu tēpestas præterit: At iusti fundamentū perpetuum est. Item cap. 11. Benedictione iustorum fortunatur ciuitas: At impiorū consilijs euertitur. Qui non cōmunicat frumenta, ei maledicetur in populo: At benedicetur uendenti. Cum iustus in terra persoluat: Quāto magis impius & peccator? Huc pertinet & illud quod apud Esaiam 3. ca. præuaricatrici genti dicitur: Erit pro suaui odore, fœtor: & pro zona, funiculus: Et pro crispanti crine, caluitiū: & pro fascia pectorali, cilicium. Itē & illud, quod in Apocalypsi de damnata Babylone dicitur: Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Nec dißimile est quod diuiti illi pater Abraham respondit: Fili recordare, quia recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu uero cruciaris. Iob. cap. 29. & 30.

EXEMPLA.

Cicero in 4. accusationis Verrinæ: Conferte hanc pacem cum illo bello, &c. Idem pro domo sua ad pontifices: Vt quēadmodum discessu meo, &c. Idē in oratione in Luciū Pisonē: Atq; tuū lætißimū diē cū tristißimo meo conferā, &c. Idē pro Cluentio. Terent. in Heauton. Nonne id flagitiū est, te alijs consiliū dare, foris sapere, tibi nō posse auxiliarier? Demosthe. contra Aristogitonē: Quid enim existimatis hūc facturū esse, abolitis legib. qui saluis illis tātum sibi permittit? Cicero pro Milone: Age nūc iter expediti latronis cū Milonis impedimētis cōparate. Cice. in Pisone: Confer nūc Epicure noster ex hara ꝑducte, nō ex schola: confer, si audes, absentiā tuā cū mea. Cice. ꝑ Pub. Sex. Hæc oīs oratio est mihi cū his qui se patriæ, q suis ciuib. q laudi, q gloriæ, non q somno, & cōuiuijs, & delectationi natos arbitrātur. Vergil.

O genitrix quo fata uocas, aut quid petis istis,
Mortali ne manu factæ immortale carinæ
Fas habeant certusq; in certa pericula lustret.

Horat. lib. 2. Serm. Saty. 2. Accipe nunc, &c. Martialis:

Insequeris, fugio: fugis, insequor, hæc mihi mens est.
Velle tuum nolo, Dindime, nolle uolo.

Et Angelus Politianus ad amicam:

Allicis, expellis, sequeris, fugis, es pia, & es trux.
Me uis, me non uis, me crucias & amas.

Salustius in orat. Catonis Vticensis aduersus coniuratos. Nolite inquit existimare maiores, & cæt. Domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neq; libidini, neque delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atq; auariciam, publice egestatem, priuatim opulentiam. Gallum quendam à Cæsare Iulio ad se transfugientem Pompeius ciuitatē

donauit

donauit. Exclamauit Cicero hominem bellum, Gallo ciuitatem promittit alienam, nobis nostram reddere non potest. Athanasius de passione domini: Ac mihi qui uolet, expendat consideretque, quis sit dominicæ mortis fructus, quod contrà lucrum Iudaicarum insidiarum. Mors enim &c. Isocrates: ὁ κακῶς διανοηθεὶς περὶ τῶν οἰκείων οὐδέποτε καλῶς βουλεύσεται περὶ τῶν ἀλλοτρίων. Qui inops consilij est in rebus proprijs, is nunquam recte consulet alienis. Ezechiel 33. Iustitia iusti non liberabit eum in quacunque die peccauerit, & impietas impij nō nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Prouerbiorum 12. Fatuus statim indicat iram suam, qui autem dissimulat iniuriam, callidus est. Prouerbiorum 11. In bonis iustorum exaltabitur ciuitas, & in perditione impiorum, erit laudatio. Rursus 16. Ante ruinā exaltabitur cor, & ante gloriam humiliatur, & 18. Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit. Prioris ad Corinthios 6. An nescitis, quòd qui agglutinatur scorto, &c. Quod Origenes super Numeros homilia 20. sic explicat: Vt dominus sit uirtus omnis, contrà meretrix, malitia & iniustitia. Eiusdem epistolæ cap. 7. Qui cœlebs est, &c. Et Corinth. 3. Sapientia mundi, &c. In Galatis ca. 5. Et caro cōcupiscit, &c. Primæ ad Timotheum 6. 2. Thessalo. 2. Et ad Ro. Si secūdum carnem uixeritis, moriemini: si spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Et illud eiusdem: Litera occidit, spiritus uiuificat. Affectus carnis mors est, affectus spiritus, uita & pax. Gala. 2. Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Ibi Hieronymus: Oportet, inquit, syllogismum complere, sed Christus non est gratis mortuus, ergo per legem non est iustitia. Cum sæpe aliâs, tum mire apposita est ἐναντίωσις apud D. Paulum 2. Corinth. 5. & 6. cap. In Roma. cap. 8. & 13. D. Hieronymus in epistola ad Marcellam, ut relicta Roma fugiat in Bethleem, subindicat quantum habeat incommodorum Roma, quantum commodorum Bethleemiticum rus. Idem in epistola ad Eustochium: Audi filia, circa illud: Beatus qui habet semen. Idem in calce uitæ Pauli primi heremitæ. D. Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei cap. 3. Hieronymus: Doctissimi quique uix singulas quæstiones explicare possunt multis uoluminibus, & indocti quiduis audēt! D. Hieronymus in epitaphio Paulæ matris ad Eustochium uirginem: O beata rerum commutatio, fleuit, ut semper rideret. Ad extremū illud hoc loco monere inter necessaria uisum est, nulla esse firmiora, quàm quæ ex dubijs facta sunt. Proinde optimum uideri ex pugnantibus enthymema, cum proposito dissimili, uel contrario, ratio subiungatur, autore Quintil. lib. 5. cap. 14. Quale est illud Demosth. contra Aristo. οὐ γὰρ εἴ τι πώποτε μὴ κατὰ νόμους ἐπράχθη, σὺ δὲ τοῦτ' ἐμιμήσω, διὰ τοῦτο ἀποφεύγειν σοι προσήκει, ἀλλὰ τοὐναντίον, πολὺ μᾶλλον ἁλίσκεσθαι διὰ ταῦτα. ὥσπερ γὰρ εἴ ἐκείνων' ἑάλω σὺ τάδ' οὐκ ἂν ἔγραψας, οὕτως ἂν σὺ νῦν ἁλῷς ἄλλος οὐ γράψει. Id est Quintiliano interprete: Non enim si quid unquam contra leges factū est, idque tu es imitatus, idcirco te cōuenit pœna liberari. Quin è contrario damnari multò magis. Nam ut, si quis eorum damnatus esset, tu hæc nō scripsisses: ita damnatus si tu fueris, non scribet alius. Eodem ferè constat artificio Violatio, quàm Græci βίαιον appellant: quæ conficitur quotiens ex aduersariorum ratione, non id quod ipsi uolunt, sed quod nobis utile est, sequi demonstramus L. Valla in dialecticen lib. 3. cap. 55. Cicero pro lege Manilio refutauit Q. Catuli sententiam, qua contendebat, non omnia esse ad unum Pompeium deferenda, quòd Pompeio diuturnior uita esse non possit: Imò, inquit, uel hoc nomine in unum Pompeium omnia conferenda. Nam si Pompeio diuturnior uita esse non possit, ideo curandum esse P. R. ut, dum licet, eius hominis uita & uirtute fruatur. Hieronymus in epitaphio Nepotiani, mire torsit argumentum in diuersam partem: Non est nobis lugendus Nepotianus, cum

nus, cum sit felix. Imò tanto magis lugemus, non illum, sed nostram uicem, qui non sumus cum illo simul felices. Idem in calce epistolæ ad Furiam de uiduitate seruanda. Idem in epistola ad Augustinum: Porrò quod dicis non debuisse me interpretari post ueteres, & nouo uteris syllogismo: Aut obscura fuerunt, quæ interpretati sunt septuaginta, aut manifesta. Si obscura, te quoq; in illis falli posse credendum est: Si manifesta, illos in eis non falli potuisse perspicuum est. Tuo tibi sermone respondebo, & quæ sequuntur. An perdere possum quæris.) Ouidius libro secundo Amorum, elegia decimaoctaua meminit Satyræ unde ea sunt desumpta:

Sceptra tamen sumpsi, curaq; tragœdia nostra
Creuit, & huic operi quamlibet aptus eram.

Augustinus epistola centesimasexta ad Paulinum: Cum igitur sine gratia Dei salutem non posset custodire quam accepit, quomodo gratia Dei potest reparare quam perdidit? Rodolphus Agricola in orat. De natali Christi: Nec difficile uideri debet illi, ut uitam reddat defunctis, quam amiserant, qui etiam, quam nondum habuerunt, potuit præbere. Complectimur tamen nonnunquam hinc inde repugnantia, atq; directe probamus.

EXEMPLA.

T. Liuius in oratione F. Camilli de non migrando Veios: An ex hostium urbibus Romam ad nos transferri sacra religiosum fuit, hinc sine piaculo in hostium urbem Veios transferemus D. Hieronymus in prologo Esaiæ: Si iuxta Apostolum Paulum Christus Dei uirtus est Deiq; sapientia, igitur ignoratio scripturarum, ignoratio Christi est. Aulus Gellius lib. decimoseptimo capite octauo: Ad hoc, si istæc quæ calidiora sunt difficilius gelu coguntur, congruens est, ut quæ frigidiora sunt, facile cogantur. Rodolphus libro de Inuentione dialectica secundo, capite item secundo: Decipi est inutile & perniciosum, itaque utilis est ea ars quæ docet cauere ne fallamur, id autem dialectica præstat, est igitur utilis. Cicero libro De finibus primo: Si summum malum est uiuere cum doloribus, consentaneum est, summum esse bonum uiuere cum uoluptate. Quintilianus libro quinto: Frugalitas bonum, luxuria enim malum. Si malorum causa bellum est, erit emendatio pax. Si ueniam meretur qui imprudens nocuit, non meretur præmium, qui imprudens profuit. Lactantius libro de ira Dei: Quia Deus gratia mouetur, ergo & irascitur. Nam si Deus non irascitur impijs atque iniustis, nec pios utique iustosq; diligit. Est uirtus, & non natura, opinio, uoluntas: Ergo προαίρεσις. Est argentum, & non in massa, neque in lamina, neque in signato, neque in supellectili, neque in ornamentis est: est igitur argentum factum. Mutuum est contractus, qui non solennitate uerborum, neque literis, neque solo consensu contrahitur: Ergo reipsa, uidelicet numeratione, adpensione, aut certe mensuratione rei fungibilis, si sic loqui liceat. Simonides factus est liber, non censu, neque uindicta, igitur testamento. Est domesticum patrisfamiliâs instrumentum, quod non argento, auróue, neq; uesti adnumeratur. Ergo est supellex. Est locus non sacer, neq; sanctus, neq; religiosus: Ergo purus.

Communis ratio locorum, uel ad aliorum traditionem additorum, uel prætermissorum.

Cap. XXVIII.


Ræter hos autem quos hactenus executi sumus locos, alij quidem alios quàm nos quosdam fecerunt, & quosdam traditos à nobis præterierunt: neque uel eisdem nominibus omnes, uel eodem disposuerunt ordine. Cicero quidem antecedentia, consequentia, repugnantia posuit; quæ si ita capiantur, quemadmodum ille uoluit ea accipi, ostendimus inter locos nequaquam posse poni. At ea quæ nos propria, quæ finem, quæ destinata, quæq; etiam in tres diuisa locos applicita diximus, in nullum Ciceronis locum poterunt includi. Quod quidem de fine & destinatis per omnes eunti locos facile est uidere: sed proprij locus inter antecedentia ponetur fortasse: sed eò pacto, quo ostendimus omnes fere locos inter antecedentia posse numerari, & quo antecedentia non esse locum docuimus. Applicita autem, ut locum & tempus, uoluit Cicero ut inter adiuncta ponerentur. Sed Boëtius ex ijs credidit probabile solum duci argumentum: at ex loco & tempore sæpe necessarium ducitur. Vt, quod non uiolauerit Clodius sacra Bonæ deæ Romæ, cum sacrorum tempore, non Romæ fuerit, sed Interamnæ. Simul hic ex loco & tempore ductum est, & quidem necessarium argumentum. Non potest culpa male consultorum ante Phocense bellum in Demosthenem conferri, nondum enim rempublicam attigerat: ex tempore est. Non possunt sidera ali humore, nullus enim humor eo peruenire potest: ex loco sumitur. Ita ex connexis: non es imperator meus, quoniam non sum miles tuus. Quæ omnia argumenta cohærent recte, & necessario conficiunt. Ergo fortasse iam dicemus ea ex antecedentibus esse ducta: quódque ineptissimum est, cũ locũ ex quo inuenire debeas, cognitum antè esse oporteat, quàm inuenire ex ipso queas, nos contra, cum inuenerimus constituerimusq;, necessarium sit an probabile argumentum, tum demum ex quo ductum sit loco cognoscemus. Adiacentia etiam, actus, & subiecta, itidem in adiunctis esse censebuntur: similiter & contingentia, sex loci in unum, hoc est, quàm ampla facultas in quan-

quantas coacta angustias: Themistius forte hos inter communiter accidentia posuerit: nisi tamen subiecta ad materiam maluerit referre. Ego istos locos exactissime distinguendos arbitror, ausim'que constanter affirmare, nullos omnium crebrius aut expeditius usu uenire. Quod non solum qui poëtas oratorésque reuoluet, uerum esse sciet: sed & qui philosophos eos excutiet, qui intimam & in abdito positam scrutantur rerum naturam, nedum qui mores hominum tractant, quorum omnis circa ista ex professo uersatur labor. Nanque ex eis quæ in substantia sunt, atque ex caussis, ut certissima & indubitata eruuntur argumenta, ita raræ felicitatis est, ut sit eorum nobis copia parata. Cum sint enim arctissime coniuncta rebus, plerunque perinde sunt ac res ipsæ, aut cognita nobis, aut ignorata. Locum quem ex partium enumeratione Cicero, & Themistius ex diuisione uocauit, non putaui ponendum. Nam si partes omnes cum collegero, ad totum deinde progrediar: paries, tectum, fundamenta, quæqúe reliqua sunt, mea sunt, tota ergo domus mea est: apertum est id argumentum è loco qui à partibus dicitur, duci. Sic si dicam, habet iustitiam, fortitudinem, modestiam, prudentiam, ergo omnes uirtutes habet: à specie est. Sin dixero, est uirtus, & non prudentia, iustitia, temperantia, ergo fortitudo: sic etiam, est pars domus, & non tectum, paries, tabulatum, ergo fundamentum: à differentibus ducta erunt hæc argumenta. Cúmque non sit alius diuisionis & partium enumerationis apud autores ullos usus, mihi haudquaquam necessarius uidetur locus, qui ex istis descriptus est: cum proprie & aptissime ad illorum quos dixi locorum naturam accommodentur. Tum locus qui Themistij est de generantibus, ab efficientibus nobis erit: non est enim aliud generare rem, quàm efficere. Corrumpentia uero priuantia sunt: corrũpere nanq; nihil est efficere, sed solum id quod est, ut non sit, eniti. Vsum etiam inter locos posuit, cum recte dicemus à fine: quantum enim ad utentem pertinet, idem est finis rei qui usus. Descriptionem quam inter locos qui in substantia sunt ille numerauit, ego, quia hoc solum definiendi genus relictum nobis puto, à definitione non discreui: quod cum de finitione dicerem, plenius sum prosecutus. Præterea quem locum Cicero à no-

tatione, Themistius ab interpretatione, ego à nomine rei malui dicere. Quoniam (ut docuimus) non solum ex interpretatione argumentum nobis præbet nomen, sed in plures patet usus. Quæ uero similia Cicero, quæqúe Themistius similia itidem dixit, & esse in qualitate & quantitate, & maiora etiam esse & minora, ea comparata dixi: quemadmodum Cicero. Nanque quem locum Cicero similium fecit, is in eum qui est inter comparata à paribus recidit. At quæ nos similia dicimus, Cicero ea non habet, Themistius uocauit à proportione. Quam formam autem dixit Cicero, cum speciem maluisset, nisi quia specierum & speciebus credidit latine non posse dici, cum nunc locum omnes recte an secus speciem appellant. Iam contraria maluissem dicere (ut Cicero) ea quæ opposita uocant omnes, nisi omnes ita uocarent. Casus autem quoniam tenuissimo à coniugatis discrimine secernuntur, estq; similis & rarus proinde usus ipsorum, quoniam Cicero in coniugatis incluserit, ego excludenda non putaui. Transsumptionem, uel (ut nos) translationem, in rei nomine ad quod pertinet, rectius posuisse uidemur, quàm ut proprium illi daremus locum. Ordo quoque non idem est apud Ciceronem locorum, qui apud Themistium: ne ego quidem sum utrumuis horum secutus. Vtqúe paucis rationem ordinis mei reddam, ita iudicaui primum quenque locorum ponendum, ut esset arctissime quisque cum re coniunctus: & proinde ut longius defluxit à substantia rei, posteriorem posui: quô factum est, ut repugnantia ultima fierent, quoniam non modo non arcte cum re cohæreant, sed dissidētia etiam infestaq; tollant ipsam atque subuertant. Quo facilius autem sit omnia uidere, disponam ordine uelut in tabula, Ciceronis, Themistij, nostrosq; locos: eritq; præscriptus omnibus numerus, quem in suo ordine habent: deinde subijcientur alij numeri qui indicent, ad quem cuiusque locum aliorum unumquemlibet conferri oportebit. At si quis apud quempiam sit locus, qui non sit apud alios, numerus proinde in aliorum ordine apud quos non est, non sit ascriptus: si qui loci etiam in plures aliorum conueniant locos, plures numeros subscriptos habebunt.

IN CA-

IN CAPVT XXVIII.

NOs contra cum inuenerimus.) Quemadmodum ridiculum sit, tum demum spelæa ferarum uestigare, simulatque captæ sint feræ: Ita prorsus absurdum, tum uelle diiudicare ecquo loco profectum sit argumentũ, posteaq̃ inueneris. Nam prius certe notũ esse locũ conueniebat, & post deinde argumẽta eruenda. Ac iure desiderari diligentia potest in professoribus quibusdã qui tot seculis iuuentutẽ docuerũt, et infinitas disputationes adeoq; παραδιάτριβας de rebus nihili reliquerunt. Neq; tamen dederunt operam, ut locos qui poterant iuuentutem non rudem fideliter instituere uel patefacerent, uel explicarent, uel denique usum manifestarent. Quantas autem utilitates habeat hæc pars, non possum pro dignitate paucis explicare. Necesse est enim uim horum præceptorum de locis esse maximam, cum non solũ dialectici, sed multo ante Rhetores iudicauerint eos diligentissime inculcãdos esse discentibus. Nam utrique de locis præceperunt. Et fuerunt nonnulli, qui pertinere eos proprie ad Rhetoricam senserunt, quia materiam offerunt dicendi. Hi enim dialecticæ nihil relinquebant, nisi formas connexionum, quibus inuentam materiam includimus, cum de ea iudicaturi sumus, faciebantq; dialecticam non inueniendi, sed iudicandi scientiam. Nos siue ad Rhetoricam proprie pertinere, siue communes utriq; arti esse uelint, existimamus non tantũ in Dialecticis libellis recensendos esse, sed etiam in omnibus parietibus scribendos atque sculpendos esse, ut semper ob oculos uersentur. Nulla enim de re dici, de nullo scripto recte iudicari potest, nisi referat se animus ad hos locos, eosq; tanquam duces sequatur. Ordo quoque non idem.) Tria initio huius capitis sibi proposuit Agricola, ex eis primum fuit locorum numerus, secundum nomina, tertium ordo. De prioribus duobus hactenus, nunc de tertio. Disponam ordine uelut in tabula.) Tota hæc tabula in exemplaribus omnibus habebatur confusissima, nec uno modo deprauata. Non parum multa etiam hinc inde, & superis & inferis oris decurtatis aberant autographo quoq;. Proinde diu multumq; me torseram eliciendo ordine è tabulis impressis. Neque procedebat, neque tamen continuo abijciebam, memor eius quod dici solet: Dies diem docet: &, nihil tam difficile esse, quin quærendo inuestigari possit, ac ne quenquam sua fraudemus laude, non poterat mihi commode restitui, nisi adeò unius Cor. Crôci Aemstelredami, et Ioannis Recklinchusani, uirorum ut in omnibus, ita et in inuentione dialectica exercitatissimorum, adiutus fuissem opera. Nos igitur collatis ac perspiculatis diligenter omnibus, ita disponendam esse censemus.

Loci	Ciceronis	Them.	Nostri		Ciceronis	Themistij	Nost. The. 18
1	totum	1	1. 5	10	adiuncta	15	8. 15. 16
2	partes	7	6	11	antecedentia		
3	notatio	3	19	12	consequentia		
4	coniugata	20.21	7	13	repugnantia		
5	genus	4	2	14	efficiens	8	11
6	forma	6	3	15	effectum		
7	simile		21	16	comparatio	17.18.	15
8	differentia	19	24	17	iudicium	15	21
9	contraria	19	23				20

Loci	Themistij	Cice.	Nostri		Themistij	Ciceronis	Themist. nost.
1	definitio	1	1	12	generatio		9
2	descriptio			13	corruptio	9	23
3	interpretatio	3	19	14	usus		12
4	genus	5	2	15	cōmuniter acci	10	8
5	integrum	1	5	16	iuditium (dēs	17	20
6	species	6	3	17	simile	16	21
7	pars	2.14	6.11	18	proportio	9	23. 24
8	efficiens	2		19	opposita	4	7
9	materia		6	20	casus	4	7
10	finis	2	12	21	coniugata		
11	forma		6	22	diuisio		

Loci	Nostri	Cice.	Them.		Nostri	Ciceronis	Themistij
1	definitio	1	1	13	effecta	15	
2	genus	5	4	14	destinata		
3	species	6	6	15	locus	10	
4	proprium			16	tempus	10	
5	totum	1	5	17	connexa		
6	partes	2	7.9.11	18	contingentia	10	15
7	coniugata	4	20.21	19	nomen rei	3	3
8	adiacentia	10		20	pronunciata	17	16
9	actus			21	comparata	7.16	17
10	subiecta			22	similia		18
11	efficiens	14		23	opposita	9	19
12	finis			24	differentia siue diuersa	8	

Conclusio libri, & de maximis quas singulis locis Boëtius addidit. Cap. XXIX.



Hoc pacto sint loci nobis descripti, & proprietas cuiusque naturaq; explicata: intra quorum complexum quicquid ulla de re dici cogitari'ue potest, uenire mihi uidetur: siue argumentemur, & aperta directa'que fronte certemus: siue turbemus affectibus audientem, & medium inter argumentationem, expositionem'q; cursum quendam sequamur orationis. Quin etiam suos habebit expositio locos, quando probabilius aliud alio atq; uerisimilius exponi certum est, quod nisi locis non fieri (quādo ex ipsis omnis ducitur fides) nemo (quod arbitror equidem) negabit. Est autem (ut initio diximus) necesse, quicquid ad faciendā ulla de re fidem assumitur, aliqua parte ad ipsam pertinere: nec enim ex eo quod nihil attinet, doceri quicquā potest. Quæ attinent autem, aut intra rem sunt omnia, aut extra: unde primam locorum duximus differentiam, ut alios internos, externos alios uocaremus. Et generalia locorum uelut capita sex fecimus. Duo internorum, ea quæ in substantia sunt, & ea quæ circa substantiam sunt. Externorum quatuor, cognata, applicita, accidentia, repugnantia. In substantia septem fecimus, definitionem, genus, speciem, proprium, totum, partes, coniugata. Tres circa substātiam, adiacentia, actus, subiecta. Externos cognatorum quatuor, efficiens, finem, effecta, destinata. Applicitorum tres, locum, tempus, connexa. Quinq; accidentium, contingentia, nomen rei, pronunciata, comparata, similia. Repugnantium duos: opposita, & differentia. Fiunt'q; isti in summa loci uiginti quatuor, è quibus in omnem rem quacunque erutum inuentum'q; ratione ducitur argumentum. Id'q; qua uia, quo'q; modo faciendum, proximo dicetur libro: quoniam iusto maior huius uoluminis modus excreuit: finis'q; sit, si illud addiderimus: Boëtium, qui'q; post eum scripserunt de locis, singulis locis addidisse quandam (ut uulgo loquimur) maximam, id est, pronunciatum quoddam, una sententia multa complexum, cui indubitata sit fides: Vt, de quocunq; definitio dicitur, de eo definitum. De quocunq; species, de eo genus. Quod non faciendū mihi, non ideo, quia id Aristoteles & Cicero non fecissent, putaui: sed quia in nul-

lum id usum fieri arbitrabar. Primum, quod ut possint istę maximæ fingi illis in locis, qui necessarium prębent argumentum: tamen in eis qui probabile faciunt, parum cõueniet, quorum maior sane pars est. Deinde, quòd multi sunt loci, in quibus in nullam certam & satis conuenientem formam concludi hæ maximæ possint. Itaque uideas Boëtium, dum cuilibet loco maximam suam reddere cupit, in angustias quasdam detrudi: ut cum locus latissime sit fusus, maximè in arctũ prorsus agatur. Et ne per omnes locos sequamur, cum de efficientibus dixisset, subiecit maximam: quorum efficientia naturalia sunt, eorum effecta sunt naturalia. Sic de materia, cuius materia deest, & id quod ex ea efficitur deest. Et sic de fine, cuius finis bonus est, ipsum est bonum. Et de forma, tantum quenque agere posse, quantum naturalis forma permiserit. Quasi uero hi loci, quorum amplissimus est ambitus, intra hos conclusi sint terminos, ut pertineant omnia argumenta ex efficientibus ad esse naturale uel non naturale: & ex materia, ad deesse uel suppetere: & ex fine, ad bonum uel malum: & ex forma, ad agere uel non agere. Adde, quod si quis exacte & penitus cognitam habuerit locorum naturam, nihil erunt ei opus hæ maximæ, quoniam ultro fere in animum incurrunt, & apertiores sunt quàm ut sint discendæ. Aut si quis tam prorsus expers ingenij sit, támque à communi sensu rerum abhorrens, ut apertissima illa propemodum per se nota docendus sit, illi ego nihilo magis quæ de locis præcipiuntur profutura crediderim, quàm Cimmerijs (quos perpetua nebularum caligine opertos tradunt poëtæ) ea quæ de positione siderum deq; ipsorum figuris motuq; traduntur.

IN CAPVT XXIX.

SEd *quia in nullum id usum fieri arbitrabar.*) *Additæ sunt locis regulæ à Boëtio, quas uocant Maximas, hoc est sententias quasdam certas, quæ admonent quis sit loci uniuscuiusq; usus. Eamq; ob causam diligenter mandari memoriæ debent:* Cui *definitio conuenit, ei conuenit & definitum, & cui item adimitur definitio, ei adimitur & definitum, & contrà.* Boëtius: *Ideo autem uniuersales & maximæ propositiones loci sunt dictæ, quoniam ipsæ sunt quæ continent cæteras propositiones, & per eas fit consequens & rata conclusio. At sicut locus in se corporis continet quantitatem, ita hæ propositiones quæ sunt maximæ, intra se omnem uim posteriorem atq; ipsius conclusionis consequentiam tenent.* Ex his tamen colligit *concionator, quantam dicendi materiam suppeditet definitio:* Dialecticus *unam modo sententiam adducit, de quo prædicatur definitio, de eodem prædicatur definitum, & contrà.* At

Eccle-

Ecclesiastes circa quenq; locum plurimas inuenit sententias. Hæc Erasmus lib. 2. Ecclesiastæ. Quamuis haud nesciam eruditiorem esse Rodolphum, quàm à cuius sententia, hac utique in re temere sit recedendum, tamen cum hæc non usquequaq; consona esse uideātur ijs, atque adeo distent, κατὰ διάμετρον ὅλην μᾶλλον δὲ ἔτι καὶ τῆς διαμέτρου μειζόνως εἰ οἷόν τε φάναι, quæ alij de hisce maximis sentiāt, & id reprehendat, quod hodie'q; longe decantatißimū est apud oēs Dialecticos, maxime Aristotelicos, cogimur in mediū proferre, ecquid sit in causa, cur hac quidem in parte, cum multis alijs de causis, tum ob hāc præcipue, longe lateq; quidā ab Agricola dissentiant: In omni, inquiunt, argumentatione, duo minimum agantur oportet, nimirum inuenire, & iudicare. Inuenire quidem uolumus, diligenter peruestigantes quæ nostrum confirment atque stabiliant propositum, quæq; subuertant ea, quæ asserta sunt ab aduersario. Hoc sanè non fiet unquàm sine acri subactoq; iudicio. Itaq; loci argumentorum, ad inueniendum quæ pro nobis possumus dicere, ne cadamus causa, traditi sunt: quibus rectè eorum sententia adhibitæ sunt quædam, quas uocant maximas, ad iudicandum recte ne an secus argumentemur. Ex eodem item fonte manasse contendunt accuratius obseruandas inter argumentandum cautiones atq; fallacias. Quod porrò ipse Rodolphus, qui maximas abstulit, ut quum maxime haud potuit dißimulare. Siquidem capite de repugnantibus, cum dicit: In repugnantibus à negatione ad affirmationem procedere necesse esse, & è regione: Itaque hanc argumentationem non esse huius loci: Cui totum dederam, illi negarem partem. Iam uerò quod Rodolphus addat causam, quia id Aristoteles & Cicero non fecissent, id secus haberi uel ipsius Ciceronis testimonio in Topicis conantur asseuerare. Quod in re maiore ualet, ualeat in minore. Contraq;, quod in minore ualet, ualeat in maiore. Quare oportet quasdam figere leges, & quasi limites, atq; compedes, ne nimium inter argumentandum uagentur, ac prorsus Protei in morem in omnem sese faciem uertant, sursum ac deorsum prosilientes. Quorum opinio si cui magis probabitur, liberum ei per me quidem erit sequi quod uelit. Alij in hac sunt opinione, ut putent maximas non necessario quidem esse addendas, commode tamen sicubi uidebitur, eis utendū esse. Tamen in eis qui probabile faciunt.) Forsitan dicat aliquis, Boëtium, cæterosq; recentiores propterea esse hallucinatos in dandis maximis, quoniam putarunt proba, firma, atq; adeo indubitata semper esse debere argumenta omnia, quæcunq; aliquo istorum locorum utcunq; formarentur, cum tamen id solus syllogismus tanquàm peculiare iure suo sibi uendicet: cumq; potius argumenta sint admodum inualida iuxta ac debilia, & magna ex parte duntaxat uerisimilia. Et Aristoteles Dialecticas argumentationes uocat, ut quas non ipsa natura rerum gignit, sed ars, & uafrities ingenij, quæ multa uerisimilia quamcunq; rem defendendam susceperit, colligit, etiam cum desint necessariæ probationes. Qua de re, ut ne plura in præsentia dicenda putemus, illud in causa est, quòd uerear ne & hæc multa nimium uideantur in re perspicua. Sed ignoscere par est, quando indoctis dicuntur hæc. Nec id mihi apud eruditulum lectorem fraudi esse debet, qui quidem rudioribus hac nostra opella consultum cupimus.

FINIS.

RODOLPHI AGRICOLAE PHRISII DE INVENTIONE DIALECTICA, LIBER SECVNDVS, DE locorum usu.

Procœmium, quàm corruptus sit hodie omnis usus dialectices. Cap. I.



RINCIPEM Grecę facundiæ uirum Demosthenem, cum ad bellum cõtra Philippum, Macedonũ regẽ, maiori apparatu atq; cura gerendum, populũ hortaretur Atheniẽsem: doceretq;, quidquid incremẽti, magnitudinisq; Philippi rebus accessisset, nõ tã illius esse uiribus, quàm desidia & inanibus Atheniensium concionibus effectum: in hanc inter cætera locutum esse constat sententiam: solere reliquos homines, cum consuluissent, agere: contrà uero Athenienses, ubi res actas acciperent, tum demum consulere. Quorsum hæc? inquies. Non uideor equidem mihi magis apta propinquaq; imagine, quàm istac ipsa, posse nostrorum temporum dialecticos figurare. Cum sit enim solum istud propriumq; dialectices munus, posse de qualibet re probabiliter, quantum ipsius natura patitur argumentari: quod totum (ut prædixi) duabus comprehensum est partibus: quarum una excogitandi argumenti uiam docet, quam inueniendi uocant, cui parti omnis de locis destinatur disputatio: altera, cum inuentum est argumentum, formam quandam argumentandi, hoc est, certam explorandi argumenti tradit regulam, qua ueluti nummi moneta, probum ne sit an nequam, fallaxq;, dignoscatur: ea dicitur iudicandi pars: cumq; prior illa consilij teneat uicem, & deliberet quid sit de re quaque dicendum: altera quod assumere ad probandam rem placuit, in argumentationem tanquam in expeditionem, & ad conficiendam fidem audienti dedu-

deducat: noster dialecticus contra, cum oblatam temere, & undecunq; dederit casus, effectam iam & formatam habuerit argumentationem, tum si forte addubitet aduersarius, dicatq; uel non cohærere eam, uel res sese non consequi, tum ad id quod consilij erat, post rem factam reuertitur, & inueniendi partem transfert ad iudicandum, conaturq; ostendere, bene se argumentatum esse, quoniam sit argumentum uel à maiori, uel simili, genere specie'ue deductũ. Nec intelligunt doctissimi uiri (sic enim modestissimum mihi est ipsos uocare) nullam argumentationem, quia à specie, uel genere, uel quouis aliorum locorum ducatur, necessario cohęrere: quoniam ex omnibus istis ineptæ & minime cohę: entes duci queant, sed tum demũ cohærere argumentationem, cum est ea rerum inter se conditio, ut possint conijci in syllogismi uel aliam quampiam formã argumentandi probatam, per quam cohærentes inter se res, & necessario connexas esse colligatur. Scio uero quid à nonnullis mihi possit responderi. Minus hanc dialectices iacturam indigne ferendam, in tanta omnium studiorũ colluuie: cum cuncta, uelut feræ caueis effractis, in proximorum ius & fines irruerint, nec quicq̃ ferme discatur hoc tempore suo loco. Sic iurisconsulti, perplexa & inuoluta disputandi pręcepta balbutiunt. Sic medicinæ studia magna ex parte redacta sunt ad superuacuas instituto suo physices quæstiones. Sic physice mathematicas arripuit. Vnde uerbosa illa est de maximo & minimo, & de calculandi (ut aiunt) ratione iactatio. Nam mathematice ipsa, ueluti quæ minime ad inanes faciat contẽtiones circulorũ, neq; clamorũ sit capax, sed puluere & radio contenta, mutã potius oculorum, q̃ loquacẽ aurium sequatur fidẽ, deserta est: & idcirco etiã tanq̃ non accessa prophanis mysteria, minime contaminata. De theologia uero quid dicere oportet? cui si metaphysicen, si physicen, si dialecticen hodie demas: nudã porro & destitutã, & quæ nomen suum tueri nequeat, reddas. Ergo cum docendus erit populus, & ad religionem, iusticiã, continentiã adhortãdus, ex illis artibus inextricabilis aliqua eruitur disputatio, quæ tempus extrahat, & inani strepitu audientium feriat aures. Docent itaq;, quemadmodum pueri solent in ænigmate proponere, quæ ne tum quidem quum docuerint, uel ipsimet qui docent, uel illi qui didicerunt, sciãt. Has ego persępe que

relas audiui grauissimorum, doctissimorumq́; hominum, quos uel grãdior ætas, uel acrior ingenij uis, meliorũ admonebat: qui ferebãt grauiter pulcherrimarum artium ordinem turbari, membra cõfundi. quę uera esse quemadmodũ affirmare non audeã, sic esse falsa uel maxime optauerim. Mihi utiq; committendum non est, ut cum uidear uelle aliorum studiorum crimini culpã dialecticorum cõdonare, prouocem grauiorẽ uiribus meis aduersarium. Quin agi perpulchre mecum putabo, si cum quo contuli pedem, contingat sine periculo mihi luctari. Si quem ergo eorum quos doctores artium uocãt, arripias, rogesq́; dic quęso uir doctissime de dialectice (quando illam uel solam, uel maxime omnium artium, quas uos numeratis liberales, uideris prę te ferre) cui usui discendã putas? Cum enim de genere non sit principum artium, & quæ idcirco tantum sunt discendæ ut sciantur, necesse est ut ministerio & usibus aliarum sit addicta. Istam uero miseram & cauillosam loquendi solicitudinem, quam tu doces, certum est, non modo reliquis artibus discẽdis non prodesse, sed etiam obesse plurimum. Primum, quòd disputandi morem ad illas tuas leges exigenti, non loquendum modo solicite, sed plane est obmutescendum. Deinde, quòd omnis artium usus, omnis loquendi ratio, plerisq; illorum quæ doces repugnat. Postremo, q cum semel fuerit extenuatus ad ista, & cõfractus auditoris animus, nunquam deinde tollere se, & sicut pes spinis confixus, nullum libere uestigium ponere audebit. Hoc ergo pacto si quem interroges, dicat fortasse: ut pleraq; quæ in ipsa dialectice pręcipiuntur, uel non prosint ad percipiendas reliquas artes, uel ita pręcipiantur, ut non prosint: hoc tamen iuuãt, quod agitatione quadã & uersatione mentem exacuant, & flexibilem prębeãt, quo facilius reliquis se posit accõmodare. Alius qui liberius uolet uerum fateri, dicet, præterquam quæ de syllogismis præcipiuntur, cætera non magni sane momenti esse: sed ideo docere illa quenq;, quia quisq; didicerit, & quia doceant omnes. Sic fit, ut dux illa directrixq́; omniũ artium dialectice, uelut latissima possessione exclusa, soli sibi discatur: & ne sibi quidem (si uerum dicere libeat) quandoquidem si eo modo disceretur, non sibi, sed omnibus ipsam studijs prodesse oportebat. Sed de illa parte quæ ad iudicandum pertinet, post Aristotelem plena

sunt

ſunt omnia, quæ longe minus negocij habet, cum certis quibuſdam neq; illis ita difficilibus numeroſiſq; legibus conſtet. Inueniendi ra tionem, poſt Boëtium, qui legi ſit dignus, nemo (quod equidem ſciam) tradidit literis. Priores illo (qui in manibus ſunt) Quintilianus, & ante eum Cicero, princepsq; omnium Ariſtoteles, hanc rem complexi ſunt. Sed illi omnes locorum explicuere naturam uarie, & ſuo quiſq; modo. Quod autem maximum in re quaq; eſt, rationem tractandi ipſos, unus Quintilianus conatus eſt explicare: & oſtendere, quomodo inueniendum ſit ex ipſis. Et quemadmodum in re militari ſolet, non ſatis putauit arma dare, ſed docendum quoque credidit, quomodo ipſis eſſet utendum, & militem in procinctum aciemq; ducēdum. Nunc autem quotuſquiſq; Quintilianum attingit eorum, qui philoſophiæ ſibi nomen aſſerunt? Deinde, quæ tradita ſunt ab illo, quoniam ad ciuiles quæſtiones aſtricta ſunt, non facile poteſt ea quiſquam inde ſibi diuellere, rebusq; ſuis in diuerſo quæſtionum genere aptare. Iam ſi quis eſt altius iſta ſcrutatus, quiq; oēs iuſtæ eruditionis numeros impleuerit, (ut ſunt pleriq; hodie do cti diſertiq; uiri) ille ſibi ferè iſta muſisq; (ut dicitur) diſcit: prophanum certe uulgus quàm longiſſime à ſacrario ſuo putat arcendum.

Fuit patrum noſtrorum memoria Raimundus quidam, cognomento Lullus, Hiſpanus, uel (quod proximum eſt) Balearis: qui artem quandam, quam ex nomine illius Lulli uocant, extulit: acuti quod equidem non negauerim & non ſegnis ingenij indicium: ſed quoniam (quod ultro quoque ſtudioſi ipſius ſolent eius nomine gloriari) non literas ſciebat, non ullam aliam dignam docti uiri nomine perceperat doctrinam: & hoc ipſum quod inuenerat, quale eſſet perſpicere: & ſi forte perſpexit, eloquendo aperire, & ut perſpexiſſe uideretur, conſequi nequibat. Obſcuritas ergo ingens eſt in diſcendo & horror incultus, qui etiam eos qui didicerint ubique ſequitur, niſi alioqui eruditione ipſum ingenijq; bonitate uincant. Co piam ſanè, cuius ſola eſt ipſis cura, ſuppeditat, ſed talem, qualis in omnibus rebus eſſe ſolet, eorum, qui numerant, nō iudicant. Quod autem non eſt difficile uidere, loci ſunt nonnulli ex his, quos tradidimus, uerum non ſatis diligenter expliciti, quibus omnis artis eius materia continetur. Vſus deinde illorum tam perplexe obſcureq;

traditus, ut hæc ars, quæ reliquis aperiendis parata debebat esse, maioribus quàm ulla circumfusa tenebris sit, penitioribusq́ latebris eruenda: ut ausim contendere, nisi quis maiori mentis ui superet difficultates, non modo non iuuari ab ipsa, sed etiam ingenij aciem (nisi sit acerrima) retundi. Donandus tamen sic quoq; uir ille ingenij præstantis testimonio, nec merita honestissimi propositi laude fraudandus: qui cum plurimum studijs conferre cuperet, contulit certe quod potuit, quodq́; recte factis satis est. Si quid animo suo parum responderit, uoluntatem quidem laudes, ignoscas ingenio. Nobis uero statutum est, quando superiore libro locorum proprietatem & differentiam enarrauimus pro uiribus, nunc quis sit usus ipsorũ, & quomodo disserendi paranda facultas ex ipsis, quàm maxime possumus sub oculos ponere: & protrahere in medium, quæcunq; utilia instituto nostro arbitramur: quæ uel legendo, uel obseruando, uel undecunq; eruendo potuimus afferre: continget'q; mihi, si minus iuuare studia, at certe (quod magis cupio) doctiorum ingenia curamq́;, ad tradenda rectius ista permouere: securusq́; huius operæ meæ, æquo ipsam animo perdam: dũmodo prodesse, quod mea conor, uberius aliena consequar industria. Optanda enim est iactura, quæcunq; lucro maiore pensatur.

IN PROOEMIVM SIVE CAPVT PRIMVM.



RINCIPEM *Græcæ facundiæ uirum Demosthenem.) Erasmus Rot. lib. Ecclesiast. 2. Nec illa displicet exordiendi ratio, quam uidemus & oratoribus ethnicis usurpatam, ut ab insigni quapiam historia, nec inamœna sumentes initium, auditorem ipsa alacritate reddamus attentum, imò ad id quod acturi sumus sit accommoda. Sic enim M. Tullius secundum lib. de inuentione rhetorica exorsus est, cognitu iucundam ac festiuam historiã fusius ac uerbis amœnis prænarrans de pictore Zeuside, quam mox eleganter applicat ad suum negocium. Hæc ille. Habet autem hoc ferè perpetuum Rodolphus, ut initijs locum aliquem tractet quàm maxime plausibilem & amœnum, quo lectorem uoluptate alliciat, atq; inuitet ad cætera libentius legenda. Solenneq́; illi est: posteaquàm euasisse iam salsis è uadis, & scopulos præteruecta uidetur oratio, ποτίμῳ λόγῳ οἷον ἁλμυρὰν ἀκοὴν ἀποκλύσασθαι. Id est, sermonem uelut insuauem marinumq́; fluuiali abluere sermone. Illud haud scio an sit annotandum, Rodolphũ Agricolam cum aliâs sæpe, tum hoc loco (nisi me fallit nasus) Quintiliani phrasim expreßisse. Videatur hoc inepte à me dictum, nec habeant item pondus quæ dico, nisi id ita haberi*

uel ipsius

uel ipsius Quintiliani uerbis clarissime doceri potest. Porrò locus ad quem hic allusum est, inuenitur apud Quintilianū lib. 12. cap. 2. quo in loco uerba illius sic habent: Siquidem & Periclem Anaxagoræ physici constat auditorem fuisse, & Demosthenem principem omniū Græciæ oratorū dedisse operam Platoni. Vide Demosthenem in prima aduersus Philippum oratione, & T. Liuium in 4. Decad. Athenienses, inquit, interim uerbis & cōcionibus bellum gerebant cum Philippo. Contrà uerò Athenienses.) Accōmodata est usus similitudine. Quemadmodum enim ridicule agebant Athenienses, ut qui tum demum consulerēt, ubi res actas accepissent: ita etiam merito ridendi sunt ij, qui prius argumentationem formant, & uelut in expeditionem educunt, quàm probe teneāt, quonam ex loco quicquid id sit argumentationis, depromptum est. Siquidem contrario ordine (nisi uelimus Andabatarum more pugnare) prius inueniendum est argumētum, pòst deinde formandum, ac uelut in aciē producendum. Plato lib. de rep. 3. An non isti artifices, & iniusti idem faciunt, quod solent cursores quidam, qui bene quidem currunt ab inferiore loco, à superiore uerò nequaquā. Primum quidem celeriter prosiliunt, cæterum in fine cursus ridiculi, atq; auriculas in humeris habentes, incoronati semet abripiunt. Hactenus Plato. Qua similitudine quid aliud admonet, quàm instituendo studio non tam celeritatem, quàm curam adhibendam esse, ne postea sit in mora, quod in studij ingressu fuerit erratum. Neue usu ueniat, quod prouerbio dicitur: Qui nimium properat, serius absoluit. Obnoxij sunt Prouerbio, qui dum compendij gratia dialectica inuentione præterita, protinus ad κριτικὴν, hoc est, iudicandi studium insiliunt, ac dum stulte captant compendium, in maximum incidunt dispendium. Fit enim ut hi dum repente dialectici student euadere, nunquam dialectices scientiam assequantur, cumq; se iam ad metam peruenisse credunt, denuo sit ad carceres redeundum, denuoq; à linea, quemadmodum Græci aiūt, exordiēdum. Plato in Litigioso: Sed uelut in labyrinthū delapsi dum prope finem esse iam sperabamus, retrogradi rursus ad principium reuertebamur, eodem modo affecti, quo in quæstionis initio fueramus. Huc pertinet & illud quod est apud Plutarchum in præceptis connubialibus: Athenienses nunquam de pace consultabant, nisi pullati, quemadmodum dicebat Demades. Vide prouerbium: Atheniensium consulta temeritas. Vbi res actas acciperent, tum demum consulere.) Prouerbio: Machinas post bellum adferre. Non uideor equidem magis apta propinquaq; imagine) Cicero pro Cn. Plancio: Non possum magis pedem conferre (ut aiunt) aut propius accedere. Eandem imaginem schemate prouerbiali minus quidem modulato, minusq; rotundo, sed tamen (quisquis tandem is fuerit) apposito expreßit ad hunc modum: Αἴξ οὔπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ἐπὶ δώματα παίζει, id est, nondum enim capra, at iā ludit in ædibus hœdus. Quod non inepte in eos quadrabit, qui postrema, perfectaq; iā aggrediuntur, præteritis ijs quæ præceßisse oportuit. Aut qui gloriātur iā assecutos sese, cuius ne fundamenta quidem sunt iacta. Aut qui rem agunt præpostere, prius est enim peperisse, quàm ut hœdus ludat in tectis. Ad eandem pertinet sententiam quod Agathon Tragicus apud Athenæum: τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα, τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα, Id est, Quod obiter faciundum erat, ei principalem operam impēdimus: quod principalis est operæ, id obiter curamus. Nostrorum temporum Dialecticos.) Stomachatur hoc loco nōnihil Agricola in pseudodialecticos, fortasse liberius aliquanto, q̄ ut quorundam aures ferre possent, uerū non omnino abs re. Cæterū hoc excusatus fuerit Rodol. quod non incessat artiū professionē, sed demiratur in tali professione reperiri, qui suæ professioni tam non respondeant, ut necdum quam personam teneant, aut quid profiteantur, intelligere

potuerint

potuerunt. Tantùmq; absint à perfectione summorum studiorum, ut fundamenta quæ cogitant nondum iecerint. Cum istud solum proprium.) Nihil mirum quosdam hoc nescire, illud mirum magis, inueniri tam impudentes, qui quod prorsus non intelligunt, tanta cum autoritate doceant. Iam uero quorsum attinet hic commemorare quid somnient recentiores Dialectici quidam, nimirum hoc impudentiores, quo indoctiores, quos inuitus tanquam uulnera attingo, sed nisi tacta tractataq; sanari non possunt: Nec enim reflorescent uera studia, nisi Dialecticorum impuras & indoctas nugas prorsum deputemus. Sed quò me recipit sermonis calor? Non mihi tempero, quin effundam quicquid est in animo, bene consule quod iustißimum animi dolorem in tuum sinum effuderim. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ.

An nequam.) De uoce nequam Aulus Gellius lib. 7. cap. 11. Plautus in Asinaria: Quasi piscis itidem amator lenæ: Nequam est nisi recens. Idem: Neq; dependes neq; propẽdes quin malus nequam sis. Nec intelligunt doctiß.) Dictu mirum quo artificio Rodolphus sermonem suum ubiq; moderetur. Et haud scio, an potuit paucis plura planè proloqui, uere tamẽ, nec minus item modeste, ut merito dicamus illud ex Homero Iliad. 13. οὐδέ τι τοῦ σκόπου ἥμβροτε, & illud eiusdem: ναὶ δὴ ταῦτά γε πάντα γέρον κατὰ μοῖραν ἔειπες. Nec quicquam ferme discitur hoc tempore suo loco.) Galenus de differentia pulsuũ libro secundo: ὅστις δὲ ἀκριβῶς τούτοις ἐπιστῆναι βούλεται, γεγυμνάσθαι πρότερον χρὴ περὶ τὰς κατηγορίας, τὸ κατὰ τὸ Ἀρκεσιλάου καλόν, ὡς οὐδεὶς πόκον εἰς γναφεῖον φέρει· τάξις γάρ ἐστιν ὥσπερ ἐρίων ἐργασίας οὕτω καὶ μαθημάτων διδασκαλίας, Id est, Quod si quis hæc exacte uelit assequi, prius exercitatum esse oportuit circa prædicamenta. Nam scitum est quod dixit Arcesilâus: Nemo defert lanam in officinam fullonis. Quemadmodum enim est ordo in operandis lanis: ita est & in disciplinis. Refert hunc inter Academicos Laërtius, qui solitus sit non ferre eos qui liberales disciplinas non suo tempore attingerent, ut si quis uelit discere poëticen aut rhetoricen ignarus grammatices. Georgius Trapezuntius in præfatione quinti rhetoricorum. Philippus Melanchthon in sermone de corrigendis adulescentiæ studijs. Et in declamatione de arte dicendi.

Disputandi præcepta balbutiunt.) Quæ D. Nicolaus, Euerhardus Middelburgẽsis Hollandiæ præses lib. de locis legalibus. Claudius Cantiuncula, Ioãnes Oldendorpius, Apellus, & Christophorus Hegendorphinus tanquã τὴν αὐγείου βουστασίαν repurgantes, si non omnia, at certe bonam partem pro uiribus conati sunt remouere. Sic physice.) ἐπαγωγὴ Socratica est. Ad superuacuas instituto suo physices quæstiões.) Recte uero notat & illos, quibus illud semper in ore uersatur: ubi physicus desinit, ibi medicus incipit. Neq; ab hoc genere abhorret, etiam philosophiam à ueteribus simpliciter traditam, postea ambitione mutatã, à posterioribus ab imo corruptã, admixtis ineptis hyperbolis, & multiplici sophistica, planeq; degenerasse philosophos, perinde ut Homerus inqt, homines degenerasse: παῦροι γὰρ παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται. Nam & mathematice ipsa.) Porrò illud quàm est festiue argutum? De theologia uerò quid dicere oportet.) Vberius ista commonstrat D. Erasmus in methodo studij theologici & in lib. de ratione cõcionandi. Quid quod plerique theologi hodieq; maxime neoterici inepte commiscent spiritualem doctrinam, seu eam partem, quæ est euangelij propria, cum ciuilibus disputationibus. Inexplicabilis, aliqua.) Quod genus est: An deus creare poßit hominem ἀναμάρτητον, id est, impeccabilem, & alia sexcenta ijs multo absurdiora quæ in scholasticis παραδιατριβαῖς ad manum sunt, & (ut inquit Hesiodus) cumulo liceat accipere. Quæ tempus extrahat.) De hoc uerbo lege Cardinalem Hadrianum de sermone Latino. Notat eos qui in sophisticis tricis, & illiteratis literis

ne dicam somnijs tam anxie distorquentur, nõ solum nullo fructu, sed magno temporis dispendio, ut ne quid addam grauius, tametsi iam hoc ipsum ut nihil accedat, grauißimũ. Has ego persæpe querelas.) Quæ (opinor) abunde satisfacient, qui sibi fieri satis ullo modo patientur. Cæterum qui sibi obturant aures ne cognoscant, qui occludunt oculos, ne cernant, frustra canitur hæc fabula. In quos non male quadrabit illud Esaiæ 59. Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absq; oculis attractauimus, impegimus meridie. Membra confundi.) Non alio modo ac inquit Plautus Caßi.

Ibo inquit, intrò, ut quod alius condiuit coquus,
Ego uicißim alio nunc pacto condiam.
Quicquid paratum est, ut paratum ne siet.
Sitq; ei paratum, quod paratum non erat. Idem Mostella.
Quæ uitia corporis fuco occultant,
Vbi sese sudor cum unguentis consociauit,
Ilico itidem olent, quasi cum unà multa iura confundit coquus,
Quod oleas nescias, nisi id unum male olere intelligas.

Confundere autem non idem significat quod pudefacere, uel incutere pudorem, ut male quibusdam persuasum est, sed commiscere, & nonnunquam perturbare aut consternare. Liuius: Confusam eam ex recenti morsu animi cum pater forte uidisset. Val. Max. lib. 3. Cum tristẽ sedentem uidisset, interrogauit quid ita tantam in uultu confusionem gereret. Dic quæso uir doctißime cui usui descendam putas?) Eras. li. 2. de ratione cõcionandi in fine. Quas uos numeratis liberales.) Seneca in libello de artibus liberalibus: Studia liberalia hactenus utilia sunt, si præparent ingenium, non detineãt. Et paulò pòst: Quare ergo liberalibus studijs filios erudimus? non quia uirtutẽ dare possunt, sed quia animum ad accipiendam uirtutẽ præparant, neq; perducunt ad uirtutẽ animum, sed expediunt. Necesse ut ministerio & usibus aliarum sit addicta.) Cicero de Seruio Sulpitio ad Brutũ: Sic Brute existimo Iuris ciuilis magnum usum, & apud Scæuolam, & apud multos fuisse, artem in hoc uno Sulpitio, quod nunquã effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rẽ uniuersam tribuere in partes, latentẽ explicare definiendo, obscurã explanare interpretãdo, ambiguã primũ uidere, deinde distinguere, postremo habere regulã qua uera & falsa iudicarentur, & quæ quibus propositis essent quæq; nõ essent consequentia: dialecticã mihi uideris dicere inquit Brutus, respõdit Cicero: Recte inquã intelligis. Istã uero miserã & cauillosam.) Sed hæc de sophistice uetus est querela, quam hic nouare non est huius instituti, præsertim hisce temporibus, quibus adeo pudendis argutijs paßim summus habetur honos, ut syncera quoq; dialectice cõtemnatur à quibusdam. Mirum esset profecto huc usq; prouectas sophistarum ineptias: nisi hæc esset omnibus in rebus malorũ conditio, ut paucißimis orta initijs primum: deinde cuncta uenerint ad nimium. Plato in Gorgia. Gellius lib. 10. cap. 22. Laërtius in uita Theodori. Idẽ in uita Chrysippi. Seneca epistola 49. Idẽ epistola 50. 88. 106. 111. & 117. D. Martinus Dorpius in oratione in prælectionem D. Pauli. Ioannes Viues Valentinus in pseudodialecticos. Philip Melanch. in epitome philosophiæ moralis. Et ipsa cõsuetudo sophistices multis modis pernitiosa est, corrumpit iudicia, abducit animos ab amore & studio proprietatis & simplicis ueritatis: assuefacit ingenia, ut ament monstruosas opiniones, ut non explicare res, sed inuoluere studeant. At in Aristotele methodus gubernat disputationem, & quasi intra metas coercet, ne à demonstrationibus & à recta uia deerretur, quare

eruit ueras sententias, easq; ordine & proprie explicat. Proinde & propter ueras sententias, & propter methodi exemplum Peripatetica sunt utiliora. Tertullianus de praescriptionibus haereticorũ: Et quod proxime Valentinus proposuit, Vnde Deus? Scilicet & de enthymesi, & ectromate sequitur Aristotelem, qui illis dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi, uersipellem, in sententijs coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariã, contentione molestam, etiam sibiipsi omnia tractantem, ne quid omnino tractauerit. Hinc illae fabulae & genealogiae indeterminabiles, & quaestiones infructuosae, & sermones serpentes uelut cancer: à quibus nos Apostolus refrenans, nominatim philosophiam & inanẽ seductionem contestatus, caueri oportere, scribens ad Colossenses: Videte nequis sit circumueniẽs uos per philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, praeter prouidentiam spiritus sancti. Fuerat Athenis, & istam sapientiam humanam, adfectatricẽ & interpolatricem ueritatis, de congressibus nouerat: ipsam quoq; in suas haereses multipartitam uarietatis sectarum inuicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hierosolymis? quid Academiae & ecclesiae? quid haereticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Solomonis est: qui & ipse tradiderat dominum in simplicitate esse quaerendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & dialecticũ Christianismo praetulerunt. Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium. Gregorius Nazianzenus de modestia in disceptationibus obseruanda: Alius autem paruus est intellectu & pauper lingua, sermonũq; uersutias ignorat, ac captiones sapientium & aenigmata, nec non Pyrrhonis instãtias ac prohibitiones, uel oppositiones, syllogismorumue Chrysippi resolutiones, seu ex Aristotelis artibus artes malas, aut Platonicae facundiae incantamenta quae male in ecclesiam irrupere nostram, non secus ac flagella quaedam Aegyptiaca. Hieronymus in Nahum cap. 3. Omnia haereticorum dogmata fidem sibi & requiem inter Aristotelis & Chrysippi spineta reponunt. Inde Eunomius profert: Quod natum est, non fuit antequàm nasceretur &c. Hieronymus super illo Psal. Et cyniphes in omnibus finibus eorum. In equite, inquit, Dialecticae artis stimulus intelligitur, quae licet paruum habere uideatur seductionis aculeum, grauißime tamẽ sauciat mentes humanas. Hieronymus aduersus Luciferianos: Arij haeresis magis cum seculi sapientia facit, & argumentationum riuos de Aristotelis fontibus mutuatur. Haec ille. Quemadmodum ignaui cibiq; auidi canes, domi ferarum pelles mordent ac uillos uellunt, feras ipsas in uenatu non attingunt: sic quidam dialectici Aristotelici praepostere studiosi de sophisticis nugis agunt, caput disciplinae non attingunt. Vt Bonoso cornua oneri sunt tantum, nulli autem usui, adeo sunt in se reflexa: Ita sophistae dialecticen habẽt, sed qua neminem reuincere possunt, adeo est intorta. Vt cibi male olentes non uidentur male olere his qui ederint: Ita spurcae sophistarum literae cum alios melioribus imbutos literis uehementer offendant ac nauseam moueant, eos qui nugas istiusmodi imbiberunt nihil offendunt, imò bellae uidentur & elegantes. Vt panthera bene olet, sed non nisi bestijs quas ad se trahit, hominibus non item olet: Ita sophismata bonis ingenijs grauia sunt, stupidis istis & bardis quouis aromate gratiora. Intelligit ergo Rodolphus sophisticam dialecticam, insynceram, garrulam & prope dixerim Parisiensem, quae nihil nisi res futiles, nihili argutias, technasq; pertrectat, de qua hac tempestate tot ad nos librorum plaustra perferuntur, quot ne Ptolemei bibliotheca facile capiat, quanquam ne Chrysippus quidem ipse quamlibet acer sophista intelligat. Olim & Romanorum quidam philosophos Graecos urbe pepulere, quod curiosis disciplinis auerterent iuuentutem ad ocium & ignauiam, redderentq; ad disserendum quidem instructos

structos

structos, ad gerẽda uero reipub. munia inutiles. Quid illi dixissent si sophistarum gryphos, si nominalium & realium frigidißimas argutias audissent? Loquendi sollicitudinem.) Cicero Rhetoricorum secundo: Dialectici dum & caute & expedite loqui uolunt, infantißimi reperiuntur: Ita dum metuunt in dicendo nequid ut ambiguum dicant, nomen suum pronunciare non possunt. Sed plane est obmutescendum.) Quintil. lib. 12. cap. 2. Itaq; reperias quosdam in disputando mire callidos, cum ab illa uero cauillatione discesserint, non magis sufficere in aliquo grauiore actu, quàm parua quædam animalia, quæ in angustijs mobilia, campo deprehenduntur. Cum semel fuerit extenuatus ad ista.) Taxat perplexas sophistarum argutias, ac syllogismorum inexplicabiles labyrinthos. Philippus Melanchthon primo Rhetoricorum libro: Nec erudiuntur utiliter qui hodie in philosophia argutias tantum paucul as aliquot opinionum sic discunt, ut à præceptoribus utcunque exceperint, quas in scholis iactent, cæterum si quæras quid sit id de quo loquuntur, lapidi uerba facies. Quo fit ut nullo deinde iudicio sublimia studia inuadant, & eius contenti autoritate factionis, nihil ultra conentur, nec tam habeatur ratio ueri, quàm uulgaris consensus. Atq; ita me Deus amet, aliquot milia errorum docemur, è quibus si ad ipsa rerum capita redeamus, facile expediri liceat. Ne aduersarium grauiorem.) Hoc est quod prouerbiali schemate iactitatum est: μὴ πρὸς λέοντα δορκὰς ἅψω μάχης, Id est, ne cum leone caprea pugnam sumpsero. Et confractus auditoris animus.) Quemadmodum qui diu in uinculis fuerunt, cum soluuntur, tamen claudicant adhuc nec ingredi possunt: Ita diu sophisticis nugamentis assueti, etiam cum ea deserunt, quædam retinent uestigia. Et sicut pes spinis confixus.) Quemadmodum qui per spinosa ingrediuntur loca, suspensis pedibus eant necesse est: Ita ij de rebus friuolis, & molestis semper obstrepentes, si quando cogantur, breuiter transiliunt ad uberiora gratioráque studia. Hoc tamen iuuant quod agitatione quadam & uersatione mentem exacuant.) Dicit quod hodie longe decantatißimum est apud omnes dialecticos, maxime Aristotelicos. Plato Parmenidem in hæc uerba loquentem inducit: Antequam exercitatus sis ô Socrates, definire aggrederis, quid pulchrum, iustum, bonum: cæterum collige teipsum, diligentius'que te dum iuuenis es in ea facultate exerce, quæ inutilis esse uidetur, & à multis nugatio siue garrulitas nuncupatur: alioqui ueritas te fugiet. Et paulo pòst: Ignorant multi quod absque hoc dialectico discursu ac peruagatione per omnia impoßibile est mentis ueritati coniunctæ compotem fieri.

Has ego persæpe querelas.) Non libet in præsentia refricare querelam illam non omnino nouam, sed heu nimium iustam, & haud scio an unquam iustiorem, quàm hisce temporibus, cum tam ardentibus animis etiamnum in hæc incumbant studia quidam. Hanc unam inuentionem dialecticam à nonnullis etiam dialecticis rideri, à plerisque negligi, à paucis tractari, sed frigide, non enim dicam insyncere. Præterquam quæ de syllogismis præcipiuntur.) Hæc uerba quæ hic leguntur, abunde efficax telum arbitror, ad fundendas uniuersas sophistarum phalanges. Quod si nobis placeret hæc grauißimi philosophi sententia, nimirum bona pars scholasticæ palestræ, maxime Sorbonicæ haberetur superuacanea, & qui ad sacræ doctrinæ cognitionem enituntur, maxima parte subleuarentur. Seneca epistola quadragesimanona ubi agit de dialecticorum argutijs quas abunde satis existimat leuiter attigisse: Nec ego inquit, nego prospicienda, sed prospicienda tantum & à limine salutanda. D. Augustinus libro secundo de doctrina Christiana capite tricesimoprimo, uehementer probat si quis connexionum rationes teneat, modo absit pecu-

liaris huic arti morbus, pertinax contentio, ac libido rixandi. Non tamen omnis omnium dialecticorum labor in formandis syllogismis pugnacibus, aut nectendis compendiosis enthymematis insumitur. Verum bona atq; adeo potißima pars cognitioni datur, quæ ut est utilis, ita à præposteris nostri seculi dialecticis aut negligitur, aut (quod negari non potest) frigidißime tractatur. Quia quisq; didicerit.) Non horum studium damnat, qui in argutijs huiusmodi pro tempore non sine laude exercuerint ingenij sui uires, sed quod existimet, & uere quidem existimet, puram ac germanam illam dialecticen, non aliunde facilius hauriri quàm ex inueniendi ratione. Et quia doceant omnes.) Quemadmodum Anacharsis dixit Athenięses ad nihil aliud uti nummis nisi ad numerandum: Ita quidam docent quæstiunculas & sophismata tantum, ut ostentent, ac in his nos consenescimus, proinde tales euadimus ipsi, quales sunt ij in quorum nugamentis aßidue uersamur. Vt dux illa directrixq; omnium artium Dialectice.) Hæc aut non legunt quidam, aut plus suo tribuűt iuditio quàm maximorum autorum, qui pro suo quisq; iure impensißime commendant Dialecticen, quorum sunt Plato in Phædro. Cicero ad M. Brutum de oratore, à medio ferè eius uoluminis. Quintilianus lib. 12. cap. 2. Cicero in calce libri 3. de finibus bonorum & malorum. D. Augustinus lib. contra Cresconium Grammaticum primi cap. 13. & 14. cæterisq; proxime cohærentibus. Idem contra eundem lib. 2. cap. 2. Idem lib. 2. de doctrina Christiana cap. 31. Cicero in Bruto: Eram cum Stoico Diodoro, qui quũ habitauisset apud me, mecumq; uixisset, nuper est domi meæ mortuus, à quo cum alijs rebus, tum studiosißime in dialectica exercebar, quæ quasi contracta quædam & constricta eloquentia putanda est. Sine qua etiã tu Brute iudicauisti te illam iustam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam putant, consequi non posse. Augustin. lib. 3. contra Academicos cap. 17. Plato uir sapientiß. & eruditiß. temporũ suorum, qui & ita loquutus est, ut quæcunq; diceret, magna fierent, & ea loquutus est, ut quomodocunq; diceret, parua non fierent, dicitur post mortẽ Socratis magistri sui, quẽ singulariter dilexerat, à Pythagoricis etiã multa didicisse. Pythagoras autẽ Græca philosophia nõ contentus: quæ tunc aut penè nulla erat, aut certe occultißima: postq̃ cõmotus Pherecydæ cuiusdam Syri disputationib. animũ esse immortalẽ credidit, multos sapiẽtes etiã longè lateq; peregrinatus audierat. Igitur Plato adijciens lepôri, subtilitatiq; Socraticæ, quã in moralib. habuit, naturaliũ diuinarũq; rerum peritiã, quã ab eis, quos memoraui, diligẽter acceperat: subiungẽsq; quasi formatricẽ illarũ partiũ iudicẽ Dialecticã, quæ aut ipsa esset, aut sine qua sapiẽtia omnino esse nõ posset, perfectã dicitur philosophiæ cõposuisse disciplinã. Infra huius lib. ca. 6. Aristot. itaq; dialecticen tribus his utilẽ putauit, quæ sequuntur. Et eodẽ lib. cap. 7. circa mediũ. Augustin. de cognitione ueræ uitæ ca. 3. Dialectica nãq; dißerẽdis potẽs, potenter quæq; dubia diffiniens, cunctas scripturas euibrans, & euiscerans, cunctam humanam sapientiam annihilans &c. Augustinus aduersus Felicianum hæreticum Arianum contendens ita dialectica arte eum conclusit, ut hæreticus nõ ualens ferre locorum ac syllogismorum implicitas atq; implicantes connexiones, publica uoce exclamarit dicens: Aristotelica mecũ subtilitate contendis, & omnia quæ à me dicuntur, torrẽtis more præcipitas. Augusti. de Ciui. Dei lib. 18. de Iuliano Augusto apostata: An ipse nõ est ecclesiam psequutus, q Christianos liberales artes docere aut discere uetuit? Elegãter Plato dialecticã scripto reliquit oculos humanos in Barbaricũ cœnũ infossos sensim attollere, & abstergere, ut in iudicãdo acutius uideãt, equidẽ ita anteponit oĩbus artib. alijs Plato hãc, ut alias neget res intueri ipsas, sed somniare de rebus, hanc unã dicat uidere (ut ipsius uerbo utamur) τὸ ὕπαρ. Nam hæc una id, quod in

quæ-

quaq; re certißimum est, demonstrat, & nos tanquam in rem præsentem ducit. Lege Platonem in Dialogo 7. de repub. Iam uerò cum nulla controuersia sit, quæ non sit conferta argumentis, quid intelligent hi, qui non norunt argumenta iusto ordine connectere, aut uidere quo modo singula membra cohæreant? Mihi quidem tanquam cæca nocte nauigantes, nullam certam sententiam isti tenere posse uidentur, qui ad lectionem cuiuscunq; scripti hoc instrumentum non afferunt. Eras lib. Eccles. 2. Sed has disciplinas Ecclesiasten didicisse oportet, non discere, & didicisse potius quàm perdidicisse: ne quod multis euenit, indies magis ac magis adlubescente studio, illic uelut ad Sirenum scopulos consenescat. Primæ adolescentiæ congruunt hæc studia, quanquam ut magni interim refert quàm sobrie tradantur, ita plurimum interest qualis sit exercitatio. Neq; enim parum officiunt puerorum ingenijs, qui Dialecticen reliquasq; philosophiæ disciplinas tradunt, non perinde spectantes ad discipulorum utilitatem, quàm ad propriæ eruditionis ostentationem, tum eos magis exercent ad palestram quàm ad bellum. itaq; dum teneros animos torquent difficultatibus & gryphis non necessarijs, triplici illos afficiunt incommodo. Primum ingenia ingeniosiora frequenter deterrent ab his disciplinis, deinde frustra conterunt ætatem, ut optimam, ita fugacißimam, quum interim licuisset alia quædam utilia cognitu discere. Postremo efficiunt, ut quum ad seria uentum fuerit, inepti uerius quàm instructi uideantur, quemadmodũ uix alij sunt ad uerum prælium ineptiores, quàm qui per omnem uitam artem dimicandi gladijs didicerunt ac docuerunt. In ludo norunt sagittam in se missam ense dissecare, priusquam eò, quò missa est perueniat. At in bello qui parat mittere, non præmonet illum quem petiturus est, nec ibi seruantur ludi gladiatorij leges. Profuerit tamen has disciplinas à primis statim annis sobrie didicisse, & exercitationem adhibuisse ad eam functionem, ad quam destinatus est adolescens. Neque enim in eadem licet disciplina, eodem modo exercendus est, qui destinatus est agendis causis forensibus, aut obeundis principum legationibus, & qui præparatur sacris concionibus. Quemadmodũ in dialectica aliter exercendus est qui scholæ educatur, aliter qui theologiæ. His porrò disciplinis sobrie traditis & apposite exercitatis, paratur quædam ingenij dexteritas, tum ad recte iudicandum, tum ad commode disserendum. Hæc ille: Sunt qui fastidiunt omnia dialectica, tanquam argutias futiles, leues ac frigidas. A quibus ut uehementer dissentio, cum palã sit his egregie instructos ueteres ad unum omnes fuisse, cum constet Christum dialectice usum & Paulum. Item cum uideam absq; his plerosq; sensus in arcanis literis, aut absurdos esse aut pernitiosos: Ita non possum non improbare quorundã inepta sophismata. Post Boëtium.) Themistius nobis intercidit. Hoc seculo complures non infeliciter hanc iudicandi partem conscripsere, quorum est Georgius Trapezontius, & huius scholiastes Ioannes Nouiomagus, Philippus Melanchthon in tribus rhetorices libris, & quatuor dialectices, Bartholomeus Latomus Arlunensis, Ioãnes Cæsarius, Christophorus Hegendorphinus.

Vnus Quintilia.) Libri 5. cap. 10. Ille sibi ferè ista musisq; (ut dicitur) discit.) D. Hieronymus in præfatione in librum Paralipomenon: Mihimetipsi, & musis iuxta Ismeniam canens, si aures surdæ sunt cæterorum. Historiæ meminit Valerius Max. libro rerum memorabilium 3. cap. 7. Fuit patrum nostrorum memoria.) Dicitur memoria nostra, & memoria patrum nostrorum. Cæsar: Hic pagus cum unus causa domo exisset, patrum nostrorum memoria L. Crassum consulem interfecerat, pro intra memoria. Raimundus quidã cognomento Lullus, Hispanus, uel (quod proximum est) Balearis.) Lucanus lib. 1. Et torto Balearis uerbere fundæ Otior, & missa Parthi post terga sagitta. Carolus Bouillus in quadam ad

Remundum Boucherium epistola Raimundi uitam depingit. Remundus, inquit, cognomine Lullus, natione Maioricensis. Est enim Maiorica Hispaniæ insula, cum apud Maioricarum regem gerebat magistratum, quem uulgo seneschallum appellant &c. Non literas sciebat.) Lege quam modo citauimus epistolam. Copiam sane cuius sola est ipsis cura.) Quintilianus lib. 2. cap. 13. Propter hoc quoque interdum uidentur indocti copiam habere maiorem, quod dicunt omnia. Doctis est & electio & modus. Eloquendo aperire.) Qui uero elegan ter loqui nescit, & cogitationes suas literis mandat, in theologia præsertim, circa quam Lullij industria desudat, impudentissimus est, et si id consulto facere se ait, insanissimus. Lege adagium: Illotis manibus. Obscuritas ergo ingens est in discendo.) Eam (si dijs placet) Henricus Agrippa bene prolixis in artem breuem Lullij commentarijs luculenter nobis explicabit. Et horror incultus.) Quod genus est, ut ex innumeris unum aut alterum proferamus. Homo est ens cui proprie competit hominificare. Imaginatio est id cui proprie competit imaginificare. Cum quærimus quoties modorum, quot ubi locorum, quotennis annorum, differentiabile, differentiare, temporificatiuum, notionabilia, bonibilia. Atque huius elegantiæ totus est sermo reliquus & artis breuis & longorum commentariorum infans, incompositus, insulsus, diffluens, sordidissimis uerborum portentis scatens. Quorum uel recordatio nauseam moueat generosis animis ac bene natis ingenijs. Lulliana copia prima fronte magna quædam & admiranda profitetur, sed si penetres altius (ut absit inuidia dicto) plane carbones pro thesauro reperias. Diuersa est dialecticæ inuentionis natura, longe plus habet in recessu, quàm fronte præ se ferat, & quo penitius fueris ingressus, hoc splendidiores ostendit opes. Loci sunt nonnulli ex his quos tradidimus.) Ad hæc omnia plenius intelligenda plurimum adiumenti attulerit Isagoge Raimundi in Rhetoricen, & alia item Isagoge in artem breuem.

Qui numerant non iudicant.) Cic. lib. de Orat. 2. Equidem cum colligo argumenta causarum, non tam mea numerare soleo quàm expendere. Plinius iunior: Sed hoc pluribus, inquit, uisum est, numerantur enim sententiæ non ponderantur. Hierony. in epist. ad Domitionem: Non considerat quid dicat, sed quantum dicat. Quintilia. lib. 8. cap. 5. Non potest esse delectus ubi numero laboratur. Voluntatem quidem laudes.) Nam iuxta poëtam, in magnis & uoluisse sat est. Ouidius: Vt desint uires, tamen est laudanda uoluntas. At certe.) Hoc loco, at, saltem uidetur significare. Ouid. 1. de Ponto: Et mala Nasonem quoniam meruisse uidetur, Si non ferre doles, at meruisse dole. Optanda est iactura.) Clausula est.

Quid sit dialectice. Cap. II.


STatutum est igitur nobis hoc libro usum tradere locorum, hoc est, (ut idem apertioribus dicamus uerbis) explicare, quo pacto paranda sit disserendi facultas illa, quam dialecticen uocant. Id commodissime facturi uidemur, si ostenderimus, quæ sit materia eius, quod instrumentum, quis rerum tractatus. Materiam dico rem, de qua disserimus. Instrumentum, orationem, qua, quod dictum esse ea de re uolumus, explicamus. Tractatum, quomodo hæc paranda sint, & quæ cuique rei aptanda. Hæc quo facilius sit uidere, optimum

mum fuerit initio definire, quid sit dialectice, & cui usui (hic enim finis eius erit) destinata sit. Et nomen quidem dialectices nonnulli Latine tentantes dicere, disserturam, uel disputaturam, quemadmodum & grammaticen literaturam dixere. Verum quando & illa asperiora sunt, atq; usu minus recepta, & Greco perinde sunt usi plerique Latini tanquam suum esset, nos etiam Græco melius utemur.

Dialecticen quidam ex artium genere uoluerunt esse, quidam facultatem quandam uocauere. Verum utro dicatur modo, non est quod in præsentia ualde nos solicitos habeat. Artem esse communis accepit opinio, & artem disserendi uulgo dicimus, hocq; nomine æditi de ea inscribuntur libri. Eritq; nimirum indignum, artium eam excludere numero, quæ reliquarum dux sit & stabilitrix artium, & sine cuius præsidio tueri fines suos reliquæ non satis commode possint. Quod si ars est (ut quidam definiuere) collectio multarum de una re comprehensionum, ad finem aliquem utilem uitæ. Vel (ut alij) recta ratio rerum faciendarum: nemo ipsam dubitauerit artem uocare: nam & multas comprehensiones colligit, quo pacto inueniendum sit argumentum, & quomodo iudicandum ubi inueneris: & faciendorum istorum rectam tradit eatenus rationem, quatenus faciendi uerbum potest istis aptari. Vtilemq; esse certum est, si falli, decipi, uera pro falsis, falsa pro ueris accipi, inutile putamus. Fallit tamen nonnunquam dialecticus, & pro ueris falsa tradit. Euenit id quidem, sed & nauem gubernator euertit, & medicus aliquando perimit. Hominum sunt ista, non artium. Atque uel eo magis fatendum erit, utilem esse dialecticen, cum et qui oratione seducunt, astu id persæpe, nulla etiam instructi arte faciant: & qui fallitur, si artem calleret, uel nequaquam id, uel minus utiq; pateretur. Sane sicut reliquæ artes, quæ remedio sunt inuentæ humanis necessitatibus, non potuerunt succurrere incommodis, nisi prius ea detegerent: sic dialectice, cum magna ex parte in eo sit posita, quo pacto laqueos captionum, fraudumq; in dicendo uitemus, necesse habuit aperire insidias, & ostendere quàm uarie quis capi posset. Quæ si quis inde deprompta, utenda sibi putauit: non artis hæc est culpa, uitare fugienda monstrantis: sed improbitatis, sectari uitanda cupientis. Aperienda enim sunt, ut caueantur mala: & nemo artifex tan-

tum

tum remedia nouit. Relictum ergo nobis sit, artem esse dialecticen.

Artium autem aliæ ad naturas rerum cognoscendas, aliæ ad uitam hominum emendandam, aliæ ad orationis dicendiq́; regulam pertinent: huiusq́; generis dialecticen esse apparet. Orationem omnem initio diximus in id paratam esse, ut animi sui participem quisque faceret alium. Tria ergo constat in omni oratione esse oportere, eum qui dicit, eum qui audit, & rem de qua habetur oratio: tresq́; proinde in dicendo obseruationes, ut percipi possit, quid sibi uelit qui dicit: ut cupide audiat, cui dicitur: ut probabile sit, habeaturq́; fides ei, quod dicitur. Primum grammatice docet, quæ emendate & aperte loquendi uiam tradit. Proximum rhetorice, quæ ornatum orationis cultumq́; & omnes capiendarum aurium illecebras inuenit. Quod reliquum igitur est, uidebitur sibi dialectice uendicare, probabiliter dicere de qualibet re, quæ deducitur in orationem. Itaque quæcunque ad inuentionem pertinebunt, huius (si uerum fateri uolumus) erunt negotij. Quoniam autem pleraq; sibi rhetores de inuentione, & plura etiam quàm quisquam dialecticorum dicenda sumpserunt, quale id sit dicemus pòst paulum. Id nunc dicamus; quia uolumus dialectices esse, posse de quolibet dicere probabiliter: probabile in disserendo non solum id esse, quod reuera probabile est, hoc est, quemadmodum Aristoteles inquit, quod uel omnibus uidetur, uel plurimis, uel sapientibus, hisq́; uel omnibus, uel plurimis, uel spectatis probatisq́;. Vt sit exempli gratia quod omnibus uidetur, religiose colendum esse deum, exhibendam pietatem parentibus. Quod plurimis, parandas opes, honores expetendos esse. Quod sapientibus omnibus, meliorem esse opibus eruditionem. Quod plurimis, uirtutem maxime expetendam esse. Quod spectatis, ut quòd Plato dixit, quod Aristoteles, quod Theophrastus. Sed quoniam consulto nonnunquam talia ad dicendum sumuntur, ut difficile sit huiusmodi quicquam eis accommodari: in his igitur abunde nobis erit probabile, quod apte consentaneeq́; de re proposita dicetur: quemadmodum multa de rebus quæ prorsus fieri non possunt, dicuntur: qualia de commentis fabularum suarum poetæ, qualia etiam apud nos Apuleius duodecim libris de Metamorphosi sua, & apud Græcos Lucianus libris eis quos ueræ historiæ inscri-

inſcribit, quibus ea ſumpturum ſe dicit, quæ neque ipſe, neque quiſquam alius uidit, neque quiſquam ſit crediturus. Non quòd neſciam, poſſe etiam reuera probabiliter de re eiuſmodi dici, quæ non ſolum à fide rerum, ſed facultate etiam abhorreat: ut Lucianus idem, poſſint ne homines in aues mutari: & apud Macrobium, fuerit ne prius ouum an gallina: quorum utrumuis ſumas, incredibile uidetur: de utroque credibiliter tamen diſſeritur. Nam bonum & malum idem eſſe, quod Heracletus, quod'q; poſt eum alij: et nihil ſciri poſſe, quod noua Academia dixit: permulta'que alia eiuſdem notæ, non ſolum qui credibiliter dicerent, ſed maximos autores qui crederent iſta habuerunt. * Probabile ergo dialectices erit & probabiliter dicere, quod pro conditione rei propoſitæ, quàmaptiſſime ad fidem dicetur. Erit ergo nobis hoc pacto definita dialectice, ars probabiliter de qualibet re propoſita diſſerendi, prout cuiuſque natura capax eſſe fidei poterit.

*ordo inuerſus, uide annotationes.

IN CAPVT II.

Optimum fuerit initio definire quid ſit Dialectice.) Primi lib. cap. 5. Rodolphus docuit quo nam pacto colligendæ eſſent definitiones, & quæ præcepta tum tradidit atque præſcripſit, eis ipſe nunc utitur. *Diſſerturam.)* Nam dicta eſt dialectice ἀπὸ τοῦ διαλέγομαι, id eſt, diſſero: nempe quòd ipſa unumquodq; thema propoſitum exacte tractare doceat, atq; probabiliter de qualibet re, prout cuiuſq; natura capax eſſe poßit, edißerat. Martianus Capella: *At prius illud compertum uolo, mihi Romanos togatamq; gentem uocabulum nondum nouare potuiſſe, ac Dialecticen ſicut Athenis ſum ſolita nuncupari, meiq; prorſus iuris eſſe, quicquid artes cæteræ proloquuntur. Nam neq; ipſam quam aures ueſtræ probauere grammaticam, neq; alteram opimiori præcluem facultate, uel illam formarum diuerſo radio ac puluere luminantem ſine meis poſſe rationibus explicari quis dubitet?* *Et Græco perinde.)* Vide finem cap. 11. lib. 1. de Copia. *Vel diſputaturam.)* Auguſt. lib. de ordine: *Illo, inquit, modo perfecta diſpoſitaq; Grammatica, admonita eſt ratio quærere hãc ipſam uim quæ inuenerat artem. Nam definiendo, diſtribuendo, colligendo, non ſolum digeſſerat Grammaticam atq; ordinauerat, uerum etiam ab omni falſitatis irreptione defenderat. Quando ergo ratio, ad alia fabricanda tranſiret, niſi ſua ipſius prius machinamenta diſtingueret, notaret, dirigeret, proderetq; ipſam diſciplinam diſciplinarum, quam Dialecticam uocant? Hæc docet docere, hæc docet diſcere. In hac ſeipſam ratio ſibi demonſtrat, quæ ſcit, quid uelit, quid ualeat. Scit autem ſcire, uult ſola ſcientes facere: nec ſolum uult, ſed etiam poteſt.* Quintil lib. 12 cap. 2. Orat. Inſtit. *Pars hæc, inquit, Dialectica, ſiue illam dicere malimus diſputatricem, utilis eſt ſæpe & finitionibus, et comprehenſionibus, & ſeparandis, quæ ſunt differentia, & reſoluenda ambiguitate, & diſtinguendo, diuidendo, illiciendo, implicando.* *Quòd ſi eſt ars.)* Ariſtoteles artem tribuit mechanicis, ſcientiam ſpeculabilibus, prudentiam practicæ materiæ, ut uocant. *Vtilemq; eſſe certum eſt.)* Complectitur hinc inde

repugnantia, atq; ex his directe probat, quomodo docuit lib. 1. cap. de differentibus. Vt, si lucrum est habere, damnum est perdere: si utile est poßidere, inutile est amittere: sic & hic colligit, decipi est inutile, & pernitiosum, itaq; utilis est ars ea quæ docet cauere ne fallamur: id autem dialectica præstat, est igitur utilis. Fallit tamen nonnunquam dialecticus, & pro ueris falsa tradit.) Maligne de dialectica iudicare uidentur, qui ob hoc damnandam putant, quòd ingenia mala prauaq; hac abuti possunt: eodem calculo artes omnes damnabimus, in eodem cum dialectica sunt crimine, omnes enim ut usu prosunt, ita obsunt abusu. Arma & gladios nemo contingat. Alexander amicos, Romulus fratrem, Clitemnestra maritum, Oedipus patrem ferro occidit. Corporis robur quàm multis attulit exitium. Formosa facies magnum libidinis irritamentũ: precemur ut in simias transformemur, & in scarabeos. Sed & nauem gubernator euertit.) Seneca epist. 67. Quintil. lib. 2. cap. 17. D. Aur. August. lib. 1. contra Cresconium Grammaticum cap. 1. Idem in ipso statim exordio libri 4. de doctrina Christiana. Theodoritus Cyrenensis episcopus lib. 12. in calce. Ouid. 2. tristium: Et latro & cautus præcingitur ense uiator, Ille sed insidias, hic sibi portat opem. Discitur innocuas ut agat facundia causas. Protegit hæc sontes, immeritosq; premit. Gelasius Rhetor: ἡ τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ δογμάτων δύναμις τοῖς μὲν ἐπιεικέσιν ἀρετῆς ὅπλον τοῖς δὲ μοχθηροτέροις κέντρον κακίας γίνεται, id est, Doctrinæ eius quam philosophia suppeditat uis, bonis quidem ad uirtutem arma ministret: uerum flagitiosis, ad malitiæ exercitium stimulos relinquit. Sic quis ignoret non ex se, sed ex hominum uitio, posse proferri colligiq; multa confeßionis mala, quæ per occasionem tanti boni nascuntur. August. lib. 1. contra Cresconium Grammat. cap. 1. Neque propterea pro patria non est miles amandus, quia contra patriam nonnulli arma sumpserunt. Aut ideo uti non debent boni, doctiq; medici ferramentis medicinalibus ad salutem, quia his ad pernitiem etiam indocti peßimiq; abutuntur. Quis enim nescit, sicut utilia uel inutilia fuerint ea, quæ quæruntur: Ita eloquentiam, hoc est, peritiam facultatemq; dicendi sic esse utilem uel inutilem, ut fuerint utilia uel inutilia, quæ dicuntur? Plutarchus de audiendis poëtis: Si multi inebrientur uino, non ob id incidendæ uites: ita ut fecit Lycurgus, sed propius admouendi fontes: Ita si multi abutuntur poëtica, non protinus abijcienda, sed adhibenda cautio, ut fiat salutaris. Hominum sunt ista, non artium.) Augustin. lib. 2. de doctrina Christ. cap. 36. Sunt etiam quædam præcepta uberioris disputationis, quæ iam eloquentia nominantur: quæ nihilominus uera sunt quamuis eis poßint falsa persuaderi. Sed quia & uera esse possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed ea male utẽtium peruersitas. Cic. lib. 2. ad Heren. Vitiosum est artem, aut scientiã, aut studium quodpiã uituperare, propter eorum uitam qui in eo studiosi sunt: ueluti qui rhetoricam uituperant, propter alicuius oratoris uituperandam uitam. Cum & qui orationem seducunt.) Cicero: Quid est tam inhumanum, quàm eloquentiam à natura ad salutem hominum & ad conseruationem datam, ad bonorum pestem perniciemq; conuertere? Idem lib. 1. epist. ad Q. Fratrem: Multis enim simulationum inuolucris tegitur, & quasi uelis quibusdam obtenditur uniuscuiusq; natura, frons, oculi, uultus persæpe mentiuntur, oratio sæpißime. Titus Liuius lib. 4. de bello Maced. & Asiatico: Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quàm remedia eorum: sic & cupiditates prius natæ sunt, quàm leges, quæ ijs modum facerent. D. Hieron. in epist. ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hieroso. Et tamen antequam uultum draconis euoluam, & dogma Origenis de resurrectione breuiter exponam (non enim poteris uim scire antidoti, nisi uenena perspexeris) illud diligenter obserua. Quintil. Iniquorum ratio noscenda est, ut melius æqua tueamur.

mur. Ioan. Campanus in oratione de ingratitudine fugienda: Sunt itaq; uitia omnia atq; flagitia, non committenda illa quidem, cæterum nequaquam ignoranda, ut uel si qua insunt nobis à natura, deponere industria, atq; abijcere ualeamus: uel fugere si occurrant, atq; euitare. Artium autem aliæ ad naturas rerum cognoscendas.) Eadem est diuisio apud Senecam lib. epist. 14. epistola 90. & lib. 13. epistol. epistola 89. Quatuor ait esse Posidonius artium genera: Sunt uulgares & sordidæ, sunt ludicræ, sunt pueriles, sunt liberales. Artes liberales hinc dicuntur, quod ijs ingenui incumberent, utpote quibus & ocium & res suppetebat. August. lib. de doctrina Christ. 2. cap. 30. Rodol. in oratione dicta in studiorum ad hyemem innouatione non ita procul à medio. Vt percipi posit, ut cupide audiat, ut probabile sit.) Cice. in part. orat. de principijs: Sumuntur autem trium rerum gratia, ut amice, ut intelligenter, ut attente audiamur. D. August. lib. 4. de doctrina Christ. cap. 1. Et isti uera sic narrant, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere postremo non libeat. Prout cuiusque natura.) Non raro occurrunt res, id quod uel ipse Rodolphus proximo testatur capite, de quibus parum apposite iuxtaq; consentanee dicere posis. In his si pro rei natura quàm possumus apertissime ad fidem dixerimus, officio fungemur dialectici. Probabile in disserendo.) Cicero lib. de inuentione 1. Probabile autem est id, quod ferè fieri solet, aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se ad hoc quandam similitudinem, siue id falsum est, siue uerum. Si mater est, diligit filium. Si auarus, negligit iusiurandum. In opinione: Impijs apud superos pœnæ sunt paratæ. Vt Lucianus idem posint ne.) Dialogus hic unde id testimonij desumptum est, inter supposititia Platonis opera connumeratur, ubi sic habet: Scribo igitur de ijs, quæ neque ipse uidi, nec mihi acciderunt, nec ab alijs audiui. Præterea uero quæ nec omnino sunt, neque à principio fieri potuerunt. Quare etiam illud oportet, ut si quis forte in hæc incidat, nequaquam in eis fidem habeat. Plautus ψευδόλῳ: Sed quasi poëta fabulas cum cœpit sibi, Quærit quod nusquam gentium, reperit tamen, facit illud Verisimile quod mendacium est. Vide posteriorem Copiæ commentarium cap. de fictis narrationibus.

Quod Heracletus.) Is dicebat eandem esse rationem boni & mali. Autor Aristotel. primo naturalis auscultationis. Quod noua academia.) Plato in Menone. Au. Gellius in noctibus Atticis lib. 11. cap. quinto. Lege quæ annotauimus in primi libri, caput item primum.

Probabile ergo dialectices erit, & probabiliter.) Qua causa, quoue casu acciderit equidem nescio, illud scio, hic non posse non inuersum esse ordinem. Itaq; sic legendum puto: Probabiliter ergo dicere dialectices erit, & probabile quod pro conditione &c. Quàm aptissime ad fidem.) Eras. lib. 1. Ecclesiastæ: Rhetores negant quenquam bene dicere, nisi dicat apte, etiamsi alioqui dicat ornate, copiose, & splendide, & artis præceptiones iubent prudentiæ cedere, quam illi diuidunt in iudicium & consilium, quæ præceptis tradi non possunt, sed ex oratoris petuntur ingenio, & è negocij circunstantijs sumuntur, & quæ sequuntur.

Quis sit finis dialectices. Cap. III.



Hinc iam haud difficile fuerit uidere, quis sit dialectices finis, ad quem sint illi cuncta referenda. Si enim fines sunt artium, opus cuius gratia discuntur: ut quæ contemplationis causa discuntur, earum finis sit contemplatio: quæ propter formandam uitam, probitas:

quæ propter aliam aliquam actionem, hanc ipsam actionem cui destinantur finem habent: erit nimirum dialectices finis, probabiliter de re proposita dicere: quãdo huic soli rei est instituta. Id scilicet est quod initio dixi, docere aliquid eum qui audit. Neq; istud tamen sic accipiendum est, ut quisquis aliqua ratione docet, dialectices munire fungatur. Nam & grammaticus, qui fabulam poëtæ explicat, qui historiam recenset, qui uerba interpretatur, docet: sic etiam qui interroganti, est uel non est, respondet, docet: nihil tamen uterq; horum agit, quod ad dialecticum pertinet. Quoniam enim satis habet ab eo qui audit intelligi, quod ut prędiximus, aperte emendateq; loquendi præceptis constat: potest grammatices finibus, quæ ista docet, esse contentus. Sed qui ita docet, ut fidem fecisse oratione uelit, & dicendo auditoris ad se trahere mentem, quatenus id facit, dialectici negotium agit. Oratione autem istud & dicendo fieri uelim, nam qui stulta auditoris credulitate abutitur (ut sunt plerique, qui non dictioni credunt, sed dicenti, quanquam dicat incredibilia, quanquam repugnantia) hic non magis dialectici præstare officium uidebitur, quàm imperatoris ille, cui non sua uirtus, sed hostium metus uictoriam tradit. Quod dicimus autem, aperte dicendi rationem ad grammaticum pertinere, illud non erit ignorandum nobis, perspicuitatem orationis uerbis constare & rebus. Verbis, ut non sint uel improprietate, uel uetustate, uel nouitate obscura: (quãquam nouandis uerbis apud Latinos nullus fere relictus sit locus) ne'ue contra naturam suam perplexius constructa. Hęc quidem perspicuitatis pars ad grammaticum pertinet. At perspicuitas quæ in figuris ornatu'q; uerborum est posita, ea rhetorices præceptis constat. Rerum autem perspicuitas, partim in natura illarum, partim in tractatu consistit. In natura, quoniam aliæ natura obscuriores sunt, aliæ apertiores, & cognitioni nostræ magis expositæ. Ea ad dicendi rationem non pertinet, quoniam cum rebus ipsis in orationem qualiscunque est affertur. Alia est, quam ordine disponendis'q; consequimur rebus: quoniam ut aliquid ante postea'ue dictum est, ita plus minus'ue intelligendo alteri confert. Hæc ex dialectici est institutis, quoniam non modo percipiendis rebus ordo plurimum præbet adiumenti, sed nonnunq̃ etiam fides earum magna ex parte huic ipsi est innixa.

Quem-

Quemadmodum enim nemo pictorem quempiam, aut fictorem consummatum dixerit, qui omnia quidem seorsum membra exacte exprimeret, iungere autem ea nesciret, & in eam habitudinem componere, ut motus aut actus alicuius quam uellet imaginem imitarentur: sic ne dialectici quidem nomen sibi uendicabit: qui omnia faciendæ fidei inuenire sciat: sed disponere, & in ordinē redigere, ut fidem cui destinantur facere possint, nesciat. Hic itaque finis erit dialectices, docere pro facultate rei de qua disseritur, id est, inuenire quæ fidei faciendæ sint apta, & inuenta disponere, atque ut ad docendum quàm accommodatissima sint ordinare. Iudicandi enim partem, hoc ipso quod faciendæ fidei apta inuenire debere præscribo, comprehensam in præsentia uelim. Nanque perinde uidetur, non inuenire, & inuenire eiusmodi, quæ iudicentur instituto nostro apta non esse.

IN CAPVT III.

VT fidem fecisse oratione uelit, & dicendo auditoris.) D. Augustin. lib. 4. *de doctrina Christiana cap. 15. Oportet igitur eloquentem ecclesiasticum, quando suadet aliquid quod agendum est, non solum docere ut instruat, & delectare ut teneat, uerum etiam flectere ut uincat.* *Oratione autem istud & dicendo fieri uelim.)* Lege *lib.* huius *cap. 17. in ipsa statim fronte.* *Vt quisquis aliqua ratione docet.)* Ludouicus Viues *lib. 2. de ratione dicendi: Docere non simpliciter sumitur, nam interdum est patefacere ac ostendere, aliàs argumentis probare & planum facere.* *Vt non sint uel improprietate.)* Aliquot *discrimina uerborum enumerat* Erasmus 1. *de Copia cap. 11.* *Hoc ipso quod faciendæ fidei apta.)* Fabius *libro 5. ca. 5. Ego porro ne inuenisse eum credo qui nō iudicauit. Nec enim contraria, communia, stulta inuenisse dicitur quisq;, sed non uitasse.* *Qui stulta auditoris credulitate.)* Quintil. *lib. 10. cap. 7. Qui stultis eruditi uideri uolunt, stulti eruditis uidentur.* *Qui non dictioni credunt sed dicenti.)* *Vide adagium:* Ipse dixit. *Perspicuitatem orationis uerbis constare.)* Quintilia. *lib. 10. cap. 11. & lib. 8. cap. 2. Idē lib. 2. cap. 5. Nam & prima est eloquentiæ uirtus perspicuitas.* Aphthonius *in progymnasmatis de narratione.* *Verbis, ut non sint uel.)* Erasmus Roterod. *in priore* Copiæ *comment. cap. 11.* *Quoniam non modo percipiendis rebus ordo.)* *Infra lib. 3. cap. 8. Lege libri 3. cap. 13. sub calcem.* *Quemadmodum enim nemo pictorem.)* *Allusit (opinor) ad similitudinem, quæ est apud* F. Quintilianum *in proœmio lib. 7. Huius & hoc esse posit exemplum, quod* Georgius Trapezontius *lib. Rheto. 5. cap. de formis elocutionis, scriptum reliquit.*

Quod mouēdi ratio, à docendo inuētione nō differat. Cap. IIII.



Ed quia inuentionem, docendi subiecimus officio, uideatur autem suam etiam habere inuentionem qui mouet & qui delectat, quæ distincta à ratione docendi autores fece-

 res fece-

res fecerunt, non immerito uidebimur angustiorib. terminis quàm fert natura inuentionis, hanc partem terminasse. De hoc quoniam exactius initio dicturũ me sum pollicitus, hic locus uidet aptissimus huic rei explicãdæ. Definienda ergo erũt ista, & ostendendũ quid sint, quo facilius queãt distingui. Docere ergo est rẽ ex ignota facere notiorem. Mouendi quidem generale est nomẽ, & quod late patet: sed in præsentia tantum ad mentem referimus: ut sit mouere, pacatam tranquillamq; mentem, affectibus perturbare. Delectare est tale aliquid adhibere, cuius sensu atq; perceptione, is qui accipit, gaudet. Vel, est aliquid facere, quod sit sensui eius qui id percipit, accommodatum. Istaq; uel rebus fiunt uel oratione. Nam & re docemur, quoties rei alicuius experimentum sumimus, uel præeuntem aliquem præmonstrantemq; sequimur: ut pictor qui ostendit quomodo ductis lineis, uel tumens uel cauum aliquid exprimatur, quis color umbram reddat, quis lumen: quomodo subsistentes res & uisui sese longinquitate substrahentes, in plano sint imitandæ: hic rebus docet. Possunt & hæc eadem oratione fieri, ut non monstrentur, sed tradantur uerbis. Erudite itaque Plutarchus inquit, poëma picturam loquentem esse, picturam esse tacens poëma: illud significans, docere ambas, & persæpe res easdem: sed alteram loqui, id quod altera ostendat. Sic & affectus, rebus & oratione mouentur; multo autem maxime rebus. Neque enim crediderit quisquam, tam paratas fuisse Po. Rom. lachrymas, ut qualibuscunq; epilogorum Ciceronis uerbis, in fletum prorumperet (quanquam sint illa quidem ingeniosissime & aptissime ad commiserationem composita) nisi tamen insignium reorum ante oculos posita calamitate, & actione flebilibusq; modis quibusdam, & ante omnia manantibus ubertim lachrymis Ciceronis ista cõmendarentur. Delectari nos rebus simul & uerbis, notius est, quàm ut indicari oporteat. Nobis autem de his rebus tantum est ratio, quatenus fiunt oratione: hacq; uia (quod ad inuentionem pertinet) minime uidentur à docendi ratione esse discreta. Sane Aristoteles ait, cum commouere quis audientem uelit, superuacuam esse argumentationem. Id quod haud dubie ita est, si accipimus argumentationem, quo puram nullisq; corruptam affectibus fidem conamur facere.

Tenet

Tenet enim argumentatio intentam, & uelut expergefactam mentē, ut nullus facile subrepere & auferre ipsam possit affectus. Quin etiam tenue illud & sedatum argumentandi genus, turbulentæ affectuum agitationi minime conuenit: non quod eadem res & ad docendum & ad mouendū apta esse non possit: sed quia argumentandi illa quies, rapiendo extra sedes suas animo accommodata non est. Ad hæc, si capimus argumentationem, ut id ostendat & colligat, cuius mentione uolumus commouere auditorem, certum est affectibus eam non conuenire. Nemo enim sperauerit quenquam ea in re commoueri posse, de qua, sit ne ita, nec'ne, prorsus addubitet. Quod si omne id uocemus argumentationem, quo dubia, incertaq́ colligimus, non modo opus ea esse ad affectus euocandos crediderim, sed crebriorem etiam densioremq́ esse oportere. Viribus enim opus est, & rapienda mens, auferēdusq́ ipse sibi animus, & uelut extra se ponendus. Imitantur hoc in eloquendo autores: ut si minus sint ipsis plura quæ dicant, idem tamen, mutatis subinde uerbis, uelut plura [illegible]erant. Quid aliud Virgilius expressit, cum dicit apud eum Dido. Per ego has lachrymas, dextram'que tuam te, Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos. Idem erant dextra & connubium & Hymenæi: non enim aliud quàm fidem coniugij his tribus significat: repetendo tamen alijs uerbis, tanquam plura inculcauit. Sed adhiberi motibus argumentationem facile sciet, si quis poëtas omnis generis, qui δραματικόν aliquid, hoc est, qui actum, personasq́ habent, uersauerit. Tum uero præcipue poterit ostendere tragœdia, apud quam ex professo omnia ardent affectibus. Sed & historici & oratores etiam quatenus res permisit, hac laude ingenij poëtis non cessere. Cicero ut omnibus eloquentiæ partibus, omnibus alijs fuit superior: ita hac parte ipse sibi comparatus uidetur supra cæteras laudes suas eminere. Ne ergo uerbis colligamus, quod apud illum exemplo demonstrare in promptu est, ab eo potius huius rei fides nobis petatur. Longum est per omnes ire affectus, commiserationem uideamus. Vna enim est omnium in cōmune natura: & quod in hac ostenderimus, facile liquebit in reliquis. Duo sint oportet in misericordia mouenda, acerbus alicuius casus, & eum qui perferat, indignum illo uideri.

Quid ergo? non omnibus commiserationibus Cicero, uel utraque hæc, uel si alterum apertum putat, alterum multis argumentis prosequitur? Pro Milone, Clodij primum inuidiam è tota uita illius, omnibus factis eruit. Sed omittamus hanc, atq; quæramus id quod sumpsimus. Quo magis potuit ostendere indignum exilio Milonem, quàm quod fortissimus uir erat: atq; præsentis periculi metu, non animum, non uultum, non orationem mutabat? Ergo subijcit iam formatam, & expressam argumentationem à minori deductam. Si enim gladiatorem miseret eo magis, quo minus sunt supplices, quanto rectius fortissimus uir contumax periculorum nos mouebit? Profert enim se primum affectus, utq; animus dicentis, ita etiam pacatior adhuc est oratio. Deinde datis Miloni uerbis, liberius erumpit: Valeant (inquit) ualeant ciues mei. An non Milo hoc erga Populum Rom. animo, quem ista uerba præferunt, indignissimus tali casu uidebitur? Iam reliqua plenis (quod aiunt) uelis: O frustra (inquit) suscepti mei labores, ô spes fallaces: merita habent Milonis erga omnes ordines. Deinde priuatum beneficium Ciceroni in reditu illius uelut populi uoluntate datum. Post hæc egregia est omnium ordinum de Milone opinio. Iam animus illius omnia ex uirtute æstimantis: quod recte factorum præmium sint ipsa recte facta. Iam gloriæ amplitudo: De me (inquit) semper Populus Romanus, semper omnes gentes loquentur. Quid his omnibus agitur, nisi ut ostendatur indignissimum esse Milonem eo casu, quem intentent aduersarij? Adeo, ut si quis conijcere in syllogismos ista uelit, & disputantium more colligere, nihil expeditius aut facilius fieri possit. Pro eo q̃d reliquũ erat, ut ostenderet grauissimum esse hunc Milonis casum, orator tractandorum animorum artifex peritissimus, transfert in se hanc calamitatem: proq; Milonis persona, suam, hoc est, amici, qua nihil fauorabilius esse potest, substituit: ut lachrymæ eius querelæq;, non iam Milonis uicem, sed suam dolentis deflentisq; fortunam, iustissime fluere uideantur. Quid ergo potuit grauius contingere Ciceroni, quàm eo se priuari amico, pro cuius salute suam ipse paratus sit dependere: cupiatq; mori, priusquam tantum mali uideat? eo amico, cui cum sint omnia à se officia amicitiæ tributa, in irritum sint omnia præsenti

casu

casu recasura? eo etiam amico, cuius fortunam ipse suam ducat: & in cuius casu, omnia in se iudicum beneficia uelit extincta: & qui sibi, qui liberis suis, qui fratri, omnibus in uno conseruatis, autor fuerit salutis? quodq; omnium acerbissimum est, pro cuius incolumitate, non uitam modo Clodij pacisci uelit, sed prætorem etiam cum consulemq; & dictatorem uidere. Respicit autem subinde orator ab affectu ad causam. Neq; enim id agit solum, ut misericordiam moueat: sed ut per misericordiam, id quod cupit, iudicum animis extorqueat. Hinc ergo sunt illa: Quid uos iudices? quo tandem animo eritis? Et, uos uos appello fortissimi uiri. Et quæ paulo post sequuntur: at in qua causa non potuisse? & à quibus non potuisse? & quo deprecante? Verum hæc ad institutum nostrum nihil pertinent: neq; enim hoc loco inueniēdi rationem explicamus, sed illud uoluimus ostendere, ea quibus concitantur affectus, omnia ex eisdem duci locis, ex quibus ea, quibus docemus. Est enim amplificatio (ut inquit Cicero) uehemens quædam argumentatio, ut illa docendi causa sit, hæc commouendi. Illud non negauerim, latêre plerunq; argumentationem in istis, & impetu uehementiaq; dictis obrui, fieriq; similiorem expositioni orationem, quàm argumentationi: & quod ad dicendi figuram pertinet, plurimū inter ista interesse, & rhetori quidem multum differre, dialectico propemodum nihil.

IN CAPVT IIII.

QVAE distincta à ratione docendi autores fecerunt.) Cicero in Bruto: *Tria sunt enim, ut quidem ego sentio, quæ sint efficienda dicendo, ut doceatur is apud quem dicitur, ut delectetur, ut moueatur uehementius.* Fab. Quintilianus libro 3 cap. 5. *Tria sunt autem quæ præstare debeat orator, ut doceat, moueat, delectet.* Augustinus libro quarto de doctrina Christiana cap. 12. copiosius explicauit quicquid inter ista tria sit discriminis. Tēpore B. Augustini adeo fastidiosus erat populus, ut ab episcopo concionante exegerit etiam delectationem, quam Tacitus queritur suo seculo, & à iudicibus exigi solere. Erasmus Rot. lib. Eccle. 2. *Queruntur prophani rhetores, præsertim Fabius & Tacitus, ita fuisse corruptos olim hominum mores, ut iudices ab oratore requirerent delectari, non contenti didicisse quæ ad causam pertinebant. Quod ne fieret, interpretabantur se contemni non sine periculo causæ. Ad hæc multitudo tum erat assueta theatricis fabulis, ac mimis, quæ omnia uoluptatis causa gerebātur. Ibi populus spectator, sibilis, supplosionibus, pollicibus, applausibus, & acclamationibus iudicem agebat.* *Vt pictor qui ostendit.*) Lege Plinium lib. 35. & Quintilianū lib. 2. cap. 14. *Poëma picturam loquentem.*) Est autem plurimum cognationis inter poëticen & picturam. Hinc est quod Simonides autore Plutarcho: τὴν μὲν

ζωγραφίαν ποίησιν σιωπῶσαν προσηγόρευσεν, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλοῦσαν. Id est, Picturam tacitam poësim appellauit, poësim autem loquentem picturam. Proinde Horatius inquit: Vt pictura, poësis erit. Multo autem maxime rebus.) Horatius in arte: Segnius irritant animos demissa per aures, Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Et Lucretius in Sexto: Quia semper ad aures Tardius adueniunt, quàm uisum quæ moueant &c. Nisi tamen.) Equidem non uideo quid hoc in loco magnopere facit ad contextum, tamen, quæ uox ut non addatur, concinnior aliquanto erit oratio. Lachrymis.) Interdum lachrymæ pondera uocis habent. Insignium reorum ante oculos.) Infra lib. 3. cap. item 3. De hoc paulò explicatius Fab. Quintil. lib. Instit. Orato. 2. cap. 16. & eiusdem operis lib. 6. cap. 2. Erasmus lib. Ecclef. 3. Ridetur is qui pupillum cuius causam agebat, sublatum in ulnas deportauit in tribunal, quo iudicibus moueret misericordiam, uerum idem admodum frigide, nec sine populi risu reportauit puerum suum. Sanè Aristoteles ait.) Lib. Rhet. 1. Viribus enim opus est.) Quintil. lib. 2. cap. 18. Iacobus Volcardus Bergensis in orat. de usu eloquentiæ, id sine q̃ appositis declarat exẽplis. Quid aliud Virgilius.) Non ita dissimile his forte fuerit, quod idem quoq; poëta eodem Aeneid. lib. 4. ait: Per sydera testor, per superos, atq; hoc cœli spirabile numen: Tollite me Teucri. Viribus enim opus est.) Erasmus Roterod. lib. Ecclef. 3. Rhetores huic parti palmam tribuunt, posse dicendi uiribus, iudicibus uim facere, eosq; sibiipsis eripere, ut lachrymis, totoq; uultu de causa pronunciẽt, antequàm pronunciẽt. Hoc in iudicijs Aristoteli non probatur, pronũciaturo tenebras offundere, præsertim quum qui dicit, rarò uir bonus sit, hoc unum spectans, ut causam uincat. Idem tamẽ mutatis subinde uerbis.) Cicero in 4. ad Heren. de expolitione. Duo sint oportet in misericordia.) Arist. in præceptis ciuilibus cap. de suadendi speciebus. Cicero lib. ad Heren. 2. sub calcem. Idem sub finem libri primi de inuentione. Quintil. lib. 6. cap. 1. non ita procul à medio. Georgius Trapezon. lib. Rhetori. 3. Rodolp. Agrico. huius lib. cap. 24. Philip. Melanch. Epitome philosophiæ moralis, cap. Et'nc probanda Stoicorum ἀπάθεια, qui simpliciter omnes affectus improbant. Commiserationem uideamus.) Aristoteles 2. Rhetoricorum: Sit ergo commiseratio, dolor quidam ex apparenti malo corruptiuo alterum dolorem inferẽte, innõ dignum pati, quod ipse putabit se pati uel suorum aliquem, idq; sic ut periniquum uideatur. Acerbus alicuius casus & eum qui perferat indignum.) Cicero in Verrẽ 7. act. Huccine tandem hæc omnia reciderunt, ut ciuis Romanus in prouincia Po. Ro. in oppido fœderatorum, ab eo qui beneficio Po Ro. fasces ac secures habet, deligatus in foro uirgis cæderetur? Vide Gellium lib. 10. cap. 3. Verg. Aeneid. 7. Rex genus egregiũ Fauni. Eundem in 9. Hunc ego te Euriole. Eras Rot. lib. Ecclef. 3. Quidam exaggeratis Christi doloribus, quo maiorem excitaret commiserationem, subito prompsit signum crucifixi: Ecce, inquit, Christum maligne tractatum. Antonius quum oratione funebri C. Cæsarem laudasset apud populum, eiusq; præclara gesta, quantum potuit, uerbis extulisset, ostendit chlamydem illius multis uulneribus pertusam, multoq; sanguine contaminatam: En, inquit, qualem uirum, quàm crudeliter necarunt coniurati. Orationem sat æquis auribus audiebat multitudo, sed conspecto pallio, tantus exortus est tumultus, ut coniuratis fuerit profugiendum, ne discerperentur. In Actis aposto. cap. 16. Paulus autem dixit eis: Læsos nos publice, indicta causa, cum simus Romani, coniecerunt in carcerem. Et nunc occulte nos eijciũt? Et infra ibidem cap. 20. Vos scitis à prima die, &c. & cap. 22. Deutero 22. de puella desponsata, & ab alio oppressa. Genesis 26. Iudicum 9. Hester 7. Vide quæ annotauimus in Aphthonij exempla de Ethopeia, T. Li-

peia. T. Liuius libr. 8. ab urbe condita: Lictor deliga ad palum &c. Quod genus est, si dicas coactam puellam bene natam, pudice educatam, sanctis moribus, illibatæ famæ, ut perpetuo uitam agat cum eo qui dolo prædicatus sit honesto genere natus, quum sit lenonis cuiuspiam filius, aut si quid hoc etiam magis pudendum, qui dictus sit opulentus, quum animam quoq; debeat, qui dictus sit probus ac famæ inculpatæ, quum sit omni facinorum genere coopertus, qui promissus sit sano corpore, quũ uel lepram habeat, uel aliquid lepræ simillimum, quam nunc Gallicam scabiem uocant. Aliud: Agamemnon tot exhaustis laboribus in expugnanda Troia, pro dignitate Græciæ, domum reuersus, ueste inexplicabili inuolutus, interfectus est à Clytemnestra, auxiliante Aegistho adultero. Augustinus libro quinto de ciuitate Dei capite duodecimo. Aiax Cassandram è templo Palladis raptam, ui construprauit. Dianæ Ephesiæ templum uiginti annis à tota Asia, tot regum impendio, tot artificum ingenijs confectum, Herostratus obscurus homo, nocte una funditus exussit. Iudicum 19. de uxore Leuitæ, quam Gabaonitæ tota nocte incredibili furore libidinis affligunt, & denique mortua est. Profert enim se primum.) Hoc est, prodit exeritq; se. Quintilianus libro undecimo cap. primo: Profert enim mores plerunq; oratio, & animi secreta detegit. Deinde datis Miloni uerbis liberius erumpit.) Vide Quintilianum lib. sext. caput primum sub finem, & eiusdem lib. cap. ultimum. Quod recte factorum præmium sint ipsa recte facta.) Basilius: ἀρετῆς ἄσκησιν τίμιον μὲν κτῆμα τῷ ἔχοντι ἥδιον δὲ θέαμα τῷ ἐντυγχάνοντι. Cicero pro Milone: Addidit huic quæ certe uera sunt, fortes & sapiẽtes uiros, non tam præmia sequi solere recte factorum, quàm ipsa recte facta. Ouid. 2. de Ponto:

Ipse decor facti, recti si præmia desunt,
Non mouet, & gratis pœnitet esse probum.

Vt si quis conijcere in syllogismos.) Quanquam copiose sic satis interim argumentãtur cum mouent, non tamen aperte, sed id dissimulant, ut in animaduertentem & minus renitentem trahant auditorem. Vide libri huius operis tertij caput nonum. Vt inquit Cicero.) Et Aristoteles itidem libro Rhetoricorum primo capite nono. Est enim amplificatio, ut inquit Cicero.) Ad uerbum retulit, id quod est apud Ciceronem in partitionibus. Quanquam alienissimum est ab ingenio moribusq; meis, uestigandis aut insectandis aliorum erratis operam conterere, tamen non possum hoc loco mihi temperare, quin ridendi magis quàm insectandi causa proferam cuiusdam apud. N. non infimi nominis inscitiam dicam an socordiam: præsertim cum is tantum sibi sumat in philosophia, ut arrepta ueluti censoria uirgula, Rodolphum Agricolam uirum modis omnibus & incomparabilem, & immutabilem, ceu præceptor quispiam flagellet atque emendet, qui hunc locum non satis intellectum, ut plane deprauatum clamitare, turpiter'que lapsum esse Agricolam perfracte cõtendebat: Quippe qui non obseruasset discrimen inter hoc & illud, ac proinde iubebat esse legendum, ut hæc docendi causa sit, illa mouendi: cum apud Ciceronem illa referat confirmationem, hæc uero amplificationem. Lege quæ congessimus in Auctarijs nostris circa hunc locum in oratorias partitiones. Qui δογματικὸν aliquid.) Diomedes libro tertio capite de tribus poëmatum generibus.

Quod iterũ in delectando, non sit alia inuentionis quàm in docendo ratio. Cap. V.


Ed de motu hactenus. Delectare (quod ultimum è tribus ponitur) ut sit à mouendi docendiq́ꝫ officio seiunctum, finis esse nulli orationi potest. Omnis enim oratio docet. Quoniam, sicut modo ostendi, motus à docendo nullam habet (quod inuentionis est) differentiam. Docet autem quantum in ipso est. Neq; disserere quęquam dicas, qui non aliqua de re affirmare aut negare aliqd, & certiores nos (quãtum ipsius est orationis) facere uelit. Ergo ut oratio probet aliquid, ex natura rerum dispositioneq́ꝫ & ordine quem habẽt inter se contingit: ut delectet uero, in eius tantum qui audit ingenio est positum. Docendi itaq; ratio eadem ferè est apud omnes: quemadmodum res sunt, quæ uel per quas docetur: delectandi non ita, quoniã diuersa sunt hominum ingenia: & sic se (ut inquit Cicero) res habent: me mea, te tua delectant. Nemo fere est, cui idem quod alteri placeat. Et pleriq; ab aliis dissident, nõ ut melius, sed ut aliud sequãtur. Cupit enim quisq; suũ esse, quod probat: & probat quisq; maxime, quod suum est, hoc est, quod naturæ sensibusq́ꝫ suis est accommodatissimum. Non est ergo finis orationis delectare: quoniã non ex oratiõe, sed ex audientis id animo cõtingit. Quid ergo? Non multa uoluptatis auriumq́ꝫ gratia dicuntur? Non poëma, non historia, non actio ciuilis, id maxime agunt, ut delectatione legentem detineant? admiratione suspendant? Illa etiam austerior, seuerioris q́ꝫ supercilii philosophia, horrorem rerũ mollire uerbis, & benignius influere in aures animosq́ꝫ concupiscit? Vera sunt ista, fiuntq́ꝫ ut dicitur, & oratione quidem fiunt. Non tamẽ dictionis sunt finis, sed dicentis. Quemadmodum enim cibi finis est explere famem: at cõuiuator, quo gratius excipiat cõuiuam, si lautius apparauit, idq; prospexit, quo pacto non satietati illius, sed gulæ satisfaceret: quãquam id cibo quoque fiat, non tamen quatenus est cibus, sed in instrumentũ explẽdæ luxuriæ est à domino translatus. Vt ergo cibi est alere, & firmare corpus: contrà qui uoluptatem spectat, persæpe ingerit noxia, & magnorum irritamenta morborum: sic quæ aliquando rerum dictionisq́ꝫ ordinem sequenti possent uideri culpanda, dum

audien

audientis captamus uoluptatem, inter laudes numerantur dicentis. Quale est strictim & breuiter dicere, & solum pro necessitate, ea, quæ capita sunt & firmamenta rerum. Aut quibus prope nihil est opus, dum modo excoli ornariq; possint, latissime fundere. Quinetiam digredimur ab eo quod instituimus, ut in aliquid quod plausibiliter dici queat deferamur: & quæ semel paucisq; dicta percipi poterant, ea repetimus, trahimus, longo uerborum ambitu enunciamus. Poetæ quoque persæpe à fide rerum ad incredibilia delabuntur. Confundunt etiam ordinem rerum, ut quod prius erat, dicant posterius: quod posterius, prius. Hæc aliaq; permulta id genus, quæ rerum essent nimirum uitia, atque proinde orationis, quia significandis ea rebus est instituta: ingeniorum tamen sunt (quoniam placent) uirtutes. Sunt tamen & ista persæpe coniuncta, ut quę delectat præcipue, optime etiam doceat oratio: sed & fidei quandoque locum occupat uoluptas. Diuersa tamen sunt, & diuersas habent causas. Docere ergo, uel (si id malimus) probabiliter dicere, proprium est disserentis (quod probare uoluimus) munus. Mouere (quantum ad inueniendi rationem) ostendimus cum docendi officio coniunctum esse. Delectare, quoniam auditoris gratia expetitur, ad rhetorem rectius pertinebit. Nec enim habet aliquid cum inuentione negocij: aut si quid habet, ad docendi officium ea parte redigetur. Quid igitur dialectice, & quod finis eius sit docere, quid etiam ab eo mouere & delectare distent, hoc pacto satis sit executos esse.

IN CAPVT V.

Finis esse nulli orationi potest.) Cice. in partit. orat. Quia, inquit, quibus in orationibus delectatio est finis. Et sic se (ut inquit Cicero.) Atqui cum Ciceronis uerba hic referat Rodol. mirum cur inuersus sit ordo Sic enim Cicero: Sic se res habet (non habent) te tua, me delectant mea. Quemadmodum res sunt.) Aristoteles primo περὶ ἑρμηνείας.

Nemo ferè est, cui idem quod alteri placeat.) Sunt quos pudet usquam cum quoquam consentire, quasi nihil uerum sit, nisi diuersum sit. Talem fuisse Lycum quendam prodidit Galenus. Lactantius lib. 3. institut. Vnaquæq; enim secta omnes alias euertit, ut se suaq; confirmet, nec ulla alteri sapere concedit, ne se desipere fateatur. Quintil. lib. instit. 3. Plurimi autores quamuis eodem tenderent, diuersas tamen uias inuenerunt, & in suam quisq; induxit sequentes. D. August. lib. confess. S. Hieronym. in comment. epist. ad Titum cap. 3. Frequenter accidit, ut habeamus pugnas legis, non ob desideriū ueritatis, sed ob iactantiā gloriæ, dum apud eos qui audiunt, docti uolumus æstimari, aut certe ex hoc rumusculo turpia sectari lucra. Rodol. lib. 3. cap. 13. Et Erasmus in lingua circa medium. Horrorem rerum mollire.) Cicero

libro de finibus. Illa etiam austerior seuerioris'q; supercilij philosophia) *Quintil. Minus indulsere eloquentiæ Stoici ueteres: sed quum honesta suaserunt, tum in eligendo probando'q; quod instituerant, plurimum ualuerunt: rebus tamen acuti magis, quàm (id quod sane non affectant) oratione magnifici. Confundunt omnium rerum ordinem.*) *Rodolphus Agricola libro 3. capite 15.*

Materiam dialectices, quæstionem esse, & quid alij de hoc senserint. Cap. VI.



Vnc igitur ea de quibus hoc libro dicturos nos prædiximus exequamur, eo quo proposuimus ordine. Tria erant quibus disserendi facultatem constare uoluimus, materia, instrumentum, & tractatus. Materia ordine est prima: primum ergo illa nobis explicetur. Ne quem fallat autem nominis huius ambiguitas, illud admonitum uelim, materiam artium quandoq; dici id quod artibus docetur, & circa quod uersatur cura consideratio'q; illarum, quod & subiectum uocari priore libro diximus: sic materiam dialectices possumus dicere argumentationem, ut pleriq;: uel ut nos, dictionem probabilem: quanquam parum hæc ipsa diuertant. Dicimus etiam materiam artium id, in quod opus suum explicant, quemadmodum statuarij materiam dicimus æs, marmor, gipsum, cæram, omne id deniq; ex quo simulacrum aliquod aut imaginem effingere potest: & figuli materiam, lutum: & fabri, ligna. Lignis autem proprium est materiæ nomen: ab his enim ad reliqua similitudine traductum est, nos'q; in hanc significationem in præsentia de materia dialectices quærimus. Istam, quæ sit, uidemur commodissime ex opere dialectices posse perspicere. Si enim est opus illius, quod prædiximus, probabiliter dicere: quicquid id est, in quod hoc opus suum exerere & experiri possit, id uidebitur utiq; materia illius esse. Probabiliter autem dicere de omni eo quod in orationem deducitur, possumus, aut reuera probabiliter, aut quatenus res de qua dicimus permittit: quod cuiusmodi sit, prædiximus. Omne igitur id, de quo ordine apte'q; ad fidem dici potest, id erit dialectices materia. Quod si uno nomine complecti uolemus, haud erit difficile. De quocunque enim fidem conamur facere, id necesse est accipi tanquam dubium incertum'q; sit: nemo enim rem apertam, quatenus est aperta, sumit docendam: sed ut contendi de ea & ambigi possit. Quicquid

autem

autem tanquam dubitatum in medium profertur, id uocant quęstionem: erit ergo quęstio materia dialectices. Nec inuenio quã illi certiorem aliam aut arctioribus circunscriptam terminis assignem.

Scio tamen esse, quibus aliter uidetur, quorum non est dissimulanda nobis sententia. Hi putant, si tam late tendamus materiam dialectices, ut de quocunq; probabiliter possit dici, id subijciamus curæ ipsius: omnes fere artes, aut superuacuas futuras, aut intra dialectices ius possessionemq́; uenturas. Omnes enim propemodum probabiliter de eo quod docendum sumpserunt, disserunt. Nam eorum, quæ necessaria & indubitata esse possint, à nobis comprehendi non ita magna est copia: & (si Academiæ credimus) prorsus nulla. Id quod nemo negat, quę ad uitam moresq́; pertinent: quæ item ad rerum naturæ notitiam, nihil est quod non sit cõtrouersum, & magnis ingenijs omnes in partes iactatum. De his ergo omnibus probabilia utcunq; differuntur: quoniã necessaria non possunt. Nam si probabilia quidem possent, nemo uel disceret ea, uel doceret. Quod si probabile dicimus, non modo quod ambigue & in utranq; partem dici potest: sed ut, quo certius quicque est, eo probabilius sit: & quod indubitatum sit, id maxime uideatur probabile: omnes artes quæcunq; demum sunt, ex probabilibus constabunt. Quum singulę ergo de his rebus quas profitentur, probabiliter dicant, quid iam loci dialecticæ de omnibus rebus dicendi relictum erit? Aut quid opus est per omnes ire nos diripiq́; artes, si quod cunctæ pollicentur, poterit dialectice sola præstare? Aristoteles itaque dialecticen tribus his utilem putauit, exercitationi disserendi, confutando aduersario, & probandis primis artium principijs eis, quæ oportet quamlibet artem uelut explorata certaq́; habere. Quia enim prima sunt, artes ipsæ nequeunt ea probare, uelut præcedentia illas, & credenda discenti. Ab hac itaque uelut publica quadam omnium ministra, petendam eis fidem est arbitratus. In reliquo scientiarum progressu, nihil loci reliquit dialecticæ. Duos tamen libros, qui posteriorum resolutoriorum inscribuntur, ædidit, quibus ea complexus est, quæ ad rationem tradendarum artium pertinent. Ergo quod attinet ad institutum nostrum, non quæstionem dialectico uult propositam esse, sed id, quod πρόβλημα Græci dicunt, quod nos uel sciscitationem

nem uel percontationem dicere possumus: pleriq; Græco maluerunt uti. Percontationem uult esse id, de quo pariter, est ne, an non est, quæritur. Vt, est ne mundus æternus an non? est ne sol maior tota terra an non? Id autem quod solum in unam partem effertur, ut ecquid est immortalis anima? ecquid uirtus est summum bonum? id πρότασιν, hoc est, propositiōem uocauit: & propositionem quidem non omnem dialecticam esse, sed eam solum, quæ neque fidei prorsus, neque dubitationis sit expers: neq; enim quenquam proponere, sit'ne nix nigra? aut sit'ne homo animal? nihil autem inter percontationem & propositionem interesse, nisi efferendi diuersitatem. Quibus colligere paratum est, Aristotelem uoluisse ea sola pertinere ad dialecticum, de quibus ambas in partes disseri posset, & ea posset uia, qua non essent certis artium finibus comprehensa.

IN CAPVT VI.

Possumus dicere argumentationem ut pleriq;.) Id ab alijs, his fermè uerbis consueuit explicari. Dialecticen bifariam posse spectari. Principio quatenus ipsa docetur, ac discipulis à præceptore traditur. Et hoc sensu materiam eius esse argumentationem. Deinde eandem considerari posse, quatenus in usum uenit. Atque hoc modo certam ei materiam non esse, cæterum omne id hoc sensu eius materiam, quo de probabiliter posset disputari.

Lignis autem proprium est materiæ nomen.) Valla lib. elegant. 6. cap. 52. Et lib. 2. institutionum de rerum diuisione: Appellatione autem ligni omnis materia significatur. Si Academiæ credimus) Vide annotationes nostras in lib. primi, cap. item primum. Vt ecquid est immortalis anima.) Plinius lib. naturalis historiæ 7. cap. 55. plane negat animæ immortalitatem. Quid? quod apud Italos quoq; adeo fere semper dubitatum est de animæ immortalitate, ut supremo Romæ celebrato consilio, publicitus hoc oportuerit determinatū asserere? Eras. Roterod. lib. de rat. concion. 2. sub calcem ferè, ubi agit de antistrophorum genere, quod Græci uocant βίαιον: Quum Romæ, inquit, agerem, &c. Sed id quod πρόβλημα Græci dicunt.) August. in psalmum 77. Propositiones quæ Græce appellantur problemata, quæstiones sunt habentes aliquid quod in disputatione soluendum sit. Velut explorata certaq; habere.) Leges naturæ, sunt notitiæ diuinitus impressæ mentibus hominum, nobiscum nascentes, hoc est, iudicia quædam de moribus, quæ sunt quoddam mentis lumen, sicut oculis suum lumen inditum est: philosophi uocant eas principia practica, & conclusiones ex his ortas κοινὰς ἐννοίας πρόληψεις, quia natura cernuntur, hoc est, natura eis assentimur admoniti, nec est opus probatione. Nemo enim rem apertam.) Arist. primo Top. cap. 9. Non oportet autem omne problema, neq; omnem positionem considerare, sed quam dubitabit aliquis ratione indigentium, & non pœna uel sensu. Nam dubitantes utrum oporteat deos honorare, & parentes amare, an non, pœna indigent: qui uero utrum nix alba, an non, sensu. Neque profecto quorum propinqua est demonstratio, neq; quorum ualde remota: illa enim non habent dubitationem, hæc uerò maiorem quàm secundum gymnasticam.

Respon-

Respondet prædictis, docetq; quo modo dialectice, quomodo reliquarum artium singulæ, singulis de rebus disserant. Cap. VII.



Dicamus ergo, quo pacto reliquæ artes, & quo dialectice de rebus disserit: & quid intersit, distinguamus.

Primum constat, artes omneis paulatim & per incrementa repertas esse: neque quisquam idem, artem aliquam cœpit & absoluit. Prima autem initia à sensuum obseruatione profecta sunt: ut cum uiderent homines aliquid iterum tertióue & sępius itidem fieri, experimento sumpto, ausi sunt tandem affirmare, prorsus sic se rem in omnibus habere. Vt cui primum curę fuit scrutari rerum naturam, cum uideret plantas animaliáq; non nisi è semine procreari: deinde ducto per radices humore, aut cibo per os hausto, augescere: laterem nisi luto non excoqui, cinerem non fieri nisi ex aliquo quod ureretur: sicq; reliqua, quæcunq; gignerentur, prius aliquid ex quo fierent habere: tanquam firmum exploratumq; demum constituit, nihil ex nihilo gigni. Simili uia collegit, etiam omnia quęcunq; fiunt, efficientis alicuius ui fieri. Deinde cum per singulas res duceretur animus eius, uelletq; etiã naturas proprietatemq; uniuscuiusq; perquirere, ad communia illa rediens, quæ iam ueluti leges fixerat, conferensq; illa cum singulis, ratiocinando, reputando, colligendo (id est, quod argumentari dicimus) fidẽ de unaquaq; sumpsit, & ambiguitates explicuit. Illa ergo, & quæ secutus est uelut firmamenta inquisitionis suæ, & quæ ex illis collegit, propria sunt instituti artisq; suę: uia autem & ratio colligendi parandæq; fidei, ad dialecticum spectat. Dialectice enim in commune ostẽdit ea, quibus inspectis, & animo pertractatis, promptum sit inuenire fidem de eo quod quærimus. Vt uerbi causa, dialectice dicit inspiciendam in argumento inueniendo esse substantiam rei, & causas, & euenta, & quæ reliqua in locis descripsimus: quatenusq; facit id qui disserit, munere illius utitur. Quæ sit autem definitio rei propositæ, quæ causæ, quæ euenta: ea oportet ex proprijs artibus rei cuiusq; depromat. Rursus uero, in uniuersum quid sit definitio, & quo pacto definiendum, quid item genus, quid species, quid causæ, quid euenta, & reliqua id genus, non est dialectices explicare: sed

eius scientiæ, quæ prima rerum principia tractat, quam Methaphysicen dicunt: à qua dialectice mutuatur ista, quia ad inueniendi rationem sunt accommodata. Vtq; dicat, quid sint ista, aliena tamen id facit fide: ratio rerum iudiciumq; penes illam est. Non uidentur itaq; satis exacte, satisq; perspecte dialectices descripsisse officium, qui dixerunt id esse, definire, diuidere, uerũ à falso discernere. Priora enim illa (ut dicimus) metaphysices sunt opus: hoc posterius, omnium est artium commune. Dialectice disserendi probabiliter rationem tradit, hoc est, instrumentum tantum ueri falsiq; discernendi: cuius usu ministerioq;, expeditius cũcti artifices, quid ueri aut falsi sit in rebus sibi propositis, explorent. Quod si ita uolumus istud accipere, ut sit discernendo uero & falso destinata: non abnuerim id quidem, non ut ipsa discernat, hoc est iudicet, (hoc enim singularum est artium) sed ut instrumẽtum præbeat, sine quo nullo pacto ista discerni possint. Quid ergo? dicat aliquis. Nonne & ante inuentam dialecticen fuerunt artes, & disputatum est, & inuentum est uerum: & nunc quoque quotusquisque eorum qui disputant, dialecticen tenet? Non est quod negem hæc ita esse. Illi tamen, quod dialectice docet, & faciunt et fecerunt: multo commodius (si hanc didicissent) fortasse facturi. Quemadmodum & ante traditam rhetoricen diserti uiri fuerunt: & priusquam literis comprehensa est musice, cecinerunt homines: nec Hippocrates, ut primus in artis imaginem medicinam coēgit, sic & primus cognouit morbũ, profutura meditatus est, ęgrũ leuauit. Facta sunt hæc anteq̃ artes fierẽt, & ob id ipsum quod crebro sunt facta, longa recte secusq; factorum annotatione, artes esse cœpere. Prouenere deinde præclara ingenia, quæ dispersa colligerent, confusa disponerent, explerent imperfecta, rudia perpolirent, & omnia complecterentur, non modo quæ facta essent, sed quę fieri etiam possent. Sic quod casus ante fuerat, cœpit deinde ratio esse. Et secutũ est, ut non quia factum iam esset, aliquid debere fieri: sed quia deberet fieri, crederẽt esse faciendum. Qui priores ergo fuerunt artibus, similia his ipsis quæ nunc præcipiuntur (si quando recte fecerunt) secuti sunt. Sicut hodie plerique faciunt quod artis est, sed non ex arte, (quippe quam nullam habent) sed uel longa obseruatione, uel ingenij quodã pręstanti uigore. Quanto rectius tamen, quantoq; melius

expedirent illa, si certa artium ratione ducerentur? Duratura enim seculis ingenia, & quibus non presentes solum plaudāt, sed quę omnis posteritas miretur, ea tum demum fiunt, quoties cum optima natura ars perfecta coniungitur. Sic quod dialectices est, inuenerūt argumēta homines, & errorē male inuentorū aliquādo deprehenderunt: antea quā essent omnia praecepta illius in artis formā collecta. Aristoteles tamē, quiq; post eū alij instructi ea fuere, facile libris suis ostēdunt, q̄ magnus sit usus eius, & q̄ tractādis omnibus rebus accōmodatus: utq; sine ea, non solū singula de quibus in artiū decursu dubitetur, explicari nequeāt: sed ne artes quidē colligi possint, et in hāc quā acceperūt redigi formā. Hæc est illa sciētia, quā apud Ciceronē Crassus necessariā formādis artibus putat: quāq; cupit esse in Iurisc ōsultis, quo non essent apud eos omnia actorū similia: Quęsitū est à Titio, & Labeo ait, etiā Celsus respondit, & apud Trebatiū scriptū est. Ex eadē nota sunt definitiones illæ: Ius est sciētia æqui & iniqui. Et, Iustitia est constās & perpetua uolūtas. Et diuisiones itidē, Iuris, aliud publicū, aliud priuatū: Et priuatū, in naturale, & gentiū, & ciuile diuiditur: quasi Ius publicū, neq; naturale esset, neq; gentiū, neq; ciuile. Sed illis semper satis placuerūt sua: & iustior alioquin est eis uenia: quoniā ut doctissimus quisq; fuit, ita maximis semper occupationibus distētus est, ne uel ociū perpoliēdis inuētis suis haberet. Sed ut ad Aristotelē aliquando ueniā, qui artiū finibus exclusit dialecticen: aptāq; uel solum, uel maxime certaminibus disputationū credidit, paucis dicā quod sentio: quod sentio inq̄, nā ille ueriora forsitan, ego tamē quod sentio. Equidē artiū decreta, et disputationū contētiones, non inueniēdi, nō iudicādi ratione discreta puto. Ex eisdē em̄ locis hauriūt utraq; hæc argumēta, eadē expendēdorum argumentorum utrisq; est uia. Cupit æque qui docet, quiq; certat, probare quod sumpsit: sed ille reuera cupit, bona enim fide agit, & cū eo qui docendū se prębet habet negociū: certator, probat quidem, si potest: sin minus, satis habet, si modo uideatur probasse: uictoriam enim spectat, quā si potest, uiribus auferre malit: quod si res negabit, artibus pugnabit, & insidias struet. Dolus enim an uirtus (ut inquit poëta) quis in hoste requirat? Ergo si ex uulgaribus, & longius petitis, nec satis constāter probabilibus, & sępe etiā in speciē tantum probabilibus dispu

tator probationes petet, id non ideo fieri credo, quia id lex disputandi postulet: nec enim quenq̃ tam segnis conatus puto, ut cum posset certis exploratisq́ue sententiã suã tueri, ad infirmiora potius delaberetur. Sed quoniã talia ad disputandũ sumuntur plęrũq;, quę nequeunt aliter obtineri, & de quibus nihil potest satis probabiliter ad ueritatẽ dici, rerũ hęc est conditio, non disputãdi ratio diuersa. Opus itaq; habet undecũq; datur pręsidiũ petere: & ubi in re parũ auxilij est, offundere tenebras aduersario: & huius ignoratione probationis loco abuti. Non magis autem sunt dialectici ista, q̃ medici, qui sanandum è pedũ dolore suscepit laborãtem: ubi uetus iam morbus, & qui radices altius q̃ ut euelli possit egit, nulla ratione leuior fit, satis putat stuporem ægris membris inducere: utq́ue huic pro sanitate est, non sentiri dolorem: sic certatori, pro probatione est, non intelligi fraudem. Si quis igitur cum eo aduersario contulit pedem, qui sit captionum omnium peritus, & contra quem nihil proficiant astus, redeundum est nimirum ad rem ipsam: quæ si artibus comprehensa sit, ex his ipsis utique quæ artibus de ipsa traduntur, argumenta ducemus. Da Aristotelem & Aristippum, de summo bono contẽdentes: da Chrysippum & Carneadẽ de comprehensionibus, id est, possit ne aliquid sciri: da reliquos in omni genere philosophos, de decretis suis ambigentes: an non hinc firmamentum roburq́ue disputationum suarum proment, quæ æditis eisdem de rebus (quisq; pro captu suo) artibus forent inclusuri? Vt finem ergo faciam, si (quemadmodum prius ostendere conati sumus) dialectices officiũ est, probabiliter dicere: ut de quoq; certissima & percepta maxime dicẽtur, licet ex medijs deducta sint artibus, ita maxime ex dialectices instituto iureq́ue fiet. Proximo loco erunt, quæ ad hæc arctissime accedent. Subdola uero & captiosa, non magis ex dialectices sunt ratione, q̃ monstra morbiq́ue ex constitutione naturæ. Materiam igitur dialectices sciamus omnẽ id esse, de quo probabiliter est disserere, hoc est, quod proposuimus, quęstio omnis, quæcũq; demũ ea sit, dum tamẽ meminerimus, res, & de quibus & per quas disserimus, ex singulis cuiusq; artibus sumi: disserendi autem ordinem rationemq́ue, ad dialecticen pertinere. Sed quæ sit materia dialectices, & quid alijs afferat artibus, quidq́ue ab eis accipiat, istis sit satis, & nimium etiam fortasse. Sed

igno-

ignosci æquum est paulo pluribus uerbis. Varie tractantur hæc, nec apud omnes conuenit, suntq; fundamenta & uelut scopuli artis, ad quæ reliqua diriguntur: reddenda idcirco de eis paulo exactius fuit ratio; nec enim ubi summa labat, possunt inter se partes consistere.

IN CAPVT VII.

PRimum constat omnes artes paulatim.) Documento potest esse uel prisca illa rudis pictura, quæ cœpit ab umbra rerum lineis circunducta. Nec fuit aliud primò pictura, deinde cultiore arte μονοχρώματα cœperunt, id est, singulis coloribus depicta, deinde lumen & umbras adiecerunt, differentia colorum alterna uice sese excitante, deinde adiectus est splendor alius q̃ lumen, quem τόνον appellant, cõmissuras & transitus colorum, ἁρμογήν. Hæc Plinius lib. 35. Mirum esset profecto huc usq; prouectam esse artium accessionem, paucissimis ortam initijs, nisi nihil quicquam esset, quod non efficiat humanus animus, modo sibi imperet, modo impẽse uelit. Gloriatur Aristot. in calce lib. de sophisticis elenchis, cæteras quidem artes omnes paulatim cœpisse, & ab alijs quidem earum esse inuenta principia, ab alijs auctas esse, ab alijs tandem aliquando absolutas: quæ autem à se tradita sint de ratione syllogismorũ, ea omnia à se uno & inuenta, & perfecta absolutaq; esse. Prima autem initia à sensuum obseruatione.) Aristoteles 1. Metaphysicorum cap. item 1. Fit autem ars, cum è multis experimentalibus conceptibus una de similibus uniuersalis opinio fiat, &c.

Cœpit & absoluit.) Cicero lib. 3. ad Herennium sub calcem: Nihil est enim quod aut natura extremum inuenerit, aut doctrina primum: sed rerum principia ab ingenio profecta sunt, & exitus disciplina comparantur. Lege Senecam lib. epistolarum 8. epistola 65. cuius initium, Fuisti heri. A sensuũ obseruatiõe.) Aristoteles: Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Experimento sumpto.) Galenus lib. 9. Therapeu. omnis artis & scientiæ duas facit partes: Methodon, & ascesin, id est, uiam & exercitationem: Neq; enim possumus, inquit, alicuius nobis artis scientiam comparare, nisi & commẽtationum in uniuersum uiam quandam pernouerimus, & per singularum rerum exempla, artis meditationem exercuerimus. χωρὶς τῆς μέθοδον μέν τινα διὰ τῶν καθόλου λεγομένων θεωρημάτων, ἄσκησιν δὲ ἐκ τῶν ἐν μέρει λαμβάνειν παραδειγμάτων. Cicero: Assiduitate cotidiana & consuetudine oculorum assuescunt animi, neq; admirantur: neq; requirunt rationes earum rerum, quas semper uident. Idem: Ita notatio naturæ & animaduersio peperit artem. Quintil. lib. 3. cap. 2. Plinius lib. 26. cap. 3. Seneca epistola 125. Quemadmodum omnis scientia atq; ars aliquid debet habere manifestum, sensuq; comprehensum, ex quo oriatur & crescat: Sic & beata uita fundamentum & initium à manifestis ducit, eò quòd sub sensum cadit. Vt cui primum curæ fuit scrutari. Quintilian. lib. 3. cap. 2. Initium ergo dicendi dedit natura, incrementum artis obseruatio. Homines enim sicut medicina, cum uiderent alia salubria, alia insalubria, alia utilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum uitandumq;, & quædam secundum rationẽ eorũ adiecerunt ipsi quoq;. Hæc confirmata sunt usu, tum quæ sciebat quisq;, docuit. Augusti. lib. 4. de doctrina Christia. cap. 7. Nihil ex nihilo gigni.) Melissus: Ex nihiloq; nihil fieri sententia perstat. Lactan. lib. de Ira Dei, cap. 10. Deniq; Lucretius quasi oblitus atomorũ, quos asserebat, ut redarguerent eos, qui dicunt ex nihilo fieri omnia, his argumentis usus est, quæ contra ipsum ualerent. Sic enim dixit:

Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus nasci posset, nil semine egeret.
Nil igitur fieri de nihilo posse fatendum est.
Semine quando opus est rebus, quo quæq; creatæ
Aëris in teneras poßint proferrier auras.

Tanquam firmum exploratumq; demum constituit, nihil ex nihilo gigni.) Apud Aristotelem pro principio habetur, nihil fieri ex nihilo. Proinde non immerito Auicennam reprehenderit Auerroës Arabs, quòd ex nihilo aliquid fieri posse contra philosophorum opinionem existimauerit. Legat qui id cupit exactius intelligere, lib. Bessariōis Card. Niceni 3. ca. 19. contra calumniatorem Platonis. Persius Saty. 3. Gigni de nihilo nihil. Lucretius lib. 1. Nullam rem è nihilo gigni diuinitus unquàm. Id est quod argumentari dicimus.) Quintilianus lib. 5. cap. 10. in calce. Qui dixerit id esse definire, diuidere, uerum à falso discernere.) Hæc non usquequaq; consona esse uidentur his, quæ Quintil. habet lib. 12. cap. 2. Ita hæc pars, inquiens, dialectica, siue illam dicere malimus disputatricem, ut est utilis sæpe, & resoluenda ambiguitate, & distinguēdo, diuidendo, illiciendo, implicando. D. Augustin. lib. 4. de doctrina Christiana cap. 31. Cicero in 4. de finibus, & calce lib. 5. eiusdem operis. Item de Oratore lib. 1. Sic Brute existimo &c. Multò commodius si hanc didicissent.) Quintilia. lib. 10. cap. 2. Virtus etiam si quosdam impetus à natura sumit, tamē perficienda doctrina est. Lege prologum D. Augustini in opus de doctrina Christia. Quod si tamen nolumus istud accipere, ita ut sit.) Planè, uolumus, legendum censemus, uel reclamante autographo. Illud expendas uelim, num locus hic corruptus sit paulum. Videtur enim τὸ tamen, abhorrere ab hoc loco, atq; irrepsisse pro ita, ut hæc fuerit germana lectio: Quod si ita uolumus istud accipere, ut sit. Quemadmodum & ante traditam rhetoricen.) His plane cō sentiunt ea quæ Cicero habet primo de Oratore, quem Ciceronis locum & Budæus citat in annotat. in Pandect. Eras. lib. Eccles. 2. Iam ut donemus fuisse nonnullos tam felici donatos ingenio, ut absq; cognitione Dialectices & perspicaciter iudicarint, & acute collegerint, & absq; rhetorum præceptis eloquenter dixerint: tamen quoniam perquàm rara est ista inter homines felicitas, naturæ imbecillitas non mediocriter adiuuatur præceptis & exercitatione: præceptis ad iudicandum, exercitatione ad agendum. Quoties cum optima natura ars perfecta coniungitur.) Erasmus Roterod. lib. primo Ecclesiast. Prudentia uerò quanquā tum institutione, tum usu cōfirmatur, tamen à natura potißimum proficiscitur. Hinc est quod uere dicunt, dicendi artem aut cito disci, aut nunquam Si adsit naturalis illa prudentia, præceptiones agnoscuntur potius quàm discuntur. Si non adsit, ars efficit ut peius ac molestius dicamus. Quemadmodum enim nulli ratiocinantur ineptius, quàm ij qui natura stupidi dialecticen superstitiose didicerunt: Ita nulli dicunt ineptius ijs, qui inuita, ut aiunt, Minerua, præcepta rhetorum religiose obseruant, quum sæpe summa sit ars, artem negligere. Cicero pro Archia poëta: Etiam illud adiungo sæpius ad laudem atque uirtutem, naturam sine doctrina, quàm sine natura ualuisse doctrinam. Atque idem contendo, cum ad naturam eximiam atq; illustrem accesserit ratio quædam confirmatioq; doctrinæ, tum illud, nescio quid præclarum ac singulare solere existere. Augustinus lib. de ciuitate Dei 11. cap. 25. Tria enim sunt quæ in unoquoq; homine artifice spectātur, ut aliquid efficiat natura, doctrina, usus. Natura ingenio: doctrina scientia, usus fructu dijudicādus. Plato in Phædro: Consentaneum est ô Phædre, forte etiā necessarium, quēadmodum in cæteris rebus, ita & in hoc cer

tamine

tamine peragendo perfectum esse. Quippe si tibi natura ut sis orator tribuerit, accedente doctrina, & exercitatione, excellens eris orator. Si quid uero horum defuerit, mancus eris. Cicero lib. 4. de finibus bonorum ac malorum: Quod etsi ingenijs magnis præditi quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur, ars tamē est dux certior quàm natura. Aliud est enim poëtarum more uerba fundere, aliud ea quæ dicas, ratione et arte distinguere. Quintilianus lib. 2. oratoriarū Instit. Consummatos in arte, plus doctrinæ debere, quàm naturæ putabo: sicut in solo fœcundo, plus cultor, q̃ ipsa per se bonitas soli efficiet. Iustitia est constans & perpetua uoluntas.) Andreas Alciatus lib. παρέργων 1. cap. 31. Iustitia, inquit Vlpia. est cōstans & perpetua uoluntas, ius suū unicuiq; tribuens. Negat Rodol. Agri. li. de inuentione dialect. 2. iustitiā esse constantē & perpetuā uoluntatem: excusatq; egregius, scilicet, patronus Vlpianū, qui ut doctiß. fuit, ita maximis semper occupationib. distentus est, ne uel otiū perpoliendis inuentis suis haberet: sed profecto nec tali auxilio, nec defensorib. istis noster eget. Age docte uir, dic tu qui otiosus es, quā rationem opinationis tuæ habeas. Cicero certe iureconsulto nostro cōsentit: siue eā diffinitionē sequamur, quā lib. de Inuent. 2. tradit: siue eā, quæ ad Herenniū lib. 3. describitur. Altero enim loco: Iustitia, inquit, est habitus animi cōmuni utilitate conseruata, suā cuiq; tribuēs dignitatē. Altero, iustitia est æquitas, ius unicuiq; tribuens pro dignitate cuiusq;. Atqui etiā melius uidetur ab Vlpia. constans uoluntas appellata, quā à Cicerone habitus animi, uel æquitas tantū, quū, ut suprà ostenderimus, non in solo æquo consistat, sed in bono quoq;, & in eo quod publice utile est. Assentiuntur huic diffinitioni & Peripatetici oēs post Aristot. sic finiētes: Iustitia, est habitus electionis compos, in his circa quæ bonus uir publicæ utilitatis legumq; seruandarū causa uersatur: quas diffinitiones si diligēter intuearis, idem ab omnib. dictum deprendes, sed non eodē modo, q. scilicet presßius, elegantius ἐμφατικωτέρως noster, tametsi non uideatur iureconsultis in diffinitionibus minus indulgendū, quā ipsi sibi tribuunt inuicem alij professores. Gellius lib. 1. Non fuit, inquit, negotiū Varroni, ut superstitiose diffiniret, & legib. rationibusq; omnib. diffinitionū inseruiret. Satis enim uisum est eiusmodi facere demōstrationē, quod genus Græci τύπους magis & ὑπογραφὰς, quā ὁρισμοὺς uocant. Subijcit idem Agricola, non recte ab Vlpiano ius diuisum, quum aliud publicum, aliud priuatum dicit: Deinde priuatum, in naturale, gentium, & ciuile diuidit: quasi (inquit ille) ius publicū, neque naturale esset, neq; gentium, neq; ciuile. Quo argumento apparet non legisse eum iureconsulti uerba, sed ab aliquo discipulo suo accepta protinus damnasse. Si enim Vlpianum à fonte ipso, non à riuulis degustasset, potuisset cognoscere non omnium gentium ius ab eo describi, sed illud tantum, quo Romani utebātur: Id autem erat duplex, publicum, quod ad statum rei Romanæ spectat: priuatū, quod ad singulorum utilitatem. Id priuatum collectum est, inquit, ex naturalib. præceptis iurisgentium, aut ciuilibus, quæ naturalia iuris aliarū gentium præcepta nihil ad statū pop. Rom. pertinebant. Nec enim ex eis magis imperium Romanis in alias gentes concedebatur, quàm alijs gētibus in Romanos. Hactenus ille. Negat Rodolphus.) Et merito quidem negat, idq; multis de caußis. Primum, q. Aristot. 6. Topicōn lib. adeo uult definitionē fieri præscriptis uerbis, ut ob unum uocabulum ambiguum, & quod in multas ducatur significationes, aut non ex neceßitate additum, aut si necessarium fuerit, sed longius petitum, aut non satis uulgatum, neget eā ualere. Has enim definitiones reijcit. Temperātia est consonantia appetitus cōcupiscibilis, cū parte rationali. Itē hanc: Lex est mensura & imago eorum, quæ natura iusta sunt. Propterea quòd consonantia & imago metaphoram habeant paulò longius ductam. Item

hanc: Phlegma est humor indigestus primum exundans alimento. Propterea quòd primum nō erat necessarium, tametsi non falsò addatur. Cuiusmodi leges definiendi, & his multò angustiores praescribit in eo, quem diximus, libro, Aristoteles, quas hic non obseruat Vlpianus. Primum, quòd iustitiae non simplex sit significatio. Deinde quòd nōdum satis cōuenit inter iurisconsultos, quae nam iustitia hac definitione describatur, commutatiua ne an distributiua: generica an specifica. Deinde quòd non minus sit ambiguum pariter & obscurum, quonam pacto iustitia dicatur esse uoluntas suum cuiq; tribuendi, quàm quomodo ius appellatur à iustitia, eaq; nominetur, quòd uim sistat, nec progredi patiatur, quandoquidem usque adeo se uariant negotia, ut uix, ac ne uix quidem inuenias, quod in tāta uarietate iudices esse iustum. Praeterea quòd pauci admodum sunt, semperq; fuerunt, qui ducuntur recto iudicio mentis, hoc est, certa & perpetua illa notitia naturali, aut certe notitijs, quae sunt consentaneae illi naturali iudicio, quales nimirum regentis uoluntatē, docentisq; quae actiones conueniant homini, & conseruent humanam societatem, deberent adesse, si definitioni fuerit satis, ac ut maxime adsit, tamen posteaquam (ut ferè fit) uoluntas non obtemperat, ideo iniuste agunt, non ergo suum cuiq; tribuunt. Ad extremum, quòd iustitiam ex equo, imò impense plus tueatur aequitas atq; uoluntas. Et hoc illud est, q in Codice de iudicijs scribitur: Placuit in omnibus rebus potiorem esse iustitiae aequitatisq;, q̄ scripti iuris rationem. Aequitas enim probabili ratione incertis circunstantijs legem moderatur. Excusat egregius, scilicet, patronus.) Papae, λιχνεία tua haec quantum in te rectius competit? utpote qui dum singularem Rodolphi modestiam eleuas, tuam prodis inanem loquendi profluentiam, atq; adeo domestico praeconio plures arrogantiae tuae testes colligis. Cicero iureconsulto nostro consentit.) Admodum scilicet. Quin tu sentis Rodolphum in definiendi diuidendiq; ratione non loqui ciuili modo, & ὡπλάτει (ut iureconsulti more loquar) sed dialectico physicoq;, neq; illi magnopere probari alias definitiones, quàm, ut uocant, essentiales, quae explicant rei differentiam propriumq;. In quibus solenne est apud Aristotelicos post uerbum est, mox genus subijci, deinde differentiā, aut certe proprium. Id quod Cicero pro uetere consuetudine semper, aut ferè semper obseruat. Vlpianus alijq; suae turbae non obseruant. Tametsi non uideatur.) Atqui Rodolphus in tradenda inuētione dialect. legens subinde titulum suū, planè exacteq; perspexit, quid scribendum sumpserit, nō quatenus alijs indulgendum fuerit. Ad haec praecipit ratio atq; doctrina, ut uis eius rei, quam definias, sic exprimatur, ut neq; diminutum sit quicquam, neq; redundans. Proinde Gellius lib. 2. cap. 25. subindicat M. Varronem duob. modis lepide magis atq; iucunde, quàm plene aut probe inducias definiuisse.

Subijcit idem Agricola.) Si diuisio est generis in species per differentias diductio, placuitq; omnem diuisionē duabus differentijs è diuerso positis debere proficisci: Deinde ut repugnent eae differentiae, hoc est, ut nequaq̄ in idē conuenire possint: Postremo ut quicquid in genere cōtinetur, id totū differentiae explicent: non possunt nō subuerti hae diuisiones. Quod autem reprehendit Rodolphus, hoc est, quod (ut ipse uult) iureconsulti ius priuatū in naturale, gentiū, & ciuile diduxerunt. Quū tamen ea diuisio nō magis priuati sit iuris quàm publici. Qua de re non inutile fuerit legere Laurent. Vallam 4. Elegan. lib. cap. 49. Quo argumēto apparet, non legisse eum iureconsulti uerba.) Neq; te (ut absit inuidia dicto) dialecticas praeceptiones, quae praescribunt partes cuiusq; diuisionis eiusmodi esse debere, ut ne de plurib. dici queant, q̄ ipsum illud quod diuiditur. Iam si ius publi. ius est, id certe aut naturale, aut gentiū, aut ciuile sit oportet. Quō fit, ut partes quidē posterioris diuisionis de iure publico

publico uere dicantur: ipsum autem quod diuiditur, nequaq̃. Atq; hoc esse illud, quod fugillandum existimat Rodolphus, ipsius quæ continuò subiungit uerba ostendunt: Quasi, inquit, ius publicum, neq; naturale esset, neq; gentium, neq; ciuile. Sed ab aliquo discipulo.) Erras si credas tam stupidi fuisse ingenij Rodolphum, ut more hominum, quiduis ab alijs utcũque acceptum, minimeq; satis expensum, continuo traduceret. Si enim Vlpianũ à fonte.) Nullum omnino doctrinæ genus est, in quo non fuit exquisite uersatus Agricola. Non igitur è fæcib. hausit, sed è capite, unde premanant omnia, arcessiuit. Quid? quod apud religiosum Hollandiæ Aemstelredamum in ædibus Pompeij Occonis etiamnum asseruatur instructissima bibliotheca Rodolphi, in qua præter cæteros omnis genus libros, hodieq; ostẽduntur & Pandectæ per eundem accuratius expensæ. Quid hic referã, quod scribit in quadã ad Ioannem fratrem epistola: Hodie proficiscor in Hollandiã, nomine reip. nostræ, &c. Eloquar an sileam? præcipuum cõsiliariorũ ornamentum fuisse unũ atq; adeò unum Rodol. Agricolam. Idq; primum apud Sigismundum, deinde apud Maximilianum Imper. quum in alijs comitijs, tũ potissimũ apud Brugas celebratis. Iam uero quando in Agricola nullius nõ artis aut perfecta, aut certe non dubia uestigia reperiantur: consentaneum erit eum etiam legisse Vlpianũ. Legisse? Imò uerò accuratius memoria tenuisse, posteaq̃ religio sit apud Phrisios iuris ignarũ esse. Documẽto sunt & reconditæ eiusdem lucubratiões, in q̃bus obiter toties iuriscõsultorũ decreta tã apposite accõmodat. Desino esse prolixior in re manifesta. Verum est enim quod Aristot. inquit: Stultũ est stultas sentẽtias accurate refellere. Sed iãdudum tempus, ut audiamus Vlpianũ dig. lib. 1. tit. 1. Huius studij duæ sunt positiones, publicũ & priuatũ. Publicum ius est: & quæ sequuntur. Ius est scientia æqui & iniqui.) Andreas Alciatus libri παρέργων primi, cap. 30. Inclamant in nos ijdem literatores, & ius inepte Vlpianum diffiniuisse aiunt, quum dixit esse artem boni & æqui, quem tamen si recte intellexissent, non arbitror tam temere damnassent. Igitur sciendum id Latine æquum dici, quod Aristoteles τὸ ἐπιεικὲς uocat, estq; naturalis quædam moderatio, quæ in pectoribus hominum residet, nec satis lege præscribi potest. Tranq. in Calig. de iuris quoq; consultis, quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus, sæpe iactauit se effecturum, ne quid respondere possent præter æquũ: hoc uidelicet significans, iuris scripti libros se aboliturum, quod immanissimi Tyrãni dictũ habet etiamnũ declamatores aliquos, quibus maxime arrideat: quorũ in iureconsultis (ut apparet) eadem sunt uota, quæ libitinariorum in medicis. Sublato enim iure scripto, quid aliud supererit, quàm ut omnes pro stultitiæ suæ captu iudicent, sententiasq; in cuiusq; gratiam uel odiũ arbitratu suo ferant, uniuersaq; litium trichis inuoluant. Nam quid arrogantius ineptiusq; existimari potest, quàm semel tot sapientibus decreta, summaq; cũ ratione mille & amplius annorum usu stabilita rescindere, & iudicum præsertim nostri temporis uoluntati permittere: quorum non multos reperies, qui bonis artib. potius, q̃ ambitu & commendatione in ordinẽ adsciti sint? Sed hæc satis, qđ ad æquũ attinet. Bonũ accepisse uidetur Accursius eã æquitatem, quæ ex ancipiti hinc atq; inde inclinantis animi motu præualet, & scriptis mãdari potest: qualis est usucapionis materia, & apud Cic. ius quod Iupiter sanxit, ut omnia quæ reip. salutaria essent, legitima & iusta haberentur, ut bonum etiam id significet, quod in quacunq; ciuitate utile est, tametsi non semper cum æquitate concordet: Videtur quae Græce δίκαιον dictum: ut Grammatici attestantur, παρὰ τὸ δύο ἔχειν, quòd ex duabus partibus secernat, quid præualere debeat. Igitur ius ipsum est ars, id est, collectio omnium præceptorum boni & æqui. Diffinit autem Vlpianus ius nostrum, ostenditq; id fecisse nostrates iureconsul-

tos, quod tantopere exoptauit uidere. Cic. de oratore libro primo: Dum si, inquit, aut mihi facere licuerit, quod iam diu cogito: aut alius quispiam, aut me impedito occuparit, aut mor tuo effecerit: ut primum omne ius ciuile in genera digerat, deinde eorũ quasi membra dispertiat: tum propriam cuiusq; uim diffinitione declaret: perfectam artẽ iuris ciuilis habebit. Nihil aliud igitur est ius, q̃ æquitatis bonitatisq; huius in artem redacta à iureconsultis nostris collectio. Hactenus ille. Si unq̃ aliàs, nunc certe maxime, idq; pro iure suo Titanicũ obtuebũtur, atq; (dicam enim Græce, quò dicam melius) μανικὸν βλέπουσι, adeoq; impendio plus semper inclamabunt: Ecquid ni inclament uero? Posteaquã tu nobis nouus Aristarchus, Rodolphum Agricolam uirum planè diuini ingenij uitæq; inculpatæ, non uereris citra causæ cognitionem (quod uos iureconsulti uocatis ἐρημοδίκιον) damnare iuxta ac ceu aliquem è triuio literatorem uocare, quem Hermolaus ille Barbarus ingeniosissimus & perinde literatissimus tã admirabatur, q̃ qui maxime. Quẽq; D. Eras. Roterod. Christianæ pietatis & politioris literaturæ uindex constantissimus, adagio: Quid cani & balneo: hominem quantum alium neminem doctum deprædicat. Nam illud quid attinet commemorare, quod idem de eodem refert lib. de ratione cõcionandi 2. De his, inquit, accuratissime nostro seculo scripsit uir immortali gloria dignus Rodolphus Agricola. Scripsit autem exactissima cura, phrasi uerò qua nihil esse potest expolitius. Testatur hoc ipsum & Philip. Melanch. in epistola nõ minus prolixa quàm literata, qua compendio perstringit Agricolæ uitam, mores & eruditionem. Agedum quid tãdem prætexas, cur unicum illum Germaniæ nostræ Phœnicem appellas literatorem, an quia lib. I. Inuent. dial. cap. 6. ita scripsit? Inuenimus primũ ius uim quandam in se habere cogẽdi, & iussum, unde uidetur nomẽ traxisse. Quis non malit hoc etymon, quàm tuum plane detortum & coactum sequi? Si Plinio pratum dicitur, quia paratum, libro 18. cap. 5 Si taberna, quòd tabulis claudatur. Si sylua cædua, quod uel cædatur, uel excisa rursus ab integro è stirpibus iuxta ac radicibus renascitur. Si testamentum est testatio mentis. Inst. de testa. in princip. Cur Rodolpho non erit ius, quod uim quandam in se habet cogẽdi, & iussum, unde nomẽ uidetur traxisse? Cur impensius arrident tibi tuorum declarationes, si tamen eo uerbo fas est uti in uerbis tam ambigue dictis, quàm Rodolphi notatio, allusio, & etymologia, siue (ut ipse uocat) nomen rei? Verum age quo cœpimus pede pergamus paucis etiam manifestius ostendere. Mutuum, quia ex meo tuum fit. Inofficiosum testamentum, quia ante officium patris factum. Damnum infectum nondum factum, sed quod futurũ ueremur. Interdictum, inter duos dictum. Agrum, quod nondum habeat annum. Diuortium, diuersitas mẽtium, nimirũ quia in diuersas partes itur. Ad hæc ut quædam interpretationes conueniant, ut toga à tegendo, & dux quia ducat, & quia regat, rex: Ita pleraq; aut in aliquo non conueniunt, aut discrepant omninò. Id quod prolixius subnotat Agricola cap. de nomine rei. Verum præstiterit ascribere uerba Cice. lib. de natu. deorum: In enodandis autẽ nominibus quod miserandum sit laboratis. Saturnus, quia se saturat. Mauors, quia magna uertit: Minerua, quia minuit, aut quia minatur. Venus, quia ad omnia uenit: Ceres, à serendo. Quàm periculosa consuetudo? ac mox: Magnam molestiam suscepit & minime necessariam: Primum Zeno, pòst Euantes, deinde Chrysippus commentitiarum fabularum reddere rationem, uocabulorum cur quiq; ita appellati sunt, causas explicare. Adde huc, quòd Valla pro iure suo carpit Varronis etymos, quibus ipse & lusit & lusus est. Et ius inepte Vlpianum diffinisse aiunt.) Profecto nisi fingeres, non sic narrares. In confesso quidem est Celsum hunc in modum ius finijsse: Ius est ars boni & æqui ff. iustitia & iure. Quam finitionẽ fusius explicas

explicat Guilielmus Budæus lib. 1. annotationũ in Pandectas. Et ut eleganter definierit Celsus, non erat, quod adeò impotenter, ne dicã impudenter cũ Rodolpho longe modestißimo expostulares. Quandoquidem ille neminẽ quenq̃ uel definitione uel diuisione nominatim infamat: sed tñ in gñe dũtaxat, idq; quã põt modestißime sugillat, & nõ iniuria quidẽ sugillat. Sed operæpretiũ est illud prius audire, Bartolum improbare Placẽtini definitionem, Labeonẽ Tuberonis, aliosq; itẽ aliorum. Quid igitur uetat, quo minus dialecticus parũ dialecticos coarguat, idq; non minus erudite q̃ ciuiliter? Illud etiã præterire nec possum, nec debeo, te libri sex. paradoxorũ cap. 9. cõtra Angeli sententiam nõ admodum probare definitionẽ filij, nempe hanc: Filius est qui ex uiro & uxore nascitur. L. filiũ. de ijs qui sui uel alieni. Quãdo abunde satis constat Domitiũ Vlpianũ filium naturalem, nõ etiam ciuilem definire uoluisse, quũ fere lex naturaliter potius sit intelligenda q̃ ciuiliter L. Si quis. C. de ijs q ue. æta. impe. partim quod parũ liqueat, qua ratione ius ars esse dicatur: partim q illi etiã ipsi, quorũ glossemata extãt in Pandectas, uix, ac ne uix quidẽ cõstituere possunt, quodnã ius hac definitione describat. Ius enim in multas partes distribuitur, & nõ simpliciter usurpatur. L pe. & fi. de iust. & iure. Partim q fieri poßit, ut illud, cui tribuatur, quod non sit honestum, ex iustitiæ administratione ita proficiscens. Partim q uel citra omnem artem ius siue (ut habet Rodolphus) sciẽtia æqui & iniq potest constare, atq; hoc in reb. ipsis. Quẽ tñ si recte intellexissent.) Rectißime meo quidem iudicio, (ut si quis alius) intellexit Rodolphus, lib. de Inuentio. dialect. 1. cap. 5. hoc pacto definiens: Ius est decretum maioris potestatis, ad tuendum ciuitatis statum, ex equo & bono institutum. Quantò explicatius iuxtà ac luculentius Celso siue Iustiniano uestro Rodolphus noster? Ad hæc an est quisq̃, cui non magis arrideat Simoniãis definitio: Iustitia est uirtus, quæ suũ cuiq; tribuit. Qua in re prætereo illud, qđ mihi non minimo argumẽto ad huius rei testimoniũ esse poterit, Ioannẽ Apellũ in quarto definiendi genere ita scripsisse: Iurisprudentia est diuinarũ & humanarũ rerũ notitia, iusti atq; iniusti sciẽtia. Vel, est ars boni & æqui. Neq; enim uoluit Iurisconsultus hac posteriore definitione ius definire, sed ipsam iurisprudentiã, quæ est habitus animi ipsius uidelicet intellectus. Ius uerò nihil aliud est, q̃ relatio. Nã & obligatio est ius, & actio est ius, & dominiũ, & usufructus & pleraq; in Legib. infinita nimirũ spes ipsius iuris. Quod iuxta tritũ definiendi genus siue primũ etiã sic exacte definieris: Ius est facultas & autoritas agẽdi secundũ legẽ. Nõ arbitror tãtemere dãnassent.) Quid audio? Vsq; adeòne tibi desipere uidet Rodol. ut non poßit rationẽ reddere, cur minus ei placeãt iuriscõsultorũ finitiones? An est quisq̃ diligẽter in iure uersatus, cui nõ exploratũ sit, unãquãlibet iuris ciuilis definitionẽ parũ efficacẽ eẽ mõ exigat ad dialecticas pariter & philosophicas finitionũ leges? Vtpote q cõueniat inter omnes debere cõfici definitionẽ oẽm ex gñe & differẽtia. Docet hoc ipsum & Gel. li. 2. ca. 1. Nã hoc quidẽ, inqt, peruulgatũ est definitiones ex gñe & differẽtia cõsistere. Atq nobis maxime omnib. è reb. uerarũ differẽtiarũ penuria est. Proinde nisi iureconsultus ppriã uerãq; rei quã definire cupit, afferat differẽtiã, quæ rẽ ipsam ab alijs speciebus distare faciat, ut eã exacte cognoscamus qcqd finierit (mõ accuratius expendat ad dialecticorũ præscriptũ) nullo negotio cõtinuo subuertet. Videat hoc inepte à me dictũ, nec habeãt itẽ pondus quæ dico, nisi id ita haberi ipsius etiã uestri Vlpiani uerbis clarißime doceri potest. Vlpianus in L. Oĩs ff. de regulis iuris: Oĩs, inqt, definitio in iure ciuili periculosa est, rarũ est enĩ, ut subuerti nõ poßit. Age uero ad splẽdidũ quorũdã glossema ueniamus. Nos uero, inquiũt nõ uidemus Vlpianũ de definitione loq. sed de regula potius, quæ est Accursij interptatio. Quid nõ ẽ Andabatarũ more

 pugnare

pugnare, si hoc non sit? Inuitus dicam. Sufficiebat Accursium toties in Græcis coniectandis plusq̃ anilia somnia attulisse, nisi in Latinis quoq; definitionẽ nobis regulã interpretaretur, & eã plane Lesbiam. Fingamus Accursij interpretamentũ posse consistere. An non præter q̃ difficile est rem quandam in iure ciuili exacte definire, etiã rarũ est ita regulam (si mihi permittas uulgato more loqui) ex legib. colligere, ut non aliquoties parũ sibi consistat? Si quæpiã est regula, quæ pro uarietate circumstantiarũ non raro fallit, & in aliquo uitiatur, atq; perdit officium suũ (cur enim nõ utar uestris uerbis) certe iurisperitorum ea est. At definitionũ, de quibus loquitur Rodolphus, non longe alia est ratio. I nunc, & dic temere damnasse literatores, quod tot retrò seculis Vlpianus ipse, tam prudens ut parem non inuenias, constanter affirmauit. Huic confine est illud Ciceronis de finib. Definitio primum reprehẽso uerbo uno aut addito, aut dempto sæpe extorquetur è manib. Iam uerò quum ubiq; fere iurisconsultis solenne sit omisso dialecticorum præcepto de genere differentiaq; definitioni adhibenda, more suo quiduis promiscue definire: Qua fronte audebis eos temere damnasse pronuntiare? Definit aut potius describit quidem multa iurecõsultus pariter & orator: sed id faciet nõ tam presse & anguste, q̃ in dialectica inuentione id fieri consueuit: sed ita ut res explicentur, & uerba non periclitentur. Si enim Ciceroni respondere licuit Ebutio dicenti, se non deiecisse Cecinnam fundo, sed obstitisse intranti, à uerbisq; recedendum esse, & æquitate iuris utendum, ne non equitate defensionis, sed in uno litera ius latuisse uideatur: cur non liceat iurisconsulto? Igitur sciendum id Latine.) Ecquis est, qui credit hoc ignorasse Rodolphum literatorum studiosissimum, & studiosorum literatissimum? Quæ in pectoribus hominum residet.) Nec satis lege præscribi potest. Non erit igitur illa moderatio, ars. Quãdoquidem Aristoteles artẽ tribuit mechanicis, scientiam speculabilibus, prudẽtiam uero practicæ (ut uocãt) materiæ. Quinetiam Luciano definitore: Ars est ordo certarum propositionum exercitatione cognitarum, ad finem utilem in uita, ut testis est Fabius lib. 2. cap. 18. Verum ut ad pauca redeam, condonamus tibi Alciate hæc tam pudenda errata conuitia'que, sed ea lege, ut ne in libros, quibus dedisti titulum prætermissorum, prætermittas referre. Verbum nõ amplius addam, quando nimium altercando amittitur ueritas, memineris uelim eius, quod est apud uos iureconsultos decantatissimum: Lata culpa est nimia negligentia, id est, non intelligere, quod omnes intelligunt. Omnia actorum similia.) Nec tot nobis commentarios reliquissent, ut & Cleantem etiam aliquem φιλόπονον ab instituto queant deterrere. Nec in Saluiũ Iulianũ Marcellus & Iulius Paulus, in Papinianum idẽ Paulus & Vlpianus discipuli autore Aelio Lampridio, in Antistium Labeonem Paulus & Iabolenus, in Marcellum Martianus, in Serbidiũ Scæuolam Paulus & Triphonius notas scripsissent. Ne uel otium perpoliẽdis inuentis suis haberet.) Qui uere diligens est in negocio, nunquam sibi satisfacit semperq; uidet aliquid quod operi cœpto adijciat, cum ignauis quicquid agant nimium uideatur. Vt enim ignauis semper sunt feriæ: ita gnaui nunquam non multis & magnis distinentur occupationib. Atq; hoc opinor in causa esse, cur nihil aut ferè nihil ex tot tantis planè diuinis Rodolphi Agricolæ lucubrationib. uel ex prima quidẽ scheda satis repurgatũ habeamus. Qui sanandũ è pedum dolore laborantẽ suscepit.) Nec hic locus mendo caret. Quis unq̃ dixit laborat è febri. Laboro enim uocabulo morbi nunquàm addit præpositionem, sed bene ablatiuus partis laborat è pedibus. Nec repugnat Terent. illud in Andria: laborat è dolore & cæt. Nam illic nõ morbum significat, sed partus dolores, quasi dicat partus doloribus corripitur, ex dolore, hoc est mœrore ac solicitudine quod in hunc tibi diem cõstitutæ sunt nuptiæ.

Satis

Satis putat stuporem ægris membris inducere.) Experientiores medici, quoties ægroti usq; adeo tentantur, ut tolerando cruciatui, uix aut ne uix quidem pares esse poßint, solenne habent stupefacientia adhibere remedia, uerum modice, atq; id quidem non nisi in præsenti periculo, sic enim eos docuit Hippocrates, ναρκη μετριη ὀδύνη λυτική. *Victoriam enim expectat.*) Ita fit in rebus humanis, ubi semel studiorum adeoq; disputationum pugna incaluit, non hoc agit quisq; quod ad rem aut concordiam faciat, sed quod ad uictoriam. *Da Aristotelem & Aristippum de summo bono contendentes.*) Vide Laurentij Vallæ declamationes de uoluptate ac uero bono. *Ergo si ex uulgaribus & longius petiti.*) Sane huiusmodi dialecticus in topicis Aristotelis instruitur. *Da Aristotelem.*) Is felicitatem summam in triplicibus bonis positam esse opinatus est, & præterea in contemplatione summæ potentiæ, aut circa summum obiectum. Epicureorum Stoicorumq; dißidium uidere est apud Senecam in calce libri de uita beata. *An non hinc firmamentum roburq;.*) Hæc eò spectant, ut intelligamus nihil esse discriminis inter disputationem & artium traditionem, quod ad argumentorum attineat inuentionem. Nam si quisquam de re quapiam disputat, quatenus potest, & illis ipsis utitur argumentis, quibus uteretur si res ea artibus esset comprehensa. *Velut scopuli artis.*) Politianus in præfatione Suetonij eodem modo usurpauit. Cumq; eundem, inquit, quasi in scopulum uterq; aspiciat.

Quid sit quæstio, & quas diuisiones eius fecerit Cicero, quas Aristoteles. Cap. VIII.



QVæstio igitur, quoniam circa eam omnis differentis uersatur labor, quid sit, & quæ species partes'ue illius, & quomodo inuenienda (nam & in hoc nonnunquā laboratur) explicemus. Quæstionem Boëtius definiuit esse dubitabilem propositionem. Quod si propositio est id, quod hoc nomine prędiximus Aristotelem accipere, non inuenio equidem, quid inter quæstionem & propositionem intersit, ut uideatur Boëtius pro genere, quod idem sit posuisse. Sin propositionis nomen capimus, ut uulgo nunc accipitur, pro eo, quod Aristoteles ἑρμηνείαν, Cicero pronunciatum interpretatus est, non omnis dubitabilis propositio est quęstio. Hæ nanq;, uirtus est summum bonum, solus sapiens est diues, dubitabiles quidem propositiones erunt: quæstiones tamen non sunt: affirmant enim aliquid: qui quærit autem, nihil affirmat. Rectius uel explicatius utcunq; uidebitur dici: quęstio est cum interrogatione elata * oratio. Vt, utrum uirtus sufficiat ad bene uiuendum? utrum consummata uirtus uoluntate an opere constet? Diuiduntur autem quæstiones non uno tantum modo. Nanque & pro rerum de quibus quæritur differentia, & pro diuerso modo quærendi, & pro artium ad quas pertinent diuersitate,

* Dubitabilis, uidetur desiderari.

sitate, aliæ fiunt atq; aliæ quæstionum diuisiones: quæ cuiusmodi sint, ordine prosequamur. De rebus quærimus primum, sint'ne omnino'nec ne sint. Vt, sit'ne anima. Antea enim quàm esse res detur, nihil est quod ulterius possit quæri. Primum enim omnium quod cogitationi notitiæq; nostræ de ulla re obijcitur, est esse. Quo fit, ut hæc prima sit quæstio, & quam nulla alia queat præcedere. Quinetiam si de his quæ non sunt, suscipiatur nobis aliqua disputatio, quæ ad hanc quæstionem non pertinet: fingimus semper hanc præcessisse quæstionem, & tanquam de existentibus disserimus, ideo'que suspensi semper ex ea conditione, si res sit, agimus: quam ubi abstulerimus, mox omnia quæ huic uelut fundamento incumbebant corruunt. At ubi rem esse persuasum est, proximum est quærere de substantia eius, hoc est, quid res sit. Vt sit ne idipsum anima, quod uis illa qua cuncta uiuunt, quod definitione explicatur. Ea quid sit, superiore libro diximus. Deinde iam quærimus ea, quæ circa uel extra substantiam rei sunt. Vt, sit'ne anima indiuisibilis. Vt'q; etiam sint intra substantiam eius, non tamen id agimus quæstione, ut id exquiramus: ut qui quærat, sit'ne anima uis illa qua cuncta uiuunt, potest hoc quæri sic, ut inuestigetur, sit'ne id uerum an non: deinde, ut uerum sit, reliquum adhuc est, sit'ne hæc animæ definitio. Tria hæc quæstionum genera Cicero uocauit, primum quidem an sit, secundum quid sit, tertium quale sit. Et qui rhetorica post Ciceronē scripserunt, Quintilianus utiq; & Hermogenes, hanc diuisionem sunt secuti. Aristoteles tribus his quartum addidit genus, quod uocauit propter quid. Vt sit ordo quæstionum, uerbi causa, de deo quærimus primum, an sit deus. Quod si negetur, nihil est, quò ulterius progrediamur: sin detur, tum quærimus, quid est. Id ubi constiterit, tum qualis est, ut sit'ne æternus. Quod ubi acceptum est, tum postremum, propter quid sit æternus: quam quæstionem (si Ciceronem autorem sequimur) ad quale est redigemus. Si enim explicetur hæc quæstio, ut si quæratur, propter quid deus est æternus, dicatur'q;, quoniam quod est, ex se ipso habet, si de hoc disserere uolemus, hæc erit quæstio, sit'ne habere esse à se ipso causa æternitatis dei: uidebitur nimirum hæc quæstio de qualitate esse: quoniam esse causam uel non esse, qualitas (ut nos iam de qualitate loquimur) uidetur. Quod

autem

autem Cicero tria hæc quæstionum genera, de ciuilibus rebus disserenti subiecit, non satis exacta ratione uidetur factũ. Quicquid enim rhetor quærit, ad qualitatem pertinet. Nec enim an est, aut quid est, ut sint quæstionum capita, in forum uenire possunt: nec quicquid coniectura exquiritur, pertinet ad quæstionem an est, ut ipse uoluit. Vt diximus enim, an est, primum est quod potest ulla de re quæri, cuiusmodi certum est nihil quæri in foro. Nec enim an fecerit furtum Trebius, primum est quod in hac quęstione quæri possit. Prius enim dicet reus (ut inquit Quintilianus) proba te habuisse, proba perdidisse: deinde, proba mea fraude perdidisse: hoc postremum est id de quo quęritur, ad quod tamẽ nisi prioribus quęstionibus explicatis perueniri non potest. Sed neq; an habuerit rem, prima est quęstio: natura enim pręcedat oportet, an sit Trebius, an sit res quæ dicatur ablata: deinde sequitur iam primũ, an Trebius hãc rem habuerit. Sic etiam, occiderit'ne per insidias Clodium Milo, coniecturalis est quæstio: prius tamen est, an Milo occiderit Clodium, an occisus sit Clodius: & quod primum est, an fuerit omnino Clodius, hæc sola enim est (an est) quęstio, reliquę qualitatis sunt. Definitionis etiam quæstio ad forum non poterit afferri. Quicquid nanque quęritur in foro, aliquid horum trium esse oportet, sit'ne factum quod aduersarius intendit, sit'ne id nomẽ facti quod ille dicit, sit'ne iuste factum. Primum ad qualitatis quæstionem pertinere modo docuimus: de postremo nemo est qui dubitet: secundum uoluerunt esse definitionis quęstionem: quod non esse uerum, facies ipsa quæstionis ostendit. Qui quęrit enim, an rem prophanã de sacro subducere sit sacrilegiũ, an poculũ amatoriũ sit uenenũ, non quęrit definire aliquid istorum: sed neq; sacrilegium esse definitionem eius quod est subducere rem prophanam de sacro, neq; uenenum definitiõem esse poculi amatorij, nemo nisi qui nesciat quid definitio sit, ignorat. Sed scio quid respondeatur, ut quæstio enim non sit de definitione, status tamen quæstionis, hoc est, id in quo tota uis est quæstionis, est ex definitione. Esse enim subductionem rei prophanæ de sacro, sacrilegium: & poculum amatorium, uenenum: apertissime ex definitionibus istorum perspicietur. Perspicietur quidem, si de definitione istorum inter partes conueniat. Sed primum quisque suo arbi-

tratu definitionem dabit: alioquin si de ea dubitari non posset, non maneret utique quæstio: ut, si sacrilegium definiatur esse ablatio cuiusuis alienæ rei de sacro, certum est nullam hic futuram quæstionem. Verum hoc æque dubium est, atq; id, de quo ambigitur. Ergo inter locos ponetur quidem definitio, caput esse quæstionis non poterit. Sed alijs etiam uberioribus & aptioribus argumentis quæstionem explicabimus quàm definitione: quod apud autores, usu, certissimo rerum magistro, paratum est deprehendere. Cicero contra Antonium, quod nomine actorum Cæsaris, libelli & chirographa non contineantur, probat usu loquendi, ęquitate, exemplis. Definitum esse ab eo quid sint acta, nusquã in ea uideo oratione. Quintilianus item in odij potione, definire quidem uisus est uenenum, ut sit quicquid dari non licet: sed nihil iuuabit hæc definitio causam suam: æque enim est incertum, sit'ne odij potio uenenum, & liceat'ne dari odij potionem: in eo præsertim rerum casu quem themate declamationis expressit: sed alijs multis & uarijs argumentis acute colligit id, quo maxime nititur, rationem (quæ anima legis est) huic facto conuenire: & æquitate, quę ad qualitatis utiq; statum pertinet, præcipue pugnat. In hancq; omnes quicunq; id genus quęstionis tractauerunt autores, uideo omne robur dictionis suæ contulisse. Quod si ergo neq; caput cuiusquam quæstionis ciuilis definitio erit, neq; præcipue firmamentum illius, non poterit ulla definitionis sibi accipere nomen.

IN CAPVT VIII.

Quæstionem Boëtius definiuit.) Boëtius sanè tam ridiculus nõ fuit, ut crederet omnem propositionem, quæ quoquo modo dubitabilis esset, continuo uocari debere quæstionem. Cæterum uerba eius referantur oportet ad proponendi modum, ut sit hic sensus: Quæstio est propositio ita in medium adducta, ut ipso pronunciandi modo significet quispiam se de ea dubitare. Atqui cum ita dicitur: Virtus est summum bonum, nam etsi res ipsa inter philosophos controuersa est, tamen quia ita pronuncio, perinde ac de ipso non dubitem, sed certo sciam uirtutem esse summum bonum, ideo nondum est quæstio: tum demum quæstio futura, ubi significauero me de ea re dubitare, hunc in modum: Est'ne uirtus summum bonum? Quæstio est cum interrogatione elata dubitabilis oratio.) Dubitabilis nullum exemplar habuit, sed ut adijcerem, autor fuit ingeniosiss. pariter & doctiss sacræ theologiæ professor D. Hermannus à Gauda &c. ac plane hic dormitauit Homerus, uel Aristoteles potius hic Phrisius, imò adeo uix credo quin sic aut scripserit aut certe scriptum uoluerit, nam quod ita senserit, & res ipsa & exempla loquuntur. Quæstio est cum interrogatione.)

tione.) Oratio inquam non quæuis, sed ad quam commode responderi queat, esse ita, aut non esse. Quod genus est: Dij ne hunc ardorem mentibus addunt? Euriole, an sua cuiq; deus, fit dira cupido? An expediat uni committi summam rerum? Et, an summus pontifex poßit aliquid statuere aduersus apostolorum decreta? De his quæ non sunt suscipiatur.) Lege Thomam Morum in Vtopia. Quô fit, ut hæc prima sit quæstio.) In ijs quæ homo hominem docet, quæstio (ut aiunt) nominis est prima: scilicet quid significet anima, deinde sequitur quæstio, sit'ne anima, & cæ. Cæterum in ijs quæ ipse homo suapte inuenit indagine, quæstio, sit'ne res eiusmodi, quam mente concipit, prima est. Vt sit'ne idipsum anima.) Anima est substantia incorporea, pars substantiæ hominis. Nos peculiarem substantiam & separabilem à corpore facimus. Vergilius sensit esse uitales spiritus, qui sunt in sanguine: Purpuream uomit ille animam Idem senserunt qui animam ignem esse dixerunt. Vergil. Igneus est illis uigor. Nam uitales spiritus sunt calidi & humidi, & qui harmoniam esse uoluerunt, qualitatum temperaturam animam uocarunt. Extat eruditum iuxta ac compendiarium Caßiodori senatoris opusculum de anima, ubi præter alias definitiones, hanc quoq; perstringit. August. de anima & eius origine libro 4. cap. 16. Idem epistola 28. quæ est ad Hieronymum. Ambrosius lib. 6. Hexameron cap. 7. & 8. Plutarchus in libello: Sic uiue, ut nemo te sentiat uixisse. Et Hermogenes.) Sunt qui malint legere Hermagoras, quod Quintil. lib. 3. instit. cap. ultimo dixerit: Paulum in his secum etiam Cicero dissentit. Nam in rhetoricis, quemadmodum supra dixi, Hermogaram est secuti. Cicero etiam optime in Bruto: Sed ad inueniendum, inquit, expedita Hermogaræ disciplina. Sed hi suo se iugulant gladio, quod is non scripserit rhetorica post Ciceronem, sed multo ante. Testis est Quintil. eo quem modo citauimus loco, & Trapezontius lib. rheto. 5. Philostratus item lib. 2. de uitis sophistar. Dicebat enim uerba sine arte apud Homerum euolare, mox ea Hermogenem tanquam pennas obseruasse. Non satis exacta ratione.) Quanquam si quis rem paulo preßius introspiciat, huic non deerit fortasse quod pro Cicerone respondeat. Nec enim an est, aut quid est, ut sint quæstionum capita.) Alijs aliter uidetur, equidem cum tria soleant quæri in iudicijs, sit'ne factum quo accusatur reus, sit'ne id facti nomen, & sit iuste ne, an iniuria factum. Illud porro primum, sit'ne factum, uolunt uocari in causis, disputationibusq; ciuilibus quæstionem si est. Non tamen esse id tam exacte iudicandum, perinde atq; in philosophia, quando quæstio an sit, non solius est præsentis, sed etiam præteriti, futuriq;. Quid igitur, inquiunt, est discriminis si quis quærat, fuerit ne hoc quo accusatur, & factum ne fuerit. Ad hæc, quod attinet ad definitionem, sub qua & descriptio comprehenditur, sæpe totus cardo, statusq; causæ uersatur in nomine rei, quanam uocemus appellatione. Sic etiam occiderit ne per insidias.) Quintil. lib. 3. cap. ultimo. Aliquid horum trium esse oportet.) Idem eodem quem modo citauimus loco. Definitionis etiam quæstio. Quæstio definitionis ea est, qua quæritur definitio de definito. Atqui hoc non fit cum quæritur de nomine facti, proinde quæstio quæ fit de nomine, non est quæstio definitionis. Et si hæc quæstio finitionis non est, tum necesse est eam quæstionem non uenire in forum. Sed scio quid respondeatur.) Hoc est, Dicet quispiam, non ideo uocari hanc quæstionem definitionis, quod de definitione quæratur, sed quod ex definitione facile perspici poßit, uerum ne an falsum sit de quo ambigitur. Atq; hoc ipsum etiam uoluisse Ciceronem, nempe quæstionem definitionis per definitionem utcunque posse explicari. Non quod in quæstione ipsa quæratur definitio, cui rei potest esse inditio Cicero pro A. Cecinna: Deiecisti Ebuti Cecinnam ex fundo, in cuius poßeßione erat hominibus ar

matis. Cui Ebutius: Non deieci ex fundo, sed à fundo. Ago igitur, inquit Cicero, interdicto prætoris &c. Non enim, inquiunt, uult Cicero in quæstione ista definitionem peruestigari, cæterum quod ea utcunque innotescat ex definitione. Ad quod respondit Rodolphus, posse quidem id ex definitione perspici, si modo quænam rei definitio sit inter partes conueniat. Cæterum in huiuscemodi controuersijs non minus ambigi solere de definitione ipsa, quàm de eo, quo de principalis est quæstio. Proinde definitionem ad hanc rem non sufficere, sed alijs quoque argumentis utendum. Status tamen quæstionis.) Quintil. lib. 3. cap. 8. Ergo inter locos ponetur.) Sane inter locos ponunt & definitionem, ac indidem nituntur colligere, rem tali nomine donandam, nec definitionem habent caput quæstionis, sed quæstionem, quid est, id est, quo nomine res sit appellanda. Atque ob id statum finitiuum dederunt, quod rem explicarent aliqua definitione in medium adducta. Quod si aliud adferrent, tota argumētatio spectaret ad quæstionem quid est. Id est, nō quæ sit rei definitio, sed quo nomine uocetur.

Cicero contra Antonium.) Cic. in 1. Phil. dicit sibi placere, ut acta Cæsaris non aboleantur, cæterum actorū nomine leges à Cæsare latas intelligi uult, nō libellos, nō chirographa, quæ ab Antonio proferebantur. Quæ anima legis est.) Quod autem ratio sit anima, siue mens legis, legere est. ff. de actio. rer. amot. L. Si mulier ff. de leg. 2. Cum pater. Ne rerum. Item ff. de iure patro. L. Adigere. Diuiduntur autem.) Aristoteles in 2. libro ὑςέρων ἀναλυτικῶν, ubi docet exacte examinare & excutere id de quo dubitatur, quæstiones quatuor facit. An sit, ut sint ne Pygmæi, sint ne Cometæ. Quid sit, ut quid Pygmæi sint, homines an bestiolæ, quid Cometa sit, accensus ne uapor, aut stella, ut & Lucanus uocat, crinemq; timendi Syderis. Quod sit, non est interrogatio, sed ad circunstantias pertinet, & significat, quod tribuantur ei de quo loquimur, scilicet, loquantur ne Pygmæi, qua figura sint, quo colore, qua magnitudine. Aristotelis interpres ita explicat, quòd sit, τὸ ὑπάρχον τινι κατηγορούμενον, id est, docet quod aliquid themati tribuatur. Quare sit, cū causæ rei quærun tur, ut ex cuiusmodi uapore constet Cometa, quibus ex causis tā pestilens uapor cōtrahatur.

Diuisio quæstionum ex rerum quæsitarum diuersitate. Cap. IX.



HAec Aristoteles de quæstionibus, hæc Cicero. Dicam & quod mihi uidetur, uerum illi sequendi erunt. Primū itaque uidetur mihi (si quæstionem uocemus id quod prædiximus) orationem per interrogationem elatam, cui esse uel non, potest responderi: quatuor illa quæ ab Aristotele numerantur, non esse quæstiones, sed modos quosdam quærendi, & prolectantia (ut ita dicam) quæstionem. Quod in ea quidem, quam (an est) dicimus, dubium potest esse: quoniam ipsa quæstio, cum eo quod modum quærendi dicimus, in idipsum recidet. Vt si interroges, an est homo, respondeaturq; esse hominem, idem erit quæstio, est ne homo? & interrogatio, an est homo? quo fit, ut de hac interrogatione in hanc uel illam partem pos-

sit differi. In reliquis apertius est: si dicas enim, quid est homo? nihil de hoc possis disserere, nisi respondeat is, qui interrogatur, homo est animal rationale. Iam quæstio erit, sit ne homo animal rationale: deinde, sit ne animal rationale definitio hoïs. Nec enim satis est, uerum esse quod in hac quæstione respondetur: sed ad certam legem uerum esse oportet. Si quæras enim, quid est homo? & respondeatur, est animal binos habens oculos: uerum quidē est quod respondetur, sed non recte responsum dicas: quoniam equus binos habet oculos, non tamē est homo. Oportet ergo respōderi aliquid, quod definiat hominem: quod an fiat, hoc genere quæstionis disseretur. Sic & qualis est sol, nihil possis de hoc dicere, nisi respondeatur obscurus, uel globosus, aut simile quippiam. Et, propter quid est obscurus? nihil itidem habes, quod dicas, nisi dicatur, uel hoc, quoniam luna obiectu suo illius aspectu nos prohibeat: uel aliud aliquid in hāc sententiam. Non igitur quæstiones sunt primæ interrogationes illæ, quando nequit de eis uel in hanc uel in aliam partem dici: sed responsum aduersarij, interrogationi datum, cum in dubium uocatur, fit quæstio. Quæstionum igitur genera duo uidentur, simplex & composita. Simplex est, quę unum quærit de uno. Vt, sit ne mundus æternus. Composita, quæ plura de pluribus. Vt, sit ne mundus æternus, & idem ex indiuiduis compositus corpusculis. Simplicium tres sunt differentiæ. Prima est, quæ quærit, an sit res. Ea cuiusmodi est, prædiximus. Prima enim hæc est, quæ ulla de re quæri potest: ut, an sit deus, an sint dęmones. In hac complectimur, non solum, quę an sit, sed an erit, an fuerit, quærit. Hęc autem, an fuerit bellum Troianum, non est huius generis. Idem enim est quærere, an fuerit bellum Troianum: &, an Troia gesserit bellum: quod utique horum uerborum quæstio prima esse non potest, quum possit quęri prius, an fuerit Troia, quippe quod etiam autores quidam crediderint, omnem rem Troianam & Troiam ipsam inania poëtarum esse commenta. Quanquam autem in hac quæstione, an est homo, prius possit quæri, an est animal: (nam si nullum animal sit, non potest homo esse) istud tamen in quæstione uelut confessum non ponitur. Vt enim concedamus esse hominem, non continuo ex huius quæstionis ratione concedemus, hominem esse animal: sed antea-

quàm concedamus fuisse bellum Troianum, necesse ex uerbis quęstionis fateri, Troiam fuisse. Secunda quæstio est, ubi datum est rem esse, ut quæramus, an res sit illud. Vt an homo sit animal, an sit capax disciplinæ. Huius etiam generis mihi uidetur, quam Aristoteles uocat propter quid, ut cum quærimus, sit ne interpositio lunę inter solem & nos causa defectus solis. Tertia est quæstio, quomodo hoc sit illud, id est, quo pacto hoc de illo dicitur. Quod quadruplex est. Quorumcunq; enim alterum de altero dicitur, aut sunt definitio & definitum, aut genus & species, aut propriũ & subiectum, aut accidens & subiectum. Priores quatuor ergo pro hac diuersitate fiunt quęstiones. Prima est, an hoc definitio sit illius: ad quam redit, an illud definitum sit huius, simul enim explicantur ista: si enim hoc est definitio, necessario illud est definitum. Secunda, an sit genus illius: qua comprehenditur, an illud sit species. Tertia, an sit propriũ. Quarta, an accidens: quibus etiam quęstiones subiecti continentur.

Priores duę, interrogationem (quid est) explicant: posteriores, quale est. Id est enim quod Aristoteles ὅτι ἐστὶ uocat: quod interpres eius Latine nesciens, quia est dixit. Cur hunc ordinem fecerim quæstionum, id causæ fuit mihi, quod necesse est præcedere semper, an est, & an illud est: anteaquàm quid sit res, aut qualis, explicari queat. Nec enim hę interrogationes, quid est homo, aut qualis est, harum quęstionum explicatione, an homo sit animal rationale, an sit erudibilis, finiuntur. Vt enim detur hominem esse animal rationale, & esse erudibilem, manet adhuc quęstio, sit ne erudibile qualitas hominis: sit ne animal rationale id ipsum, quod est homo, id est, definitio hominis, uel quidditas eius. Vteremur enim & hoc uerbo, si nobis per grammaticos liceret: quemadmodum Cicero Lentulitatem & Appietatem, & Pollio Patauinitatem dixit. Aptus est utiq; eius & prope necessarius usus. Nec enim ullo alio satis commode explicare possumus τὸ τί ἐστι nisi id (ut uulgo solet) quod quid est interpretari uelimus, quod nec Græci sermonis proprietatem retinet, & segne planeq; expers usus et intellectus fit apud nos. Sed (ut ad rem redeam) manere has quæstiones hinc perspicuum est. Si interrogetur enim, qualis est homo, dicaturq;, animal rationale, quid dicemus? recte ne an secus esse responsum? si recte,

eadem

eadem erit quæstio, quid est & quale est: cum sine controuersia id recte etiam interroganti quid est homo, respondeatur. Sin minus recte responsum est, non erit error, quoniam non sit homo animal rationale: id enim in confesso est: sed quoniam pro qualitate respon sum est, quod non qualitas est, sed substantia eius de quo rogabatur. Quod dicimus autem, quæstionem generis, esse interrogationi quid est inclusam, id uerum est, quoniam bene respondetur, quid est homo? est animal: ueruntamen non sic, ut totam interroga tionem absoluat: nisi addideris enim uel differentiam uel propriũ, non uideberis satisfecisse quæstioni. Quo fit, ut cum de solo genere quæramus, solitum sit interrogari, non quid est, sed cuius generis re rum est. Vt, cuius generis rerum est lumen? substantia ne an accidens? Et sentire, non quid est interrogamus, cum scire tantum uolu mus, agere ne sit an pati: sed ad quod genus pertineat, actionis ne an passionis. Qualitatem etiam uocamus in præsentia, non ut sit unũ ex decẽ prædicamentis: sed ut qualitas sit, quicquid non est substan tia rei. Sic, & quantus est sol? &, ubi sunt Nili fontes? &, quando fuit Homerus? quæstione qualitatis continentur. Simplicium ergo quæstionũ hæc tria sunt capita, an sit, an sit illud, & quomodo sit illud. Compositarum quæstionum, alia est copulata, quoties duæ plures'ue simplices coniunctione copulatiua iunguntur. Vt, an sit uirtus summum bonum, &, anima sit ne mortalis. Disiuncta alia, cũ simplices disiunctiua coniunctione conferuntur. Vt, sit'ne mundus æternus, uel an quandoq; sit igni conflagraturus. Diuersa est de his quæstionib. ratio pronũciandi. Nam copulata, uera pronũciari (nisi fuerint ambæ omnésue simplices ex qbus cõponit, ueræ) nõ potest: sin aũt una fuerit falsa, tota dicet falsa. In disiunctis cõtra, si una fuerit uera, totam pronunciamus ueram esse: falsam autem, nisi ambæ fuerint falsæ, dicere nequimus. Tertia est, quam assertam uocare placet: ea est quæ constat coniunctione, quam subaduersantem uocant, ut an quamuis homo quiescat, non tamen sedeat, &: An quanquam Aristot. inambulet, disputet tamen: huius hæc est natura, ut ueram eam pronunciemus, si modo inter se quæ coniunguntur, non repugnent. Possemus & aliam addere istis, quæ simul ex disiuncta, & copulata aut asserta constaret: nisi superuacuum uideretur, quoniam

naturam copulatæ retinet: efficatior est enim coniunctionis copulatiuæ uis, & disiunctiuæ post se rapit potestatem. Vt an homo sit lapis, & animal uiuat, uel uiuum sit animatum. Licet enim disiunctæ huius utræque partes ueræ pronuncientur: tamen quia prior pars copulatæ falsa est, totam dicimus falsam. Sed de ueritate & falsitate pronunciatorum non huius est loci tractare, sed ad iudicandi partem aptius referetur. Interim satis sit, quod huius materiæ est, hactenus attigisse.

IN CAPVT IX.

Verum illi sequendi erunt.) Fab. Quintilianus: Honestus est error, magnos duces sequentibus. Omnem rem Troianam & Troiam.) Dion Prusensis in libro de Troia non capta: Quidam, inter quos est Aristoteles, scribunt Ilium nunquam fuisse à Græcis captum. Eusebius quoque libro temp. affirmat à primæ Olympiadis tempore Græcam tantum historiam creditam: Cum, inquit, ante hoc ut cuiq; uisum est, diuersas sententias tulerunt. Mihi uidetur longe aliud sensisse D. Augustinus cum sæpe aliâs, tum maximè libro primo ciuitatis diuinæ capite secundo. Circunferuntur hodieq; Dictys Cretensis de bello Toiano ac reditu Græcorum uolumina sex. Extat Daretis Phrygij de excidio Troiæ liber. Extat & Ilias nobile opus Homeri, quo Troiæ captæ historiam libris uigintiquatuor explicat, quum Virgilius duodecim libris complexus sit quod ex utroque opere uisum est decerpere. Huius etiam generis mihi uidetur.) Equidem cum quæro, propter quid sol patiatur deliquium, nondum constituta est quæstio, cæterum ubi aduersarius responderit, ideo solem deficere, quod luna interposita sit inter solem & aspectum nostrũ, tũ primũ quæstio I. existit, exoritur nempe hæc: An interpositio lunæ sit causa defectus solaris. Et dubium non est, quin hæc quæstio eius sit generis, quo quæro an hoc sit illud. Vide Plinium libro secundo capite decimo & septuagesimo. Id est enim quod Aristoteles.) Secundo posteriorum, cap. primo. D. Erasmus in annotationibus epistolæ ad Romanos capite quarto & septimo. Quemadmodum Cicero.) Lib. famil. epistolarum tertio, epistola septima. Et Pollio Patauinitatem.) Quintilianus lib. primo cap. decimo. Idem libro octauo cap. primo. Meminit eiusdem rei & Rodolp. in quadam ad Hegium epistola. Non uideberis satisfecisse quæstioni.) Laurent. Val. lib. in dialecticen I. cap. 21. Non ut sit unũ ex decem prædicamentis.) Alcuinus Leuita lib. de Trinitate ac mysterijs Christi ca. 16. Alexander Aphrodisiensis nobilis è Peripateticis philosophus, decem uoces elementa καὶ τὰ πρῶτα philosophiæ nominat, nimirũ ob id, quod in oratione docẽtis methodica primas sibi definitio uindicet, quæ nisi ex prædicamentis, nulla constitui potest. Quintilianus lib. 5. cap. 7. Quam subaduersantem uocant.) Aduersatiuæ coniunctiones sunt, quibus non obstare nec impedimento esse quod dicimus significamus: ut etsi, quanquàm, quamuis, licet, tametsi. Redditiuæ earundem sunt, tamen, attamen, sed tamen. Hi rerum ordines κατηγορίαι Græcis uocantur, uulgus nostrum prædicamenta nuncupat, substantiua, quantitatem, qualitatem, ad aliquid, agere, pati, ubi, habitum, siue ut alijs numerantur, essentiam, motum, statum, alterum, idem. Prior enumeratio uulgarior est, nempe Aristotelica, posterior non paulo eru

bis eruditior. Sed non refert quibus utaris nominibus, modo scias capita rerum esse, & modos internoscendi singula. Sunt qui tantum quatuor numerant, substantiam, quantitatem, qualitatem, & relationem, sub qua cætera ab Aristotele addita comprehenduntur. In disiunctis contrà.) A. Gellius libro quinto capite undecimo. Laurentius Vall. libro tertio capite quinquagesimoquinto. Aristoteles libro rhetoricorum secundo, capite uigesimotertio.

Quoniam naturam copulatæ retinet.) Scholastici fortasse dicerent eiusmodi orationem esse amphibologicam, pro eo quod uel copulatiua, uel disiunctiua intelligi potest, prout copulatiua aut disiunctiua coniunctio, pro principali orationis copula sumitur. Imò fortaßis & triplici amphibologia multiplicem.

Diuisio quæstionis ex uario quærendi modo. Cap. X.



Modi quærendi sunt duo generales. Aut enim asseueranter quærimus, aut cum conditione. Asseueranter quærimus, cum dicimus, an administranda sit Respublica. Cũ conditiõe, ut, an sit administrãda Respublica, si prouidentia mundus non regatur. Primam uocant Græci κατηγορικήν, quam nos possumus prædicatiuam dicere. Secundam ὑποθετικήν, quam nos conditionalem. Est autem quærere cum conditione, & simplici quæstione, & composita. Simplici, ut, an sit bene agendum si deus est. Composita, ut, an si uirtus est summum bonum, curanda sit Respublica, & honores expetendi: Sic & simplici quæstioni compositam addere cõditionem possumus, & compositæ compositam: quæ clariora sunt, quàm ut egeant exemplis. Hoc autem annotandum est, in prædicatiuis pronunciari uerum uel falsum, ex eius quod quæritur, natura. Vt, si quæratur, an sit deus, pronunciamus esse, idq; uerum esse, quoniam sit. In conditionalibus autem, non ex natura eius quod quæritur, sed ex conditione: idq; non ex ueritate aut falsitate conditionis, sed ex cohærentia solum & uinculo, quo est ei, de quo quæritur, alligata. Potest enim conditionale pronunciatũ uerum esse, sic, ut neq; id de quo pronũciatur, neq; conditio sit uera: modo ea sit habitudo eorum, ut data conditione, consequens etiam sit dari pronunciatũ. Si dicas enim, mundus non deficiet, si non cœpit: uerum est hoc, quanquam utrunq;, & non defecturũ eum, & nõ cœpisse, sit falsum. Si tamen dederimus istud, quamuis falsum sit, & uerũ fingamus esse, nõ cœpisse mundum, consequens est etiam dicere, non esse defecturũ.

Eadem

Eadem ista, quæ diximus prædicatiuam & conditionalem quæstionem, sunt (nisi tamen me fallit opinio) quę rhetores uulgatis nominibus θέσεις καὶ ὑποθέσεις uocant. Quorũ illud est, quod Cicero propositum uel consultationem interpretatur: hoc causam uel controuersiam. Et esse propositum, quod nullis certis finibus temporum, locorum, personarum concluditur. Controuersiam uero, quæ definita sit uel omnibus uel pluribus horum, quæ attributa uocantur personarum & negociorum: quæ cuiusmodi sint, pòst dicemus. Vt sit propositum, an sit ducenda uxor, an accedendum ad rẽpublicam. Controuersia autem, sit ne Catoni ducenda uxor, sit'ne Socrati accedẽdum ad rempub. Non pertinet autem nec omnis controuersia, nec sola ad rhetorem. Nanq; curari ne possit ab hac ualetudine Augustus: ut multa habuisset Antonius Musa medicus quæ diceret, ita nihil fortasse Messala. Quam tamen controuersiam esse, ex priore descriptione nemo negauerit. Et de proposito etiam in foro quæretur: ut qui se sustulisse de sacro rem profanam fateatur, furtumq́; fecisse non sacrilegiũ contendat, nempe quæretur, nõ utrum hic aut alius fecerit, sed solum utrum rem profanam de sacro subducere sit sacrilegium. Et propositũ quidem esse idipsum quod prædicatiuam quæstionem, posita hinc inde de eis exempla, facile declarant. De controuersia est quod posset ambigi. Videntur enim omnes aut pluriмæ asseueranter efferri, ut: Struxerit ne Clodius insidias Miloni. An priuato consilio Annibal obsideat Saguntum. An delenda Carthago. Quod uerum esse non abnuo. Quocirca quo hunc eximamus scrupulum, huius admonendi sumus. Quemadmodum sunt pronunciata quædam, quibus est diserte adiecta conditio: ita quædam sunt, quæ fere cum intellectu conditionis efferuntur. Itaq; quamuis per se falsa sint, tamen interpretatione quadam, reiectaq́; ad conditionẽ mente, pro ueris sumuntur. Vt si quis interroget, quid sit defectus solis? dicimus esse obscuritatem prouenięntem ex lunæ obiectu, prohibẽtis nos aspicere solem: & cuiusmodi sit rosa? dicimus florem candidum & odoratum densis crispãtibusq́; folijs. Ista, cum neq; sol deficit, neq; ulla rosa est, uera non sunt: semper tamen quoniam ueluti præsente cõditione pro ferimus ea, pro ueris accipiũtur: suntq́; uera in eam sententiam qua

proban-

probantur, non in eam quam præbent. Id est, si sunt, erunt utique talia. Hoc pacto etiam cōtrouersiæ, tacitā semper extra id quod quæritur, adiectam habent conditionem. Pleræq; uero apertam, ut propemodū declamationes omnes. Proponimus enim leges esse, deinde hæc aut hæc facta esse. Vt lex sit, uir fortis optet præmiū q̊d uolet. Alia item, qui in acie locum deseruerit, capite plectatur. Quidam in bello patriæ fortiter fecit, idem antequam præmium optaret, deseruit: poscitur ad pœnam: tum si hæc ita se habeant, quærimus, debeat'ne huic in gratiam prioris meriti, præsens crimen remitti: quis non uidet hic reuera totam quæstionem ex conditione pendere? Sic etiam, si quis, recte'ne Cato Martiam uxorem dimiserit, percōtetur. Cui eñ ignoratus sit Cato, ignorata Martia, quid habebit hic, quod dicat, nisi de communi proposito, an quisquam recte dimittat uxorem? nihil enim aliud substantia eorum quæ sunt in quæstione complectitur. Interrogabit ergo, quis uir fuerit Cato, quæ mulier Martia: quod ubi acceperit, Catonem ciuem Romanum, senatorem, Stoici personam præ se ferentem: Martiam fœminam nobilem, spectatæ pudicitiæ, trium liberorum ex Catone matrem: iam dicet nimirum, sint'ne hæc ita néc ne, haud queam affirmare, possunt enim aliter esse: uerum si sint (ut dicis) tum uideri, uel recte dimisisse, uel non recte, utcunque de re sentiet: non quidem de Catonis persona, quatenus Cato, hoc est, hic homo est, sed quatenus talis, qualem illum expressit: posset enim & Cato talis homo non esse, & alius quàm Cato esse talis. Ergo hæc omnia ex cōditione ducuntur in hanc quæstionem. Propositum uero solum id est, quod in eorum (quæ sunt in quæstione) substantia ponitur, hoc est, an ne quisquam homo recte dimittat uxorem, siue is hic homo sit siue ille, siue quemcunq; fingere uolumus, inquantum ad substantiam suam pertinet, hoc est, inquantum est homo, nihil est quod in quæstione propterea mutetur. Quamobrem fit, ut plerunq; necesse habeant narrare, qui in foro dicunt, præsertim, si ueram controuersiam, & non propositum dicant. Quoniam conditiones eas, quibus causa innititur, perceptas ante & uelut datas oportet. Quod nisi fiat, nihil sit quod de proposita quæstione queant satis constanter dicere. Sed in propositis etiam explicandis, persæpe ad controuer-

siam delabimur: quod Quintilianus uocat argumentum καθ' ὑπόθεσιν, hoc est secundum conditionem: mihi quidem non argumentum, sed illata noua quæstio uidetur. Vt qui differat, non esse ducendam uxorem: & labores & solicitudines matrimoniorum explicet: dicat deinde, quid si pauper sit? quid si studio deditus? quid si improbior uxor? nouæ fiunt quæstiones, an pauperi ducenda uxor, an studenti, an improba: quæ utique in proposito primo non continentur, sed non secus atq; in reliquis controuersiis inseruntur quæstioni, extra eius, de quo quæritur, substantiam. Omnis itaque (ut dicimus) controuersia, conditionalis quæstionis habet naturam: utcq; non eodem modo efferatur, idem tamen ualet. Quocirca hoc ipso quod quæstionem in prædicatiuam & conditionalem diuisimus, satis uidemur eam diuisionem quæ est in propositum & controuersiam, esse complexi. Prædicatiua igitur quæstio & conditionalis huiusmodi sunt. Sunt etiam alij duo modi quærendi, cuilibet istorum cõmunes, quorũ uno pure quærit, sit'ne hoc, an non sit: & sit'ne hoc, si hoc est. Id uulgo de inesse uocant, nos purum possumus uocare. Altero uero modo quæritur de certa lege existendi: cum non dicimus pure, sit'ne hoc, sed an possit esse, an necesse sit esse. Eas quæstiones uocant modales. Modi autem sunt quatuor, possibile: hoc enim nomine utamur oportet, quod quanquam durius est, tamen (ut inquit Quintilianus) solum est eius quod Græci δυνατὸν uocant: id est, quod siue fit siue non fit, nihil refert, dummodo possit esse. Necessarium, quod non potest non esse. Contingens, quod potest esse & non esse. Et impossibile, quod nequaquam potest esse.

Est autem prædicatiua modalis, ut, an homo potest currere? an hominem contingat mori? Est & conditionalis, ut, an si uirtus sit summum bonum, necesse sit animam esse immortalem? Idq; dupliciter fit. Quandoque enim modum afferimus ei, de quo quærimus ex conditione. Vt, si homo currit, an hominem necesse sit moueri. Quandoq; uero ad consecutionem quæstionis & conditionis referimus modũ. Vt si dicamus, necesse est, si homo currit, ut homo moueatur. Multumq; differunt hæ quæstiones. Primã enim falsam pronunciamus, secundam autem ueram. Falsum enim est, homo currit, ergo necesse est eum moueri. Potest enim non moueri, quia potest

non cur-

non currere. Sed uerum est, necessarium est quia homo currit, idcirco eũ moueri. Sed ista tenuiora sunt, nec huius instituti. Alijs libris, si quando de argumentationum lege, hoc est de iudicandi parte scribendi ocium dabitur, copiosius simul & apertius ista dicemus.

IN CAPVT X.

Quam nos possumus prædicatiuam dicere.) Prædicare quicquam de aliquo, est dicere tribuereq́;. Terentius: Duras patris partes prædicas. Hinc prædicabilia & prædicamenta. Hoc autẽ annotandum.) In categoricis quæstionibus ueritas & falsitas expendenda est ex natura eius rei de qua quæritur. At in cõditionalibus, ueritas & falsitas spectatur ex nexu cohærentiaq́; ipsius quæstionis cum conditione. Quotiescunq; enim conditio ipsa uera esse potest sine quæstione, tum totum pronunciatum falsum est, etiamsi utriusq; partes sint ueræ. Verbi causa, si deus est homo, est animal. At si ea sit partium habitudo cõditioq́;, ut ipsa sine quæstione nullo modo uera esse posit: tũ totũ pronunciatũ est uerum, etiamsi ambæ partes falsæ sint. Vt si nox est, dies est. Quæ rhetores uulgatis nominibus θέσεις καὶ ὑποθέσεις uocant.) Rodolphus Agricol. in comment. in prolo. in Senecã: Thesis dicitur apud nos positio. Cicero propositum uel consultationem uocauit, est genus quæstionis commune sine circunscriptione personarum, locorum, & temporum, ut: An colenda sit amicitia, an ducenda uxor. Alia est quæ uocatur hypothesis, id est, suppositio, quam Cicero in lib. partitio. controuersiam uel causam uocat, quæ habet in quæstione certas personas, loca, tempora, & reliqua genera attributorum, ut: An Ciceroni iungenda sit amicitia cum Cæsare: an Cato tempore belli ciuilis recte duxerit Martiam uxorẽ. Totus hic locus ut prima fronte nonnihil uidetur obscurior, ita lucidißimus erit, si huc adhibeantur ea, quæ sunt apud Fab. lib. 3. cap. 5. & apud M. Tullium in opere de Oratore perfecto ad Brutum. Hæc, inquit, igitur quæstio à proprijs personis & temporibus ad uniuersi generis orationem traducta, appellatur thesis. In hac Aristoteles adolescentes non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed copiam rhetorum in utranque partem, ut ornatius & uberius dici poßit, exercuit. Et esse propositum.) Cicero libro secundo de Oratore: Ostendit, inquit, duo genera quæstionum esse, in quibus eloquentia uersaretur: Vnum infinitum, alterum certum. Infinitum mihi uidetur id dicere, in quo aliquid generatim quæreretur, hoc modo: Expetendane esset eloquentia, expetendi ne honores? Certum autem, in quo quid in personis & in constituta re, & definita quæreretur. Cuiusmodi sunt quæ in foro, atq; in ciuium causis disceptationibusq; uersantur. Idem in partitionibus: Duo sunt, ut initio dixi, quæstionum genera, quorum alterum finitum temporibus & personis, controuersiam, causam appello. Alterum infinitum, nullis neque personis, neque temporibus notatum, propositum uoco. Quod si plura super hac re desideres, legito quæ annotauimus in Aphthonium de thesi, & in partitiones oratorias Ciceronis. Post dicemus.) Libro secundo capite uigesimoquinto.

Vt sit propositum.) An improbitas sufficiat ad parandam homini infelicitatem. Bellatores ne ciuitati utiliores sunt, an agricolæ, & contrà. Num inter pocula philosophandum. Vtri magis inopinabilia dicant, STOICI'ne, an poetæ? An brutis insit ratio? Controuersia autem.) An recte PLATO de ciuitate sua expulerit Ho-

merim? An Claudius bene egerit, quòd Iudæos à Roma profligarit? An Ezechias rex Iudæ rectè fecerit, quòd confregerit serpentem æneum. 4. Regnorum 18. an Lucretia propter illatum sibi stuprum, ipsa se transfodijt & occidit. Non pertinet autem nec omnis cōtrouersia.) Non defuerūt qui putarent ad rhetorem spectare, ut de hypothesibus tantum, non etiam de thesibus diceret, quod hic reprehendit Agricola, & ante eum Cicero iuxta ac Quintilianus ab eis dissenserunt. Antonius Musa medicus.) Antonius Musa Augusti Cæsaris medicus, & frater Iubæ regis, ut autor est Plinius libro uigesimoquinto capite septimo. Suetonius in Augusto: Medico inquit, Antonio Musæ cuius opera ex ancipiti morbo conualuerat, statuam ære collato, iuxta signum Aesculapij statuerunt. Et de proposito etiam in foro quæreretur.) Quintilianus libro decimo capite quinto. In hoc optime faciunt infinitæ quæstiones, quas uocari Theses diximus, quibus Cicero iam princeps in republica exerceri solebat. Et propositum quidem esse idipsum.) Si exactius expenderis quæ subdit Rodolphus de proposito, nimirum perspicuum erit (ni fallor) eum hanc modo thesin appellare, quæ prima sit quæstio in secundo genere, nempe an hoc sit illud, uerbi causa, si adulterum occidere licet, iccirco eum fas est & loris cædere, propositum non est. Prius est enim quærere de utraque prædicatiua, quàm de eorum cohærentia, deinde utranque prædicatiuam diceret causam non propositum. Prius est enim an liceat hominem occidere, an loris cædere, quàm quæratur de adiectis substantiæ, adulterum non licet occidere. Quocirca quemadmodum apud rhetores latius patet quæstio an est, ita astrictius loquitur de proposito. De controuersia est quòd posit ambigi.) Obiectio est contra prædicta, cuius hic est sensus: Pleræque hypotheses asseueranter proferuntur, quomodo itaque uerum esse potest, omnem hypothesin conditionalem fore quæstionem: ad quod ita respondet, & si uoce tenus asseueranter proferri uideantur hypotheses, tamen si sensum magis quàm uerba rimeris, facile animaduertes, semper tacitam subesse conditionem, sine qua quæstiones ipse commode explicari non queunt. Vt propemodum declamationes omnes.) Quintilianus libro septimo capite tertio. Rectène Cato Martiam.) Quintilianus libro tertio capite quinto. Catonem ciuem Romanum.) Lege infra libro tertio capite sexto.

Modi autem sunt quatuor.) Aristoteli subscribit Rodolphus, cæterum Laurentius Valla libro in dialect. secundo capite trigesimonono, longe aliter hac de re præcipit. Idq; dupliciter fit.) Bifariam quæstioni conditionali potest addi modus. Interdum ita, ut tantum ad alteram eius partem referatur: quandoque uero sic, ut non referatur ad alteram partem, sed ad cohærentiam illam qua quæstio ipsa cum conditione cohæret, ut si quæras: An sit necessarium, si homo currit, tum etiam moueatur: nam hic altera pars dicitur esse necessaria, uerum hoc significatur, priorem, hoc est, conditionem, ueram esse non posse, nisi sit uera & pars posterior, hoc est, quæstio. Illud non indignum quod hic obiter annotetur, argumentationes rhetoricas, ut plurimum fieri conditionalibus, quorum formæ quatuor sunt usitatissimæ, de quibus Fabius libro quinto capite octauo, Cicero in Topicis, Boëtius ex Theophrasto in libro de hypotheticis syllogismis, Gellius libro decimo, capite octauo. Georgius Trapezontius, Martianus Capella, Georgius Merula in Topica Ciceronis, Christophorus Hegendorphinus libro secundo dialecticorum, ubi agit de speciebus tribus propositionis hypotheticæ, copulatiuæ, conditionalis & disiunctiuæ.

Alijs libris si quando de argumentationum lege.) Lege quæ annotauimus in epistolam RODOLPHI de formando studio, quibus refellimus argumentis, non plures esse tri

esse tribus hisce de dialectica inuentione commentarijs. Quibus est diserte adiecta conditio.) Ad eundem quoq; modum utitur & Liuius 1. decad. Cum in Luctatij foedere diserte additum esset. Quod superuacaneum fuisset addere, nisi quidam essent, quibus dictu mirum, quàm non placeat, imò quàm lapidetur particula haec, diserte, hoc significatu. Vt si quis interroget.) Defectus solis sanè quàm pulchre descriptus est apud Plutarchum in uita Seueri.

Diuisio quaestionis ex diuerso genere artium ad quas pertinent. Cap. XI.



Ertiam quaestionum uarietatem diximus accipi, pro artium, quarum considerationi sunt expositae, diuersitate. Artes omnes, aut ad cognitionem referuntur, aut ad actionem. Cognitionis artes sunt, quarum finis est scientia: ut sunt mathematicae, physicae & reliquae id genus, ex quibus sola rerum petitur cognitio. Aliae sunt, quae earum sunt rerum, quę actioni arbitrioq; nostro sunt addictę: ut sunt eae, ex quibus animus ad uirtutem dirigitur, quam moralem philosophiam dicimus: aut quibus corporis necessitati succurrimus, quae operariae dicuntur. Tertiae & uelut medij sunt generis, quas λογικὰς Graeci, nos rationales dicimus: quae ad formandam orationem pertinẽt, de quibus sumus cum dialecticen definiremus, locuti: quarum radix origoq; propius ad cognitionis uim accedit: uidenturq; intra fines suos positae, cognitionis uerius esse, quàm actionis. Quia tamen communes sunt aliarum omnium ministrae, tamq; late funduntur, quàm oratio, hoc est, quàm humana ipsa natura: promiscue uidentur & actionis & cognitionis nomen accipere posse, quemad modum ratio uel mens cui seruiunt, est in actiuam & cognitiuam ab Aristotele diuisa. Sumetur pro hoc artium numero etiam numerus quaestionum. Sed de his exactius dicere, ad singulas pertinet artes, uel si ad unam aliquam, non est id dialectices: hęc autem uelut uelut capita attigisse dialectico sufficiat. Illud quidem haud est difficile uidere, eos qui rhetori omne id de quo bene dici posset subdidere, deinde omnem materiam finiuere tribus quaestionibus, sit'ne ab hoc factũ quod dicitur, sit'ne iustum, sit'ne scripto legis comprehensum: nihil satis dignum tanto promisso suo protulisse. His enim tribus quęstionibus sunt omnia quę in iudicijs aguntur conclusa. Nam deliberatiuam breui quaestione an expediat absoluerunt. Et Aristoteles

teles quidem copiose eam diligenterq́; explicat: reliqui breuiter attigere, quidam adeo ne numerauere quidē inter ciuiles quæstiones. Nam laus & uituperatio sit ne omnino quæstio nec ne, fuerunt qui dubitarent. Quod ut iure reprehendit Quintilianus, ita recte uidetur apud Ciceronem sentire Crassus, qui per se uenire eam non putet in forum: iudicialibus autem & deliberatiuis persæpe accedere.

Quod autem Cicero in topicis, an sit, quid sit, quale sit quęstiones, ad cognitionem retulit: deinde qualitatem uoluit iuris & iniurię tractatu explicari: utrunque diligentius fieri fortasse poterat. Primum enim non satis est uerum, secundum etiam repugnans. Nam & moralis philosophus an sit uirtus quærere potest, & quid sit quærit utique. Qualitas uero si ad cognitionem pertinet, quomodo iuris & iniuriæ tractatu finita est? Quoniam ius & iniuria ad actionis partem, non ad cognitionis partem reducuntur. Tametsi enim multa sit uariaq́; de iure & iniuria ambiguitas, ingentemq́; rerum cognitionem sit horum notitia complexa: non tamen cognitionis nomen accipit eorum tractatus, sed actionis. Contemplantur enim (ut inquit Aristoteles) etiam qui agunt, sed alium in usum. Non enim in id contemplantur, ut contemplentur: sed ut pro eo quod contemplatione instituerunt, dirigant actiones. Sic etiam mathematicus, describet circulos radio, figuras lineasq́; in puluere ducet, summas motuum & magnitudinum cœlestium numeris colliget, quæ sunt actiones: non tamen ut agat, hæc facit, sed ut scientiam eorum, quæ agendis istis scrutatur, acquirat. Finis potissimus est rerum omnium: utq́; omnibus agendi est existendiq́; causa, ita plurima etiam ex ipso accipiunt nomen. Multa enim uocantur bona, non quia sunt, sed quia bonis destinantur.

IN CAPVT XI.

PRo artium quarum consideratione.) Aristot. 1. Top. cap. 12. *Sunt autem (ut figura sit complecti) propositionū & problematum partes tres. Nam aliæ sunt memorales propositiones, aliæ naturales, aliæ rationales.* *Artes omnes aut ad cognitionem referuntur.)* *Vide prioris libri caput* 11. *Et huius libri caput* 2. 5. *atq;* 6. *Quam moralem philosophiam.)* *Eusebius libro de Euangelica præparatione* 11. *cap.* 1. *Omnem philosophiam Plato in treis partes, physicam, ethicam, logicam, partitus est. Seneca in epistola ad Lucillium* 89. *Quemadmodum est aliqua pars philosophiæ naturalis, est aliqua moralis, est aliqua rationalis: Sic & hic quoq; liberalium artium turba locum sibi in philosophia uendicauit. Philosophiæ tres partes esse dixerunt & maximi, & plurimi autores, moralem, naturalem, &*

lem, & rationalem. Prima componit animum, secunda rerum naturam scrutatur, tertia proprietates uerborum exigit, & structuram & argumentationes, ne pro uero falsa surrepāt. D. Aurelius August. lib. de ciuitate Dei 8. cap. 4. Itaque cum studium sapientiæ in actione & contemplatione uersetur, unde una pars eius actiua, altera contemplatiua dici potest. Quarum actiua ad agendam uitam, id est, ad mores instituendos pertinet, contemplatiua autem ad conspiciendas naturæ causas, & syncerißimam ueritatem. Socrates in actiua excelluisse memoratur. Pythagoras uerò magis contemplatiuæ, quibus potuit intelligentiæ uiribus institisse. Proinde Plato utrunq; iungendo, philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit: Vnam moralem, quæ maxime in actione uersatur. Alteram naturalem, quæ contemplationi Platoni deputata est. Tertiam rationalem, qua uerum determinatur à falso. Quæ licet utriq;, id est, actioni & contemplationi, sit necessaria, maxime tamen contemplatio perspectionem sibi uendicat ueritatis. August. de ciuitate Dei lib. 11. cap. 25. Ex his propter obtinendam beatam uitam, tripertita, ut dixi, à philosophis inuenta est disciplina, naturalis propter naturam, rationalis propter doctrinam, moralis propter usum. Plutarchus in exordio lib. 1. de placitis philosophorum. Quas logicas Græci.) Cicero lib. de finib. 1. Iam in altera philosophiæ parte quæ est quærendi ac disserendi, quæ logice dicitur. Boëtius in commentarijs super Topica Ciceronis: Hæc est igitur disciplina, quasi disserendi quædam magistra, quam Logicen ueteres Peripatetici appellauerunt, quam Cicero definiens, disserendi diligentem rationem uocauit, Stoici uerò dialecticen eam nuncupauerunt. Hieronymus: Est enim Logice & (uelut nos dicimus) rationalis, quæ uerborum, dictorumq; uidetur continere rationes, proprietatesq;, & improprietates, generaq;, & species, & figuras singulorum quorumcunq; dictorum, quam utiq; disciplinam non tam separari, quàm inseri cæteris conuenit & intexi. Et mox: Salomon astutiam quandam nominat hijs quos imbuit necessariam. Eam credo per quam sophismatū intelligi aut declinari poßit argutia. Et ideo dicit innocentibus per sapientiam dari astutiam sine dubio, ne in uerbo dei decipiantur fraude sophistica. Sed in hoc mihi uidetur rationalis disciplinæ meminisse, per quam doctrinæ uerborum dictorumq; significata discernuntur, & uniuscuiusque sermonis proprietas certa cum ratione distinguitur, in qua præcipue erudiri conuenit pueros, hoc enim hortatur Salomon cum dicit: Vt det puero iuniori sensum & cognitionem. Sunt qui has artes sermocinales Latine dici malint quàm rationales, nam λόγος utrunq; significat, & rationem (quod negari non potest) & sermonem, uersanturq; certe eæ artes iuxta sermonem. Plutarchus libro 1. de placitis, Dialecticen sermocinatricem uocat. Videnturq; intra fines suos.) Atq; hoc est quod Rodolphus lib. 1. cap. 11. Has in eorum retulerit numerum, quæ cognitionis esse dicuntur. Eos qui rhetori omne id.) Quintil. lib. 2. cap. 22. Materiam esse rhetorices iudico omnes res quæcunq; ei ad dicendum subiectæ erunt. His enim tribus quæstionibus.) Cicero 2 de oratore: Ita tria sunt omnino genera, quæ in disceptationē & controuersiam cadere possunt. Quid fiat, factum, futurum ue sit, aut quale sit, aut quo modo nominetur. Nam illud quidem, quod quidam Græci adiungunt, recte ne factum sit, totum in eo est, quod quale sit quærimus. An expediat absoluerunt.) Quintil. lib. 3. cap. 10. Rodol. lib. 1. cap. 16.

Et Aristoteles quidem copiose.) Lib. rheto. 1. cap. 4. Et in lib. item de præceptis ciuilibus ad Alexandrum. Laus & uituperatio.) Infra lib. 3 cap. 18. Quod autem Cicero in Topicis.) Duo sunt quæ reprehendit Rodolphus. Alterum, quòd Cicero has quæstiones cognitionis esse uult, cum nihilominus actionis esse poßint. Quippe quæ uenire ceu incidere

possunt

possunt in moralem philosophiam, quæ utiq; actiua magis, quàm contemplatiua merito dicenda est. Alterum, quòd quæstionem quale est, esse cognitionis, & tamen explicari tractatu iuris & iniuriæ. Nam hæc duo (ut ait Rodolphus) planè repugnant. Quod enim ad ius, & ad iniuriam pertinet, id actionis potius dici debet, quàm cognitionis. Quare fieri non potest, ut quæstio, quale est, cognitionis sit, & tamen iuris & iniuriæ tractatu explicetur. An sit, quid sit, quale sit.) Cicero in Oratore: Nam quoniam quicquid est quod in controuersia, aut in contentione uersatur, in eo aut sit ne, aut quid sit, aut quale sit quæritur. Sit ne cygnus? quid sit definitionibus, quale sit, recti, prauiq; partibus. Eras. lib. 2. Ecclesiastæ: Incidit interdum controuersia de scripto & sententia, de scripturæ locis inter se in speciem pugnantibus, sicut de uocabulo rei, quod definitione quæritur, ut quum quæritur quid sit usura, quid lex, quid gratia, &c. Similiter an filiæ Loth peccauerunt, è patre temulento suffuratæ partum. Hic est status qualitatis. Et si peccauerint, an commiserint incestum. Constat enim Adæ posteritatem non potuisse propagari, nisi per coniugium fratris ac sororis. Hic est status definitiuus. Hoc genus innumera sunt in literis diuinis.

Quomodo status quæstionis cuiusque inueniendus. Caput XII.


QVando igitur omni disserenti proposita est quæstio, non eis modo qui disputationibus res ambiguas iactant, aut qui tradendis artibus, uel certiorem, uel (quod discentibus perinde est) meliorem fidem facere conantur: sed & historia, & poëma quoq; quæstionem explicant. Si quis enim interroget, quomodo gestum sit bellum Peloponessiacum, nihil poteris rectius respondere, quàm quæ Thucydides ea de re conscripsit. Nec quomodo pugnatum sit cum Iugurtha, quàm quæ Sallustius monumentis earum rerum reliquit. Sic & quomodo Græcia ad Troiam bellauerit, & Aeneas uenerit in Italiam, nemo melius quàm Homerus & Vergilius explicarit. Cum hæc ergo ita sint, diligenter est nobis etiam atque etiam intuendum, quæ sit quæstio, hoc est, quod sit caput, summaq; rerum omnium, ad quam dicenti sint cuncta referenda. Nec enim abs re credendus est admonuisse Plinius Nouocomensis scriptorem, ut legat subinde titulum suum, & plane exacteq; perspiciat, quid scribendum sumpserit: & M. Antonius itidem putauit, nihil æque iuuare dicturum, quàm respicere quàm creberrime ad id, de quo sis dicturus. Quod nedum in id prodest, ut quæ lateant in eo, facilius acriori mentis intentione eruas: sed uti obserues (quod plerisq; difficillimum) ut nec plura quàm opus est, nec pauciora, nec quæ nihil ad rem attinent, di-

tas. Hoc autem facere nemo potest, qui non antè fixam, exploratamq́; quæstionem habuerit, de qua sibi sit dicendum: quod quo facilius fieri possit, quomodocunq; poterimus conabimur explicare.

Omnis dictio, aut aduersarium habet, & inter duarum partium certamina consistit: aut unius solum est partis. Duarum partiũ sunt, ut contentiones uel scholasticæ, uel ciuiles, quæ inter dissidentes fiunt. Vnam solum partem habet, quę fit ad obsequentem auditorem: quales sunt cohortationes, consolationes, laudationes, conciliationes, quæq́; reliqua huius sunt generis. Non quod nequeat & in his in ambas disseri partes, neq; enim aliter quæstio intelligi posset: sed quia cum illis fere negocium est, qui ultro uinci se cupiunt, & non modo non repugnant, sed laxissimas etiam (quod dici solet) habenas sequuntur. In his ergo dictionibus, quæ positæ sunt in contentione, expeditissimam rationem inueniendæ quæstionis aduersarius dabit. Quoniam semper petitur aliquid ab altero, cui alter contradicit. Quamdiu enim consentanea dicunt, certum est quæstionem esse non posse. Vbi cœperint consistere, ita ut alter non progredi longius alterum patiatur, quæstio erit. Sed hæc quæ sit, in scholasticis quidem dubium esse non potest: quia expositum semper certumq́; est, de quo dubitatur. In ciuilibus uero quæstio quidem, hoc est, caput certaminis semper est apertum. Neq; enim deliberat quisquam, qui non certam habeat deliberandi summam: neq; qui in iudicium uocat aliquem, ignorat qua lege reum faciat, hoc est, quid petat ab eo, uel quas exposcat pœnas. Sed de statu quæstionis persæpe ambigitur, in iudicijs præsertim. Status autem quæstionis id est, quo uel probato, uel confutato, in hanc uel illam partem de quæstione pronunciari oportet. Vt Laterensis ait, ambitu assecutus est ædilitatem Plancius. Plancius negat: quæstio est, assecutus'ne sit Plancius ædilitatem ambitu: hoc est enim de quo pronunciare iudices oportebit. Non potest autem istud ex se probari. Dicit igitur Laterensis: Dignitate enim à me uincebatur. Quòd si det id Plancius, uidebimus an idcirco necesse sit, ipsum ambitu superiorem fuisse. Quod si est, hic erit status: hinc enim tota pendebit quęstio, fuerit'ne dignitate Laterensis superior. Sin uero poterit Plancius cedere dignitati Laterensis, et causam tamen tenere, non erit hic status: ut dicat, non uti-

que si Laterensis dignitate superauit me, idcirco ego ambitu illum uici in petitione: non solum enim populus alterum horum sequitur, sed studio diligentiaq; candidatorum, sed amicorum precibus, sed officiorum commendatione, permouetur. Ergo iam ab eo statu quem Laterensis fecit, detorta est à Cicerone quęstio: & huc delata, an soleat his rebus moueri populus, & an fuerit Plancius istis superior: hicq; fit status huius quæstionis. Sic etiam aduersarius dicit. Milo tenetur lege Cornelia de sicarijs. Milo negat. Quæstio, an teneatur. Probat aduersarius: occidit enim Clodium. Quod si Milo negat, hic erit status quæstionis, an occiderit: sin fatetur, ostendat oportet, non teneri ea lege, quisquis aliquem occiderit, ut insidiatorem, aut latronem. Id ergo quoniam grauius ab aduersarijs pressum erat, Cicero disputãdum etiam sibi credidit: deinde Clodium insidiatum fuisse, qui præcipuus eius quæstionis fit status: fitq; adeo perfectus syllogismus. Quisquis insidiatus est, iure occiditur: Clodius insidiatus est, iure ergo Clodius occiditur. Quemadmodum contingit autem plures quęstiones eodem peragi iudicio, ut in Cluentij causa, quæstiones iudicij corrupti, & ueneficij: ita contingit unius quęstionis plures esse status. Vt in eadem iudicij corrupti causa, nec id iudiciũ à Cluentio corruptũ esse, nec si esset, idcirco tamen lege corrupti iudicij Cluentiũ teneri. Sed in Verris repetũdarum iudicio, quęstio utrũ in legẽ repetundarũ admiserit Verres: status sunt tot, quot sunt crimina: quodlibet enim per se defendendum est, quemadmodum & probandum. Et diuersa est interim defendendi ratio: cum aliud negatur factum, aliud in legem repetundarum non uenire: aliud recte factum docetur. Status ergo est (ut diximus) id, quo dato, necesse est de causa in hanc uel illam partem decerni. Quæ si plura erunt, quorum unum probando alteri non adhibetur, possitq; quodlibet firmamentum esse quæstionis, plures erunt & status.

IN CAPVT XII.

Plinius Nouocomensis.) Quamuis illud nemo inficias iuerit, Plinium minorem siue nepotem fuisse Nouocomensem, tamen interim gratia matris & auunculi, ipse se Veronensem facit, ut in quarto epist. Recte fecisti, inquit, quòd gladiatorum munus Veronensibus nostris promisisti. Plinius autem lib. 3. natural. histo. Italiam in plures diuidit regiones. Nouocomium in nona regione, Veronam in decima constituit. Vt legat subinde titulum suum.) Dionysius Halicarnaseus in epistola: Qui aliquid, inquit, argute & exacte scribere uelit,

uelit, hic ante omnia curabit, ut summas rerum intellectus iudicio primus aggrediatur, deinde ubi paululum à principio excesserit, titulũ operis sui perlustrare, mox iterum atq; iterũ, quô magis promouerit, repetere, et seipsum consulere, an à titulo res producta, multũ diuariet. Hæc illa. Sex. Pōpeius autor est, Catonē in originibus, id est, in libris quos inscripsit de singularũ Italiæ urbiũ origine, non respondere suo titulo. Nam cum professus esset, se de origine urbiũ scripturum, exactius laude Italiæ, & res gestas persecutus est, q̃ autores. Quod plerisq; difficillimũ.) Diogenes notauit Platonem, ut immodice loquacem, quod idem in illius scriptis notauit Aristoteles. Verũ est Quintiliani illud: homines plerunq; ob dicendi cupiditate uanißimos de seipsis lusus præbere, quoniã ex suo arbitrio respondent quæ nunq̃ aduersarius diceret. Ambrosius 1. offic. lib. cap. 10. Loqui quidem cuiuslibet est, & facile: sed cui, & quantum, & quando, & quomodo, & gratia cuius oportet, non cuiuslibet est, neq; facile. Adeò uerò sollicitus erat M. Tullius bene dicendi, tamq; anxium huic rei studiũ impendit, ut quum causam oraturus esset apud centumuiros, iamq; dies instaret, Erota seruũ manumiserit, eò quòd nunciasset cognitionem in posterum diem fuisse prorogatam. Vt nec plura q̃ opus est.) Phocion uir apud Athenienses incorruptißimus, cum ambularet in foro cogitabundo similis, & ex amicis quidam illi dixisset: Videris cogitabundus ô Phocion: Istuc uerò recte côiectas, inquit. Nam apud me perpendo, nunquid ex his, quæ dicturus sum apud Athenienses, resecare poßim, aut prætermittere. Quo dicto taxauit acriter aliorum studia, qui magna solicitudine meditantur, ut quàm copiosißima sit oratio. Qui mihi uidentur non minus inepte facere, quàm qui soliciti sunt, non ut lautum, sed ut longum fit conuiuium. Eam curam uir prudens iuxta ac probus ad sermonis compendium transtulit. Alij sic referunt. Phocioni in concione sedenti, quidam dixit: Videre cogitabundus ô Phocion, recte, inquit, coniectas. Cogito enim si quid queam detrahere his quæ dicturus sum apud Athenienses. Alij soliciti sunt ut quàm plurima dicant, quô uideantur diserti: illi diuersa erat cura, nimirum ut quæ ad rem faciebant, uerbis quàm paucißimis complecteretur. Quodam laudante rhetorem hoc nomine, quòd mirifice res exiguas uerbis amplificaret: Ego, inquit, ne sutorem quidem arbitror bonum, qui paruo pedi magnos inducat calceos. Veritas in dicendo maxime probanda est: & is optime dicit, cuius oratio congruit rebus, ex quibus petenda est orationis qualitas potius quàm ex artificio. Lacônes Ctesiphôtem eiecerunt, qui se profitebatur de re quauis totum diem posse dicere, dicentes boni oratoris esse, sermonem habere rebus parem. Nulla in re iustius putarunt adhibendam frugalitatem quàm in oratione, quam Hesiodus non aliter quàm preciosum thesaurum parcißime censet esse depromendam, ad usum, non ad ostentationem. Alius quum audiret rhetorem magnos sermonis circuitus connectentem: Per Geminos, inquit, fortis sanè homo, qui quum nullum habeat argumentum, tamen egregie uoluit linguam. Lacedæmonijs nulla placebat oratio, nisi breuis & uera, & ad rem seriam pertinens. Proinde ridiculum existimabāt, quòd orator in ficto themate tantam uerborum copiam profunderet. Adde huc illud Ambrosianum ex officijs: Alliga, inquit, sermonem tuum ne luxuriet, sit restrictior quàm laxior, & ripis uel alueis suis coherceatur. Cito enim lutum colligit amnis exundans. Et illud item: Dicturus intueatur, quid, apud quem, pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum statu, qua uulgi fama dicendum sit. Quintil. lib. 4. capite 1. Status ergo est.) Ad huius loci declarationem, lege quæ sunt apud Eras. Rot. lib. Eccles. 2.

In quauis re quo pacto summa quæstionis constituenda. Caput XIII.



T in negocijs illis, quæ unius tantum sunt partis, nonnunquam plus aliquanto curæ habet inuenire quęstionem. Idcirco quatenus possumus, iuuemus & hac in parte quærentis curam. Mihi quidem uidetur quæstio omnis, in huiusmodi causis trium istarum rerum consideratione inueniri expeditissime posse, personarum, rei, & (ut ita dicā) conatus. Personas dico nunc eas, inter quas agitur, ut sint beneuolę aut infensę, alienę aut coniunctę, pares aut dignitate discretę, quęq; aliæ maxime in congressu hominum perspici solent. Qui perferunt autem mandata, personam semper sustinent mandantis. Res consideranda est quæ euenit, aut futura est, cuius causa dicere statuimus. Vt in cōsolatione, uel propinqui, uel amici, uel opes amissæ. In gratulatione, honores accepti. In gratiarum actione, beneficium collatū. Conatus deinde est id, quod ob hanc rem uelimus dicendo conficere. Vt in consolatione, uidemus hunc desideratę rei iactura dolere: hæc quidē res est. Personæ deinde sunt, hic nobis, nos huic amici: quo fit, ut offendamur eius dolore. Conatus ergo sequitur, quo damus operā, ne huic doleat, idq; dicendo consequi laboramus. Ergo si conatū atq; rem coniungas, quęstionē habebis. Ea est, sit'ne huic dolendum huius rei amissæ causa. In gratulatione personas primum necesse est beneuolas esse. Res uero erit, ut aliquid eius cui gratulamur, commodis aut dignitati accesserit. Conatus autē, quoniā ob beneuolentiā fauemus rebus illius, ut ostendamus nos lætari. Quæstio ergo erit, an illius præsenti commodo lętemur. In gratiarum actione, personæ sunt itidem amicæ. Res est meritum uel munus ab eo cui aguntur gratiæ tributum. Conatus, ut grato ob id animo doceatur esse qui accepit. Quæstio erit, sit'ne hic illi huius meriti causa gratus. Agendarum autem gratiarum, cum multa apud Ciceronem, tum pulchrum mihi propriumq; uidetur esse apud Ausonium exemplum, in ea oratione, qua Gratiano ob consulatum agit gratias. Sunt autem diligenter expendendæ personę ad quas habetur oratio. Vt enim quandoque certæ sunt & singulares, sicut in his exemplis quæ proposuimus: ita nonnunquam, uel qui dicit, multo-

rum

rum sustinet personam: ut qui populi nomine cum principe uel magistratu agit, uel cum multis unus agit, ut Cicero, qui senatui, qui P. Rom. gratias agit de reditu suo. Aristides, qui Rhodo terræmotu subuersa, ciues consolatur. Qui diligenter enim personam uel eius qui dicit, uel cuius nomine dicitur, & eius cui fiunt uerba, perspexerit, siue singulæ sint hæ, siue plures: deinde rē cū persona contulerit, & uiderit quid ea personæ intersit, uel qua parte contingat eam, facile id quod diximus conatum explicabit. Vt qui in nuptijs dicit (Humilibus enim oportet utamur exemplis, quoniam in huiuscemodi rebus, quæ ad morem magis quàm ad usum spectant, eo facilius erratur, quo habentur negligentius. Necessitas perspicax est, neque (quod dici solet) docenda est fames.) Quid petet is ergo qui dicit in nuptijs? Si nuptias quæ fiunt conferat nubentibus, hocq; oratione prosequi uelit, quia sunt eis expetendæ nuptiæ, quemadmodum & expetuntur, in hortationem flectetur oratio, eritq; quæstio, an sint istis expetendæ nuptiæ. Sin turbæ amicorum circunstantiū nuptiæ conferantur, nihil ad eos pertinebit, præterquam ex nubentibus gaudium: conabiturq; ostendere gaudendum eis esse, & fiet quæstio, sit'ne tam felici nubentium matrimonio gaudendum. Vnde est in promptu uidere, quomodo in eadem re, eodem in loco, mutatis personis, mutari oportebit etiam quæstionem. In funebri laudatione, plerosq; uideas orationem ad consolationem conferre: quæ primum oratio sola cum propinquis haberi potest. Contra uidetur laudatio magis ad alienos qui adsunt funeri pertinere. Deinde intempestiuum uidetur, tam recentem dolorem, & in ipso (ut dicitur) ictu uelle consolando mulcere. Aut enim frustra tentabimus ibi siccare lachrymas: aut si quis tum cōsolationis est capax, is consolatione non eget. Mihi uidetur (quia res quæ in manibus est, mors est præstantis uiri, ex qua ad præsentem hominum numerum honor tantum funeris pertinet) ostendendum id esse, merito tam laudato uiro hunc honorem haberi. Fit tamen, ut in fine ad consolationem aliquam respectet qui dicit, quemadmodum apud Thucydidem Pericles, cum eos qui primi in eo bello ceciderant laudaret, in fine consolationem subijcit: quod quidem à grauitate personę Periclis, & temporis interuentu, quo primus doloris impetus defer-

buerat, haud erat alienum. Quinetiam cum mors eorum qui lauda bantur ad exemplum pertineret audictium, quæstionem à laude ad hortationem deflexit. Itaq; omnis uis ingeniumq; dicentis eò tendit, ut ostendat tam fortes uiros, qui tam constanter pro tam insigni patria ceciderunt, uiuis esse sectandos. Sed de his satis. Nec enim omnia exempla complecti in animo est, nec possem. Sufficiet hoc pacto quærere uolentibus, aperuisse uiam.

IN CAPVT XIII.

IN consolatione.) D. Hieronymus in epistola ad Heliodorum in epitaphium Nepotiani, cuius initium, Grandes materias &c. Vide in eam epistolam scholia D. Erasmi circa locum eum, ubi D. Hieronymus recenset autores qui de consolatione scripserunt. Lege D. Fulgentium in epistola ad Gallam, de consolatione super mortem mariti. Ciceronem in fine tertiæ & quartæ Tuscula. disput. Erasmum in opere de conscribendis epistolis, de consolatoria epistola. In gratulatione.) Lege Rodol. Agricolæ gratulatoriam orationem dictam Innocentio 8. pont. Eras. Roterod. de artificio gratulatoriæ epistolæ. Extant & apud D. Paulum exempla sanè quàm apposita, posterioris ad Corinth. cap. 8. & 9. Ad Philippenses item 4. Nec non apud D. Hieronymum in epistola ad Demetriadem, de seruanda uirginitate, cuius initium est, Inter omnes materias. In gratiarum actione.) Erasmus in eo, quem modo citauimus libro, non ita procul à fine. Cicero in Rhetoricis lib. secundo nonnihil attingit, & Trapezontius lib. Rheto. 5. Cum multa apud Ciceronem.) Compendio perstringit ea Erasmus in opere de conscribendis epistolis sub finem. Necessitas perspicax est.) Ignaua est opulentia, inopia multarum rerum repertrix est. Vide adagium: Paupertas sapientiam sortita est. πενία ὦ Διόφαντε μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει· αὕτα τῶ μόχθοιο διδάσκαλος, οὐδὲ γὰρ εὕδειν ἀνδράσιν ἐργατίναισι κακαὶ παρέχοντι μέριμναι. Theocritus: Paupertas Diophante sola artes excitat, Ipsa laboris magister est. Neq; enim dormire uiris operatorib. malæ præbent angustiæ. Non est docēda fames.) πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος, Id est, Fames magistra est artiū complurīū. Ouid. Ingeniū mala sæpe mouent. Suidas ex Carchedonio citat hoc prouerbiū χρεία διδάσκει κἂν ἄμουσος ᾖ σοφόν. i. D. Eras. interprete: Catū è rudi reddit magistra necessitas. Tempus, rerum usus, ipsaque necessitas excitat ingenium ad discendas artes. Idem indicat Græcorum sententia: σοφία πενίαν ἔλαχεν, & apud Aristophanem Penia iactat se artium inuentricem. A Persio uēter dicitur magister artis ingeniiq; largitor. Qui dicit de nuptijs.) Lege Dionysij Halicarnassei præcepta, de epithalamio, oratione nuptiali, atq; natalitia. In funebri laudatione.) Fuit omnino hic mos olim apud priscam ecclesiam, ut episcopi non raro funebrem haberent concionem, qua defuncto unoquopiā è fratrib. gratulabātur. Cuiusmodi de Theodosio habuit Ambrosius. Laudabat populus Dei misericordiā, q fratrē bona fide è mūdo uocasset, precabatur idē ut hoc modo etiā ipsi è uiuis discederent. Hanc plusq receptissimā & perinde laudatissimā apud maiores nostros consuetudinem nunc manibus & pedibus conantur abolere propudia quædam. Lege orationem funebrem in Athanasium Alexādriæ episcopum per Gregorium Nazianzenum.

num. Item per eundem habitam orationem in fratris sui Cæsarij, in funere sororis suæ Gorgoniæ. In funere Basilij magni. In funere patris. Erasmus Roterod. libro Eccles. secundo: Videmus & illud receptum apud priscos Christianos, ut quemadmodum insignes uiri, oratione funebri publicitus laudabantur apud populum, ita præsul defunctus aut princeps ore sacerdotis publicitus in templo laudaretur. Declarant hoc duæ funebres orationes Ambrosij, altera in laudem Theodosij imperatoris, altera in laudem Valentiniani: declarat monodia Nazianzeni in laudē D. Basilij, & aliquot homiliæ Chrysost. Et si credimus libello de excessu beatissimæ uirginis, omnium apostolorum qui aderant encomijs celebrata est. Item liber qui Ecclesiasticus inscribitur, laudes insignium uirorum deprædicat, sed eorum dūtaxat quorum pietas sacris uoluminibus est commendata. Plerosq; uideas orationem ad consolationem conferre. Plato in Menexeno, uel epitaphio: Bene siquidem rebus gestis ex ipsa uerborum exornatione ad eos qui gesserunt apud auditores memoria perennis, splendorq; prouenit, ea uero opus est oratione quæ defunctos satis laudet, superstites benigne moneat, filios eorum fratresq; ad uirtutis ipsorum imitationem hortetur, parētes autem, & maiores alios, si qui supersunt consoletur. Extat in hoc consolandi genere conscripta Lysiæ oratoris funebris oratio pro his Atheniensibus, qui Corinthijs aduersus Lacedæmonios auxilium ferētes, prælio interiere. Merito tam laudato uiro hunc honorem haberi.) Sic Egesippus siue Demosthenes in funebri oratione laudat ciues Atticos in prælio pro patriæ salute desideratos. Vide Quintilianum lib. tertio capite quarto. Circumfertur & Iacobi Locheri libellus de componenda oratione funebri.

Quomodo una quæstio in multas diducitur quæstiones. Cap. XIIII.



Vemadmodum autem (sicuti modo ostendimus) quæstio quandoq; latet, & ratione quadam eruenda est, sic alius est labor propositam iam quæstionem in multas quæstiones (quas intra se plerunq; complectitur) diducere. Persæpe enim quæstio quæ in speciem simplex est, ui atque effectu in multas dilabitur quæstiones. Id quomodo fiat dicemus. Diuiditur igitur quæstio in plures quæstiones, quæ uel trahuntur ex uerbis, quæ posita sunt in quæstione: uel ex eis quæ uerbis continentur. Ex uerbis, ut qui quærit (ut notum sumamus exemplum) an Cato recte tradiderit Martiam Hortensio. Quæstio est, ex tribus quæstionum generibus illis quæ prima posuimus secundi generis, id est, an hoc sit illud. Præcedat ergo oportet, an est quæstio, quam per omnia uerba propositæ quæstionis ducere possumus, hoc pacto, an

fuerit

fuerit Cato, an fuerit Hortensius, an fuerit Martia, an sit etiam rectū. Nanq; non defuerunt philosophi, qui nihil neque rectum neq; prauum esse per se dicerent in rebus. De uerbo autem tradiderit, non est quod formetur fortasse quæstio an est: quia est uerbum, quod quidem semper pronunciati prædicatum est: de quocunq; autem dicetur, semper faciet quæstionem, an hoc sit illud. Neq; tamen credat quisquam, per omnes has eundem esse quæstiones. Sed admonemus in præsentia, quàm multæ ex una possint elici quæstiones. Iudicij autem est uidere deinde, quæ quæstionum illarum habeat aliquid, quod sit proposito nostro cōueniens. Quemadmodum enim in hac quæstione, ista quæ diximus, inquirere ineptum sit & superuacuum: ita est alias dare quæstiones, in quibus plurimum loci sibi uendicent. Vt si quæratur, uicerit'ne Amazones Hercules: primum quæras, an fuerint Amazones, an fuerit Hercules. Sic etiam, an pugnent cum gruibus Pygmæi: non absurdum erit primum quærere, sint'ne Pygmæi. Vbi ergo quæstionem an est, explicuerimus, proximum est, ut partes quæstionis propositæ coniungamus. Primum est ergo, an Cato tradiderit Martiam. Deinde an Hortensio tradiderit eam. Postremum id quod summa quæstionis complectitur, an recte tradiderit. Hæ quæstiones ergo hactenus omēs positæ sunt in uerbis. Quæ continentur autē in uerbis, duplicis ferè sunt generis. Quædam enim necessario continentur in uerbis, quemadmodum genus specie continetur: aut alioqui, quæ certum definitumq; est inesse uerbis. Alia continentur uelut ex conditione quadam & nō necessario. Ea cuiusmodi sint, facilius exempla ostenderint. Catōis ergo nomine (quoniā nihil aliud est Cato, quàm hic homo) uelut genus homo continetur. Tradendi uero uerbum, tria necessario complectitur. Quisquis tradit enim aliquid, habeat primum oportet, deinde dimittat, tum conferat alteri. In Martia (quoniam id nomen isto loco pro hac singulari uxore ponimus) uxor in commune intelligitur. In Hortensio, quemadmodum in Catone, hominē accipimus. In recti nomine, quia generaliter ponitur, non est quod aliud in eo quæramus. Verum quia aduerbium est, & ad tradendi uerbum ponitur, uidetur posse ferri ad ea, quæ uerbo illo clauduntur. Vt an recte habuerit, recte dimiserit, recte alteri concesse-

concesserit. Erit igitur prima quæstio ex generalibus omnibus, hoc pacto. An quisq̃ recte tradiderit uxorẽ suã alteri. In qua continent adhuc, an quisquã habuerit uxorẽ, an habuerit recte, an dimiserit, an recte dimiserit, & an tradiderit. Nam an recte tradiderit, ipsa totius generalis quæstiõis est summa. Hinc paulatim pro generib. species subijcimus: proq́ eo, quod (an quisq̃) diximus, dicimus iã an Cato. Iterumq́ omnia de illo, quẽadmodum de genere quærimus. Vt sit, an Cato habuerit uxorem, an Cato habuerit recte, reliquaq́ in hũc modum, quæ sequuntur. Deinde pro uxore, hanc uxorẽ, id est Martiam ponimus, similisq́ rursus fit ordo, an Cato habuerit Martiam, an recte eam habuerit, an dimiserit eã, eodẽ sanè ordine quo prius. Postremo, pro eo quod ultimo loco positum erat, an alteri homini, ponimus Hortensium: fitq́ quæstio, an Cato tradiderit Martiã Hortensio. Vltima hinc sequitur ea, quæ primum proposita est: an recte Cato tradiderit Martiam Hortensio. Quæstiones ergo quæ in uerbis necessario clauduntur, in hunc ferè inueniuntur modum. At quæ conditione quadam in uerbis latent, eæ sunt, quæ fiunt de his, quæ propositam quæstionem ab eo, quod propositum antea, id est, θέσιν diximus, deflectũt eò, ut fiat ὑπόθεσις, id est cõtrouersia. Si quis enim Catonem accipiat, ut sit hic homo, neq; ferat aliò mẽtem, nihil intererit, de Catone quæramus tradiderit'ne recte, an generalem faciamus quæstionem, an quisq̃ recte tradiderit. Cum circũdamus autem Catoni ea, quæ dicuntur de illo: talemq́ effingimus eum, qualem nobis qui res scripserunt tradunt fuisse, id est, non solũ hunc aliquem hominem, quod necessario fuit: sed ciuem Rom. & senatorij ordinis, & Stoicæ sectæ philosophum, spectatæ seueritatis, quæq́ reliqua esse in Catone in confesso est: quot sunt illa quæ tribuuntur hoc modo Catoni, tot possunt fieri quęstiones. Vt, an ciuis Rom. recte habeat uxorem, recte dimittat, recte tradat alteri. An si senatorij sit ordinis, hæc eadem recte faciat. An si philosophus, an si Stoicæ sectæ: perq́ reliqua, quæ non necessario sunt in Catone, ducuntur quæstiones eo ordine, quo proposuimus, cum eas quæ necessario insunt uerbis, paulo ante ordinaremus. Deinde in uerbo tradiderit insunt, quam ob causam tradiderit, quomodo, quo tẽpore, quo loco, quæq́ue alia in ipso tradendi actu poterunt per conditio-

nem assumi. Post hæc ex Martiæ persona quæritur, an debuerit nobilem mulierem habere, dimittere, tradere alteri: an opulentam, an uitæ genere concordem, an pudicitia conspicuam, an trium ex ipso liberorum matrem. Tum demum ex Hortensio quærimus itidem, quæ insunt illi: an recte tradiderit nobiliori, liberius uiuenti, consulari, opibus, gratia, facundia claro. Et ut semel dicamus, omnia argumenta quæ primum ex re ducuntur, si dubia adhuc probandáq; sunt, in quæstionem uertuntur. Si dicas enim, philosophus non recte dimittit uxorem, non ergo Cato recte dimisit uxorem: argumentum est quod dicitur, philosophum non recte dimittere uxorem. Quod si iam in dubium uocetur, quemadmodum potest id copiose longáq; oratione disputari, an philosophus recte dimittat uxorem, quæstio erit, primæ subseruiens quæstioni. Hinc fit, ut non eædem quæstiones oriantur semper ex utraq; parte differentibus: sed proinde ut hæc uel illa pars plura habuerit paucioráue firmamenta eius quod tuetur, plures etiam nascẽtur paucioresue quęstiones. Quod in hac controuersia haud difficile erit uidere. Alexander subuersis Thebis, Thessalis quorum erat usus commilitio, tabulas inuentas dono dedit, quibus continebatur, Thessalos centum talenta mutuo à Thebanis accepisse. Restitutis postea à Cassandro Thebis, Thebani Thessalos apud Amphictyonas centum talenta reposcunt: quæstio est, an debeant Thebanis Thessali centum talenta. Ex Thessalorum parte, si uideamus quid sit, quo se defendunt, aperta erit quæstio. Negant debere se. Atqui accepisse eos & non reddidisse certum est. Quid dicunt ergo? Dono ea se accepisse ab Alexandro. Quæstio igitur erit, an Alexander Thessalis donauerit centum talenta debita Thebanis: quod cum probatum fuerit, nihil habebunt Thessali, quod amplius ex sua parte dicant. Reliqua enim omnia, quæcunq; disputabuntur, ab aduersario potius nascentur: qui quæret, an potuerit Alexãder dare ius crediti, rem incorporalem, & quæ uenire in arbitrium uictoris non possit. Primum ergo quæretur, an dederit. Et quia tabulas dedit, an idem ualeat tabulas dare, quod debitum: quæ quidem quęstio ex Thessalorũ defensione (ut diximus) nascitur. Deinde an iure dederit, quæ potest per generales quæstiones diuidi, an quisquam iure possit auferre rem

alienam

alienã, an donare alteri, an Alexander, an à Thebanis, an Thessalis donare. Sequitur hinc alia quæstio ex conditione proposita, quæ sumitur ex restitutione: an sit perinde habenda restitutio, ac si nihil esset actum omnibus his, quæ præcesserunt eam. Videmus hic nihil habere Thessalos, quod tanquam proprium dicant, quodq; robur sit causæ suæ, nisi id quod initio dixi, quod Alexander donauerit: reliquæ omnes quæstiones ex contradictione Thebanorum oriuntur. Communiter tamen utriq; parti disputãdæ sunt. Neq; enim potest quisquam satis constanter sua confirmasse, nisi quæ dicuntur ab aduersario, diligenter confutauerit. Sunt autem aliæ quæstiones alijs fœcundiores, & quæ in plures spargi quæstiones possunt. Aliæ tenuiores sunt, & minus (ut ita dicam) sinuosæ. Magni autem est acrisq; in primis iudicij, uidere quas ex primis quæstionibus deductas disputandas accipiamus. Pleræq; enim eiusmodi sunt, ut nihil aut minimum summę rerum afferant, exequiq; eas fastidium potius quàm fidem paret. Aliæ contra sunt, quę totum prope euentum intra se uictoriæ continent: circa quas diligentissimus incumbit disserenti labor. Cicero in quinq; Tusculanarum disputationũ libris, cum solum (quantum mihi uidetur) id efficere uoluisset, solam ad bene beateq; uiuendum sufficere uirtutem: uidebat plurimum ad id docendum adiumenti sibi collaturum, si docuisset animorum immortalitatem. Quia tamen id difficile probatu uidebat, subiecit homo ingeniosissimus in locum eius, id quod proximum erat, nihil mali esse in morte: ex quo uelut excursu quodam delatus est eò, ut tentaret efficere, quod præcipue cupiebat, non interire animos. Quod iam si minus posset obtinere, ne nihil tamen egisset, id peruincebat utiq;, malum non esse mori. Hinc iam tribus sequentibus libris subdidit, non cadere dolorem in sapientem, non ægritudinem, non perturbationem. Quæ cum probata sunt, quis non uidet facillimum permanere ad probandum, si mors non est mala, si reliqua quæ mala putantur, non cadunt in sapientem, ei cui hæc mala non sunt, uirtutem summum esse bonum? Sic si quis quærat, an manes nocturnis molesti apparitionibus, possint carminibus coërceri. Primũ utiq; fuisset in hac quæstione excutiendum priscæ philosophiæ, q̃d totius disputationis difficillimũ fuisset, an sint ulli manes,

at nobis religio hanc quæstionem superuacuam fecit, quando fide certum est, animas non interire. Deinde est id quod nobis nunc est primum, an appareant. Nam & hoc multi non putauerunt, sed uanam ex nostra cogitatione uel metu imaginem simulacrumq́; capere. Post hæc, an noctu possunt apparere: cũ etiam ea quæ natura conspicua sunt, delitescant. Iam si manes sunt, quomodo possint esse molesti; uidetur enim si quid noxium habuerint in natura, id ẽ corporibus fuisse, idq́; deposuisse cum corporibus. Hinc iã sequitur, an possint ulla ope humana coërceri, an possint quicq̃ carmina, an possint eos coërcere carmina. Hæ autem quæstiones omnes, in ipsis primæ quæstionis sunt positæ uerbis: quod ipsa res indicat. At in priore Ciceronis quæstione, quatuor illæ quatuor librorum quæstiones includuntur in uno eo uerbo (solam) in quæstiõe posito. Si enim solam uirtutem sufficere ad beate uiuendum docẽdum est, prius ostendatur oportet, mortẽ malum non esse. Si enim ea mala sit, opus erit ad beatã uitam immortalitate. Deinde dolor si malus est, cadatq́; in sapientẽ, deerit rursus aliquid uoto ipsius. Cicero igitur conatus est docere, non cadere eum in sapientem: quod ut splendidius erat, ita impetrabilius forte fuisset, propiusq́; fidem, non esse malum dolorem: *ægritudinem autem & perturbationem, si non ueniunt in sapientem, nihil omnium extra se expetendum esse sapienti, propter quę ista suscipiuntur, ostendunt. Ergo nudus iam sapiẽs, nudę relinquetur uirtuti. Sed de quęstione quotuplex sit, & quomodo status quęstionũ, quomodo etiam nonnunq̃ ipsa quęstio inuenienda sit, & una in plures diducenda quęstiones, hoc pacto nobis sit explicatũ.

*Accusatiui isti absoluti sunt, itaq; uertendos apparet in nominatiuos.

IN CAPVT XIIII.

Propositam iam quæstionem in multas quæstiones.) Rodol. Agricola commentario in prologum decla. *Senecæ : Qua in re, inquit, sciendum est, unam controuersiam sæpe aut ferè semper potius in multas diuidi quæstiones.* Exempli gratia: *Socrates iniuste ad mortem condemnatus fuit Athenis, positusq́; in carcere permittitur sibi si fugere uelit occulta è carcere fuga.* Deliberat ergo *Socrates an fugiat.* Hic primum uenit *generalis quæstio, an iuste quispiam poßit contra sentẽtiã iudicij ciuitatis facere.* Deinde *an erumpere ex carcere, iam etiam si ad mortem condemnatus sit.* Post hæc *an ciui Atheniensi hoc liceat, an iam grandi ætate, an philosopho, an uxorem & filios habenti, & reliquæ quæstiones quæ oẽs ex persona Socratis ducũtur: has oẽs quæstiones qui potest in qualibet cõtrouersia peruidere, et in dicẽdo exeq; certißimũ præstat sine dubio subtilitatis documẽtũ. Has ergo quæstiones quũ anteq̃ inciperet dicere Latro proponeret, & in dicẽdo seruaret, ne aberraret ab eis,*

certum

certum est ei non defuisse subtilitatem. Hæc ille. Max. Tyrius sermo. 29. An recte fecerit Socrates qui noluerit uti apologia. Erasmus in posteriore Copiæ comment. An Cicero uitam accipiat ab Antonio exustis philippicis. Diducere.) Est autem diducere, diuidere, distinguereq́;. Cicero in Academicis: Situs earum rerum, & interualla, aut contrahimus aut diducimus. Ouidius in Ibin: Vtq́; Milo robur diducere fissile tentes, Nec possis captas inde referre manus. Quemadmodum autem.) Infra lib. 3. cap. 18. An Cato recte tradiderit.) Quintil. lib. 3. cap. 5. Huc referri poterit: An Abraham merito laudandus sit, quod filium suum Isaac satagebat immolare. Id exempli hoc artificio fusius explicant, Origenes homilia in Genes. octaua: & hunc æmulatus D. Erasmus in methodo studij theologici. Philip. Mel. in epitome philos. moralis, cap. Iure ne Constantinus bellum affini & collegæ confœderato Licinio intulit, exercenti sæuitiam in Christianos. Hic considerent studiosi, quàm multi loci communes incidant in hanc quæstionem, uidelicet de officio potestatis, de iure belli, de iure scelerum. An religionis causa liceat arma capere principibus, quatenus subditis concessa sit defensio. De uerbo autem tradiderit.) Sunt qui mouent scrupulum de uerbo trado, cui non putant esse locum, nisi cum res in manum datur, aut potestas traditur. Erasmus in Marcum cap. 4. Traduntur etiam & qui commendantur. Horatius: Vt tibi se laudare ac tradere coner. Item: Hunc hominem uelles si tradere. Verbum quamuis semper prædicatum sit pronunciati, nec apte admodum potest fungi uice subiecti: tamen ea porro res, quæ uerbo significatur, in dubium uenire possit. Vt, Num sit aliqua traditio, aut num contingat tradere? Si enim cum Stoicis agendum, num circulus in quadrangulum redigi, comprehendi'ue possit, oportebit (opinor) constituere quæstionem, & dare, an sit, & dare comprehensionem aliquam. Qui docebit se scire quadraturam circuli, primum habebit pronunciare scientiam esse, & in rerum natura subsistere, priusquam explicare queat quæstionem, an hoc sit illud, id est, an ipse teneat. Vicerit'ne Amazones Hercules) Iustinus libro 2. & Herodotus lib. 4. Cum gruibus Pigmæi. Homerus Iliados γ. in ipso statim exordio. Plinius lib. 7. cap. 2. Quædam enim necessario.) Illa necessario uerbis continētur, quæ separari non possunt ab ijs, quæ uerbis significantur. Quomodo homo necessario cum Catone cohæret. Nequit enim esse Cato, quin & homo sit. Ea in uerbis non necessario continentur, quæ à rebus ijs quæ per ea significantur, possunt abesse. Cuiusmodi sunt in Catone, esse ciuem Romanum, esse senatorem, esse philosophum Stoicum. An recte dimiserit, & an recte tradiderit.) Equidem si tradiderit capiatur pro tertio illo, nempe contulerit, per quod ante locupletauit uerbum trado, in coḡs contineri dixit: nimirū uidebitur in summa quæstionis utrunq; includi, an tradiderit, & an recte tradiderit. Quæ propositam quæstionem.) Vel hinc abunde satis potest liquere, thesin esse Rodolpho id quod primum est in quæstione, an hoc sit illud, esseq́; hoc loco thesin, An Cato recte tradiderit Martiam Hortensio, quæ deinde controuersia fit, num talis Cato, nempe philosophus, recte tradiderit. Nec hanc, quam thesin uocamus hoc loco, unquàm rhetores controuersiam dicerent: nisi quatenus de Catone sub hac uel illa qualitate quærerent.

Tradunt fuisse.) Cicero in oratione pro Murena, & domo sua. T. Liuius lib 9. de bello Macedonico, & Asiatico, Aemilius Probus. Et ut semel dicamus omnia argumenta.) Vt in summa, inquit, doceamus diuersis inueniri quæstiones, quicquid in confesso est, & assumitur firmamentum causæ nostræ, idipsum quoque quæstionis erit loco. Sed proinde ut hæc uel illa pars.) Et hic quoq; sicut alias non raro abusus est pro perinde. Alexander subuersis Thebis.) Quintil. 5. cap. 10. Georgius Trapezontius lib. rheto. 3. Erasmus posterioris co-

piæ comment. 10. dilatandi ratione. Guilielmus Budæus in annotat. in Pandec. Instit. de re. diuis. §. Interdum, & Inst. de libertinis § finali. Apud Amphictyonas.) Vide prouerbium: Amphictyonum consessus. Id est, apud commune Græciæ concilium. Cicero secundo de inuentione. Ex contradictione Thebanorum.) Quandoquidem in confutandis aduersarijs, eorum argumenta infringimus, & id modo spectamus, non ut causam nostram roboremus. Licet & firmamentum obiter nostris quoq; partibus nascatur. Cicero in quinq; Tuscula.) M Tullius in principio libri de diuinatione secundi: Totidem, inquit, subsecuti libri Tusculanarum disputationum, res ad beate uiuendum maxime necessarias aperuerunt. Primus enim est de contemnenda morte: Secundus de tolerando dolore: De ægritudine lenienda tertius: Quartus de reliquis animi perturbationibus: Quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat. Docet enim ad beate uiuendum uirtutem seipsa esse contentam. Disputationum.) Cicero lib. ad Atticum 5. Quod prima disputatio Tusculana te confirmat, sanè gaudeo. Docuisset animorum immortalitatem.) Animæ immortalitatem ex scripturis probat Ambrosius lib. de bono mortis cap. 9. & 10. Quam Plinius libro 7. capite 55. fortiter pernegat. An manes nocturnis molesti.) Manes quasi bonos esse dictos ostendit Festus. Mana enim bona dixerunt, unde & mater, & poma matura: colebanturq; propter metum mortis, & manes sacrificantibus nominabantur quasi boni: quemadmodum immanes ualde non boni sunt. An sint ulli manes.) August. libro 9. ciuitatis dei, capite 11. Manes autem deos dicunt, sed incertum est, bonorum eos seu malorum esse meritorum. Plotinus philosophus scribit animas hominum dæmones esse, & ex hominibus fieri lares, si bene meriti sint: Lemures siue laruas, si male. Manes autẽ dici, si incertum sit, bene an male meriti fuerint: Laruas quippe esse noxios dæmones, ex hominibus factos. Hos Græci cacodæmonas uocant: Lares autem Endæmonas, hoc est beatos. Iuuenalis satyra 2. Admoneas esse aliquos manes, & subterranea regna. Animas non interire.) Prioris ad Corinth. 15. & posterioris itidem cap. 6. An appareant.) D. Aurelius libro de doctrina Christiana 2. capite 23. Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli regi uera pronunciauit, propterea talia sacrilegia, quibus imago illa præsentata est inferis manibus exercenda sunt. Quem locum hanc ob causam obiter adscripsimus, quod in omnibus exemplaribus mendose legatur hunc ad modum, minus execranda sunt. Sicut docuimus in opere de doctrina Christiana à nobis castigato, & commentarijs illustrato. Vide libellum Iacobi à paradyso, de apparitionibus spirituum post egressum à corporibus. D. Augustinus de spiritu & anima, capite 29. memoriæ prodidit, per diuinam potentiam mortuos apparere posse uiuentibus, & quisquis fuit autor ille de cura pro mortuis agenda. Sed uariam ex nostra cogitatione.) August. lib. 12. de genesi, contendit uisiones nocturnas, & itidem illusiones omnes à diabolo proficisci, plane uanam esse legendum contenderim. Aegritudinem autem & perturbationem, si non ueniunt.) Accusatiui isti absoluti sunt, itaq; uertendos apparet in nominatiuos.

Orationis ex uaria struendi ratione diuisio. Cap. XV.



Roximum est, ut quia de materia dialectices, hoc est, quæstione diximus, nunc de instrumento ipsius prosequamur. Instrumentum autem eius est oratio. Per eam nanque qui disserit, fidem conatur facere de illo quod

quod sibi docendum assumpsit. Orationis multę poterant fieri diuisiones, nobis duæ maxime sufficient: quarum altera à structura ipsius accipitur, altera ab effectu. Struitur autem omnis oratio, aut sic, ut continens sit: aut ut sit concisa. Continens est, quales sunt oratorum actiones, laudationes, hortationes. Concisa, ut disputationes, & alternantia scholasticorum certamina. Hanc Zenon contractæ in pugnum palmæ, illam explicitæ manui similem dicebat. Et illam quidem perpetuam orationem uocant, attribuerunt'q; eam rhetori: hanc uero in foro altercationem, uoluerũt'q; propriam eam dialectices esse. Equidem cum possit utraque oratione, & concisa, et perpetua, probabiliter ornate'q; dici, utranq; etiam ad dialecticum communiter & rhetora crediderim pertinere: cum antea rationem probabiliter differendi, dialectico: ornate, rhetori assignauerim. Ergo & in foro ingens etiam semper fuit oratoribus in altercationibus labor: seu cum testem interrogarent, seu cum ex perpetuę dictionis decursu in id sunt delati, ut per singula argumẽta premerent aduersarium, & uel illius silentio confessionem exprimerent. Vnde & æditas adhuc in eum usum à Quintiliano altercationes uidemus.

Comici uero & tragici poëtę, quod nemo negauerit, ciuili orationis generi (si illud proprie rhetoricum esse uolumus) magis sunt uicini, quàm scholastico philosophorum: qui tamen ipsi, intercisa constant oratione. Contra, quæcunque fere Aristoteles, permulti'q; alij præclari in philosophia nominis scripserũt, perpetuo orationis connexa sunt textu. Sed & alius dialogo eandem rem, alius unius tantum personæ oratione tractauit. Vt de amicitia Cicero in Lęlio personas alternis dicentes induxit: Aristoteles in ethicis eandem rem suis ipse uerbis est executus. Hæc idcirco dixi, quia de oratione & partibus eius dicturus sum nonnulla, quæ solent etiam à rhetoribus explicari: ne quis ea cum legat, egressum me terminos instituti mei credat. Cum enim sit (quod sæpe iam diximus) dialectices munus, accommodate ad fidem pro cuiusq; rei natura differere: fatendum utique erit, quoniam id oratione uelut instrumento fit, quacunque id oratione fieri possit, eam dialectico inter artis suæ instrumenta esse numerandam. Neque tamen negauerim multum hæc duo orationum genera distare, cum sint instantiora, magis'q; urge-

ant concisa, & plurium utique fraudium sint capacia, earum maxime, quæ aduersario laqueis captiosarum interrogationum struuntur. Quo fit, ut persæpe oratores in perpetuis actionibus, si quando acrius premunt aduersarium, imitentur altercantem, interrogent'que, ecquid habeat quod respondere uelit? ecquid possit istis contradicere? Perpetua uero dictio, tractu æqualitateq; sua iudici est aptior: ut qui non adeo quæ prorsus sunt uera, sed è duobus magis sequatur uerisimiliora dicentem: quiq; potius ex toto orationis complexu, omniumq; eorum quæ dicuntur comparatione, accipere malit, quid probet aut auersetur aduersarius. Aduersarius uero nihil uellet prętermisisse, quod ipsum offendere posset: sed potius statim unumquidque apprehendere cupiet, singulisq; insistere, neq; quicquam è manibus nisi ui dictis abreptum dimittere. Est itaq; (ut sic dicam) in perpetua oratione ueritatis color plerunq; speciosior: in alternatione disquisitio exactior. Qualescunque tamen sunt orationum istæ differentiæ, quia utraq; docemus, utraq; intra dialectici ueniet tractatum.

IN CAPVT XV.

STruitur omnis oratio, aut sic ut continens sit: aut ut sit concisa.) Seneca libro 14. epistola 90 Omnis oratio aut continua est, aut inter respondentem & interrogantem dissisa aut descissa. Hanc ἀναλυτικὴν, illam τοπικὴν placuit uocari. Hæc uerba curat, & & sensus & ordinem: ἀναλυτικὴ in duas partes diuiditur, in uerba & significationes, id est, in res quæ dicuntur, & uocabula. Quales sunt oratorum actiones.) Huius generis sunt Philippicæ Ciceronis & forenses eiusdem orationes. Item officia, & de rhetoricis pleraque.

Et alternantia scholasticorum certamina.) Vt de amicitia & senectute Cicero. Item Tusculanæ quæstiones, de oratore, de natura deorum, de finibus, & oratoriæ partitiones. Hanc Zeno contractæ in pugnum palmæ.) Cicero libro de perfecto oratore: Zeno quidem ille à quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes (Dialecticam & rhetoricam) interesset. Nam cum compresserat digitos pugnumq; fecerat, Dialecticam aiebat eiusmodi esse, cum autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius similem esse eloquentiam dicebat. Cicero lib. de finibus 2. Rhetoricè igitur, inquam, nos mauis, quàm dialecticè disputare? Quasi uerò, inquit, perpetua oratio rhetorum solum, non etiam philosophorum sit. Zenonis est, inquam, hoc Stoici, omnem uim loquendi, ut iam Aristoteles, in duas distributam esse partes dicere, rhetoricam palmæ, dialecticam pugno similem esse dicebat, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compresſius. Quintilianus lib. 2. oratoriarum instit. Duo, inquit, genera sunt orationis, altera perpetua, quæ Rhetorice dicitur: altera concisa, quæ Dialectice: quas quidē ita Zenon coniunxit, ut hanc compressæ in pugnum manus, illam explicitæ diceret similem. Diuus Augustinus de doctrina Christ. lib. 2. cap. 36.

Sunt

Sunt etiam quædam præcepta uberioris disputationis quæ iam eloquentia nominatur &c. D. Hieronymus in commentario epistolæ ad Titum: Dialectici quorum princeps Aristoteles est, solent argumentationum retia tendere, & uagam rhetoricæ libertatem, in syllogismorũ spineta concludere. Valla in præfatione lib. 2. in dialecticen. Si quis plenius, quomodo Rhetorica cum Dialectica, uel conueniat, uel discordet uidere uolet, is legat Boëtium Seuerinum libro 4. de differentijs Topicis in ipso statim principio. Vtranq; etiam ad dialecticum communiter & rhetora.) Vniuersum disserendi artificium duabus partibus constare ait Cicero, quarum alteram λογικὴν, alteram uero ῥητορικὴν recte dici existimat. Inter quas non tantum interest, quantum quorundam traditione male hactenus uisum est interesse. Imò si rem ipsam, non hominum opinionem inspiciamus, idem utriusq; est argumentum, idem finis, diuersa tamen, & prope contraria tractatio. Altera ita tecum aget, ut nolentem inuitumq; trahere uideatur. Altera sic, ut tua sponte, & te nolente quod prius nolebas illi permittas. Altera pauculis uerbis ita te irretitum reddet, ita implicabit, ut aut tacendum tibi sit, aut quod nolis loquendum. Contrà altera sic te orationis gratia demulcebit, sic mentis tuæ aciem illius fulgore perstringet, ardore inflammabit, aculeisq; incitabit, ut præceps eò ruas, quo prius ire formidabas. In altercationibus laber.) Quintil. libro 6. capite 5. Cum aduersarium premunt solent interrogare.) Hoc est, quod aiunt, cum iugulum petunt. Ecquid habeat quod respondere uelit, ecquid possit istis contradicere?) Erasmus libro secundo Copiæ de partium rhetoricarum multiplicatione: His non absimiles sunt asseuerationes. Eras. libro secundo ecclesiastæ sub calcem. Asseueratio probationibus admixta habet pondus ac uim argumentorum, &c. Cum hæc ita se habeant quid his possis respondere? Asseuerationes tametsi argumenta non sint, tamen sæpenumero pondus habent argumenti, si probationibus admisceantur, ut: Quis tam cæcus, qui hoc non uideat? Quis tam impudens ut neget? Et: Illud stultius est quàm ut refelli debeat. Quis enim non intelligit? &c. Et, perfrica frontem & aude negare. Hæc cum ita sint quæ tandem impudentia est? Communiter.) Falluntur qui communiter, pro uulgo aut plerunq; accipiunt, cum significet idem quod pariter, ut si dicas: Communiter utimur hoc libro. T. Liuius 1. ab urbe cond. Iam tum erat inclitum Dianæ Ephesiæ fanum, id communiter à ciuitatibus Asiæ factum fama ferebatur. Comici uero & tragici.) Cicero in Oratore ad Brutum: Itaq; uideo uisum esse nonnullis, Platonis & Democriti locutionem, & si absit à uersu, tamen quod incitatius feratur, & clarissimis uerborum luminibus utatur, potius poëma putandum, quàm comicorum poëtarum, apud quos nisi quod uersiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis, nec tamen id est poëtæ maximum, & si est eo laudabilior, quod uirtutes oratoris persequitur, cum uersu sit astrictior. Personas alterius dicentes induxit.) Sic Vergil. in Palæmone utitur: Alternis dicetis, amant alterna camœnæ. Aristoteles in ethicis.) Libro 9. Et Plutarchus περὶ ἀδελφίας, id est, de fraterna beneuolentia. Fraudum sunt capacia.) Hieronymus in epistola ad Nepotianum de uita clericorum: Verba uoluere, & celeritate dicendi, apud imperitum uulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est: attrita frons interpretatur sæpe quod nescit, & cum male suaserit, sibi quoq; usurpat scientiam, & mox: Nihil tam facile quàm uilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ uolubilitate decipere, quæ quicquid non intelligit, plus miratur. Veritatis color.) Color in rhetoricis non schema (ut rhetorculis aliquot persuasum est) sed rationem defensionis significat, quod euidentius est, quàm ut admoneri necesse sit. Iuuenalis: Dic Quintiliane colorem. Sic dicimus nullo colore defendi factum posse, cui iusta

excusatio obtendi non queat. Lemma uerò (ut hoc obiter addam, commodum enim incidit) est argumentū futile, uulgo blaueum argumentum dicere amant, itidē ut excusatio calua pro futili colore, pulchra uidelicet quotidianæ orationis pigmenta, dum hi ridiculi gratia sic loquuntur, illi numerū sequentes, quod dicentes alios audiūt, recte dici putāt. Nec ego tamē.) Puto legendum: Neq; tamen. Vnumquodq; apprehēderem.) Vnumquodq; postulat Grammaticæ ratio. Quid enim cum suis substantiue, quod adiectiue poni decet, Valla. In altercatione disquisitio exactior.) Omnino hic ex diligēti expensione legendū decerno, alternatione.

Altera diuisio orationis, & quid sit expositio, quid argumentatio. Cap. XVI.



Lteram orationis diuisionem ab orationis effectu diximus accipi. Is est, docere, quoad eius fieri poterit. Qui docetur autem, aut paratus est credere, aut est orationis ui cogendus. Sic & oratio, aut satis habet explicare rem de qua dicit, cuiusmodi sit, secura fidei, opinionisq; eius qui audit: aut talem esse peruincere etiam renitente auditore conatur. Illud expositione fit, istud argumentatione. Omnis igitur oratio, & prorsus omne quicquid dicitur, aut expositio erit, aut argumentatio. Expositionem priore libro diximus esse orationem, quæ solam dicentis mentem explicat, nullo quo fides audienti fiat adhibito. Argumentationem uero orationem, qua quis rei de qua dicit, fidem facere conatur. Inter narrationem & expositionem, item argumentationem & confirmationem, nulla sane est differentia: nisi quod narrationem & confirmationem duas orationis partes facimus, quibus certus est in causis locus: expositio autem & argumentatio, generalia sunt nomina: & in procemio sæpe exponimus, sæpe argumentamur: & in narratione interim argumentamur, & in confirmatione exponimus, & in peroratione itidem utrunque nonnunquam facimus. Itaq; ut quàmminimum confunderemus nomina ista cum illis, placuit hæc sic potissimum nominare: quāquam sit ea nonnunquam apud autores inuenire confusa. Expositio ergo (quemadmodum dicimus) est, quæ rem recenset solum talem aliquam esse, uelut credenti auditori. Argumētatio, quę talem esse rem, ratione peruincere nititur. Vt sit expositio: Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni, Carthago: quęq; sequuntur. Causas enim propter quas oderat Aeneam Iuno, recenset poeta. Easq; si sic accepisset, ut dubium faceret, an odisset Aeneā Iuno, harumq; commemoratione

causa-

causarum uellet id docere: argumentatio esset. Nunc quia odium Iunonis uelut certum indubitatumq; sumitur, cui causæ subdũtur, non ut ostendatur odisse Aeneam Iuno, quippe pro certo id est, quemadmodum diximus: sed propter quas odium ipsum prouenerit: expositio est. Quod si iam conuertamus orationem, dicamusq;, non dubium est quin oderit Aeneam Iuno, quoniam Carthaginem amabat, cui exitium ab Aneę posteritate uenturum erat, & quia contra Troianos steterat pro Argiuis suis in bello, & reliqua quæ poëta subdidit: argumentatio fiet. Vt obiter admoneamus, idem quandoque expositionem & argumentationem, mutata tantum orationis forma fieri posse: cum possit idipsum, & causa rei esse, & ratio. Rationem in præsentia dico, per quam res cognoscitur: causam, per quam est. Ergo si quis, cum uideat deficere lunam, disseratq; id euenire, quoniam terra interposita sit inter solem & lunam, excludatq; radios solis, ne missi ad lunam, illustrare possint eam fulgore suo: causam dicit, expositioq; erit. Si quis autem cum uideat lunam deficientem, probet terram interpositã esse inter solem & lunam, quoniam aliter deficere luna non possit: rationem tantum reddet. At si cras defectum ire lunam prædices, idq; ostẽdas, quia doceas terram inter solẽ & lunã interuenturã: idem iam, hoc est, interuentus terræ inter solem & lunam, causa erit defectus lunæ, quia per eam eueniet: & ratio quoque fiet, quia per eam euentura esse cognoscetur. Argumentatio autem est, quod paulo post subiecit poëta: Me'ne incepto desistere uictam: Nec posse Italia Teucrorum auertere regem? Et reliqua, noti enim sunt loci. Non dicit Iuno sibi ipsi tanquam credenti, nolle se desistere proposito: sed addita ratione, docet ipsa se, quare indignum sit ut desistat: hortaturq;, ut in sententia permaneat. Huius autem admonendum uidetur, nonnunquam in expositionem uenire argumentationem, & sæpius in argumentationem expositionem uenire. Eaq; si per se accipiantur, quicq; poterit uocari idipsum, quod est. Argumentatio erit itaq;: Assensere omnes, & quę sibi quisq; timebat, Vnius in miseri exitium cõuersa tulere. Quo magis enim potuisset probare, omnes assensisse, quàm quod gaudebant securitate sua? Ita apud Ciceronem pro Milone: Seruos ex Appennino deduxerat, quos uidebatis: res enim erat minime obscura. Et

 paulo

paulo post iterum: Quam uocem eius ad hunc M. Catonem statim Fauonius detulit. Et iterum: Vt ante suum fundum (quod re intellectum est) Miloni insidias collocaret: quæ oẽs argumentationes sunt breues quidẽ, sed argumentationes tamen. Contra inter argumentandum expositio est. Vt pro lege Manilia, rerum à Lucullo contra Mithridatem gestarum. Item pro Murena explicatio institutorum philosophiæ Stoicæ, quam Cato sectabatur. Et pro eodem, uerba minæq; L. Catilinæ, & in domestica concione, & in senatu iactata. Laudationes sæpe uituperationesq;, totæ propemodum expositione constant. Quæ causa fuit nonnullis, ut crederent in eis controuersiam non esse. Verum quia & inter exponendum argumentatio, & inter argumentandum expositio, utraq; fit alterius rei accessio, transeunt in nomen quoque illius cuius substantiæ iunguntur. Quanquam enim partem quampiam expositionis interiecto nodulo aliquo argumentationis firmemus, non tamen tunc circa id summa consistit instituti nostri. Et expositiones quæ inter argumentandum fiunt, quanquam sint utique per se acceptæ expositiones, tamen quia argumentationum pars sunt, & illis confirmandis destinantur, argumentationes uocantur. Nomina enim data rebus esse uoluit Anaxagoras, non ab eo quod solum, sed quod maxime essent.

IN CAPVT XVI.

AVt est orationis ui cogendus.) Lege Rodol. lib. 1. cap. item 1. *Et hæc per illa, & rursum illa per hæc commodius intelliges, sunt autẽ subdifficilia, quam porrò difficultatẽ comes pensabit utilitas.* *Nullo quo fides.)* *Et id quatenus expositio est, nam secus habet si interueniat argumẽtatio quod tamẽ sæpe fit.* *Expositionẽ priore libro.)* *Exponere multis ne dicã omnibus enarrare accipitur, solus (quod sciã)* Gell. lib. 9. cap. 3. *pro interpretari et uertere usus est. De Græca* Philippi Macedonis *epistola:* Exponẽda est igitur, *inquit, ad hãc fermè sententiã.* Philippus *Aristoteli salutẽ dicit &c.* Sed omniũ *quæ quidẽ inuenerim proxime accedit Ciceronianũ illud 2. de oratore: Sed hæc Crassus aliquãdo nobis expediet & exponet descripta generatim, ut non attendentibus loquendi proprietatem, qua dicimus exponere fabulam aut historiam, pro narrare.* Quanquam hoc *magnam sæpe cum enarrandi uerbo congruentiam habet, ut cum dicimus, exponi populo paßionem dominicã nocte sacra Christianæ parasceues.* Horatius *lib. primo satyra 7.* Persius exponit causam. *Cicero 3. de Oratore:* Fuit *uterque ut exposui antea, cum studio atq; ingenio & doctrina præstans omnibus, tum in suo genere perfectus. Alioqui grammaticum est potius quàm Latinum, imo ne grammaticum quidem (nisi me plane fallit nasus) ut carentia, crescentia, & quædam alia, ac proinde nec expositio pro enarratione, commentarijs aut scholijs.* Quanquam

si quis

si quis dissentiat, cum hoc non contenderim. Inter narrationem & expositionem.) Has quatuor orationis partes facit huius lib. cap. 24. Hic sane uult in unaquaq; earum alteram semper esse uel expositionē uel argumētationē, nam quicquid dicitur, aut expositio, aut argumentatio est. Nulla sane est differentia.) Et si omnis narratio est expositio, atq; omnis itē confirmatio argumētatio, non tamen cōtra: sunt enim quædā expositiones quæ narrationes non sunt, & quædam etiā argumentationes non sunt cōfirmatiōes, sed de his copiosius huius lib. cap. 24. Nonnunq̄ in expositionem uenire.) Quint. li. 4. ca. 2. Et huius lib. cap. 22. Controuersiam non esse.) Quod tamen falsum est. Quanquam enim.) Habet & hoc Quintilianus lib. 4. cum dicit argumenta aliquoties uenire in narrationem, argumentari uero nos nunquàm. Cum possit idipsum & causa rei esse & ratio.) Multum discriminis est inter causam & rationem rei, eo sane modo quo loquitur Rodolphus, nam causa est per quā res habet ut sit, siue nobis per eam innotescat, siue non innotescat, at ratio est per quam nobis res innotescat, siue ea causa sit, siue effectus. Si itaq; contingat ut per eandem rem altera res & sit & cognoscatur, tum idem & causa & ratio dicetur. Quia terra interposita sit inter solem & lunam.) Plutarchus in uita Niciæ: Atqui singulis fere triginta dierum spacijs completis solem ex opposito lunæ constitutum interuentu terræ adumbrari, atq; ex hoc fieri ut luna lumen amittat suum, & coloribus uarijs infici uideatur: hodie nemo fermè etiam ex media plebe uidetur ignorare.

Quàm multiplex sit parandæ fidei ratio. Cap. XVII.



Sed nos singulatim de utraq;, primumq́ de argumentatione dicamus, quoniam sunt in ea robur neruiq́ differentis. Expositio enim inuenit (ut ita dicam) fidem, argumentatio facit eam. Si quid autem habet expositio, sicut habet utiq; artis, quod dialectico præcipiendum sit, id fere ex argumentandi ratione descendit. Cum petatur autē fides argumentatione, dicendum uidetur in primis, fidem orationi dupliciter contingere, rebus scilicet, & oratione. Rebus contingit fides, quam is qui audit, uelut tacita apud animum suum argumentatione colligit: & ex persona eius qui dicit: quia uel is putatur, cui tuto possit credi: uel affectus aliquis, ut beneuolētia, ut ira, ut misericordia, propensiorem facit animum audientis ad credendum. Et ex reliquis, ut sunt tempus, locus, res, & ipsius etiam qui audit persæpe cupiditas, uel æquitas utcunq; animi, cuius parui refert, siue ita esse, siue aliter credat: & ipse dicendi modus. Vnde & persæpe dubitatio dicentis, nostram opinionem confirmat, non quia id uerba efficiant, sed quia credēdum uidetur maxime ei, qui nihil improbius affirmet. Contraq́ argumentosius & sollicite dicēti, minus

habetur interim fidei. Putamus enim, non fuisse de fide nostra dubitaturum, nisi fidem sibi ipse non haberet: & quia sciret non dicere se uera, in eam persuasionem uenire, ut ne uerisimilia quidem nobis putaret uisum iri. Vnde ductum etiã in prouerbium est, neminẽ satis credibiliter alijs mentiturum, nisi qui fuerit antea sibi mentitus. Sinon ille Vergilianus, nihil habet in uerbis suis, quo fidem faciat eis, quæ de casu suo, deq; fabricatione equi confingit. Vnde ergo fides illi uenit? Primum credebatur auectos hostes: unde dimoto metu, libertas iam Troianis negligentius omnia & securius audiendi, minusq; suspecta uerba Sinonis accipiendi, ut quæ nihil possent nocere. Deinde Sinonem relictum hostibus, non uideri nisi offensum suis & inimicum esse posse. Ad hæc præsens pro uiro fauor, & misericordia ex periculis. Palamedes Troianis Vlyssis æmulatione & uetandis bellis acceptior. Vlysses contrà Troianis astu dolisq; inuisus. Troiani cupientes uera esse quæ dicebãtur: & paratiores ad credendum, quia nullum uidebant esse prẽmium mendacio. Præterea palladium à Græcis è Troia furto ablatum. Equus animal aptum bellis, & deæ prẽsidi bellorum sacrum. Pòst Laocoon à draconibus peremptus, qui equum uiolauerat. Quia narrantur omnia consentanea istis, quanquam nihil sit in oratione, quo uera quæ dicuntur probentur, ipse tamen auditor collectione collationeq; rerũ, & earum inter se ordine & congruentia, sic esse sibi persuadet. Ergo creduntur alia, quia uera esse certum est, quale est quod primum narratur de Palamede: Quem falsa sub proditione Pelasgi Insontem infando indicio, quia bella uetabat, Demisere neci. Et iterũ: Omnis spes Danaum, & cœpti fiducia belli Palladis auxilijs semper stetit. Alia creduntur, quia sunt per se probabilia. Vt: Sæpe fugam Danai, Troia cupiere relicta Moliri, & longo fessi discedere bello. Et: Eripui (fateor) leto me, & uincula rupi. Et: Assensere omnes, & quæ sibi quisq; timebat, Vnius in miseri exitium cõuersa tulere. Alia creduntur, quia alij ueris similia sunt. Vt: Sanguine quærendi reditus. Creditur enim, quia simile illius est: Sanguine placastis uẽtos & uirgine cæsa: quod certum est. Sic etiam: Hinc semper Vlysses Criminibus terrere nouis, hinc spargere uoces In uulgum ambiguas. Certum erat antea talia solitum illum facere. Quædam uelut in numerum

merum creduntur, quia non est cur falsa ea putemus. Vt: Illi me comitem & consanguinitate propinquum, Pauper in arma pater primis huc misit ab annis. Et: Bis quinos silet ille dies, tectusq́ue recusat Prodere uoce sua quenquam, aut opponere morti. Et: Limosoq́ue lacu per noctem obscurus in ulua Delitui. Non enim est, cur ista uel sic, uel potius non sic facta credamus. Quædam etiam fidem habent, quia inter duo prorsus uera, uelut uia uel transitus quidam statuuntur: occupantq́ue ea mentem, quia ad alia non respicimus, ut hæc uera credamus. Vt Palamedem fraudibus Vlyssis occisum esse pro confesso est, & Sinonem relictum à Græcis in patriam profectis, res ipsa indicat. Connectit hæc duo capita Sinon, hinc sumpto fundamento fraudis, quòd consanguineus esset Palamedis. Quod cum uideatur nihil summæ rerum allaturum, & uelut extra rem, & nihil ad rem pertinens: pro uero accipitur, originem'que fidei præbet omnibus illis quæ postea dicuntur. Vt interim admoneamus, nullà parte illum qui contra nos disserit, acrius inspiciendum, quàm ubi minimum urgere nos, uel etiam ridiculus nobis firmare partes nostras uidebitur. Ea nanque quæ palam nos premunt, uelut aperta uis, ui repelluntur, ipsaq́ue uel indormientes nos impetu suo excitant. Quæ uero tanquam stolida, & nonnunquam etiam ut profutura, proferuntur, quo tectius plerunque, eo grauius difficiliusq́ue uitatu periculum ferunt. Postremo creditur dicenti ipsi, quia uel grauis uir, uel beneuolus putatur. Ad id figurandum pertinet quod dicit: Fas odisse uiros. Et: Quod dij prius omen in ipsum Conuertant. Quanquam sint autem hæc omnia in ipsa oratione, non tamen altera adhibetur alteri, tanquam fidem factura: sed singulæ per se positę, reputatione audientis, & apud animum suum comparantis eas, parant fidem. Pleraque uero se ipsis, sola rerum æstimatione, quia apte accommodateq́ue omnia naturæ suæ dicuntur, idcirco uidentur credibilia. Hocq́ue fidei genus quum omni orationi nonnunquam, tum est expositiōi maxime necessariū, cum nō habeat ea fidem nisi ex rebus. Fides autem quæ fit oratione, est, quæ conficitur argumentando, cum rem dubiam probabili colligimus argumento. Id uero, quo simul complectimur rem quam probare uolumus, & illud inuentum quo probare conamur, eam argumentationem esse dicimus

mus. Sane quo pacto argumentum rei probandæ argumētando adhibeatur, in commune, prioris libri initio, quàm potuimus apertissime conati sumus explicare. In hoc loco, quæ argumentationis, hoc est, orationis sunt propria, dicentur.

IN CAPVT XVII.

EX persona eius qui dicit.) Cicero in Topicis: Persona autem non qualiscunq; testimonij pondus habet. Ad faciēdam enim fidem autoritas quæritur, sed autoritatē aut natura aut tempus affert, naturæ autoritas in uirtute inest maxime, in tempore autē multa quæ afferunt autoritatē, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, usus, necessitas, cōcursio etiam nōnunquam rerum fortuitarum, nam & ingeniosos, & opulentos, & ætatis spacio probatos dignos quibus credatur putant, nō recte fortasse, sed uulgi opinio mutari uix potest, ad eaq; omnia dirigunt, & qui iudicant, & qui existimāt, qui enim his rebus quas dixi excellunt, ipsa uirtute uidentur excellere. Quintilianus lib. 4. cap. 2. Ne id quidem præteribo, quantam afferat fidem expositioni narrantis autoritas, quam mereri debemus ante omnia quidem uita, sed ipso genere oratiōis. Quod quo fuerit grauius, sanctiusq;, hoc plus habeat necesse est in affirmando quoq; ponderis. Vnde & persæpe dubitatio dicentis.) D. Erasmus in lingua: In uniuersum uero quisquis dicit frustra dicit, si desit fides, & attentio, sed utrunq; sibi conciliat suspendens expectationem cantatiuncula, quod ipsum etiam proditū est ab his qui diligētius de rhetorica conscripsere. Quisquis enim sic incipit, caret suspitiōe fuci, quod inibi ex re nata cogitare uideatur, quid sit dicendum: non secum attulisse commentū quo falleret, & in concilijs præsertim graue quiddam, minimeq; uulgare dicturus uidetur, qui prius meditatur quid dicat. Itaq; qui docent esse caput artis artem dißimulare, simulant hanc contationem quo magis attentos, magisq; credulos habeant auditores, talem Homerus inducit Vlyssem. Quid? quod nonnunquam in epistolis post dictum uale, subijcimus quod nos fugerit, aut quod ideo fingimus nos fugisse quo tenacius insideat animo, cuius generis est illud, Sed heus heus nunc nouum quiddam sese offert memoriæ, proinde non possum cōmittere, quin id subaperiam. Huiusmodi figuræ nō hoc tantum in loco, uerum aliâs etiam hanc habent gratiam, si quid Fabio credimus, nam & amouent suspicionē fuci, & artificij, lectoremq; dormitabundum uelut ad rem nouam expergefaciunt. Accipere.) Videtur legendum accipiendi.

Non uideri nisi.) Hoc uideri plane redundat si grammaticam consulimus. Qui nihil improbius affirmet.) Tribus maxime persuadetur, uita dicentis, ueritate rei, sobrietate orationis. Aristoteles libro rhetoricorum secundo cap. primo: Vt igitur dicentes ipsi fide digni uideantur, tres causæ sunt. Tria enim sunt quæ præter demonstrationem fidem faciunt, prudentia, uirtus, beneuolentia, & quæ sequuntur. Erasmus libro Ecclesiast. 2. Repertis igitur propositionibus superest argumentatio, siue probationes, Græci &c. Contraq; argumentosius & sollicite dicenti.) Quintilianus libro 4. de narratione: Optimæ, inquit, præparationes erūt quæ latuerint iudices, ut à Cicerone sunt quidem utilißime omnia prædicta, per quæ Miloni Clodius, non Clodio Milo insidiatus esse uideatur, plurimum tamen facit illa callidißima simplicitatis imitatio: Milo autem quum in senatu fuisset eo die quoad senatus est dimissus, domum uenit, calceos & uestimenta mutauit, paulisper dum se uxor (ut fit) cōparat, commoratus est. Quòd nihil præparato nihil festinato fecisse uidetur Milo. Quia nō

solum rebus ipsis uir eloquentissimus Cicero, quibus moras, & lentum profectionis ordinem ducit: sed uerbis etiam uulgaribus & cotidianis, & arte occulta consecutus est, quae aliter dicta essent, strepitu ipsum iudicem, deinde patronum excitassent. Frigida uidentur ista plerisque. Sed hoc ipsum manifestum, quomodo iudicem fefellerint, quod uix à lectore deprae henditur. Hactenus ille. Cuius ex uerbis cognosci possit in ea parte narrationis, in qua causae nostrae momentum praecipuum sit, etiam simpliciter loquendum uerbisq; cotidianis utendum. Quintil. lib. 4. cap. 2. sub finem: Effugienda ergo in hac praecipua parte omnis calliditatis suspitio. Quintil. lib. 4. de exordio: Praeterea detrahēda, inquit, uel confirmāda opinio, si quam praecipue domo uidebitur iudex attulisse. Neq; enim se usquam custodit magis iudex. Nihil uideatur fictum, nihil sollicitū, omnia potius à causa, quā ab oratore profecta credantur, sed hoc pati non possumus, & perire artem putamus, nisi appareat ars, cū desinit ars esse si appareat, pendemus ex laude, atq; hanc laboris nostri ducimus summam, atq; circumstantibus uolumus ostentare, iudicibus prodimus. Idem eodē lib. cap. 5. Pleraq; gratiora sunt si inuenta subito, nec domo allata, sed inter dicendum è re ipsa nata uideantur, unde illa non iniucūda schemata: Pene excidit mihi, & fugerat me, & recte admones. Idem Fabius disserēs de genere locutionis: Optima (inquit) minime accersita, & simplicibus, atq; ab ipsa ueritate profectis similia, nam illa quae curā fatentur, & ficta, atq; cōposita etiam uideri uolunt, nec gratiā consequuntur, & fidē amittunt, propter id, q; sensus adumbrāt, & uelut laeto gramine sata strangulant. Minus habetur interim fidei.) Cic. 2. Offi. Harum igitur duarū ad fidē faciendā iustitia plus pollet, quippe cum ea sine prudentia satis habeat autoritatis, prudētia sine iustitia nihil ualet ad faciēdam fidē: quo enim quis uersutior, & callidior est, hoc inuisior & suspectior detracta opinione probitatis. Idem ius profitētur etiā qui nesciunt, eloquentiā autem illi ipsi qui consecuti sunt, tamen se ualere dißimulant, propterea quod prudentia hominibus grata est, lingua suspecta. Erasmus Rot. lib. 2. Eccle. Libentius enim illis credimus, quibus pectus potius quàm ars suggerit dictionis copiam, & gratiora sunt, quae uelut ex tempore nata, nouitate commendantur, quàm promissa & expectata. & quae sequuntur. Neminem alijs satis.) Inditio est Sosia ille Plautinus: Sed quomodo, & uerbis quibus me deceat fabularier, prius ipse mecum etiam uolo hic meditari, sic proloquar. Sinon ille Vergilianus.) Apud Terentium in ἑαυτοντ. narratio est conicturalis in primis elegans, qua Syrus Cliniae tollit suspitionem corruptae Antiphilae suae amasiae. Iampridem omnium ubi uentum ad aedes est. & quae sequuntur. Haud dißimile ijs quae dicuntur de Sinone, fuerit & hoc quod est Iosue 9. cap. de Gabaonitis & Iudith 11. Vnde ergo fides illi.) T. Liuius lib. 8. decad. 3. Et fraus fidem in paruis sibi praestruit, ut quum operae pretium sit, cum mercede magna fallat. Georgius Trapezontius lib. Rheto. 1. nonnihil de eadem hac re cōmeminit. Quā ubi minimū urgere nos.) Aristot. 3. Rhetor. li. ca. 5. Eam argumentationē esse dicimus.) Cic. in rhetoricis lib. 1. Nam & argumētatio uno nōie res duas significat, ideoq; & inuentū aliquā in rem ꝓbabile, aut necessariū, argumētatio uocatur, & eius inuenti artificiosa expolitio.

Quot argumentandi species sint, & quae singularum specierum partes. Cap. XVIII.



Fides omnis quae fit argumentando, aut à sensibus primum coepit, desinitq; in mentem, in qua necesse est fidem

dem omnem consistere. Aut ipsa per se mens, alterum ex altero, res perceptas conferendo, collegit. Prius est, ut quia uidimus lunam iam plenilunio deficere, & iterum, tertio, quartoq; itidem fieri, dicimus: luna tunc & tunc & alio item alioq; tempore plenilunio defecit, nec unquam aliter est uisum: colligimus, ergo luna nunquam nisi plenilunio deficit. Priora enim illa sensu percepta sunt singulatim, posterius autem quod est, lunam nunquam nisi plenilunio deficere, mente sola percipitur. Secundum, cum mens alterum colligit ex altero: ut cum dicimus, luna nunquam deficit nisi plenilunio, ergo necesse est id fieri interuentu terræ lunam obumbrantis. Horum enim utrunque, nisi mente percipi nequit. Pro hac diuersitate duæ natæ sunt perfectæ formæ argumentandi, quarum alteram inductionem, alteram uulgo uocant Græco nomine συλλογισμὸν. Cicero apte (ut omnia) & prope ad uerbũ, ratiocinationẽ dixit. Mihi rectissime uidetur inductio dici, enumeratio: quemadmodum Cicero dixit argumentationem quandam esse ex partium omnium enumeratione. Inductionis uero nomen magis conuenit imperfectæ enumerationi, cum duobus tribus'ue propositis inducitur auditor, ut in omnibus ita credat esse. Est autem inductio uel (ut nos dicimus) enumeratio, argumentatio, qua ex pluribus uel partibus, uel speciebus, unum uel totum, uel genus uniuersaliter colligitur. Genus in præsentia uoco, quod aliqua ratione in plura diuiditur. Species, in quas id diuiditur. Ex partibus hoc modo: Paries est meus, fundamẽtum meum, tectum meum, reliquæq; partes meæ sunt: ergo domus mea est. Et hoc item: Plebs Romana optime de Milone sentit, & equester ordo, & senatus: totus ergo Popu. Roma. optime sentit de Milone. Ex speciebus hoc modo: Pompeius habet uirtutẽ, habet peritiã rei militaris, autoritatem, felicitatem: habet ergo cuncta Pompeius in summo duce spectanda.

Ratiocinatio (si latino malumus uti nomine) est, ut inquit Aristot. oratio, in qua positis quibusdã, necesse est aliud præter ea quæ posita sunt euenire. Vel, est argumentatio, in qua positarum duarum propositionum duo termini sic iunguntur in tertio aliquo, ut necesse sit eos eodem modo inter se coniungi. Vt, omnis insidiator iure occiditur, Clodius est insidiator, ergo Clodius iure occiditur.

Hic in his duabus propositiõibus, iure occidi: & Clodius, iungunt affirmatiue, in eo q̃d est insidiatorẽ esse: iunguntur'q; inter se etiam affirmatiue. Sic etiã negatiue: nullum qui fatetur à se hominem occisum, fas est uiuere, Milo hoc fatetur, ergo Miloni fas non est ui uere. Hic Milo & fas esse uiuere disiunguntur negatiõe, in eo quod est fateri hominem à se occisum: disiunguntur ergo itidem inter se. Sed quæ sit lex ratiocinationum, quot'q; sint earum figuræ, exacte prosequi, ad iudicandi pertinet rationem. In pręsentia, quoniam ne cesse est usu uenire nomina ista, ne sint ignorata, obiter quantum præsentis rei sufficit instituto, dicantur. Id ergo quod efficitur argumentatione, alij conclusionem, alij intentionem uocant: quoniam sit id, quod intendimus argumentando conficere. Ea uero, per quæ conficimus conclusionem, propositiones dicuntur. Et in inductione quidem nullum inter se discrimen habent propositiones, nec numerum præfinitum. Pro multitudine enim partium aut specierum, crescat is necesse est, & quælibet ex æquo adhibetur conclu sioni conficiendæ. In ratiocinatione autem duæ tantum sunt propositiones. Quarum altera plus uirium habet ad cõficiendum, quia conclusionem fere intra se cõplectitur, & idcirco ea uel maior propositio, uel expositio uocatur. Altera minus habet uirium, quam uo cant minorem propositionem, uel assumptionem. Et omnis quidem propositio duobus cõtinetur uel extremis uel terminis. Quorum hic subiectum dicitur, de quo dicitur aliquid. Hic uero prædicatum, quod dicitur de aliquo. Necesse est igitur in duabus proposi tionibus ratiocinatiõis, quatuor esse terminos: inter'q; hos quatuor, quia unus bis semper accipitur, usu quidem & ministerio quatuor sunt, reuera tamen non plures sunt tribus. Quorum qui bis sumitur, medium dicitur: quoniam in eo alij duo iunguntur. At qui cum me dio sumitur in maiore, maius extremum: in assumptione uel minore, extremum minus uocatur. In hac ergo ratiocinatiõe, omnis insidiator iure occiditur, Clodius est insidiator, ergo Clodius iure oc ciditur: conclusio est, Clodius iure occiditur: ea est enim quã proba re uolumus. Maior est, omnis insidiator iure occiditur. Minor, Clo dius est insidiator. Mediũ est insidiator: quoniã in eo, iure occidit, quod est maius extremum, & Clodius, quod est minus, iunguntur.

Præter has duas species argumẽtandi perfectas, aliæ sunt imperfectæ duæ: quæ nisi captiosæ sint, & non in speciem tantum, sed uere conficiantur, ad istas semper redigi possunt. Quarum quæ ad ratiocinationem ducitur, enthymema dicitur, id est (ut Quintilianus interpretatur) commentum. Quo quidem cum possint omnia mentis nostræ signari cogitata, argumentationem significauerunt ex altera ratiocinationis propositione, hoc est, maiore uel minore, & conclusione compositam. Ex maiore, ut insidiator iure occiditur, ergo Clodius iure occiditur. Ex minore, ut Clodius est insidiator, iure ergo Clodius occiditur. Quæ uero naturam habet inductionis, exemplum uocatur. Quid sit exemplum, superiore libro, cum comparata tractaremus, à nobis est dictum. Sed non omne exemplum redigitur ad inductionem, nec omnis imperfecta inductio est utiq; exemplum. Illud enim, P. Scipio occidit iure Gracchum, ergo Cicero iure occidet Catilinam: nemo negauerit exemplum esse. Non est inductio tamen, sed ratiocinatio. Nec enim Scipio pars est Ciceronis, nec species illius. Sic & quanquam sit exemplum hæc imperfecta inductio: Omnis potestas impatiens consortis erit, quoniam fraterno primi maduerunt sanguine muri: hæc tamen argumentatio: Quid satis est, si Roma parum? quæ sic explicatur: Roma non est satis, ergo nulla res est satis: inductionis quidem similitudinem habet, nemo tamen dixerit eam exemplum. Aristoteles autem dixit exemplum rhetoricam inductionem, enthymema ratiocinationem rhetoricã: definiuitq; enthymema esse ratiocinationem ex uerisimilibus & signis. Sunt itaque, qui putent Aristotelem non discreuisse forma argumentandi à ratiocinatiõe enthymema: sed certo tantum rerum genere enthymema constare uoluisse. Pleriq; rhetores hoc nomen uelut dignatione quadam dederunt ei argumentationis generi, quod ex contrarijs conficitur. Quale est: Quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris? Et id quod modo dixi: Quid satis est, si Roma parum? Et apud eundem autorem: Audes fulcire ruinam, Sub qua Roma iacet? Et, Cum meretricis sit quod amator odi, cuius putatis esse, quod pauper adamaui? Sed hęc plerunq; magis constant eloquendi, quàm inueniendi ratione uel argumentandi forma.

IN CA

IN CAPVT XVIII.

Fides omnis.) Illud non indignum quod hic obiter adnotetur, inter alia & illud uerißime dictum esse ab Rodolpho in fronte huius libri: Alius, inquit, qui liberius uelit uerum fateri, dicet prӕterquam quӕ de syllogismis prӕcipiuntur, cӕtera non magni sanè momenti esse. Proinde hoc iam capite, obiter re ipsa commonstrat quàm sit utilis connexionum ratio. Duӕ natӕ sunt perfectӕ formӕ argumentandi.) Prӕter eas quӕ fiunt ex hypotheticis, quales infra cap. 20. ductus appellat, aliaq; id genus pleraq;, quӕ flexuosa uocat infra cap. 30. Aut à sensibus primum cœpit.) Lege lib. huius cap. 7. Cum duobus tribus'ue propositis inducitur auditor.) Prioris ad Corinthios 9. Quis militat suis stipendijs unquam? Quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit &c. Amos item cap. 3. D. Erasmus Roterod. libro 2. Ecclesiastӕ.

Qua ex pluribus.) Hoc est, omnibus enumeratis sigillatim, aut aliqua certe particula eorum uice adiecta. Quod genus sunt: Et ita deinceps, & sic de singulis, reliquaq; id genus, atq; in cӕteris eodem pacto, neq; quicquam est quod non hoc pacto se habeat. Cicero prӕterea in primo de inuentione, ubi agit de inductione Socratica: tradit prӕceptiones aliquot in inductione accuratius obseruandas, quas qui uelit, inde petat licebit. Ex partibus hoc modo.) Leges sunt, plebiscita sunt, senatusconsulta sunt, principum placita sunt, Magistratuũ edicta sunt, responsa prudentum sunt: ergo ius scriptum est. Non est quod hoc argumentum quis è speciebus opinetur esse profectum, siquidem populus Romanus non diuiditur in hasce partes, sed partitur, qua de re lege primi libri caput 7. & 8. Ex speciebus hoc modo.) Sic & Cicero in exordio 1 lib. Tuscula. disputationum, dictu mirum quàm apposito utatur exemplo. Habet ergo cuncta Pompeius.) Imperatorem quӕ scire oporteat, lege Xenophontem libro 3. de dictis & factis Socratis. Vt necesse sit eos eodem modo inter se coniungi.) Hoc ita accipiendum est: Si duo cuidam tertio consentanea sunt, inter se quoq; consentanea esse dicimus, & ratiocinationem item consentaneam esse affirmamus. Consentanea uero appellamus, quorum poßit alterum de altero dici, ut uoluptati & bono in appetitu conuenit, quoniam quicquid appetitur, est bonum, uoluptas appetitur, igitur est bonum: sic conuenit homini & substantiӕ, quoniam omne animal est substantia, & omnis homo est animal, sequitur ergo: omnis homo est substantia. Vnum etiam his adijciendum est, terminum hic uocari non unicam tantum dictionem, sed orationem etiam, siquidem terminus hoc loco nihil aliud significat, quàm extremum propositionis, quod autore Boëtio potest esse & oratio. Est autem terminus singularis is, cuius significatio non potest nisi uni rei conuenire, ut Ioannes, Nicolaus. Contra communis terminus, cuius significatio pluribus potest communicari, ut homo, lapis. Item sol, luna, Deus Nam licet plerisque harum rerum repugnet plures inuenire, non tamẽ repugnat significationi uocabuli, eas esse uel infinitas. Sed heus propemodum prӕterieram, quod in primis annotatum oportuit: Locum hunc satis alioquin obscurum maxime parum exercitatis posse teneri, & quidem facillime, modo libri primi cap. 2. accuratius expendatur. Sed quӕ sit lex ratiocinationum post Aristotelem.) Hanc iudicandi partem, satis accurate tradiderunt Georgius Trapezontius, Philip. Melanchthon, Ioannes Cӕsarius, Christophorus Hegendorphinus, & Bartholomӕus Latomus. Quotq; sint earum figurӕ.) Quid sit Aristotelicis figura, quid item modus, Petrus Mosellanus annotauit in Aulum Gellium libro 2. capite 8 & 9. Rationem contexendi syllogismos, indicat Aristoteles in lib. priorum, & summa est: In syllogismis loco propositionis maioris esse ponendam causam,

hoc est, sententiam quandam communem, quæ causa sit et firmamentum totius syllogismi. Rhetores uocãt κρινόμενον. Deinde cum hac causa subiectum minoris propositionis componetur, & erit minor propositio. Postremo conclusio sequitur. Quia duæ tantum sunt propositiones.) Proponere quandoq; significat aliquid præmittere, unde conclusio inferatur: sic propositiones dicuntur apud dialecticos, id quod hodie uulgò præmissas uocamus. Nam id quod uerum aut falsum significat, quod Petrus Hispanus, & reliqui propositionem uocant, id Boëtius enunciationem interpretatus est. Cicero melius pronunciatum uocauit, estq; simile, si omne id propositionem uocemus, quale est, si omne substantiuum subiectum dicamus, quemadmodum ex omni pronunciato propositio fieri potest, si in syllogismis ponatur: sic ex omni nomine substantiuo potest fieri subiectum, non tamen dicitur substantiuum, nisi ex relatione ad prædictum, hoc est, quum in pronunciato ponitur. Hæc Rodolphus Agricola in commentario in secundam Senecæ declamationem. Propositio proprie dicitur ea pars argumentationis, quæ ab Aristotelicis maior dicitur, non quemadmodum isti praue abutuntur, enunciatio: unde apud doctos autores frequẽter legimus propositionis probatio, assumptionis probatio. Erasmus Roterodamus libro Ecclesi. 2. Admonendus est & lector, uocem hanc apud eos qui de dicendi facultate, &c. In inductione quidem.) Loquitur hic ut prius de perfecta inductione. Vel maior propositio, uel expositio uocatur.) Dialectici, & hos sequuti rhetores, tres partes faciunt perfectæ argumentationis. Prima est, qua exponitur summa argumentationis: hæc est expositio siue propositio: altera, cum propositione assumpta rem cõtinet specialius, de qua aliquid uolumus colligere, hæc assumptio: Tertia, quæ ratiocinationem claudit, complexio. Cicero enim in priore de inuentione libro, uocat complexionem, quam dialectici appellant conclusionem. D. August. libro de ciuitate Dei 2. capite 13. In hac disceptatione huiuscemodi raciocinatio summam quæstionis absoluit, proponunt Græci: si dij tales colendi sunt, profecto etiam tales homines honorandi sunt: assumunt Romani, sed nullo modo tales honorandi sunt: concludunt Christiani, nullo igitur modo dij tales colendi sunt. Quæ nisi captiosæ sint.) Seneca epistola 49. Aulus Gellius libro 5. capite 10. Idem libro 16. capite 2. Politianus miscella. capite 54. Quæ uerò naturam habet inductionis, exemplum uocatur.) Quoties aut una tantum, aut pluribus etiam, non tamen omnibus partibus enumeratis: non totum, sed aliam inde partem colligimus, hoc genus imperfectæ inductionis, Aristoteles in rhetoricis uocat exemplum. Omnis insidiator iure occiditur.) Collectio syllogistica est, secundum dialecticos, constans propositione, adsumptione, & complexione. Rhetores κρινόμενον & αἴτιον uocant, hoc est, iudicationem & causam, & tertium quod ex his conficitur, nonnulli statum. Id sanè intentio est & finis totius defensionis, quod ex propositione & adsumptione concluditur. Nam si insidiatorem occidere ius est, & Clodius fuit insidiator, utiq; igitur iure est cæsus. Verum huius generis aliquot exempla annumerare non inutile fuerit. Ac in primis iure hic (quando iam nunc dogma hoc multorum animos peruasit) refellamus id quod dicunt omne opus bonum esse peccatum. Omne opus bonum peccatum est: Vt credamus in deum, opus bonũ est: est igitur peccatum. Ioannis 6. Hoc est opus dei, ut credatis in eum quem misit ille. Et hæc ipsa sententia stat contra illud euangelici istius. Nam ibi Christus opera bona, uocat opera dei. Sed opera dei non sunt cum peccato, ergo &c. Interrogant enim Christum turbæ: Quid faciemus, ut operemur opera dei? & respondetur: Hoc est opus dei. Marci 3. Omne regnum aduersus se diuisum, non potest stare. Sathanas aduersus se insurgens, est diuisus: Proinde regnum sathanæ non poterit stare,

Item

Item: Omnis domus contra seipsam diuisa, corruit: sathanæ domus contra se diuisa est, ergo corruet. Sic Chrysippus uincit, eliminatorem arcanorum, impium esse scribens: Quicunque mysteria prophanis dicit, impius est: Hierophanta prophanis illa dicit, ergo impius est Hierophanta. Hæc Suidas. Demosthenes in orat. contra Aristogitonem: Non est in urbe tolerandus, qui leges infringit: Aristogiton leges infregit, ergo Aristogiton non est in urbe tolerandus. Idē in 2. Olynthiaca: Imperia scelere parta non sunt stabilia: Philippi imperiū est scelere partum, non ergo stabile erit. Præter has duas species argumentandi.) Illud quoque (quando in argumentationum mentionem incidimus) non grauabor ascribere, mire efficacem esse, & nusquam non obuiam argumentandi rationem, à nonnullis dictam coaceruationem, cum rès eiusdem prædicamenti, ceu gradatione coaceruantur: Græcis uerò σώρον, seu σώριτην, cuius meminit & Aristoteles in ipso statim κατηγοριῶν frontispicio: pleriq; rhetores uocāt ἀπὸ ἀρχῆς μέχρι τέλους: Vulgus autem dialecticorum à primo ad ultimum. Et sic expediunt: Quicquid de superiore dicitur, idem quoq; de inferiore dici potest, ut omnis homo est animal, omne animal est corpus, igitur omnis homo est corpus. Valla libro dialect. 5. cap. 54. κόσμος πόλει μὲν εὐανδρία, σώματι κάλλος, ψυχῇ σοφία, πράγματι δὲ ἀρετὴ λόγῳ, δὲ ἀλήθεια. τὰ δὲ ἐναντία ἀκοσμία ἄνδρα καὶ γυναῖκα καὶ λόγον, καὶ ἔργον, καὶ πόλιν, καὶ πράγμα, χρὴ τὸ μὲν ἄξιον, ἐπαίνου τιμᾶν. τῷ δὲ ἀναξίῳ μῶμον ἐπιτιθέναι, ἴση γὰρ ἁμαρτία καὶ ἀματία, μέμφεσθαί τε τὰ ἐπαινετὰ, καὶ ἐπαινεῖν τὰ μωμητά. Hæc Gorgias Leontinus. Plato in Litigioso: Nonne qui pauciora agit, rarius errat: minus errans, minus male agit: minus male agens, minus miser est. Cicero libro 5. Tuscula. quæst. Atqui etiam omne bonum lætabile est: quod autem lætabile, id prædicandum, & præ se ferendum: quod tale autem, id etiam gloriosum: si uero gloriosum, certe laudabile: quod autem laudabile, profecto etiam honestum: quod bonum igitur, id honestum. Idem in 3. Tuscula. Præterea necesse est, qui fortis sit, eundem esse magni animi: qui magni animi sit, inuictū: q inuictus sit, cū humanas res despicere, atq; infra se positas arbitrari: despicere autem nemo potest eas res, propter quas ægritudine affici potest, nisi fortis: ex quo efficitur, fortem uirum ægritudine nunquam affici: omnes autem sapientes fortes. Non cadit igitur in sapientem ægritudo. Et rursus libro de diuinatione primo: Deorum, inquit, sunt omnia, boni uiri deorum sunt amici, & amicorū inter se omnia sunt communia, ergo & bonorum sunt omnia. Erasmus Roterod. libro Ecclesi. 2. Nam quod philosophus non inepte collegit, bonos uiros esse amicos deorum, amicorum autem esse omnia communia, dijs porrò adesse omnia bona: Viris igitur bonis nihil bonorum deesse: multò rectius quadrat in eos qui per fidem in Christum unum cum Deo facti sunt. Cicero 5. lib. Tusculanarum quæstionum: Sic enim princeps ille philosophiæ disserebat: Qualis cuiusque animi affectus esset, talem esse hominem: qualis autem ipse homo esset, talem eius esse orationem: orationi autem facta simillima, factis uitam. Affectus autem animi in bono uiro laudabilis: & uita igitur laudabilis uiri boni & honesta. Ergo quoniam laudabilis: ex quibus bonorum beatam uitam esse concluditur. Cato senior obiurgans aliquando summam uxorum impotentiam: Omnes, inquit, homines uxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem uxores: hoc modo colligens, mulieres esse rerum omnium dominas. Ex sacrificio, epulum: ex epulo, facta est potatio: ex potatione, comessatio: ex comessatione, facta est subatio siue ludus: ex subatione seu ludo, lis: ex lite, condemnatio: ex condemnatione, compedes, sphacelus & mulcta. Lege adagium: Nephalium sacrū Apud Plutarchum uulpecula admotis glaciei auribus ita ratiocinatur: τὸ ψοφοῦν κινεῖται τὸ δὲ κινούμενον οὐ πέπηγε τὸ δὲ μὴ πεπηγὸς ὑγρὸν

ἐστί

ἐστι τὸ λιγυρὸν ὑποδιδωσιν, id est, quod obstrepit atque præterlabitur, moueatur necesse est: atqui quod motum est, nondum satis probe solideque gelatum est: quod non satis gelatum est, id liquidum est: quod autem liquidum, id cedit, patitur impreßionem, & peruium est. Plinius libro 8. capite 28. In Thracia locis rigentibus, & uulpes animal alioqui solerti auditu, amnes gelatos lacusque non nisi ad pastus ituræ redituræque transeunt: Obseruatum eam aure ad glaciem apposita coniectare craßitudinem gelu. Plato in Phædro: Animus seipsum mouet: quod seipsum mouet, semper mouetur: quod semper mouetur, immortale est: animus igitur immortalis. Filium quem mater adamabat atque in delitijs habebat, plurimum omnium Græcorum posse colligebat Themistocles hunc in modum: Athenienses, inquit, dominantur Græcis, ego Atheniensibus: mihi mater, matri filius. Ambrosius de bono mortis: Itaque si plena oneris uita: utique finis eius alleuamentum. Alleuamentum autem bonum, mors autem finis: mors igitur bonum est. Hæc ille. Institutio sacrosanctæ Eucharistiæ pertinet ad Christi testamentum, testamentum autem inuoluit mortem testatoris: mors autem testatoris Iesu Christi, fuit sacrificium & hostia pro peccatis nostris Deo oblata: itaque testamentum hanc inuoluit oblationem. Cuperem in hoc amœnißimo huius argumenti diuerticulo posse diutius immorari, sed annotationum lex monet, in eam unde digressus sum, redire uiam. Vulgus igitur (ut cœpimus dicere) dialecticorum, hanc argumentandi rationem ita ferè tradit: Quando alterum de altero, ut de subiecto prædicatur: quæcunque de prædicato dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur. Hæc argumentatio uulgo dicitur prima regula antiprædicamentalis, quam hoc pacto intelligunt. Quando alterum scilicet prædicatum, prædicatur de altero, scilicet subiecto: omnia quæ de prædicato dicuntur, etiam de subiecto dicuntur, ut: Asinus est brutum, brutum est irrationale, ergo asinus est irrationalis: non tamen ualet: Homo est substantia, substantia est incorporea, ergo homo est incorporeus. Item nec: Homo est animal, animal est asinus, ergo homo est asinus. In quo errore excludendo conuenit scire hanc argumentandi rationem in hoc consistere, quod necessum est, si duo extrema conueniant cum eodem tertio, ea etiam inter se conuenire: hoc hic non fit, non enim est idem animal quod dicitur de homine, & de quo prædicatur asinus, neque eadem substantia quæ dicitur de homine, & de qua dicitur incorporeum. Quare necesse est secundam propositionem esse uniuersalem, aut certe uniuersaliter ueram, id est, talem quæ salua ueritate poßit fieri uniuersalis. Præterea obseruabitur, ut totum prædicatum primæ propositionis fiat subiectum secundæ. Ob id non sequitur: Ioannes habet animam rationalem, anima rationalis est immortalis, ergo Ioannes est immortalis. Item nec, Ioannes habet bouem, bos habet cornua, ergo Ioannes habet cornua. Et, Plato habet equum, equus habet quatuor pedes, ergo Plato habet quatuor pedes. Item, Simo amat Pamphilum, Pamphilus amat Glicerium, ergo Simo amat Glicerium: non enim totum prædicatum primæ propositionis fit subiectum secundæ: sed duntaxat pars. Oportebit ergo sic argumentari, si uolemus argumentationem perpetuo esse bonam, & in omni genere elocutionis ualere: Simo amat Pamphilum, quisquis amat Pamphilum, etiam amat Glicerium, ergo Simo amat Glicerium. Ioannes habet bouem, quisquis habet bouem, habet cornua: ergo Ioannes habet cornua. Huius ratio est, quia prædicatum primæ propositionis, est medium huius secundæ argumentationis. Hæc enim ratio argumentandi conuenit planè cum Syllogismo, adeò ut si ponas secundam propositionem priorem, habebis syllogismum. Deus imperat imperatoribus, imperatores imperant populo, ergo deus imperat populo. Est quidem uera argumentatio, sed ipsa argumentationis ratio non ualet. Hæc enim argumentatio, homo est animal, omne animal substantia, ergo homo

homo est substantia: est facta secundum rationem huius regulæ. Si contrà dicas, omne animal est substantia, homo est animal, ergo homo est substantia: erit syllogismus primæ figuræ, in quo necessario id quod erat subiectum primæ propositionis, est prædicatũ in secunda. Neq; tamen sufficit hoc prædicatum primæ propositionis esse idem cum subiecto secũdæ ratione, nisi etiã significatione, et acceptione: unde non ualet hæc argumentatio, homo est rationalis: rationale est immortale, ergo homo est immortalis: nec hæc: Brutũ est sensibile, sensibile est differẽtia animalis: ergo brutũ est differẽtia animalis. Itẽ, aqua est humida, humidũ est de genere qualitatis, ergo aqua est de genere qualitatis. Nam prædicatũ primæ propositionis in istis accipitur (ut uocãt) concretiue, id est, adiectiue, subiectũ uero secũdæ si propositio erit uera, accipitur abstractiue, pro anima rationali, pro anima sensibili, pro humore, & non pro subiectis has res in se habentibus. Id etiam debet in primis caueri, ne uarietur ita copula, ut aliquis terminus pro pluribus accipiatur in antecedente, q̃ in consequente. Vnde non ualet: Omnes liberti fuerunt serui, omnes serui sunt capite diminuti, ergo omnes liberti sunt capite diminuti. Bene ualet si dixeris, fuerunt, &c. Item nec hæc: Quisquis est exul, olim fuit ciuis Romæ. omnes ciues Romani sunt liberi, ergo quisquis est exul, est liber. Tota basis huius argumẽtationis est, ut duo extrema conueniant cum eodem tertio. Minor & conclusio in hac formula argumentandi, et maior & conclusio in syllogismo, eandem omninò copulam desiderant. Breuiter, quicquid præcipitur seruandum in syllogismo, hoc hic seruabitur, est enim hæc argumentatio, inuersus (ut dicitur) syllogismus. Quando medium est prædicatum in prima propositione, subiectum in secunda, obseruatur hæc regula prima antepraedicamentalis, ut homo est animal: animal est substantia, ergo homo est substantia. Quando autem medium est subiectum in prima, prædicatum in secunda: est primæ figuræ syllogismus, ut quodcunq; est animal, etiam est substantia: homo est animal, ergo homo est substantia. Aliquando medium in utraq; prædicatur, ut homo est animal: Substantia est idem animal: ergo homo est substantia, & hoc secundum secundam regulã syllogismi: aliquando medium in utraq; subijcitur, ut: quod est animal substantia, & idem animal est homo, igitur homo est substantia: hoc secundum tertiam regulam syllogismi. Nulla uxor erit uirgo, hæc uxor erit uirgo, ergo hæc uirgo erit aliquando non uirgo. Aliquando addendum est, nam erit simile ut in hac argumentatione: Ioannes fuit indoctus, ergo non fuit doctus, non ualet. Nam secundum fuit, magis distribuitur, quàm primum: potuit enim antea fuisse doctus. Lapis est sensibilis, nullum sensibile est incorporeũ, ergo lapis est incorporeus. Fiunt præterea argumẽtationes penes hanc rationem, in quibus secunda propositio est negatiua, ut homo est animal, nullum animal est lapis, ideo homo non est lapis. Ioan. est grammaticus, nullus grammaticus est illiteratus, ergo Ioan. non est illiteratus. Primam autem propositionem non licet esse negatiuam, non enim sequitur: nullus homo est asinus, omnis asinus est animal, ergo nullus homo est animal. Item, nullũ animal est insensibile, omne insensibile est corpus, ergo nullum animal est corpus, Ratio est, quia argumentatur à non distributo ad distributum terminum eundem. Prædicatum enim secundæ propositionis, non distribuitur in antecedente, & tamen ipsum distribuitur in conclusione. Etiam argumentatur in dictis argumentationibus à negatione inferioris, ad negationem superioris, uel magis communis, non enim oportet, si aliquis terminus de aliquo negetur, propterea omnia illa quæ illi termino competunt, aut de eo prædicantur, de eodem negari: diuersæ enim species uerè de seipsis negantur, genera tamen illarum de utralibet frequenter prædicantur: si quis tamen hoc modo omnino uelit argumentari, fiet hoc modo: Nul-

do: Nullus homo est asinus, omnis asinus est animal, ergo omnis homo quoddam animal non est. Item, nullum animal est insensibile, omne insensibile est corpus, ergo omne animal aliquod corpus non est. Iam enim prædicatum secundæ propositionis non distribuitur in conclusione. Nullus seruus fuit ingenuus, omnis seruus fuit homo, ergo nullus ingenuus fuit homo. Nullus cœlebs est maritus, omnis maritus habet uxorem, ergo nullus cœlebs habet uxorem, non ualet. Omnium harum argumentationum caput hoc est, ut duo extrema cum eodem tertio consentanea sint: tertium autem est medium, quod quasi duo inter se colligat, & præposita uelut extrema duo coniungit, id si opinione solum atq; aspectu, non reuera sit unum atque idem, fallemur argumentatione: quare accuratum & exactum in his argumentationibus iudicium esse debet, & diligens cautio, ne te captiosæ istæ argumentationes, uel parum recte iudicantem decipiant, uel parum prouidentem fallacijs huiusmodi intricatis cogaris id uerbo fateri, quod animo aliter esse existimas. Medium debet accipi pro eodem, in relatione ad utrunque extremum, & cum hoc non fiat, secundum uulgarem rationem dicitur medium non distribui. Terra est sub aëre, aër est sub cœlo, ergo terra est sub cœlo, bene ualet: quanquam totum prædicatum primæ propositionis, non fiat subiectum secundæ: sed ipse ordo rerum sic habet, & idem est in similibus argumentationibus, siue partem repetas, siue totum. Plato est philosophus, philosophia est cognitio rerum diuinarum & humanarum, ergo Plato est cognitio, & cætera. Hic prædicatum primæ propositionis non fit subiectum secundæ: prædicatum enim in prima propositione concretiue, in secunda subiectum abstractiue. Sed his longius extra oleas excurrens sum immoratus, cætera paucis ac dilucide expediam, si unum illud adiecero. Non me clàm est, te pluribus onerasse exemplis, quàm necesse uideatur, quippe tam friuolis: uerum id mihi propositum, nullam argumentandi rationem non excussam, non exquisitam, non perquisitius inuestigatam prætermittere. Proinde quæso ne pigeat, ut huc usque fecisti, attente legere, dum argumentationum naturam omnem, quàm possem breuissime simul & apertissime perstringo. Sed non omne exemplum redigitur ad inductionem.) Nempe dialecticum, licet bene rhetoricum.

Nec omnis imperfecta inductio utiq; est exemplum.) Capit exemplum proprie ut lib. 1. cap. 24. descripsit, aut tam pro exemplo proprie dicto, quàm pro exemplo, id est, inductione imperfecta, alioqui fortasse diceret nullum exemplum, nulla imperfecta inductio. Nemo negauerit exemplum esse.) Proprie scilicet capiendo. Non est inductio.) Id est, exemplum, prout capiatur pro inductione perfecta. Sic etiam quanquam sit exemplum.) Sumitur exemplum pro imperfecta inductione, quia colligitur uniuersale, omnis potestas impatiens, &c. quod sic & potest, & debet explicari: Romulus fratrem suum imperij consortem pati minime potuit, ergo nemo quisquam rerum potitus, consortem pati potuerit. Hæc inductio est imperfecta, nam fit processus (ut uocant) à specie, nempe Romulo, ad genus, quod est omnis qui rerum potitur: est etiam exemplum, nam argumentum constituitur à re gesta. Omnis'que potestas impatiens consortis erit.) Sic dicimus: Eadem domus non alit duos canes. Idem regnum non fert duos tyrannos. Eadem respublica non fert duos expilatores. Idem munus non fert duos ambitiosos, quorum uterq; conetur tenere primas. Enthymema dicitur.) Aristoteles libro rhetori. primo: Enthymema, inquit, est syllogismus imperfectus: ἐκ εἰκότων καὶ σημείων constitutus. εἰκότα uerò uocat ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γινόμενα (sic enim inquit) id est, ea quæ ut plurimum accidere solent. Enthymema ab ἐνθυμέομαι Græco, id est, cogito dicitur, quasi cogitatum, uel animo conceptum. Et hoc nomine aliud Aristo-

teles

teles significat, aliud Cicero, & Seneca, & qui circa eos fuerunt: aliud nostræ ætatis dialectici. Aristoteles enim definiuit enthymema esse syllogismum ex uerisimilibus constantem, adeò nulla alia re differt enthymema à syllogismo, nisi quod genere materiæ constat. Cicero uoluit nomine enthymematis, accipi genus argumentationis ex contrarijs ductæ, ut: Quem alienum fidum inuenias, si tuis hostis fueris? Quid satis est, cui Roma parum? Si hostis Catilina, cur tu ciuis? Nostri dialectici uolunt enthymema esse syllogismum imperfectum, cui altera propositionum, hoc est, maior aut minor, deest, ut: Hunc ego si tantum potui sperare dolorem, & perferre soror potero. Hic autem enthymema accipiendum est pro eo, quod secundo loco dixi, hoc est, argumentatione ex contrarijs ducta. Hæc Rodolphus Agricola in commentario in prologum declamationum Senecæ. Erasmus Roterodamus libro Ecclesiastæ secundo: Hoc dialectici uocant enthymema, quæ est sententia cum adiuncta ratione, & cæt.

Quid satis est, si Roma parum.) Meminit eiusdem poëtæ carminis & D. Hieronymus in quadam ad Geruntiam epistola: Potentiam inquiens, Romanæ urbis ardens poëta describens ait: Quid satis est, si Roma parum est? quod nos alio mutemus elogio: Quid saluum est, si Roma perit? Nec est quod quisquam putet, mirum debere uideri, si hoc non possit dici exemplum, quando ex particulari non ad aliud particulare, sed uniuersale fit progreßio. Siquidem hæc non uidetur esse ratio Rodolphi, sic enim nec præcedens inductio esset exemplum, scilicet: fraterno primi, &c. ergo omnis potestas, & cæt. Sed uidetur hoc posterius exemplum Rodolphus negare exemplum propriè, quia scilicet: si Roma parum, id non proponitur tanquam uel imitandum uel uitandum: est tamen exemplum, capiendo generaliter exemplum, pro quauis inductione imperfecta. Cicero pro Ligario: Quorum igitur impunitas tuæ clementiæ laus est, eorum ipsorum ad crudelitatem te acuet oratio? Lege Demetrium Phalereum de epiphonemate: Videte ne erretis, Cæsarem uestris inimicitijs iratum fore putetis, qui ignouit suis? Plerique rhetores hoc nomen.) M. Tullius autor est in Topicis, omnes quidem sententias apud Græcos enthymematis nomine comprehendi, attamen propriè sibi uendicare hanc appellationem eas sententias, quæ sunt simul breuißimæ, simul & augustißimæ, ut quæ colliguntur ex contrarijs. Ex hoc (inquit) illa rhetorum sunt ex contrarijs conclusa, quæ ipsi enthymemata appellant: non quòd non omnis sententia proprio nomine enthymema dicatur, sed ut Homerus propter excellentiam, commune poëtarum nomen efficit apud Græcos suum: sic cum omnis sententia enthymema dicatur, quia uidetur ea quæ ex contrarijs conficiatur acutißima, sola proprie nomen commune poßidet. Eius generis hæc sunt: Hunc metuere, alterum in metu non ponere. Eam quam nihil accusas, damnas: bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri. Id quod scis, prodest nihil: id quod nescis, obest. Vnde & Aristoteles motus, tum in dialecticis, tum in rhetoricis, syllogismum imperfectum uocat enthymema, ut qui sit breuior & acutior. Huic affinis est commutatio, Fabio ἀντιμεταβολή, alijs μετάθεσις dicta, cum inuertitur aliqua sententia per contrarium, ut: esse oportet ut uiuas, non uiuere ut edas. Si poëma loquens, pictura tacitum poëma debet esse: cuiusmodi poëmata uolebam facere, non possum: cuiusmodi possum, nolo. Enthymema ratiocinationem rhetoricam.) Aristoteles libro rhetoricorum primo, enthymematum duo genera tradidit. Vtitur autem Cicero in Miloniana enthymemate, hoc est, syllogismo oratorio siue ratiocinatione rhetorica. Quod si XII. inquit, tabulæ nocturnum furem quoquo modo. & quæ sequuntur. Vide Quintilianum ultimi cap. lib. 5. Aristoteles autem dixit.) Vbi scilicet ex fide unius speciei aut partis, ad alte-

rum fit collectio, sic inductionem capit Rodolphus initio huius capitis. Nam ipse hanc rhetoricam inductionem non habet inter eas, quas inductiones siue enumerationes imperfectas uocat, ob id quòd non colligatur totum aut genus, sed pars uel species: ut paratum est colligere ex his quæ prope finem huius capitis adiecit. Quod ex contrarijs conficitur.) Infra lib. 2. cap. 29. Hinc etiam nascuntur argumentationes. Cicero 4. ad Heren. lib. de contrarijs siue contentione. Supra lib. prioris cap. de contrarijs, hanc argumentandi rationem fusius quidem explicauimus, cæterum (ne mihi sim ipse Suffenus ille Catullianus) ea quæ ibi tum coactius annotauimus, fortasse hic rectius quadrarent.

EXEMPLA.

Plato de prouidentia diuina: Non medicus, inquit, non gubernator nauis, non dux exercitus, non paterfamiliâs, non rector, moderatorq; reipub. non quiuis alius ratione, consilio'que aliquid agens, grauiora negotia administrat, leuiora contemnit, sed tum demum suo quisque officio fungi arbitratur: cum singulis studio, & diligentia, ut cuiusque ratio poscit, incumbit, quod si homines ne leuiora quidem prætereunt, profecto nec deos existimandum est exigua quæque ac minima negligere. Cicero pro Murena: Finxit enim te ipsa natura ad honestatem, grauitatem, temperantiam, magnitudinem animi, iustitiam, ad omnes denique uirtutes magnum hominem & excelsum. Cicero Rabirio: Sed ego in hoc tandem Posthumo non ignoscam homini mediocriter docto: qui uideam sapientißimos homines esse lapsos? uirum unum totius Græciæ facile doctißimum Platonem, iniquitate Dionysij Siciliæ Tyranni, cui se ille commiserat, in maximis periculis insidijsq; esse uersatum accepimus: Callisthenem doctum hominem, comitem Magni Alexandri, ab Alexandro necatum: Demetrium & ex republica Athenis, quam optime digesserat, & ex doctrina nobilē & clarum, qui Phalereus uocitatus est, in eodē isto Aegypti regno, aspide ad corpus admota, uita esse priuatum. Seneca lib. epistolarum 2. disserens non esse cessandum à bene merendo, quòd aliquãdo inciderimus in hominem ingratum: Et post malam, inquit, segetem serendum est. Sæpè quicquid perierat aßidua infelicis soli sterilitate, unius anni restituit ubertas. Est tanti, ut gratum inuenias experiri & ingratos. Nemo tam certam habet manum, ut non sæpe fallatur. Aberrent ut aliquando hæreant: post naufragia, maria tentantur. Fœneratorem non fugat à foro coactor. Cito inerti ocio uita torpebit, si relinquendum est quicquid offendit. Aphthonius de Thesi: Agedum singulas excutiamus artes, &c. Acrior est cupiditas ignota cognoscendi, quàm nota repetendi, hoc in histrionibus, in gladiatoribus, in oratoribus, de quibus modo aliquid fama promisit, in omnibus deniq; rebus uidemus accidere, ad noua omnes concurrunt, ad noua conueniunt, Seneca lib. 4. declam. Egregia argumentatio est apud Senecã in 2. declamat. qua docet indignitatē, quæ omni ratione semper contēpta fuit, esse genus inductionis, ut: hæc uelut forma argumentandi illis & illis contēpta fuit, ergo omnibus est contēnenda. Contemnenda est, ergo indigna sacerdotio est. Hæc Rodol. Quidã Aristippo uitio dabat q cum meretrice haberet consuetudinē: Hũc Socratica isagoge sic cõfutauit: Age dic mihi, num referre putas, utrũ quis accipiat domũ, quã multi inhabitarint, aut quã nemo? Cum negasset referre: Quid, inqt, refert'ne utrũ ueharis naui, quæ multos uexerit, an quæ nullos? Cũ negasset et hoc: Quid igit interest, inquit, utrũ consuetudinē habeas cũ muliere, quæ multis sui fecerit copiã, an quæ nulli? Et hoc dictũ ut festiuũ, probari potest apud illos apud quos simplex stuprũ nõ habetur pro crimine. Iudith 8. Ad eloquiũ uestrũ corda eorũ erigite, ut memores sint, qa tētati sunt patres nostri, ut probarētur, si uere colerēt deũ suũ. Memores esse debēt, quomodo pater no-

ster Abrahã tẽtatus est, & per multas tribulatiões, probatus Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & oẽs qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Christus aliena fide sanauit surdũ ac mutũ, filiũ Cananeæ, paraliticũ, puerũ lunaticũ, seruũ Centurionis, atq; ita de cæteris: iure ergo paruulos omneis. Empedocles, Plato, Socrates, Aristoteles, & ita deinceps, melãcholici: omnes igitur qui in philosophia, uel poëtica, uel liberalibus disciplinis, uel etiam Reip. administratione claruerũt, melancholici fuerunt. De fructu arborem cognoscimus, de rostro auem, de cauda uulpeculam, de fimbria texturam, de uultu Aethiopem, de unguibus leonem, de gustu sumpto iudicamus, atq; ita de cæteris: ergo ex tunica commercium, ex barba philosophum, ex coma cinædum. Cice. pro lege Manilia: In Fabio Max. in Marcello, in Scipione, in Mario, in reliquis item huiusmodi, habita fuit ratio felicitatis: proinde in omni imperatore deligẽdo, felicitatis ratio habenda est. Duo filij Aaron, quòd præter Moysi præscriptum ignem prophanum adhibuerunt sacris, cœlesti incendio fuerunt absumpti. 2. Paralip. 26. Ozias rex ob simile facinus lepra percussus. 2. Reg. 6. Oze qui labentem arcam manibus non unctis fulcire conatus est, subita morte periit, & sic de alijs: quotquot igitur è prophanis hominibus præter licitum sacris manus admoliti sunt, infelici fato adimuntur. Peripatetici tenent Aristotelis placita: Platonici, Platonis decreta: Epicurei tenent Epicuri scita, neq; quisquam est qui non ferè hoc pacto se exercuerit: Proinde multò magis conuenit nos Christianos Christi tãti autoris tenere dogmata. Cornelius Tacitus in dialogo de Oratore: Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Actiam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus, &c. Inter Cain & Abel, inter Iacob & Esau, inter Romulum & Remum, inter Antonium Seueri imperatoris filium, & Getam, acerbißimæ fuerunt iræ, atque ita de cæteris: omnium igitur fratrum inter se iræ sunt acerbißimæ. Pixis illa fallax, per Pandoram à Ioue Prometheo missa exitio fuit, uestis quã Medæa nouam nuptam Iouis donauit: Rursum uestis illa quam Deianira misit Herculi, atq; item deinceps: ergo quæcunq; dantur ab ijs qui nobis male cupiunt, exitio sunt. Pandora, Helena, Deianira, Danaides, Lemnæ mulieres, Cleopatra, Eua, uiris suis exitio fuerunt, & ita deinceps: omnes igitur mulieres omnium calamitatum seminaria fuisse uiris in cõfesso est. Depotant nepotes, decoquit lurco, digladiatur miles, peierat leno, mentitur aduocatus, idem quoq; cæteri faciunt: constat igitur quenq; facere quæ se digna sunt. Ouium nulla utilitas si pastor absit, nihil recte faciũt ministri nisi adsit herus, inutiles discipuli, quoties abest præceptor, inutilis populus, nisi principis autoritate gubernetur, neq; quicquam quod non hoc pacto se habeat: igitur in confesso sit, ἀναρχίαν rem esse omnium pernitiosißimam. Beneficentiam & amicitiam gratis coluerunt primum Pythagorei, Damon, & Pythias, quorum alter pro altero respondit, se pro eo oppetiturũ esse mortẽ, si is non reuersus fuisset ad dictum diem. Deinde Pylades & Orestes, quorum uterq; seipsum interfici uult, ut alter seruetur. Præterea Ionathas & Dauid, in quibus Ionathas, cum uitæ periculo amicum afflictißime defendit: atq; ita de cæteris: Omnes igitur amicitiæ colendæ sunt non utilitatis caussa, sed humanitatis. Sotades:

Αὐτὸς γὰρ ἐὼν παντογενής, ὁ πάντα γεννῶν
Οὐ κρίνει δικαίως τὰ κατὰ ἄνθρωπον ἕκαστον·
Καὶ γὰρ κατὰ γαῖαν τὰ κακὰ πέφυκεν ἀεὶ
Καὶ τοῖς μεγάλοις ἀεὶ κακοῖς γε τῆς ὁ κόσμος
Ὅτι πάντες ὅσοι πεζιασὸν ἠθέλησαν εὑρεῖν

Ἢ μηχανικὸν πόνημα, ἢ σοφὸν μάθημα:
Οὗτοι κακὸν εἰς τὸν θάνατον τέλος ἐποίησαν
Ὑπὸ τοῦ γεννήτορος κόσμου κακῶς παθόντες.
Σωκράτην ὁ κόσμος πεποίηκε σοφὸν εἶναι,
Καὶ κακῶς ἀνεῖλε τὸν σωκράτην ὁ κόσμος
Ἐν τῇ φυλακῇ κώνειον ὅτι πιὼν τέθνηκεν.
Πουλύποδα φαγὼν ὁ Διογένης ὠμὸν τέθνηκεν.
Αἰσχύλῳ γράφοντι ἐπιπέπτωκε χελώνη.
Σοφοκλῆς ῥᾶγα φαγὼν σταφυλῆς πνιγεὶς τέθνηκε.
Κύνες οἱ κατὰ θρᾴκην εὐριπίδην ἔτρωγον.

Τὸν θεῖον ὅμηρον λιμὸς κατεδαπάνησεν. Id est, Idem existēs omnigena, qui omnia gignit, Non iudicat iuste res humanas. Etenim in terris mala fiunt semper, Et magnis semper malis gaudet mundus. Quoniā oēs quicunq; excellenter uoluerūt inuenire Vel mechanicū opus, uel scitam disciplinam, Illi malum finem in mortem fecerunt, A parente mundo male affecti. Socratem mundus fecit sapientem esse, Et male sustulit Socratem mundus. In custodia cicutam quoniam bibens mortuus est. Polypum crudum edens Diogenes, mortuus est. Aeschylo scribenti incidit testudo. Sophocles acinum uuæ comedens suffocatus perijt. Canes Thracij Euripidē dilaniarunt, Diuū Homerū fames absumpsit. Βίας ἔλεγε τοὺς αἰτουμένους παρὰ τοῦ θεοῦ φρένας ἀγαθὰς καὶ μὴ ἑαυτοὺς παιδεύοντας, ἀναισθήτους εἶναι· οὔτε γὰρ ζωγράφον εὐχόμενον τοῖς θεοῖς δοῦναι αὐτῷ εὔχροιαν καὶ γραμμὴν λαβεῖν ἂν μὴ μάθῃ τὴν τέχνην, οὔτε μουσικὸν γενέσθαι ποτ' ἂν ἔγνωκεν εὐχῆς εἰ μὴ τὰ μουσικὰ μάθη· τὸν δ' αὐτὸν τρόπον, οὐδ' ἂν φρόνιμον γενέσθαι τινὰ εὐχόμενον, εἰ μὴ τούτων τὴν μάθησιν λάβοι. Id est, Bias ait eos qui mentem sibi adeò bonam largiri precarentur, nec tamen disciplinam capesserent, parum cordatos esse. Quando neque ut pictor quisq; bonus euadat, dari sibi adeo bonos colores & lineam exoptat, quin magis artem perdiscit. Sicut nec uotis proficit, qui musicus esse cupit, nisi artem consectetur. Adeò nihil prodest circa preces occupari, nisi rectè uiuendi studio tenearis. Homerus Iliados ψ appositißima inductione demonstrat, in omni negocio, nimio plus habere momenti rationem consiliumq;, quàm corporis uires.

Μήτι τοὶ δρυτόμος μέγ' ἀμείνων ἠὲ βίηφι,
Μήτι δ' αὖτε κυβερνήτης ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ
Νῆα θοὴν ἰθύνει ἐρεχθομένην ἀνέμοισι
Μήτι δ' ἡνίοχος περιγίγνεται ἡνιόχοιο.

Id est, interprete D. Eras. Roterod.

Consilio sanè multo, quàm robore præstat
Hirsutam quicunq; parat succidere syluam.
Consilio rursum nauclerus in æquore nigro,
Consilio auriga aurigam uincitq; præitq;.

Aelius Spartianus in Seuero Cæsare, utitur inductione, multis exemplis declarans, ita ferè usu uenisse, ut uiri, seu uirtute, seu literis, seu fortunæ indulgentia insignes, aut nullos omnino liberos habuerint, aut tales reliquerint, ut magis ex usu rerum humanarum fuerit, illos absque liberis discedere. Vide adagium: Heroum filiæ noxiæ. Hieronymus ad Paulinum de institutione monachi: Habet unumquodq; propositum principes suos. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones: philosophi proponāt sibi Pythagoram, Socratem, Platonem

Platonem, Aristotelem: Poëtæ æmulentur Homerum, Vergilium, Menandrum, Terentium: Historici, Thucydidem, Salustium, Herodotum, Liuium: Oratores, Lysiam, Gracchos, Demosthenem, Tullium. Et ut ad nostra ueniamus: Episcopi & presbyteri habeāt in exemplū Apostolos, & apostolicos uiros: quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum. Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos, & Antonios, Iulianos, Hilarionem, Macarios. Et ut ad scripturarum autoritatem redeam: noster princeps Helias, noster Heliseus, nostri duces filij prophetarum: qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis. Hæc ille. E duobus primorum parentum filijs, alter paricida fuit, è tribus filijs Noë qui proluuiem illam totius orbis deuastricem euaserāt, unus patri suo illusit. Duodecim filios genuit Iacob, electæ plebis futuros propagatores: & eorum undecim apud patrē accusati sunt criminis pessimi. Quid Abrahæ familia sanctius? hinc eijcitur puer Ismaël unà cum matre. Isaac duos habuit gemellos: Horum alter placuit, alter displicuit Deo. Quid domo Iacob religiosius est? & hæc habet, qui non ueretur incestare patris concubinam. Dauidis prophetæ pia mansuetudo, mansueta pietas, non effugit hanc infelicitatem, cuius alter filius sororem incesto coitu constuprauit, alter impia seditione patris exitium molitus est. Inter Apostolos fuit Iudas: Inter diaconos è tot milibus recens ad fidem conuersorum, electos, Nicolaus hæreticus diuina uoce in Apocalysi dānatus est. Queritur & Paulus apostolus sibi negocium exhiberi à falsis fratribus, &c. Nec est ullum mundi collegium, neq; ulla monachorum examina, quæ non ita querantur, it'aque se habeant: ergo mali à bonis nunquam abfuerunt, nec aberunt item unquam. Arrius ambiens summum ecclesiæ Alexandrinæ sacerdotium, hæresim excitauit. Nouatus presbyter Romanus cupiditate summi pontificij inflammatus, schisma aduersus Cornelium uirum & pium, & legitime electum intulit ecclesiæ. Paulus Samosatenus episcopus ob superbam ambitionem, & ambitiosam superbiam incidit in hæresim, & ita deinceps: Igitur omnia schismata sacrosanctam ecclesiam miseris modis dilacerantia ex cæca cathedræ sacerdotalis ambitione, ceu uirulenta radice pullularunt.

Quibus in dicendo speciebus utantur. Cap. XIX.



OMnis autem ratiocinatio perfectaq; inductio, si modo legitime riteq; fiant, certæ semper exploratæq; fidei sunt in colligendo. Si nanq; uera sunt, quæ proponuntur in eis, necesse est & ea esse uera quæ colliguntur. Ex falso enī uerū potest effici: cōsequens est enī, si homo est asinus, hominē esse animal: ex uero autē nihil nisi uerū efficit. Estq; idcirco usus eorum, ut efficacissimus, ita crebro difficillimus etiā: qm̄ facillime perspicitur in eis, expositis omnibus per quę fit probatio, uelut in corpore cuius omnia detegūtur mēbra si quid uitij erroris'ue subsit. Deinde, quēadmodum in inductione per-

sæpe enumeratio omnium partium aut specierum difficilis est, sed duabus quandoq; tribus'ue iam propositis, reliquarum fides ex eis facile colligitur: sic in ratiocinatione frequenter, aut proposita maiore, minor: aut minore proposita, maior apertior est, quàm ut proponenda sit, sed ultro incurrunt in animum, alteraq́; ex altera perspicitur. Quapropter non rhetores modo quibus imperfectas has argumentandi formas Aristoteles attribuit: sed & dialectici (si quid tamen hi diuersum habent in argumentandi ratione ab aliis) & mathematici, & physici, & (ut uno uerbo dicam) quicunq; disserunt, siue uerbis in altercatione, siue scriptis posteritati tradendis, creberrime enthymemate, nonnunquam & inductione imperfecta colligunt comprehensiones suas. Rhetor uero persæpe plena ratiocinatione probationes complectitur, si maior utiq; res, & fusius sit atque latius demonstranda. Sed obruuntur copia & orationis ubertate singulæ propositiones, nec ad scrupulosam illam argumentandi legem, quæ uulgo præcipitur, explicantur: dicunturq́; populi auribus parata populariter. Ergo (ut alio loco diximus) tota pro Milone oratio in ratiocinationem coniecta est: & pro Plancio itidem. Quid pro lege Manilia? An non sunt hæ argumentationes: hoc in bello agi dignitatem populi Romani: quod multis primum uerbis ostenditur. Hinc probat omne bellum esse suscipiendū, in quo agit̃ dignitas populi Romani: quod suis argumentationibus colligitur: estq́; hæc maior propositio, quæ secundo loco ponitur: minor, quæ priore. Ex quibus apertum est, si iungamus eas, ratiocinationem fieri. Vt sit, omne bellū est suscipiēdum, in quo agitur dignitas Po. Rom. hoc bellū est in quo agit̃ dignitas Po. Rom. hoc ergo bellum est suscipiendū. Continuo iterū. Hoc in bello agit̃ salus sociorū, est autē omne tale bellū suscipiēdum: ergo hoc bellū est suscipiendū. Rursus, quisquis præcipue habet quatuor illa, uirtutem, scientiam rei militaris, autoritatem, felicitatem, maxime est ad hoc bellum deligendus imperator: Cn. Pompeius præcipue habet quatuor illa, ergo est ad hoc bellum maxime deligendus imperator. Loci quidem communes (ut rhetores uocant) non sunt aliud quàm maiores ratiocinationum propositiones: ut quæ in proditorem, in ueneficū, adulterum, sicarium, dicuntur. Cum uolumus enim probare, Cœ-

lium damnandum, ostendimus ueneficum eum esse: quod ubi explicatum est, quid restat aliud, quod ratiocinationi desit, nisi maior, omnis ueneficus est damnandus? Hoc autem (ne quem fallat) an notandum uidetur. Quoniam uniuersaliter pronūciata, qualem plerunq; maiorem ratiocinationis propositionem faciunt, supina sæpe uidentur, & ociosa, & distantia magis à re proposita, idcirco solere oratores, quo arctius rebus adhæreant, in particularia in dicendo conuertere. Et cum dicendum esset, omne bellum est suscipiendum, in quo agitur salus sociorum: &, omnis ueneficus est damnandus: ut instare magis premereq; uideantur, dicere malunt: hoc bellum est suscipiendum, quia agitur in eo salus sociorum: &, hic ueneficus est damnandus. In quo & hoc meo iudicio ingeniosissimi homines sequuntur, quòd uniuersalia uelut late sparsa, sint animo audientis tanquam in aëre, interq; nubes apprehēdenda: cum uero ad rem præsentem astricta, & ante oculos interq; manus sunt posita, mouendis affectibus aptiora sunt, qui soli in audientium dominantur animis: quos nihil æq;, ut aspectus rei primum, & imago proxime, uelut præsentis negocij, animo subiecta irritat. Nihil est ergo, quod quisquā putet, certis artium generibus has quidē uel illas argumentandi formas addici posse. Rerum ipsa præsens conditio, ut quæq; diligentius est & constantius affirmanda, consilium præbebit. Et quemadmodum in plerisq; rebus semel potest in perpetuum præcipi, quid fieri oporteat: ita in hoc, ut in alijs multis, hoc solum perpetuum est, quod perpetuum statui nihil potest. Cum ergo (ut prædiximus) in ratiocinatiōe & inductione nulla in cōcludendo possit esse dubitatio: necesse est, si qua repugnet eis aduersarius, idcirco id euenire: quoniam quæ proponuntur, uera esse neget. In enthymemate & imperfecta inductione, utrunq; est quod dubitari possit, an uerum sit quod propositum est, & an quod intendimus, ex eo efficiatur. Vt cum dicitur: Cluentius pecunia fidem iudicum subuertit, ergo lege corrupti iudicij tenetur. Primum negat Cicero Cluentium subuertisse fidem iudicum. Quod si ipsum uerum nō est, neq; habetur ei fides: non potest alteri quod probandū est, fidem parare. Deinde, ut uerū sit subuertisse eū iudicū fidem, non tamen cōsequitur, teneri eū lege, quoniā non utiq; quisquis iudicium pecunia ten-

tauerit, lege iudicij corrupti tenetur. Sic & in inductione imperfecta negare potest aduersarius, uel non esse uerum quod proponitur, uel non enumerata esse omnia, ex quibus colligi intentio possit: ut nihil sit necesse, quanquàm dentur uera esse quæ sumuntur in probationem, consequi tamen idcirco, quod efficere conamur.

IN CAPVT XIX.

Ex uero autem nil nisi uerum efficitur.) Aristoteles τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν capite 2. 3. & 4. manifestißime probat seruata recte argumentandi forma in omni figura, ex falsis quidem datis colligi posse uerum, at ex ueris nō nisi uerum. Proinde subolet mihi mendum esse in uerbis Fabij lib. 5. cap. ultimo: Est enim, inquit, assumptio. quæq; sequuntur, & in priore parte legendum, falsa intentio, & postea uera connexio, in hūc modum: sed ut ipsa esse falsa, si illa uera sunt, nunquam est falsa connexio. Aristoteles tribuit.) Libro rhetoricorum primo capite secundo. Ergo ut alio loco diximus.) Huius libri capite decimooctauo. Nec ad scrupulosam illam argumentandi legem quæ uulgo præcipitur, explicantur.) Lege infrà libro 3. cap. 12. circa calcem. Dißimulatur autem altera propositio de industria, aliâs studio breuitatis, cum ociosum & longum uidetur referre propositionem quæ se ultro offert, aliâs cum parum firma uidetur, ut profuerit eam non exprimi: ut, Alexander est ebriosus: Igitur parum strennuus est: ebriosi non sunt strennui. Apud T. Liuium: Ille'ne qui temulento agmine comessabundus incessit, par esset Romanis? Sunt in his uerbis ratiocinationes, si quis explicet: Temulentum agmen est in bello, ergo non est par Romanis. Et, comessabundus dux non est fortis, ergo non est par Romanis. Egregium sanè huius generis extat exemplum apud Ouidium libro Metamorph. decimotertio in orat. Aiacis ad duces, ac uulgum dextra leuaq; circunstantem: Agimus proh Iuppiter (inquit)

> Ante rates causam, & mecum confertur Vlysses?
> At non Hectoreis dubitauit cedere flammis,
> Quas ego sustinui, quas hac à classe fugaui.

Quæ Aiacis oratio in hanc potest conijci ratiocinationem: Nemo iure poterit contendere cum eo qui seruarit locum, cū ille eundem deseruerit: Vlysses quas ego tutatus sum, nauesq; locumq; deseruit. Vlysses igitur iure non poterit mecum contendere. Item: Si nisi quæ facie poterit te digna uideri, Nulla futura tua est. Est enim integrum: Si nulla poterit te digna uideri, nisi quæ facie est te digna, nulla futura est tua. Nec admodum huic dißidet illud Horatij quarto libro carminum:

> Fortes creantur fortibus, & bonis
> Est in iumentis, est in equis patrum uirtus,
> Nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam.

Et primæ Ioānis quinto: Omnis qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eū qui genuit, diligit et eū qui natus est ex Deo. Ita ratiocinatur: Omnis qui diligit Deum, diligit & filium Dei, omnis qui credit Iesum esse Christum, est filius Dei: igitur omnis qui diligit Deum, diligit & eum qui est filius Dei. Loci quidem communes.) Cicero libro de oratore tertio: Consequenter etiam illi loci, qui quanquam proprij causarum & inhærentes in earum neruis esse debent: tamen quia de uniuersa re tractare solent, communes à ueteribus nomi-

bus nominati sunt, ut in depeculatorem, in proditorem, in parricidam. Quintil. lib. instit. secundo cap. 1. & 4. & eiusdem operis lib. 10. Lege quae annotauimus in Aphthonij praeexercitamenta de loco communi, ubi copiosius hac de re locuti sumus. Qualia plerunque maiorem ratiocinationis.) Sic quidem habebat αὐτόγραφον, sed uix, aut ne uix quidem tolerabile uidetur. Nam relatiuum accidentis cum substantiuo sequenti (si quid grammaticis credimus) debet concordare. Horatius tamen in Epodo antecedenti retulit:

Sed incitat me pectus, & mammae putres, Equina quales ubera.

Quoniã uniuersaliter pronunciata.) Aristot. secundo Rhetoricorum ca. de possibili & impossibili. Singularia ad usum praestantiora sunt uniuersalibus. Primo item metaphysicorum cap. 1. Supina uidentur saepe & ociosa.) Vide infra lib. tertij cap. 12. sub calcem. In particularia in dicendo conuertere.) Valla lib. 2. dialectices, huiuscemodi proloquia indefinita, lac igne spissatur, frigore serescit, & quae sunt similia id generis axiomata, affirmat esse uniuersalia. Sic cũ dicimus, lac igne spissatum, significare omne lac igne spissari, id quod etiã Plinius asserit, item animali parienti lac suppetit, quod tantum ualet, quantum si dicerem omni animali parienti lac suppetit. Sic pari ratione dicimus: Iustitia est uirtus: & omnis iustitia est uirtus. Pietas est iustitia, & omnis pietas est iustitia. Homo est capax disciplinae, & omnis homo est capax disciplinae. Quid? quòd propositionibus indefinitis magna admodum cognatio est cum uniuersalibus, cum scilicet solum speciei, aut generis uocabulum usurpatur pro omnibus indiuiduis, ut cum dicitur, hominem decet pium esse, significat omnem hominem pietatem decere, aequum esse hominem callidum esse ad suum quaestum, par est mulierem esse subiectam uiro suo. D. Augustinus lib. de doctrina Christiana 1. cap. 29. Ita quoq; Paulus docet, cum dicit, non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, & si quod est aliud mandatum in hoc sermone, recapitulatur, diliges proximum tuum, tanquam teipsum, dilectio proximi malũ non operatur: quisquis ergo arbitratur nõ de omni homine Apostolum praecepisse, cogitur fateri (quod absurdissimũ & sceleratissimũ est) uisum fuisse Apostolo nõ esse peccatũ, si quis aut nõ Christiani, aut inimici adulterauerit uxorẽ, aut eum occiderit, aut eius rẽ concupierit. Vel nõ esse uerũ quod proponitur, uel nõ enumerata esse omnia.) Vide Trapezontium lib. rhetoricorum 3. de inductione.

Quomodo confirmandae argumentationes. Cap. XX.



VT ergo cõfirmandae per argumẽtationẽ rei cuiusq; rationẽ paucis absoluamus, & ostendamus etiã ubi perfectis opus sit argumẽtationibus, ubi sufficiãt imperfectae: haec primũ lex proponẽda est argumentationũ oĩm, ex uero nihil colligi posse nisi uerũ. Quare si falsum est q̃d colligit, necesse est falsum esse q̃d antecedit, si rite collectũ sit. Hinc ergo cõsequit, ut semp quẽadmodũ ex proposito cõclusio colligit, ut si uerũ sit propositũ, necesse sit uerũ esse q̃d cõcludit: sic ex cõtradicente cõclusionis, semper propositi contradicẽs colligatur. Nam cum nequeat in legitima argumentatione colligi falsum ex uero, quoties tanquã uerũ proponimus id quod cõtradicit cõclusioni, necesse est cõclusio-

nem falsam esse, cum duo contradicentia simul esse uera non possint. Falsum erit ergo propositum id, ex quo collecta est ea conclusio. Consequitur igitur, contradicens propositi esse uerum. Vnde fit quod intendimus, quemadmodum ex proposito conclusio, sic ex contradicente conclusionis, propositi colligitur cōtradicens. Vt si hominem esse detur, necesse est demus & animal esse. Quod si animal esse, falsum esse dicamus: uerum erit cōtradicens eius, quod est, nullū animal est. Falsum ergo id est, ex quo animal esse colligimus, quod erat hominem esse. Ergo uerum itidem contradicens istius, quod est, nullus homo est. Itaq; quemadmodum necessario consequitur, homo est, ergo animal est: ita consequitur, & nullum animal est, ergo nullus homo est. Duplex est ergo ductus cuiusq; rei probandæ. Vnus directus, ut cum proposito aliq̃ uelut recta uia colligimus id quod probare uolumus. Vt qui probare uolet sapientem esse diuitem, dicat: Sapiens nullius indiget, ergo sapiens est diues. Alius est ductus obliquus. Vt cum accepto contradicente eius quod probare uolumus, colligimus ex eo aliquid quod falsum sit, unde regressi, docemus falsum id esse, ex quo collectum est: id'q;, quia contradicens est eius quod intendimus probare, consequens est, istud ipsum esse uerum. Vt, sapiens est diues. Si enim non sit diues sapiens, cupiet aliquid, sed falsum est hoc: falsum ergo ex quo colligitur id, hoc est, non esse diuitem sapientem: uerum igitur erit, quod intendimus, sapientem esse diuitem. Non sunt autem hæ argumentandi formæ: per omnes enim formas quas exposuimus, duci possunt: sed uiæ quædam colligendæ intentionis. Quapropter ductus eos uocauimus. Quo pacto autem uerum esse aliquid ostendimus, eodem etiam in contradicente suo falsum esse monstramus. Cum probauerimus enim, contradicens suum uerum: necesse est, ut id quod intendebatur, apertum sit falsum esse. Vbi fuerit igitur exposita argumentatio, si sit imperfecta, ut enthymema, aut inductio, quemadmodum prædiximus, duo sunt quæ dubitari possunt. Aut enim negatur consequi hoc ex illo, aut uerum esse, quod propositum est. Consequens ostendemus esse, ut imperfectas argumentationes ad perfectarum formam, ut si enthymema sit, ad ratiocinationem: si inductio, ad enumerationem, conferamus.

Ratiocinatio & enumeratio, si præscripto suo recteq; fiunt, nullum possunt admittere consecutionis incertum. Enthymema est: Clodius struxit insidias, ergo iure cæsus est. Ratiocinatio fit cum subijcimus, omnis enim insidiator iure occiditur. Ea est enim maior profitio ratiocinationis. Sic in inductione: Pisistratus accepto publico præsidio tyrannidem inuasit, & Phalaris itidem: ergo quisquis è publico præsidium poscit, tyrannidem uult inuadere. Quia difficile est hic omnes enumerare, pro reliquorum enumeratione ponimus plerunq;, neq; quisquam est qui non hoc pacto fecerit, aut simile quicquam in eam subdimus sententiam. Deinde colligimus iam, quod intendimus. Vnde solent plerunq; altercantes, quandoq; etiam perpetua dicentes oratione, cum difficile sit affirmare, in omnibus alijs similiter se rem habere: petere ab aduersario, ut ille dicat, in quo non ita sit: & confessionem illius uel ignorationem pro sua ponere asseueratione. In quibusdam etiam, quia non tam quærimus quid uerum sit, quàm utrum uerisimilius: idcirco quanquam non possimus inductionem perfectam facere, sufficit tamen audientis fidei: quanquam non semper & in omnibus, aliquando tamen & in aliquibus factum esse, & fieri solere, quod tum nos ostendere conamur. Quod in deliberationibus & coniectando futurorum exitu plerunq; satis esse solet documenti. Consequi ergo quod intendimus, ad id quod propositum est, hoc pacto docetur. At si uerum esse negat aduersarius quod proponitur, idipsum rursus alia colligendum erit argumentatione, simili uia, qua id cui probando adhibetur, iam colligi debere monstrauimus, id'q; tam diu fiat oportet, donec tandem ueniamus ad aliquid, quod certum sit, tale'q; ut negare id aduersarius non possit. Ex quo cum fidem parauerimus ei quod proxime colligitur ex ipso, deinde ex hoc iam collecto rursus aliud probamus, & ex illo aliud, donec tandem perueniamus ad primum illud, quod efficere reliquarum argumentationum serie conamur. Vt Stoicus qui probare uolet diuitem esse quisquis sit sapiens, dicat primum, quoniam nullæ opes desunt sapienti. Quod ipsum etiam est dubium: probat ergo, quoniam habet opes quantascunq; uult, certum est ergo nullas sibi deesse. Sed & id propositum probandum est: subijcit igitur, nullas enim cupit opes. Probat & hoc, quia nullas

bonas putat. Quod iam pendet ex eo, quod Stoico tanquam foci & aræ defendendum est: id est autem, solam in bonis esse uirtutem. Ergo iam ex hoc quod postremum est, priorum omnium sumitur fides. Nam si sapiēs solus in bonis numerat uirtutem, non putat opes esse bonas, non ergo cupit eas, habet igitur quantascunque uult: quo fit, ut nullæ desint sibi: certum est ergo diuitem esse, quisquis sit sapiens. Quia sunt autem hæc enthymemata cuncta, per quæ ductæ sunt hæ argumentationes, idcirco si de eorum consecutione dubitet aduersarius, necesse erit singula, quæ parum cohærere uidebuntur, in ratiocinationis formam conijcere. Vt si dicat aduersarius, non utique quia nihil desit sapienti, diuitem eum esse: addat oportet qui disputat, maiorem ratiocinationis propositionem, quæ est, cuicunq; nihil deest, is est diues. Quæ (quoniam negabit eam aduersarius) alia rursus est argumentatione colligenda. Quę causa fuit plerisque, ut quinq; partium facerent ratiocinationem, cum cuiuslibet propositionis probationem pro parte numerarent. Quod si sequimur, quamuis multarū partium ratiocinationē facere licebit: cum & unaquæq; probatio suam possit iterum habere probationem, & hæc rursus aliam. Quapropter probationes propositionum non sunt argumentationis partes, sed nouæ per se fiunt argumentationes. Sicut autem recto ductu cœpimus probare, quod quisquis est sapiens, est diues, primumq; caput totius probationis fecimus id, quod confessum est, solam uirtutem à sapiente bonum æstimari: sic per obliquum ductum, accepto contradicente eius quod probare cupimus, licebit eisdem gradibus colligere, sed uerso ordine contradicens eius, à quo primum directę probationis duximus initiū. Quod colligere conamur est, quod quisquis est sapiens, diues est. Id ergo si non est, erit ex aduersarij sententia aliquis sapiens, qui non sit diues, ergo deerit illi aliquid, non habebit igitur quantas opes uolet, cupiet ergo opes: quod si facit, bonas eas putabit, ergo iam sapiens aliquid præter uirtutem habebit inter bona: quod si falsum est, falsa sint necesse est, ex quibus id collectum est: ergo uerum erit, quisquis sapiens est, eum diuitem esse. Nihil differunt autē hi ductus ad argumentandi euentum: quamlibet enim argumentationem paratum est utrouis horum ductuum explicare. Sed aduersarius forte discri-

men

men aliquod in his faciet, in altercationibus præsertim. Confidens enim & qui se decipi parum timeat, facilius directo capietur ductu, si per multas probationes ducenda sit confirmatio eius quod intendimus. Ea enim quæ longius distant, & nihil cum re negocij habere uidebuntur, facile concedet, securus, & firmus (ut sibi persuadet) aduersus insidias. Contra qui metuet fraudes, illi quæ uelut tutissima proponentur, erunt maxime suspecta: putabitq; periculosissime credi eis, in quibus minime se prodant pericula. Hic ergo proximis & sensim à proposito deflectentibus, facilius accedat. Acrius & instantius uidetur urgere obliquus ductus, cum per eum falsa intentantes aduersario & neganda, grauius premere uideamur, quàm si directo ductu colligentes uera ueris, uelut ducere ipsum docereq; credamur. Directus itaq; monenti, obliquus est exprobranti similior. Ex his nequaquam difficile est uidere, ubi perfectam necesse sit adhibere argumentationem, ubi sufficiat imperfecta. Nam sicubi explicata re per imperfectam, consequutio sit indubitata, nihil erit opus perfecta, etiam in eis rebus de quibus scrupulosissime disputatur. Sic si quando hæreat uel orator in conficienda argumentatione: quia dubitetur, an sit consequens, quod efficere uoluit: ad perfectam argumentandi formam tunc esse redeundum, & res ipsa, & eloquentissimorum uirorum usus ostendit.

IN CAPVT XX.

QVare si falsum est quod colligitur, necesse est falsum esse quod antecedit.) Cicero lib. 4. *de finibus sub calcem: His propositis, tenuit prorsus consequentia, rectè dicis: negare enim non possunt, sed ita falsa sunt ea quæ sequuntur, ut illa è quibus hæc nata sunt, uera esse non possunt. Docent enim nos (ut scis) dialectici, si ea quæ rem aliquam consequantur, falsa sint, falsam illam ipsam esse quam sequantur, ita fit illa conclusio non solum uera, sed ita perspicua, ut dialectici ne rationem quidem putēt reddi oportere, si illud hoc, non autem hoc, igitur ne illud quidem, sic consequentibus uestris sublatis prima tollantur quæ sequuntur.* Augustinus lib. 2. *de doctrina Christ. cap.* 31. *&* 32. *Sic etiam qui dicit cum falsum est quod consequitur, necesse est ut falsum sit quod præcedit, uerissime dicit. Ex hac regula illud est, quod de Apostolo Paulo commemorauimus, præcedit enim non esse resurrectionem mortuorum, &c. Nihil est ea ratiocinatione artificiosius, proinde diligenter excutiendam esse crediderim.* Hieronymus *comment. in Nahum prophetam cap.* 1. *Quid ergo, ait, contra dominum cogitatis? ipse qui creauit mundum, & consummationem eius faciet? Quod si uobis uidetur crudelis, rigidus & cruentus, quod in diluuio genus deleuit humanum: super Sodomam & Gomorram ignem & sulphurem pluit: Aegyptios submersit fluctibus: Israelitarum cada-*

uera prostrauit in eremo: scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. Certè aut uera sunt quæ prophetæ loquuntur, aut falsa. Si uera sunt quæ de seueritate eius uidentur dicere: ipsi dixerunt: Non uindicabit dominus bis in idipsum in tribulatione. Sin autem falsa sunt, & falsum est hoc quod dicitur: Non consurget duplex tribulatio, falsa est ergo & crudelitas quæ in lege descripta est. Quod si uerum est, ut negare non poterũt dicente propheta: Non uindicabit dominus bis inidipsum in tribulatione: ergo qui puniti sunt, postea non punientur. Si autem illi postea punientur, scriptura mentitur, quod dicere nefas est. Receperunt ergo & qui in diluuio perierant, & Sodomitæ, & Aegyptij, & Israëlitæ in sõlitudine, mala sua in uita sua. Hieronymus in Hieremiæ cap. 31. Quomodo autem illud impoßibile est, ut cœlorum summitatem, & terræ fundamenta noscamus: sic & hoc impoßibile erit, ut abijciam uniuersum semen Israël. Sin autem abiecero uniuersum semẽ Israël, ergo mensurabitur cœlorum summitas, & extrema terrarum. Hic syllogismus & in Euangelio texitur, quãdo impoßibile impoßibili cõparatur, facilius camelus intrabit per foramen acus, q̃ diues intrare poßit in regna cœlorũ: quomodo enim illud fieri non potest: sic nec hoc fieri poterit. quod si hoc factum fuerit, ergo fiet illud, quod impoßibile putabatur. Cicero in rhetoricis libro 1. cap. de inductione: Si summopere sapientia petenda est, summopere stultitia uitanda est, summopere autem sapientia petenda est, summopere igitur stultitia fugienda. Per deductionem ad impoßibile, Plato animi immortalitatem defendit. Nisi principium sit, inquit, nec ipsum ex alio, nec aliud ex eo fieri aut moueri potest. Siquidem ex principio omnia fieri debent. Hoc autem sequitur ut cœlum omne, omnisq; generationis ratio corruat, & rursus creatur. Quod cum impoßibile sit, ipsa quoq; suppositio, quæ principium tollit, erit impoßibilis.

Alius est ductus obliquus.) Infra lib. 3. cap. 13. ubi huius rei appositißimum reperies exemplum.) Quo pacto autem uerum esse aliquid ostendimus.) Omnia autem quæ hic dicuntur, ex lege illa contradicentium oriuntur, quæ dicit, contradicentium eam esse naturam, ut nunquam simul aut uera, aut falsa esse poßint: sed semper unius ueritas, alterius falsitatem ostendat, & rursus falsitas unius, alterum uerum esse conuincat. Est ergo sententia Rodolphi hæc: Quemadmodum falsitas contradicentis ostendit ueritatem propositi nostri, ita è diuerso eadem contradicentis ueritas, falsitatẽ propositi nostri ostendat. Enthymema est.) Tale quiddam est ad Galatas 2. Si enim per legẽ iustitia, ergo gratis Christus mortuus est, uerum (ut inquit ibi in commentarijs Hieronymus) oportet syllogismum complere, sed Christus non est gratis mortuus, ergo per legem non est iustitia. Traditur & ab Aristotele ratiocinandi ratio his fermè uerbis: Si ad antecedens sequitur consequens, ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis: Vt si omnis homo est animal, omne quod non est animal, non est homo. Antecedens autem est in huiusmodi argumentatione terminus inferior, uel conuertibilis. Consequens, terminus superior uel conuertibilis, homo est animalis antecedens, & animal hominis consequens, similiter uisibile rationalis, & è contrario. Hanc argumentationem uocant conuersionem per contrapositionem, propterea quòd antecedens & consequens mutatur in sua opposita. Conuertitur hac specie conuersionis uniuersalis affirmatiua & particularis negatiua. Nam in his solis significantur extrema se habere per modum antecedentis & consequentis. In uniuersali enim propositione affirmatiua, quia significat prædicatum omni supposito subiecti inesse, necesse est prædicatum esse latius aut generalius subiecto, aut certe æquale, & ita consequens, tametsi si quid urgeat inter æqualia antecedentis & consequentis ratio non potest constare, ualet tamen in ipsis argumentationibus æque ac in antecedencedenTODO

cedentibus & consequentibus, ut omnis homo est uisibilis, ergo omne quod non est uisibile non est homo, id est, est non homo. Et si quoddam animal non est homo, ergo aliquid quod non est homo, non est non animal. Conuersio particularis negatiuæ non potest ita commode ex ratione antecedentis & consequentis ostendi, sed apertius deducetur ex ea ratione argumentandi, quæ fit mutatione affirmatiuæ de prædicato finito in negatiuam, de prædicato infinito, & è contrario à negatiua, de prædicato finito in affirmatiuam, de prædicato infinito posita existentia extremorum, ut: non est animal, ergo homo non est non animal, & homo non est lapis, ergo homo est non lapis. Si quis ergo particularem negatiuam mutet in affirmatiuam, de prædicato infinito, & illam conuertat simpliciter, uidebit statim sequi prædictam consequentiam conuertentem primæ propositionis. Sequitur enim, homo non est lapis, ergo homo est non lapis: & rursus, ergo non lapis est homo, & per supradictam consequentiam sequitur, ergo non lapis non est non homo. Item animal non est homo, ergo animal est non homo, & simplici conuersione sequitur, ergo non homo est animal. Deinde per consequentiam uel per argumentationem, quæ fit ab affirmatiua de prædicato finito, ad negatiuam de prædicato infinito, sequitur, ergo non homo est non animal: aut uocetur illa media ratiocinatio: facta penes terminos contradictorie oppositos. Cuicunque enim competit unum contrariorum, ab illo remouetur reliquum, & è contrario. Verum de his accuratius disquirere, magis ad κριτικὴν pertinere uidetur. Cæterum ad huius loci intellectum satis arbitror, obiter paucis attigisse. Nam coniuncte dicere de utroque non facile est. Pisistratus accepto publico præsidio.) Aristoteles primo rhetoricorum lib. cap. 2. Per insidias Dionysius ad tyrannidem præsidium petit, nam & Pisistratus ad tyrannidem per insidias petijt præsidium, quod cum impetrasset, tyrannide ciuitatem oppressit, & Theogenes in Megaris, alij etiam quos id fecisse sciunt exemplo, de Dionysio sunt, quoniam nondum sciunt iccirco petere, quæ omnia sub eodem sunt uniuersali, qui præsidium petit, insidiose tyrannidem affectat. Aut simile quicquam.) Cuius generis sunt illa: & ita deinceps, & sic de singulis, reliquaq; id generis, & sic de cæteris, atq; in cæteris eodem pacto, neq; quicquam est quod non hoc pacto se habeat. Ad hanc formam ex Plinio lib. 8. cap. 27. & Ambrosio lib. 6. hexa. cap. 4. potest figurari exemplum. Cerui pastu dictami, excutiunt corpore sagittas, hyrundines uexatis pullorum oculis chelydonia succurrunt, angues fœniculi succo abijciunt exuuium, hedera apri sibi medentur in morbis, palumbe, graculi, merulæ, perdices, folio lauri annum fastidium purgant. Atque in cæteris eodem pacto, nullum est animal quod non intelligat sua remedia, solus homo nescit unde uel corporis uel animi remedia petere debeat. Plato in Hipparcho: Socrates agens cum Hipparcho: Tibicen tibiam, & cytharœdus cytharam, & arcifer arcum, & (ut breui complectar) quicunq; artifex, aut alius quisquam uir peritus organa ac reliquum apparatum nullius precij habeat, putat ne aliquando ex his se lucraturum? Hippar. Non apparet. Socra. Quos itaq; lucri cupidos nuncupas? Et Lucianus in sermone aduersus indoctum longa librorum supellectile tumentem. Hieronymus in calce epistolæ ad Eustochium de custodia uirginitatis: Quis sanctorum sine certamine coronatus est? Abel iustus occiditur, Abraham uxorem periclitatur amittere, & (ne immensum uolumen extendam) quære & inuenies singulos aduersa perpessos, solus in delicijs Solomon fuit, & forsitan ideo corruit: quem enim diligit dominus, corripit, castigat autem filium quem recipit. Alius est ductus obliquus.) Adagio, obliquus cursus, & adagio: Spheram inter se reddere. Vnde solent plerunque altercantes.) Lege infra lib. 3. cap. 13. Petere ab aduersario.) Vt Cicero pro Cæcina in-

na interrogans quæ actio sit, si hæc non sit. Simul enim, ut inquit Fabius, omnia remouentur.
Quod in deliberationibus.) Aristoteles lib. rhetoric. 1. cap. 4. Vt quinq; partium.) In αὐτογράφῳ erat quinquepartitam, fortasse legendum quincupartitam. Sunt qui Ciceronem de Senectute usum esse hac quincupartita argumentandi ratione contendunt, eo loco ubi dicit: Nulla capitalior pestis, quàm uoluptas corporis, hominibus à natura data est. Meminit huius ratiocinationis Cicero in rhetoricis, lib. 1. circa medium. Idem in secundo ad Herennium, & in 4. ad eundem de expolitione. Eras. in posteriore copiæ comment. Trapezontius libro 3 rhetoricorum. Eras. in opere de conscribendis epistolis, & autor ad Herennium lib. 4. ubi id artificij hoc explicat exemplo, sapiens nullum periculum pro repub. uitabit, at Quintilianus lib. 5. cap. 14. treis parteis facit, cui & Boëthius subscribit, & hoc loco Rodolphus. Quamuis multarum.) Id est, quamlibet. Erunt maxime suspecta.) Vide libri huius cap. 17. circa calcem. Proximis & sensim à proposito.) Infra libro 3. cap. 13. in initio.
Obliquus est exprobranti similior.) Lege D. Paulum prioris ad Corinth. 15. cap. & Trapezontium lib. rhetoricor. 3. cap. de inductione. Sic si quando hæreat uel orator.) Videtur hoc uel dispungendum, aut aliquid addendum.

Quàm multis modis argumentatio soluatur. Caput XXI.



Icut est autem disputantis confirmare id, quod probandum sumpsit: ita eius qui diuersa tuetur, est dissoluere quæ confirmata sunt. Soluitur ergo argumentatio eisdem, quibus struitur modis. Quemadmodum nanque probamus unumquidq; per aliquid quod uerum esse uolumus, & ex eo consequi docemus, quod probare nitimur: sic dupliciter effectam soluimus argumentationem. Aut enim falsum esse dicimus, quod propositum est. Aut si res id non finit, non confici ex proposito, quod aduersarius uoluit, indicamus. Idq;, uel quia imperfecta sit argumentatio: aut si sit perfecta, uideri potius talem esse, quàm quia reuera sit talis: & esse aliquid in ea, quod multipliciter dicatur, nec eandem seruet significationem utrobique in argumentatione positum. Id est autem quod dici solet, omnem argumentationem solui, aut negando eo quod propositum est, aut multiplici distinguendo. Vt si dicatur: Sapienti nullæ desunt opes, ergo sapiens est diues. Prima solutio est, ut respondeatur, non esse uerum quod proponitur, sapienti nullas deesse opes. Quod si probetur, quia nullas cupit: reliquum iam est, ut negetur, ex hoc quod nullæ sibi desunt opes, consequi, diuitem esse eum. Id si probetur, adiecta maiore propositione, quia cuicunq; nihil desit, is sit diues, fortasse ne-

se ne-

se negabitur & ista. Quam etiam si probabit, dicetq́;, Quisquis habet omnia quorum indiget, est diues: cuicunque nihil deest, habet omnia quorum indiget. Expleta iam ratiocinatio est, cuius utraque probata est propositio. Vltimum itaq; solumq́; remedium est, ut qui soluere uolet, dicat hoc uerbum deesse dupliciter dici. Aliter dicitur enim deesse quidquid modo non adest. Aliter, quicquid modo desideratur. Quod si priore significatiōe dicatur, uera est maior, minor falsa. Si secundo modo, minor est uera, falsa maior. Quare nihil mirū esse, si quę iungere uolumus, in conclusione non iungantur: cum id medium in quo illa iungebātur in propositionibus, non uero, sed specie solum fuerit unum. Soluendi autē uerbum, quanq̃ commune sit neganti & distinguenti, rectius tamen distinguenti conueniet. Nam quisquis negat, non patitur confici argumentationem: quę autem confecta non est, proprie solui dici non potest. At cum multiplex distinguitur, est utiq; in speciem confecta: rectius igitur solui dicetur. Nos tamen omnem rationem discutiendæ argumentationis, in pręsentia soluere uocamus. Et hæ quidem solutionum differentiæ quas diximus, ueræ sunt, & ad rem ipsam feruntur: id'que ipsum etiam uulgo uocantur. Sunt alię soluendi uel (si magis proprium uolumus eis nomen dare) elabendi rationes, quę uulgo dicuntur solutiones ad hominē. Ad eas refugimus, quando ex re parum speramus auxilij. Quia firmior est argumentatio, quàm ut aliqua parte infringi labefactari'ue possit. Vel quia datur occasio de aduersario dicendi, quem quia possumus acrius retundere, malumus in ipsum orationem, quàm in rem ingerere. Elabimur autem his fere modis. Vel quia regerimus aliquid aduersario, quo reprimimus eum: uel eleuamus, quod obiectum est: uel digressu à re facto, illataq́; alterius alicuius mentione rei, auocamus auditoris mentem à propositę argumentationis cura, & alterius obruimus commemoratione. Regerimus, uel in rem ipsam, per quam disputator probauit quod instituerat: uel in personam aduersarij. In rem regerimus, cum rem parem aliquam ei quæ nobis obijcitur reponimus, ut quantum urget nos aduersarius, tantum uideamur nos eum ediuerso eo quod referimus urgere. Quale est pro Cęlio, cui cum obiecta esset luxuria maior, q̃ ut eam defendere auderet Cicero: apertior, q̃ ut posset eam ne-

gare: mollijt quidem aures quantum potuit orator, & partim tempo rum magis ea uitia dixit q̄ hominis, partim contēdit aliquid esse con cedendum ętati. Tum (quod huius loci proprium est) uelut reme dium inuidiæ opposuit, spem futurę industriæ & probitatis in ætate nētura, ex actionibus laboribusq́; quos Cœlius iam suscipiebat, susti nebatq́;. Tale est etiā, quod apud Vergilium Iuno dicit: Indignum est Italos Troiam circundare flammis Nascentem. Non negat, sed eleuat quantum potest. Deinde indigniora regerit: Quid face Troianos atra uim ferre Latinis? & quæ sequuntur. Huius etiam est generis, quod inquit Turnus: Et nos tela pater ferrum'que haud debile dextra Spargimus, & nostro sequitur de uulnere sanguis. Et in Bucolicis: Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo) Treis pateat cœli spacium (nō amplius) ulnas. Alter cum nequeat respōdere, aliud par obijcit. Dic quibus in terris, inscripti nomina regū Nascūtur flores, & Phyllida solus habeto. In personam regerimus, cum dimissa re, ostendimus, qualiscunq; sit, non conuenire tamen aduersarij personæ obijcere eam, neq; recte hæc ab eo dici. Cuiusmodi est pro Ligario, quod Tubero accusator Ligarij, in eadē causa fuerit, cuius Ligarium accusabat. Simile est in Salustiū: Quasi uero tu sis ab illis uiris Salusti ortus. Et paulo post: Ecquid te tui piget homo leuissime, cum ea culpas, quæ in historijs mihi glorię ducis? Et iterū: Quid enim mentiri turpe ducis, qui mihi ausus sis eloquentiam ut uitium obijcere, cuius semper nocens eguisti patrocinio? Sic & Vergilius: Meq́; timoris Argue tu Drance. Et: Tantumq́; nefas patrio excidit ore? Et apud Tragicum Iason inquit: Medœa amores obijcis? Hæc omnia, non de re, recta nec ne sit: sed de homine dicuntur. Eleuamus, quoties cōtemnimus rē quę obijcitur, & uelut nullius momēti aspernamur. Qualē totā Cœlij accusationē Cicero uoluit uideri, magis iras & iurgia dissidentiū in amore, querelasq́; amantiū esse, q̄ uera crimina. Sic & apud Vergiliū: Italiam petijt fatis autoribus, esto, Cassandrę impulsus furijs. Maiestatē fatorū Cassandrę furore elusit. Et paulopost, quod modo diximus: Indignū est Italos Troiam circundare flammis Nascentē: subijcit cōtinuo: Et patria Turnum con sistere terra, Cui Pelumnus auus, cui diua Venilia mater. Indignioris comparatione eleuauit, ostenditq́; non oportere id ita indignum

uideri. Digrediendi rarum est apud autores exemplum, sic ut digressu aduersarij uitemus laqueum. Quod enim pręsentis temporis & utilitatis laus est, quiduis dicere, ut de re non dicas, cum nihil possit utiliter de ea dici: id postea cum legeretur, posset autoris uideri culpa factum, qui dilaberetur ab instituto, & grauia crimina non diluta dimitteret. Pro Cœlio tamen uidetur mihi Cicero hoc soluendi genus expressisse: cum responsurus ei crimini, quo obijciebatur paratum habuisse domi uenenum, & uim eius in seruo expertum esse, digressus est ad mortem Q. Metelli, suspicionemq́; iacit, Clodij scelere ueneno sublatum illum fuisse, ipsamq́; mortem gemitu & lachrymis prosequit̃: simulq́; reprimit aduersarios, uelut simili ictos crimine: simul impetu dictionis & affectu, mentem iudicum ad huius criminis cogitationem diuertit. Sicut autem non satis commode modus hic elabendi in literas mittitur, sic inter disputandum, & in foro, & in scholis, creberrime solet expeti.

IN CAPVT XXI.

Aut negando eo quod propositũ est, aut multiplici distinguendo.) Etsi apud Platonẽ crebrior est usus dialecticæ ratiocinatiõis, tamẽ hoc etiam captionis genus adhibitum est, ut in Enthydemo patet, ubi omnes ferè cauillationum modos attigit, quemadmodum fecisse Aristoteles uidetur in libro quem de Elenchis, hoc est coargutionibus scriptum reliquit. Cum rem parem aliquam ei quæ nobis obijcitur reponimus.) Matth. 15. Quare & uos transgredimini &c. Et Christus captiose sciscitantibus oblique respondet, & cautim, ueluti Pharisæis, de repudianda uxore sciscitantibus, de censu Cæsari reddendo, de magno præcepto. Est ubi nihil respondeat, sed quæstionem quæstione ceu clauum clauo retundat, ueluti cum interrogatus quanam autoritate faceret ea quæ faciebat, uicißim rogat: Baptismum Ioãnis utrum è cœlo censerent esse, an ex hominibus. Matth. 21. Et cum uenisset in templum accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, & seniores populi dicentes, qua autoritate hæc facis, & quis tibi dedit hanc autoritatem? Respondens autem Iesus dixit eis: Interrogabo uos & ego quiddam, quod si dixeritis mihi, & ego uobis dicam qua autoritate hæc faciam. Baptismus Ioannis unde erat, è cœlo an hominibus? Ioannes Faber episcopus Viennensis sermone 2. aduersus anabaptistas: Vbi (inquiunt illi) apostoli infantes baptizarunt? Respondeo: Vbi illi ipsi prohibuerunt? Et quæ sequuntur. D. Hieronymus contra Ruffinum: De tanta librorum sylua, unum circulum ac fruticem proferre non potes, hi sunt ueri fumi, hæ nebulæ. Nam Ruffinus opprobrarat Hieronymo, quod poëtarum literas quasi fumos obijceret uirginibus non intellecturis. At Hieronymus prouerbij telum imperite tortum, in eum retorquet doctius, indicans eo uerbo non obscuritatem, sed inanem ac falsam ostentationem significari. Prãdebat in foro Diogenes, proinde ab his qui astabant canis appellatus: uos, inquit, canes estis qui me prandentem circunstatis. Cicero in oratione pro lege Manilia uelut clauum clauo pellens, Q. Catuli & Q. Hortensij autoritatibus multorũ autoritates

 ritates

ritates opponit. D. Eras. Rot. lib. Eccle. tertio: Eiusdem superstitionis erat, quod Donatistæ quū iussu Cæsaris conuenissent, ut cū catholicis sub iudice delegato de controuersis dogmatibus conferrent, iussi sedere à comite Cæsaris, recusarunt tam pertinaciter, ut & iudex præter morē, stans coactus sit caussam cognoscere. Rogati quur nollent sedere, responderūt se cōmoueri psalmi uerbis, Non sedi cū consilio uanitatis, & cū iniqua gerentib. nō introibo. Hoc sermone notātes catholicos quibuscū erat disputandū, nā hos habebāt pro uanis ac mēdacibus & impijs. Salse uero superstitionē aliorū illusit, qui respondit: Si uos mouebat psalmi uersiculus, nec introijsse in hoc consiliū oportuit. Ibidē enim addit, & cū iniqua gerētib. non introibo. Perq̄ festiuū est quod Laërtius refert in Zenone qui seruū in furto deprehensum cædebat, seruus interim clamabat, in fatis fuisse ut furaretur. At Zeno: Illud etiā ut cæderēris. Seruus quoniā audierat herū disputantē de necessitate fatorū, eā prætexuit suo commisso, sed scite retorsit philosophus. Antiquitus superstitiose creditū est, esu leporinæ pulpæ conciliari formā, unde extat iocus Martialis in Gelliā quæ misso lepore ex uulgata opinione ad muneris cōmendationē: Formosus septē Marce diebus eris. Id poëta in ipsam torquēs quæ deformis esset: Si me non fallis, inquit, si uerū lux mea dicis, Edisti nunq̄ Gellia tu leporē. Huc pertinet etiā illud cuiusdā apud Fabiū: Ne faciē quidē liberi hominis habet. Quod cū à quodā esset dictum deformi specie, retorsit aduersarius affirmans recte dictū, cū non esse liberū, cui non sit facies liberalis. Quale est pro Cœlio.) Lege Gel. lib. 12. cap. itē 12. de faceta responsione M. Ciceronis amolientis à se crimen manifesti mendacij. Cicer. lib. de oratore 2. C. Lelius cū ei quidā malo genere natus diceret indignū esse suis maiorib. At hercule tu tuis dignus, inquit. In personam regerimus.) Socrati acrius obiurganti familiarē quempiā in couiuio, Plato dixit: Nonne satius erat hæc illi dixisse seorsum? Cui Socrates, & an non tu quoq; rectius fecisses, si hæc mihi seorsum dixisses? Salsissime taxauit hoc ipsum reprehendendo cōmittentē, quod reprehendebat. D. Hieronym. lib. 1. aduersus Iouinianū: Gorgias rhetor librum pulcherrimū de concordia Græcis tunc inter se dissidentib. recitauit Olympiæ. Cui Melanthius inimicus eius: Hic nobis, inquit, de cōcordia præcipit, qui se & uxorem, & ancillulam treis in una domo concordare non potuit. Aemulabatur quippe uxor eius ancillulæ pulchritudinem, & castissimū uirū quotidianis iurgijs exagitabat. Ecclesiast. histo. lib. 5. ca. ult. Et in tantū stultitiæ impietatisq; prolapsi sunt, ut si quis eis sermonē de scripturis proposuerit, illi econtrario proponant. Vtrū hic sermo de quo agitur, coniunctū, aut separatū genus syllogismi faciat: & derelinquentes sanctas Dei scripturas, Geometriā tractant. Tanq̄ qui uere de terra sint, de terra loquuntur: & ideo eū qui de sursum est, & de cœlis uenit ignorant. Philosophi uulgo hoc nomine male audiebant, quod deos aut nō crederent esse, aut contemnerent. Hoc innuēs Lysias interrogabat Diogenē, crederet ne esse deos: Cui Diogenes: Qui conuenit, inquit, ut non credam, quum persuasum habeā te dijs inuisum esse. Hoc dictum quidam attribuunt Theodoro. Non respondit ad quæstionem, sed in contumeliose interrogantem retorsit sermonē. Sic Demea apud Terent. in Adelph. Mitionē suo iugulat gladio: Postremo non meum uerbū facio quod tu Mitio bene ac sapienter dixisti dudū, Vitium cōmune omnium est, nimiū ad rē in senecta attenti sumus, hanc maculam nos decet effugere, dictum est uere res ipsa fieri oportet, suo sibi hunc gladio iugulo. Demonax autore Stobæo cū quidā sugillato apud se amico diceret: Non æquū est, ut inimici mei tu sis amicus: Neq; rursum, inquit, par est te amici mei hostē esse. Huius rei exemplū est sanè q̄ appositū in 2. Philippica. Cuiusmodi est pro Ligario.) Hæc aliaq; id genus multa multo copiosius tractat

Georgius

Georgius Trapezontius lib. rhetor. 3. cap. de confutatione, ubi quindecim elabendi rationes ꝑstringit. Huic affinis est ἀνθυποφορὰ ἢ ἀντιπαραγωγὴ obiectio qua ueluti cõcedimus quiddã ab aduersario propositũ, sed subijcimus aliud, quo ad nos detorquemus aduersarij obiectionẽ, ut difficillimus est labor discendi linguas, sed necessarius. Fit item cũ quæstio quæstioni opponitur, quale illud est in Romanis: si iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? nũquid iniquus est Deus? absit: alioqui quomodo iudicabit Deus hũc mũdum? Quasi uero tu sis ab illis uiris.) Quasi dicat, quibuscũq; maioribus ortus sum, id tu mihi obijcere nõ debebas, cũ tui nihilo meliores meis fuerit. Quæ in historijs mihi gloriæ ducis) Fateor equidẽ Lentulũ, & Cethegũ, cæterosq; coniuratos meo iussu esse occisos: sed siue ego id recte siue secus fecerim, tu certe id reprehẽdere nõ potes q id antea in historijs laudasti. Meq; timoris argue tu Drance.) Qui de figuris sententiarũ scripserunt, referunt istud Vergilij ad ἀπόφασιν, quæ est εἰρωνείας species. Tantumq; nefas patrio excidit ore.) In qbus quidẽ uerbis, haud satis uideo quõ huius rei simile sit exemplũ: Aeneæ enim timori nihil erat obiectũ, dũ pater tantũ suaserat ut cũ cæteris Aeneas abiret, se autẽ traijceret. Medæa amores obijcis.) Quasi dicat, tu certè mihi obijcere non debes, si qd faciã amoris causa, quæ ipsa tã multa scelera, lõge deterrima ꝑpter amorẽ designasti. Quoties contẽnimus etc.) Huius etiam est generis quoties dissimulamus, & aliena parum nos intelligere fingimus. Sic Cicero cum Sex. Annalis testis reum læsisset, & instaret identidem accusator ei: Dic Marce Tulli nũquid potes de Sex. Annali, uersus tunc dicere cœpit, de libro Annali sexto: Quî potes ingentis causas euoluere belli. Cum hodieq; quærũt quidam cũ perfidis Iudæis duræ ceruicis & incircũcisis cordib. & aurib. Quomõ carnẽ hic suã potest dare ad mãducandũ? Hãc illorũ imperitiã & nos secuti sciscitemur ex ipsis, quõ è nihilo condita sint oĩa. Quomõ in serpentẽ Mosaica uirga cõuersa fuerit. Quomodo in naturã sanguinis aquæ Aegypti trãsierint. Quomodo è lapide fontes aquarũ fluxerũt. Quomõ uiã dedit siccis pedibus Iordanis & mare rubrũ. Quomõ inexpugnabilis Iericho solo clamore corruit. Innumera sunt quibus si quõ quæris, euertere uniuersam tibi semel scripturã erit necesse. Vide Ambrosiũ in sermone de mysterijs ad Neophycos ubi hoc utit artificio. A. Gel. li. 18. Noct. Act. ca. 13. Libet aũt dicere quã facete Diogenes sophisma id genus, quod supra dixi, à quodã dialectico ex Platonis diatriba per contumeliã ꝑpositũ remuneratus sit. Nã cũ ita rogasset dialecticus: Quod ego sum, id tu nõ es, & Diogenes admisisset, atq; ille addidisset: Homo autẽ ego sum, cũ id quoq; adsensus esset, & cõtra dialecticus ita cõclusisset, hõ igit tu non es. Hoc quidẽ, inqt, Diogenes falsum est, & si uerũ id fieri uis, à me incipe. Hactenus Gel. Vide quæ in locis sophisticis tradũtur de fallacia accidẽtis. Vulgus dialecticorũ responsionẽ ad hominẽ dicũt, qua nimirũ hoĩ abũde fit satis dũ ipse depellit & silentiũ ei imponit, quis tñ sit in re defectus, nondũ exprimit, nec quæ latet difficultas explicat. Et sunt tali responsione maxime digni sophistæ: ut, qui quod nõ ad rem argumẽtent, ob id nec ad rẽ itẽ accipiũt responsionẽ, iuxta illud: Cõtra uulpẽ uulpizabis, & cõtra Cretensem cretizabis. Vt quantũ urget nos aduersarius.) Elabimur autẽ his ferè modis.) Quẽadmodũ ferè quædã miris artib. ex ipsis uenantiũ manibus frequenter elabũtur: Ita hoĩes sophistæ ad elabẽdũ omnibus modis instructi sunt. Plato in Sophista: Vides igitur uere dici bestiã hanc esse uariã: neq; (quod dici solet) unica manu capiendã. Quẽadmodũ in uenatu persæpe fit, sepiuntur exitus, ut necesse sit feram in aliquas insidias incidere. Quandoquidẽ, ut autor est Plato in sophista ὀρθῶς γὰρ ἡ παροιμία τὸ τὰς ἁπάσας μὴ ῥᾴδιον εἶναι διαφυγεῖν. i. Siquidẽ recte habet prouerbium, quo dicit haud facile esse oẽs laqueos effugere: Ita

usu uenit

usu uenit inter disputandum quoties nobis res cum sophistis. Qui nescio qua arte quibus'ue præstigijs circumagunt discipulos, ut quum se putent aliquid didicisse, nihil didicerint, & in idem recidant unde uolebant extricari. Plato in Charmide: ὦ μιαρὲ εἶπον ἐγὼ πάλαι μὲ περιάγεις κύκλῳ ἀποκρυπτόμενος, Id est, ô scelerate inquam iamdudum me in orbem circumagis non sentientem. Fit enim hoc arte sophistica, ut qui contra disputat, post assueveret ambagibus circũactus, quod prius negabat, aut cõtra. Quin & illud obiter adijciatur. Sophistæ uocabantur olim doctores rhetoricæ, qui cum sæpe in disputãdo breui, & arguta ratione caperent aduersarium, sæpe longa oratione nebulas ei offunderent, ars sophistica dicta est, quæ in altercando, & dicendo callide decipit auditorem. Neq; enim existimandum est Sophisticam tantum uersari in breuibus argutijs. Multo sæpius in longa oratiõe uersatur, sed breuia exempla recitantur in Dialectica, quia dialectici est, longam orationem breui syllogismo includere. Philip. Melanch. in Epito. philoso. moral. Aliud quoddam genus est eludẽdi aut exacerbandi leges, uidelicet calumnia. Hinc nõ proprie uocatur summum ius, sed magis etiã cũ iure pugnat. Interpretatur enim ius cauillatione aliqua sophistica simpliciter cõtra uoluntatẽ, id uocãt fraudẽ legi facere, τὸ ῥητὸν ueteratorie contra sententiã detorquere aut eludere. Vt qui pactus 30. dierũ inducias, noctu populabat hostiũ agros. Et mox. At propemodũ plus calumniarũ, & quæ sequunt. Multa pceperunt rhetores de translatiõe, quã uocant, quum causæ diffidentes, à proposito seu à statu digredimur in locum uberiorem atq; commodiorem: quod monet fallacia (sic nostri Aristotelici loquuntur) secundum non causam ut causam, ut obseruemus, ne offundantur nobis nebulæ, aliunde accersito loco, qui quũ nihil faciat πρὸς ἔπος (ut aiunt) tamen patrocinari aduersario uideatur. Et Aristoteles hoc artificiũ uocat transferre metam seu scopum: & Aeschines male metuens, ne, quod accidit postea, Demosthenes hac arte superaret, hortatur iudices, ne permittant ei, ut à caussa digrediatur, sed ut pugiles de loco inter se decertant, ita dimicent ipsi cum Demosthene de orationis serie. Augustinus lib. Confessionum 11. cap. 12. Ecce respondeo dicenti: Quid faciebat Deus, antequam faceret cœlum & terram? Respondeo non illud quod quidam respondisse perhibetur iocalariter, eludens quæstionis uiolentiam: Alta, inquit, scrutantibus gehennas parabat: ideo aliud est ridere, aliud uidere. Antequam faceret Deus cœlum & terram, non faciebat aliquid. Si enim faciebat, quid? nisi creaturam faciebat: & utinam sit scientia, quicquid utiliter scire cupio, quemadmodum scio, quod nulla fiebat creatura, antequã fieret ulla creatura. Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei cap. itẽ 4. Eleganter enim & ueraciter ab Alexandro illo magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam cum idem rex hominem interrogasset, quid ei uideretur ut mare haberet infestum? Ille libera contumacia quid tibi, inquit, ut orbẽ terrarum? Sed quia ego id exiguo nauigio facio, latro uocor: quia tu magna classe, imperator.

De exponendi ratione, quæ ad credentem fit auditorem. Cap. XXII.


DE argumentatione autem quid ea sit, & quæ species eius, & quomodo conficiatur (quantum ad inueniendi rationem pertinet) hæc sufficere uidebuntur. Expositio sequitur, quam speciem orationis alteram fecimus.

cimus. Exponimus autem fere propter has causas, uel ut audientium uoluptate demulceamus aures, uel ut rem ipsam cuiusmodi sit explicemus, uel ut fidem alicui alij rei expositione quæramus. Primum sequuntur poëtæ. Proximum qui monumentis rerum tradendis, uel præsentes uel posteritatem conãtur docere, ut qui historias, & exempla uirorum rerumq; insignium literis mandant. At qui faciendæ causa fidei de re aliqua exponunt, hi sunt ut oratores, ut philosophi, ut reliqui artifices, quibus persæpe in alterius usum rei alia res uerbosius est recensenda. Trium igitur harum expositionum suus est cuiq; finis. Qui enim uoluptatem solam spectat audientis, dummodo eam sequatur, uera an falsa, probabilia an incredibilia dicat, nihil sua credit referre. Quod si quando uerisimilia, aut uera dicit, enixiusq; colorem tuetur ueritatis, non id tantum ex sua facit persona, quãtum ex illius persona, cui talia tribuit: quæ quia sunt illi congruentiora, sic dicuntur. Aut persæpe in his, ubi uana affectus specie mouere cupit auditorem. Aptissima est enim talibus ueri similitudo. Quódq; præcipit Horatius, Ficta uoluptatis causa, sint proxima ueris: id non in uoluptate modo, sed in omni affectu præcipue est obseruandum. Scriptores autem rerum econtrario, primam omnium ueritatem expetunt, posterior uoluptatis est cura. Si tamen legem illam, quã historiæ uidetur Thucydides sanxisse, obseruare uelint, malintq; rem perpetuo duraturam conficere, quàm gratiam breuem mereri. Vera autem dicunt hactenus, ut sua sint conscientia contenti: neq; solicite quærendum putent, quomodo fiat lectori fides eorum quæ recensent. Quin & grandia pleraq; & ad incredibile quandoque accedentia, uelut ex periculo petunt, ut admiratione lectorem detineant. Sicubi uero ponuntur aliqua faciendæ fidei, talia fere sunt, ut magis grauitatem autoritatemq; scriptoris commendent, quàm rem probent. Cuiusmodi sunt, scire se incredibilia & fidem excedentia narrare, sed ita tamen à maioribus accepisse, ita posteris tradituros: uel compertum sibi, rem sic habere: constanterq; se uerum in qualicunq; hominum opinione dicturos: quandoq; uero ne sibi quidem satis probari, quare quenq; pro suo captu dempturum additurum'ue fidem. Quare probabilitatis abunde est istis, rem tradi sic, ut non sit improbanda, id est, ut uera

dicantur. Deinde, ne uideantur falsa. Quod fit, si neq; inter se dissideant, neq; personis, temporibus, locis, ea quæ traduntur, discrepẽt. Pleraq; enim uera, turbato ordine coniunctioneq́; rerum, incredibilia uidentur: contra falsa, disposita ut singulæ inter se partes congruant, uerissimorum implent fidem. Causa autem quamobrem parata sit scriptori fides est, cum ex scriptoris persona, quòd nihil tale uidetur, quare debeat potius uelle falsa tradendo lædere existimationem sui, quàm uera dicẽdo sancti grauisq́; uiri de se opinionem ad posteros transmittere: tum quòd lectoris parum aut persæpe nihil interest sic uel sic rem esse arbitrari: præsertim si non aliũde paratum sit, quo possit uanitas scribentis coargui: quale Herodoto & nõ nullis aliorum quoq; scriptorum, qui indulserunt ingenijs suis, contigit. In reliquis facile lector accedit. Mauult enim (quod uulgo dici solet) credere quàm exquirere. Aperta ergo sunt apud eos omĩa, erecta, sublimia, secura: ut qui non timeant, non timeantur. At in expositionibus eis, quibus fides alicui rei quæritur, non satis est esse uera quæ exponentur: sed & firma, & uelut fidem sibi ipsis facientia oportet esse: tum ad id cui probando destinãtur ita accommodata, ut capita fidei faciendæ confirmandarumq́; rerum nostrarũ omnia possint inde depromi. Instat enim aduersarius, & suspecta habet omnia, neq; quicquam impune dimittit: & uel negat, quæ nocitura sunt: uel si id nequit, uertere in suos usus, & ad se rapere conatur, efficereq́;, ut uel prosint, uel utiq; quàmminimum obsint. Omnis ergo disputãtis expositio, quæ probando alicui destinatur, necesse est duo præcipue habeat. Prius est, ut probabilis sit: nec enim fides alteri rei per eam parari poterit, si dubiæ sit ipsa & ambiguæ fidei. Deinde, ut accommodata sit, id est, ut illi rei, quam probare per eam uolumus, apte iungatur: sicq́; expositio fiat, ut cõmode fides ex ipsa possit duci. Parũ est enim, ipsam per se probabilem esse, si non id quod probare conamur, colligere per eam possumus. Probabilis fit expositio, si sit argumentosa, si consentanea rebus, si per se cõsequens.

Argumentosa est, quæ causas habet rerum. Causas autem ut habeat, non modo summæ rerum quas exponimus (Vt sunt causæ belli gesti, causæ pestilentiæ, aliarumq́; rerum quæ solent à scriptoribus ante ipsas res explicari. Qualis est etiam pro Milone tota fere narratio. Cau

tio. Causas enim habet, primũ, quare Clodius annum præturæ suæ in Milonis consulatum distulerit. Hinc, quare Milonẽ occidendum destinauerit. Demum, quare hoc loco, hoc tempore) sed in singulis etiam partibus expositionis causas addimus: cuiusmodi est: Sæpe fugam Danai Troia cupiere relicta Moliri: causam addidit: Et longo fessi decedere bello. Quod reuera quidem argumentatio, quanq̃ colorẽ habeat & faciem expositionis. Sic etiã: Assensere omnes. Quare assenserunt? quia quæ sibi quisq; timebat Vnius in miseri exitium cõuersa tulere. Sed & alia nonnunq̃ ponuntur argumenta. Vt: Sanguine placastis uentos & uirgine cæsa: argumentũ est eius quod sequitur: Sanguine quærendi reditus. Et pro Milone: Etenim palam dictitabat, consulatum Miloni eripi non posse, uitam posse. Subdit orator: Significauit hoc sæpe in senatu, dixit in concione. Quin etiã Fauonio. Et reliqua quæ sequũtur. Prioris illius sunt hæc uelut indicia.

Consentanea erit expositio, si personis, locis, temporibus, rebus consentiat. Personis quidem, si quales eæ sunt, talia facta earum dictaq; effingantur. Nec enim eadem conuenient Achilli, & Nestori, & Vlyssi uerba: nec eadem facta erunt in his probabilia. Sic & alia fœminam, alia uirum, alia doctum, alia indoctum, alia militem, alia togatum decebunt. Locis & temporibus accõmodabitur: si quo loco unumquodq;, quo tempore uerisimile est factum esse, sic exponatur. Rebus uero conueniet, si lætis iucunda, serijs grauis, ridiculis faceta, insignibus ornata, tristibus acerba tribuat expositio. Consequens autem erit, non modo, si prioribus sequentia non discrepẽt (id enim potius est uitium fugisse, quàm aliquam laudem meruisse) sed si sic exponantur priora, ut uel ex ijs quæ posterius dicũtur expectentur, & propemodum auditor ipse sibi subijciat ea: uel qualiacunque dicentur, quum dicta sint tamen cuncta uideantur ex priorum fide pendêre. Quod diligentissime obseruatũ est Ciceroni pro Milone. Quanquam enim ancipitis fidei sit, & (ut creditur) ad insidiarũ rationem falsa narratio, quoniam fortuitam eam pugnam fuisse traditur: sic tamen omnia per gradus quosdam certa serie feruntur, ut nihil percipere possis, quod non cohæreat prioribus, & ueluti uinculo connexum sit, ut tandem uestigijs quibusdam ad cædem, uelut manu prehendendam, ueniatur.

IN CAPVT XXII.

QVam speciem orationis alteram fecimus.) Lib. huius cap. 15. Vera an falsa, probabilia, an incredibilia.) Sic Homerus ille fabularum Oceanus lib. Iliad. 8. suauiss. de terra, mariq; reste attractis, & eiusdem operis lib. 15. de aligeris equis, proinde non iniuria cecinit Ouid. 3. amoris:

Exit in immensum fœcunda licentia uatum
Obligat historica nec sua uerba fide.

Sint proxima ueris.) Cuidam iactāti se de arte rhetorica, at per Geminos, inquit Lacon, ars nisi uerum attigerit, nec est, nec unquam erit. Notauit rhetores qui se profitentur uerisimilia dicere licet uera non sint. Ficta uoluptatis.) Is summus poëtarum merito debet haberi, qui quàm facillime, quorum uelit, autoribus faciat fidem, quapropter & Musæ quoque ipsæ apud Hesiodum in lib. eo qui de deorum generatione inscribitur: ad hunc fere modum de se prædicant:

Scimus falsa quidem narrare simillima ueris,
Scimus item quotiens libitum est & uera profari.

Et nonnullis aliorum quoq; scriptorum.) Aeschines: Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι ἀλαζόνες, ὅταν τι ψεύδωνται, ἀόριστα καὶ ἀσαφῆ πειρῶνται λέγειν, φοβούμενοι τὸν ἔλεγχον, Δημοσθένης δὲ ὅταν ἀλαζονεύηται, πρῶτον μὲν μεθ' ὅρκου ψεύδεται, ἐξώλειαν ἐπαρώμενος αὐτῷ, δεύτερον δὲ, ἃ εὖ οἶδεν, οὐδέποτε ἐσόμενα τολμᾷ λέγειν ἀριθμῶν εἰς ὁπότ' ἔσται, καὶ ὧν τὰ σώματα οὐχ ἑώρακε, τούτων τὰ ὀνόματα λέγει κλέπτων τὴν ἀκρόασιν, καὶ μιμούμενος τοὺς τἀληθῆ λέγοντας διὸ καὶ μάλιστα ἄξιός ἐστι μισεῖσθαι, ὅτι πονηρὸς ὢν καὶ τὰ τῶν χρηστῶν σημεῖα διαφθείρει. Id est, Nā alij qn̄ metiūtur, obscura & indeterminata dicere conant, redargutionē formidantes, Demost. uero quādo mētitur: Primū cū iureiurando mentitur sibi euersionē imprecatus. Deinde quæ clare scit nunq̄ esse futura, ea asseuerare audet, dinumerās dies & tēpora & quorū corpora nunq̄ uidit, eorū nomina enarrat, & imitans eos qui ueritatem dicunt: quāobrē maximo est dignus odio, quod improbus cū sit, bonorū signa corrumpit. In eum qui falsum perinde quasi uerū sit narret, quadrabit illud ex Odysse. τ. ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὅμοια, Id est, Plurima narrabat figmenta simillima ueris. Dictum de Vlysse. Si tamen legē illam quā historiæ uidetur Thucydides sanxisse.) Lucianus de ratiōe cōscribendæ historiæ: Admodū igit recte Thucydides sanxiuit, uirtutēq; historicā, ac uice secreuit, cū uidisset ingenti admiratione Herodotū, adeo ut libri eius musarū nominibus appellari meruerunt, quos supellectilem potius esse dicit ad perpetuā scribendi normam, q̄ in præsens certamen, nec fabulositatē amplecti, sed ueritatem rerū gestarū posteris relinquere docere asserit. Vtilitatisq; rationem assignat, quam prudens quisq; finē esse historiæ censere debet, scilicet si quando iterū similia accidant, ut homines inquit ad præscripta respicere, sic rebus publicis bene uti ualeant. Igitur qui mentem talem sortitus sit mihi scriptor obtingat. Lege Ciceronem in oratore, in ipso statim exordio, eundem libro de oratore secundo, ubi paucis præcipit quæ in historijs conscribendis sunt obseruanda. Et Angelum Politianū in præfatione in Suetonium. Quam gratiam breuem mereri.) Hanc autem gratiam merentur, qui in fauorem cuiuspiam non parum multa falsa historiæ affingunt & admetiuntur, imò mentiuntur. Nam Thucydides in nullius gratiam quidpiam scripsit, sed rem tantum ut gesta sit exposuit. Velut ex periculo petunt.) Videntur enim dum hæc scribunt, ueluti periculum existimationi sui facere, dum ea dicunt quæ uix censentur esse credibilia. Quandoq; uero ne sibi quidem satis probari.) Lauren. Val. libro ele-

libro elegantiarum 6. cap. 54. Illud quoq; quod crebro usurpamus, fides penes autores sit, & in laudem & in uituperationem simul accipitur, quasi laus ueritatis, aut uituperatio falsitatis penes autorem sit, ad quem spectat fidem rei, cuius autor, est facere. Ad me certe ista uel laus uel uituperatio non spectat, qui hoc non affirmo, sed ad alterum autorem relego.

Lædere existimationem sui.) Vbi admixtum subolet mendacium, ueritatis ilico minuitur ac labefactatur autoritas. D. Augustinus in quadam ad D. Hieronymum epistola, admisso enim, inquit, semel in tantum autoritatis fastigium, officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non ut cuique uidebitur, uel ad mores difficilis, uel ad fidem incredibilis eadem peruersißima regula, ad mentientis autoris consilium, officiumq; referatur. Vanitas.) Veritati opponitur uanitas. Sic Cicero pro Roscio: Orationi uanæ crediderunt, & Fabius libro 11. capite 2. Vanitas nimirum fuit atque iactatio circa memoriam suam potius arte quàm natura gloriantis. Herodoto.) Quintil. lib. 10. cap. 1. Historiam multi scripsere præclare, sed nemo dubitat, longe duos cæteris præferendos, quorum diuersa uirtus laudem pene est parem consecuta. Densus, & breuis, & semper instans sibi Thucydides, dulcis, & candidus, & effusus Herodotus, ille concitatis, hic remißis affectibus melior: ille concionibus, hic sermonibus, ille ui, hic uoluptate. Probabilis sit expositio.) Quintil. in 4. de narratione: Multum confert, adiecta ueris credibilis rerum imago, quæ uelut in rem præsentem perducere uidetur. Eras. Roterod. lib. Ecclesi. 2. Vehementius autem afficit narratio si sit probabilis, hoc est, si naturæ ac mori respondeat, si ordine texatur, si sit euidens, rem ueluti depictam oculis subijciens, si decorum seruet in personis, & in sermocinationibus ac dialogismis, hoc est, in affingendo suum cuiq; sermonem, &c. Quæ causas habet rerum.) Erasmus posterioris copiæ commentarij secunda locupletandi ratione. Causas autem dico ut habeat.) Hoc dicit, non tantum præcipuas rei causas, hoc est, summæ persequemur, sed singulis etiam particulis suas causas, uelut aculeos quosdam subijciemus. Cicero pro Milone: Subito, inquit, reliquit annum suum, & se in annum proximum transtulit, non religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad præturam gerendam, hoc est, ad euertendam rempub. plenum annum atq; integrum. Non modo summæ rerum quas exponimus.) Quæ deinde sequuntur usque, hoc tempore, mihi legenda uidentur per parenthesim.

Quæ solent à scriptoribus ante res ipsas explicari.) Cicero 2. de oratore: Consilia primum, deinde acta, postea euentus expectantur. Si personis, locis, temporibus, consentiat.) Copiosißime hæc omnia explicantur ab Erasmo in posteriore Copiæ commentario de personæ, loci, & temporis descriptionibus. Rebus uero conueniet.) Cicero in orato. Vt enim in uita, sic in oratione nihil est difficilius, quàm quid deceat uidere, πρέπον appellant Græci: nos dicamus sane decorum, de quo præclara & multa præcipiuntur, & res est cognitione dignißima. Si lætis iucunda.) Georgius Trapezontius lib. Rheto. 5. cap. de elocutione, singulis hisce membris singula subnectit exempla, & ea quidem appositißima. Eadem fere quæ hic traduntur ab Rodolpho, refert D. Erasmus in opere de epistolis conscribendis capite de habitu epistolæ. Consequens erit expositio.) Quintilianus libro 9. cap. 4. Historia non tam finitos numeros, quàm orbem quendam contextumq; desiderat. Nanque omnia eius membra connexa sunt, quando lubrica est ac fluit, ut homines qui inuicem apprehensis continent, & continentur.

Quomodo alterius rei confirmandæ gratia exponendum sit. Cap. XXIII.



PLus habet negocij id quod diximus secundum esse debere in expositione; ut accommodata sit ad id cui per eam paranda est fides. Nam probabilitatis persæpe facilis est ratio, cum sint omnia quandoque quæ sunt in expositione confessa parti utriq;. Formare autem apte & accommodate instituto nostro expositionem, id est, fundamentum, sedesq; totius nostræ disputationis. Hoc est enim quo præparatur in foro iudex, & ad omnem sequentium argumentationum confirmationem componitur. Ante omnia igitur uidēdum est, quid sit id, quod uolumus expositione colligere, & cui ex ipsa quæritur fides, idq; si cum omnibus expositionis partibus conferamus, facile uidebimus, quid habeat res quod iuuet partes nostras, quid etiam quod offendat. Vbi tota enim pro nobis est, parum est quod metuamus: sic parum est quod speremus, ubi obest tota. Deinde quæ prosunt, danda est opera, ut plurimum iuuent: & eruenda argumenta explicandaq; : quæ tum cum dicuntur, quanquam non cum summa rerum coniungantur, ut ipsam efficiant: ipsa tamen audientis cogitatione, colligentis ea apud animum suum, hoc ipso maxime prosunt tunc, quia minus in id parata uidentur. Quæ uero dubia sunt, & dicentis interpretatione possunt in hanc uel illam distrahi partem, sic tractanda sunt, ut nobis prosint. Quæ nocent, molliendа sunt: curandumq;, ut quàmminimum obstent. Fiunt autem hæc omnia argumentis, quæ sumuntur ex locis, quos superiore descripsimus libro: sed hic argumenta tantum ponantur: nam ut ueniat quandoque argumentatio in expositionem, breuis tamen ea est, fitq; non ita crebro. Quædam autem consulto narrantur à nobis sic, ut plane falsa & incredibilia perspici possint, quoties ea quę ab aduersarijs uel pro se exposita sunt, uel alioquin confirmatura partes eorum uidentur, sic deprauantur contraria expositione, ut prorsus detrahatur eis fides. Illud autem ferè uidetur obseruatum, ut undecunq; petitum semper ponant fauorabilē primum narrationis ingressum: & ab aliquo quod causam suam commendet auspicentur. Terentianus ille Simo, continentiam filij sui laudaturus, cum tuto etiam

uersatum eum inter ingenia parum modesta uellet ostendere, uideretq; meretricis personam præsenti laudum commemorationi indecentius inseri, & posse uideri obstare existimationi filij, quod talis personæ consuetudinem expeteret, uidemus ut altius petito principio mollliuerit omnia: & rem ipsam, & personam, pro suspecta & aspera, fauorabilem reddiderit. Incipit ergo: Interea mulier quędam abhinc triennium ex Andro commigrauit huic uiciniæ. Vt iam neque ganeonis neq; omnes urbis angulos peruagantis uideri possit, si consuetudinem tertium iam annum uicinæ sibi Pamphilus habeat. Reliqua quæ sequuntur, ad commendationem pertinent mulieris: Inopia & cognatorum negligentia Coacta, egregia forma, atq; ætate integra. Videmus hic quanta huic delinquendi excusatio, desertæ à cognatis & inopi: quanta facultas, iuueni & formosæ. Hæc tamen inter ista, primum pudice, nec id solum, sed parce etiam ac duriter agebat, lana ac tela uictum quæritans: ut obstinatio prorsus in ea tuendi pudoris perspici possit. Hinc iam paulatim ue lut gradibus incipit labascere. Sed postquam amans accessit ad iuuenem, precium pollicens ad inopem: non primo tamen congressu uicta est: sed unus & item alter. Quod iam consequens erat, ut diceret proiecisse eam pudorem, quanta id cura mollijt, ut culpam eam cum omnibus communicaret, diceretq;: Ita ut ingeniū est omnium hominum à labore procliue ad libidinem. Quod tamen cunctantis signum est, primum accipit conditionem, tum iam demum quæstum occipit. Quemadmodum ergo pictores, qui colorem purum & nulla circumfusum umbra, leniter primum, ut prope sensum fallant, incipiunt adumbrare: deinde paulatim subcrescente obscuritate, cum iam postremo atrum umbrę totum oppressit colorem, nihilq; præter nigrum sit, uidemur tamen nobis primam illam coloris speciem, quam puram accepimus, quia paulatim deficit, nec abrumpitur usquam, etiam in ipsa umbra ubi nullus iam est, inuenturi. Sic & persuasionē primum acceptam, quia non uidemus in sequentibus eripi nobis, licet defluat etiam paulatim, & tandem quantum ad rem pertinet, deficiat: qui audit tamen, quia nusquam ubi auferretur uidit, uelut adhuc subsit, ita sequitur animo & adhæret. Quanquam ergo poëta à pudica orsus, ad meretricem, hoc est, ab honestissi-

stissima persona orationem ad fœdissimam deduxerit: commendationem tamen & fauorem, quem in pudica sumpsit, quia per media cuncta quatenus potest retentat, etiam, cum ad impudicam peruenit, adhuc tuetur. Circunspicienda sunt igitur diligenter omnia, nec utiq; statim ab eo quod in præsenti est quæstione incipiendum, sed repetēdus plerunq; altius ordo rerum, si sit in eis aliquid quod prosit. Cicero pro Cluentio, non statim incipit à criminibus corrupti iudicij, ut ea quatenus tueatur narret: sed à persona matris, quæ maxime Cluentium premebat. Primumq; à nuptijs filiæ. Deinde diuortio, post hæc à nuptijs matris initia duxit: quæ ut ad præsentium criminum ordinem nihil attinebant, sic summæ defensionis res ipsa indicat plurimum ea profuisse. Quintilianus autem, sicut in cæco in limine, statim expositionem incipit ab incendio: quia nihil erat, quare altius repeteret: & hoc ipsum primum, continuo firmissimum pro causa erat: sic in milite Mariano, à seueritate parentum & educationis cœpit: Pater, inquit, huic emeritis bello stipendijs. Prius ergo iam mentem militando durauerat. Ne tamen ocio molliretur, exau toratas armis manus agresti subegit labore. Hinc est mater prædura, priscis moribus, & perusta frigoribus ac solibus, & rustici operis difficultates obire cum marito solita. Ab hac educatum filium, uirum, & qui iam meruerat stipendia, & his assuetum moribus, quisquam de stupro appellabit: cum ne illam quidem quamuis fœminam quisquam fuerit appellaturus impune? præsertim, cum & hic ipse semper aliquid maius annis conaretur, & omni opere primæ ætatis annos contra uoluptates firmauerit. Sic natum, sic educatum, quis iam non indignissime ferat tentari de stupro? Similiter etiam cum alijs in locis, tum in matris infamia, in parte matris expositionem petit à natiuitate filij. Incipiens ergo, non fœmina, non mater inquit, sed matrona: ut statim ex nominis eius reuerentia fauorem aliquem captet. Cuius puellares annos, quo incredibilius iam sit in grandiore natu. Et cuius primam rudemq; coniugij mentem: quanto magis igitur assuetam iam & firmatam ad coniugales affectus, nulla libidinum respersit infamia. Et cui impudens rumor, qui parsurus utique non fuisset ei: & suspicax maritus, quem non potuisset latere: nihil unquam potuit obijcere, nisi filium, Quis ergo iam credat in-
dat in-

dat incautiorem & in iuuēta ab omnibus alijs intactam libidinibus, seniorem & peritam rerum in filio demum peccare cœpisse? Simile est quod paulo post sequitur. Natum de se continuo (si quid ipsi creditis) impatientius complexa quàm reliquæ parentes, non in nutrices nec in ministeria sepo suit, suis aluit uberibus, suo fouit amplexu. Quo magis potuit munire sequentis ætatis indulgentiam, & affectum notabilem, quàm hac educatione? Ante causam sunt hæc. Sed illud etiam quod sequitur. Accendebat hanc erga unicum optimæ matris impatientiam rigidus pater, asper maritus. Simul itaq; patris suspicionem & rumorem, asperitati patris assignat. Et hi quidem qui præcipui sunt causæ colores, & quibus fere causa est innixa, extra causam sunt. Ducuntur tamen ex his, quę sunt in ea, fidemq; inde habent. Primæ enim iuuentæ integritas, ueiut certa est coram tali marito, qui fuit paratus accepta suspicione filium occidere. Sic quòd & ipsa aluerit infantem, reliqui temporis affectus credibiles facit: cum soleat omnium matrum recens natos impatientissimus animus esse. Et patris asperitas & mariti, ex præsenti litis conditione descendunt. Asperum enim maritum fuisse uerisimile est, quem malæ tractationis uxor coacta est facere reum: asperum patrem, qui rumori quæsiuit filij morte satisfacere. Præcipui uero consilij est, uidere, non modo quæ primo aspectu tanquam profutura blandiuntur, uel tanquam nocitura terrent, sed altius cuncta introspicere, & si quid subsit etiam quod possit offendere scrutari. In cæco in limine, quid magis uidebatur esse pro filio, quàm si pietas in patrem maxima ostenderetur? qui fuerit autem illud imprudentius secutus, dicet filium cum primum in incendium cucurrerit, extulisse sine cunctatione patrem: & quo plenius sit meritum filij, illam miserabiliorem, illam debiliorem reliquisse. Quintilianus autem, cum uideret, quantum fauoris accederet ex patre, tantum causæ ex matre periturum: quin etiam uisum iri, patrem illi inuisum quandoque potuisse fieri, qui potuerit cum damno maternæ pietatis amare: facit ergo miseros parentes prope perijsse pietatis æqualitate, dum dubitat utrum prius efferat: & dicit tandem orator, quanquam nolente id audire filio, patrem esse electum. Contra uidetur in matris infamia, primo aspectu matri nocitura benignior cum filio cōsuetudo. Non

putauit tamen negandum, cum ex persona matris multo possit honestius defendi: amplectiturq́ tanquam simplicitatem illam materni amoris. Omnis igitur miseræ cum filio sermo, omnis in publicum pariter egressus. Subdit deinde simplicem innocentiæ, nihil metuentis securitatem. Gaudebat etiam quòd laudãdus occursibus, quod omni frequentia cetuq́ conspicuus, populo iam ipse fateretur, quòd plus amaretur à matre. In summa, si animum nobis sumamus aduersarij. & subinde singula quæ uenient in expositionem apprehendamus, interrogemusq́ nos, quid hoc ad rem? qua parte proderit? tum si uiderimus, quo pacto uolemus ostendere aduersario prodesse: facile uidebimus etiam, quomodo narranda sint ut prosint. Et quo modo quæ uidentur obstare nobis, discutere uolumus: eo etiam excludenda sunt in expositione, ne noceant. Nec est quod quisquam putet, quamuis à solis propemodum oratoribus exempla sumpserimus, idcirco non esse in alijs artibus locum expositioni. Nam & qui in Philosophia disputant, persæpe exponant oportet. Nec enim sicubi recondita res aliqua deducitur in certamen, satis commode tractari potest, nisi prius exposuerit is, contra quem disseritur, omnem ordinem rei, quomodo habere eam putet, & quo pacto affirmet eam, quoue neget. Vnde uidemus in plerisq; disputationibus, in quibus non exposuit mentem suam qui disserit, cum ille aliud defendat, aliud aduersarius petat, argumentationes omnes effundi in uentum, & solum superuacuis clamoribus diem teri. Ioannes Scotus itaque solet persæpe, sicubi perplexior quæstio incidit, uelut expositionis loco præponere formam imaginandæ rei. Quæ quando sic explicatur, ut quadret, constentq́ sibi omnes partes eius, incredibile est, quantum facultatis tuendę rei adijciat. Id autem non alijs præceptis q̃ eis quæ tradidimus fieri (quisquis experiri uolet) facile uidebit.

IN CAPVT XXIII.

QVanquam non cum summa rerum coniungantur.) Hoc innuit, argumenta in expositione posita non accommodantur principali negocio, sed tamen auditor ea secum reputans, ipse sibi ex illis fidem facit, eoq; facilius credit, quo argumenta illa non uidentur in id adhibita ut faciant fidem. *Semper ponunt fauorabilem primum narrationis ingressum & ab aliquo.)* Cic. in orat. Vestibula nimirũ honesta, aditusq; ad causam faciet illustres, cumq; animos prima aggressione occuparit infirmabit excludetq; contraria, de-

firmißimis alia prima ponet, alia postrema, inculcabitq; leuiora. Quo in genere est illud Ciceronis in Miloniana. Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompei, &c. Acto. cap. 2. D. Petrus hoc eleganter expreßit in concione qua primus ac primum auspicatus est apostolicam functionem. Viri Iudaei &c. Et D. Paulus itidem Actorum cap. 17. eodem usus est cõsilio dum Athenienses studet ab inueterata superstitione reuocare. D. Paulus ut in alijs omnibus, ita in hoc quoq; artificio neminem post se non reliquit, & quidem longo interuallo, id quod deprehendas licebit ex actis apostolicis cap. 24. & 26. D. Eras. Roter. lib. de rat. concio. 2. ubi agit de exordijs. Petrus in actis apost. Ipsa statim appellatione captat beneuolentiã. Viri Iudaei, & qui habitatis Hierusalẽ. & quae sequũtur. Quid? quod autore Hieronymo in epistola ad Cyprianum, omnes Pauli epistolae in salutationis principio, non prius pacem habent, & sic gratiam, sed ante gratiam, & sic pacem ut donatis nobis peccatis pacem domini consequamur. Terentianus ille Simo.) Non aliud agit hoc loco Rodolphus quàm Donatus egit in comoedijs Terentianis, dum poëtae consilium subaperit. Non frustra placuit Rodolpho hoc testimonium Terentij. Videmus quomodo exaggerat, quam diligenter in eo commoratur, quia uidebat artificium narrationis in hoc facile perspici posse. Egregia forma.) Iuuenal. satyra 10. Filius autem Corporis egregij miseros trepidosq; parentes Semper habet, rara est adeo concordia formae Atq; pudicitiae. Ouid. in epist. 9. Non honor est, sed onus, species laesura ferentes Lis est cum forma magna pudicitiae. Praecipui uero consilij est, uidere non modo quae primo aspectu.) Rodol. Argricola commentario in prologum Senecae: Benedixit fundamentum, nam primum est in omni controuersia uidere, quid in omnẽ partem poßit prodesse, quid obesse nobis, quod quum diligenter dispexerimus, tunc illi subtilitati & acumini iuditij reliquae uirtutes oratoriae copia, suauitas, leuitas, ornatus, magnificentia, grauitas, & aliae accommodantur. Quintilianus libro 4. cap. 1. Hoc adijcio, ut dicturus intueatur, quid, apud quem, pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum statu, qua uulgi fama dicendum sit, quid iudicem sentire credibile sit antequam incipiamus. Tum quid aut desideremus, aut deprecemur, ipsa illum natura eo ducet, ut sciat quid primum dicendum sit, at nunc omne quod ceperint procemium putant, & ut quidq; succurrerit, utq; si aliqua sententia blandiatur exordium. Sic natum, sic educatum, quis enim non indignißime ferat.) D. Hieronymus quum à se depellit intentatam stupri cum Paula suspitionem, altius quaedam repetens, totus uersatur in coniecturalibus argumentis, et tractat locum communem à quaestionibus. Malae tractationis.) Cum enim pater filium occidisset, & matri quaerenti quid in filio inuenisset, respondere nollet, accusatus est malae tractationis. Qui rumori quaesiuit.) Cum enim rumor esset de uxoris & filij incestu, pater filium occidit, ut rumori satisfaceret. Si animum nobis sumamus aduersarij.) Quintilianus lib. 12. cap. 8. Sic causam perscrutatus, propositis ante oculos omnibus quae prosint, noceant'ue, tertiam deinde personam induat iudicis, fingatq; apud se agi causam, & quod ipsam mouisset de eadem re pronunciaturum, id potentißimum apud quemcunq; agetur existimet, & sic cum raro fallet euentus, aut culpa iudicis erit. Idem lib. 7. cap. 2. Cum haec in conspectu quodam modo collocaueram, non minus pro aduersa parte quam pro mea cogitabam. Cicero de oratore: Tria uidenda sunt oratori quid dicat, quo quidq; loco, & quomodo. Eras. Rot. lib. 1. Eccle. Non igitur satis est scire quid dicendum sit, nisi cõsilio dispexeris, quãdo, apud quos, quomodo, quibus uerbis, quo ordine, quibus figuris, quo uultu, quo gestu sit dicendum. Quid hoc ad rem.) Lege adagium: Stimula equum iuxta lineam siue metam. Nam & qui in philosophia disputant

tant persæpe exponant oportet.) Lege Maximi Tyrij sermonem 12. Nisi prius exposuerit is contra quem.) Cicero 2. lib. de finibus: Omnis autem inquirendo, quæ uia quadam & ratione habeatur, oratio præscribere primum debet, & quibusdam in formulis ea res agatur, ut inter quos disseritur, conueniat quid sit id de quo disseratur, hoc positum in Phædro à Platone probauit Epicurus, sensitq; in omni disputatione id fieri oportere. Idem lib. de orato. 1. Ego uero, inquit, pergã, & id faciã, quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere sentio, ut quid sit illud de quo disputetur, explanetur, ne uagari & errare cogatur oratio, si ij qui inter se dissenserint, non idem esse illud de quo agitur intelligent. Cicero in lib. de perfect. orat. Nam & ipse Aristo. tradidit præcepta plurima disserendi, & postea qui Dialectici dicuntur spinosi ora multa pepererant. Ergo eum censeo, qui eloquentiæ laude ducatur, non esse earum rerum omnino rudem, &c. Hierony. in proœmio aduersus Pelagianos: Cum ille aliud defendat, aliud aduersarius petat. Sic fefellit Pelagius hæreticus catholicos, ut est apud Augustinum, quod aliâs aliter gratia nominis utebatur eo uno usus desperata sæpe causa perfugio. Hoc genus exempla in dialogis Platonis admodum crebra sunt. Gregorius Nazian. in principio lib. 3. de theologia: Quemadmodum aqua quæ non certis canalium marginibus dirigitur, sed per areæ diffunditur planitiem, euanescit: ita & res per sermonis uastitatem diffusa lectorem fallat. Plato in Phædro: Nisi auditorum quis ingenia nouerit, distinxeritq;, atq; res ipsas in species suas discreuerit, rursus singula. Ideæ una comprehenderit, nunquam dicendi artem quoad homini licet adipiscetur. D. Eras. lib. Ecclesi. 2. Proinde uidemus Aristotel. omnium philosophorum διδακτικώτατον ubiq; tum præcipue in Moralibus fuisse diligentissimum in explicandis ac distinguendis rerum uocabulis. De quibus nisi conueniat, cæca est disputatio, ac propemodum quod dici solet, Andabatarum pugna.

Quæ sint partes orationis, & quando, quibusq; utendum. Cap. XXIIII.



Reliquum est, de oratione, ut dicamus quot sint partes eius. Cicero libris illis, quos de rhetoricis adolescenti sibi rudes et imperfectos excidisse scribit, sex fecit. Eis quos postea uelut exactiori cura compositos ædidit, solum quatuor uoluit esse: quarum duæ rem docerent, narratio & confirmatio: duæ mouerent auditorem, exordium & peroratio. Aristoteles duas tantum (quæ necessariæ essent) putauit, propositionem & confirmationem: narrationem pro propositione esse, & non semper necessariam, nisi cum longior & perplexior res incidisset: exordium & perorationem (quemadmodum & Cicero sensit) non ad rem, sed auditorem pertinere: Sed illi de ciuili tantum orationi dixerunt, nos in uniuersum dicamus. Oratio quæ credentem habet auditorem, & sola expositione constat, sola expositione potest esse contenta. Ut sunt Aristotelis nonnulla.

nulla. Cuiusmodi est prædicamentorum protinus à re sumptum initium: Eorum quæ dicuntur, quædam complexim dicuntur, quædam sine complexione. Et posteriorum itidem: Omnis doctrina & omnis disciplina intellectiua, ex priore fit cognitione. Sic Cæsar libros belli Gallici incepit: Gallia omnis diuiditur in partes treis. Sed in illis forte alia sit ratio, quoniam commentarios solum & indices rerum uoluit esse illis, qui post essent ea scripturi. Vtcunque, tamen nihil est quod ad absolutionẽ operis extra desideretur. Vt plurimũ autẽ duas ferè partes habet hoc oratiõis genus. Exordium enim sæpe præponitur ornandi magis operis gratia, quàm quia res id exigat. Cicero quandoq;, in his præcipue quæ sine dialogo sunt, epilogum adiecit. Sed (ut dicimus) una tantum pars est necessaria. Quæ autem argumentatione cõstát oratio, duas habeat partes necesse est, expositionem & confirmationem. Expositionem quidem uel latius fusam, uel in propositionem collectam pro rei de qua disseritur qualitate. Proinde ut uel simplex est ea, uel uarijs partibus perplexa, & uel cognita est audienti, uel ignorata. Nec alias desiderat partes, si sit eiusmodi quæstio, de qua disseritur, quæ cognitionis sit solum: quanq; sic uel sic accipi, nihil intersit, & dicentis & audientis. Quin etiam ut actionis sit, si paratam habeat beneuolẽtiam, neq; gratiam sibi ex cuiusquam periculis petat, exordio non indiget: ut sunt laudationes, actiones gratiarum, & reliqua id genus. Cicero ergo acturus Quiritibus de reditu suo gratias, statim à re cœpit, Et Ausonius protinus: Ago tibi gratias imperator Auguste. Quod si dicentis existimatio ducetur in discrimen, si quid forte audientis offendet animum, præfandum erit nimirũ, & exordio muniendus contra obstantia qui dicit. Sic si fuerint in decursu dictiones exasperatę aures, placandæ erunt epilogo. Et enumeratione redigenda in summam quæ dicta sunt, si multa mentem memoriamq; audientis fugitura dixerimus. At ubi uel res auditoris agetur: uel is perinde tanquam agatur, fauebit aut oderit: nec iudicium solum audientis, sed prope certantis afferet aut inter dicendum accipiet studium: ibi quatuor partes orationis res ipsa poscet, duas captando auditoris animo paratas, duas rei docendæ. Quarum quæ ad docendum pertinent, narratio & confirmatio: hæc argumentatio est:

illa, expositio: de quibus satis multis (quatenus huius est instituti) diximus. Reliquæ duæ quæ permouendo destinãtur auditori, principium & peroratio, partim argumentatione constant, partim expositione. Principij tria ferè cõstat esse munera: ut beneuolum faciat auditorem, ut attentum, ut docilem. Quorum priora duo argumentatione propemodum conficiuntur, postremũ expositione. Perorationis item tria sunt, ut conciliet auditorem sibi, ut aduersario faciat infensum, ut collectis enumeratione capitibus rerum, quæ tota demonstrarit oratione, audientis ea memoriæ affigat. Quorum postremum expositionis habet naturam: priora similiora sunt argumentationi. Sane si demus sanctum & incorruptum auditorem, nõ gratiæ, non offensis obnoxium, sufficiet principio docilitas, & enumeratio perorationi. Ad illos, quorum animos, amor, ira, spes, metus, fauor, inuidia poterit auferre, reliqua adhibentur. Dociles facimus auditores, si breui summa quæ dicturi sumus, uelut oculis subijciamus, ostendamusq; ordinem rerum dicendarum, & in partes orationem diducamus. Enumerandi quoq; est expedita ratio, si firmamenta singularum argumentationum colligentes, dicamus, cum hæc & hæc probauerimus, non uidere nos, quid amplius quisquam de re dubitet, aut quid istis respondere aduersarius possit: aut aliqua figura alia utamur, cuiusmodi multæ ponũtur ab autoribus, & multo plures possunt fieri. Beneuolentia, odium, misericordia, ira, rebus quidem non distant in principio & peroratione: tractatione uero & eloquendi ratione multũ differunt. Lenius enim & modestius in principio proferunt se, nondum conciliato nobis aut ducto in partem nostram auditore. In peroratione uero cum flexus est oratione, accessitq; nobis, & pronis omnia animis accipit; tum ardent affectibus cuncta, tum obijcitur auditoris iræ aduersarius, tum nostras partes miseratio lachrymæq; commendant. Cum fiant autem hæc omnia affectuum permotione, quo pacto oporteat ea expediri, paulo post aperietur, cum in commune quæ pertinent ad affectuum naturam, & quæ sit ratio eorum tractandorum, dicemus. Ducenda sunt autem exordia, non ex his quæ causam confirmant, aut rem de qua quæritur docent: cõfirmatio enim fiet, non exordium: sed ex eis, quæ circa res personas'ue posita fauorem aut aliena-

alienationem audientis paratura uidentur: quibus non tam rem secutus, quàm animum suum, pronunciaturus forte sit de quæstione. Si quis autem peruiderit, quæ sit auditoris, de persona dicentis, de causa, de aduersarijs, opinio: quantum permotus aduersariorum oratione sit, quid in personis rebusq́; fauorabile aut infensum: facile uidebit, unde beneuolentia sibi concilianda, quomodo aduersarijs odium offundendum, quomodo conflatæ iam sibi inuidiæ occurrendum. Nec enim solum datur opera, ut audientis nobis animum adiungamus, sed ut alienatum etiam nobis exasperatumq́; placemus. Quod si quando breuiter in exordio capita aliqua nostrarum aut aduersæ partis argumentationum perstringimus, quod persæpe fieri solet, cum uehementius adductus aduersariorum oratione uidetur auditor, non facimus id tamẽ, quo probare uelimus ibi, aut confirmare causam: sed ut spem faciamus hac qualicunque labefactatione, postea nos omnia demonstraturos. Demetrius itaque apud Liuium Persi fratri responsurus, lachrymas fratris apud patrem, quem iam pridem magis secundum Persen sentire credebat, quoniam uidebatur illis maxime ualuisse, primum inuasit, aliqua tum ex parte. Deinde in reliqua incurrit. Benignius enim oportet audiatur cum uberius in singulis ea prosequitur, ubi omniũ simul, quantulũcunq;, aliqua tñ ex parte ante subleuauerit fidẽ. Sic Quintilianus in pariete palmato, ingẽs domus spaciũ cruore notatũ. & noctem electã sceleri, & gladiũ adolescentis relictum, & uno uulnere peractum scelus, & institutũ filium hæredẽ, cũcta uelut delibãs, aperit sibi iudicũ aures, facilioreq́; uiã defensioni suæ sternit. Perorationis aũt ferè hæc est ratio. Primũ causæ fides enumeratione firmaẗ, si tñ ea sit causa, quæ propter magnitudinẽ suã hanc diligentiã postulet. Postea approbata iã causa, tũ liberius effertur oratio, & scelus rei augendo exaggerãdoq́; accusator insectaẗ. Quandoq; conditionẽ eius etiã deflet, qui accepisse iniuriã dicitur. Contra reus, ubi iã defendit se, tũ peroratione durã miserandamq́; sortẽ suam ostendit, cui innocenti immerito pericula struantur: & graues casus, qui se maneant damnatũ: & preces lachrymasq́;, & omnia mouẽdæ misericordiæ experitur. Nonnunq̃ & conspirationẽ contra se aduersariorũ, & crudelitatẽ premit: qui odia sua periculis & exitio cupiant

inno-

innocentis explere. Quæ omnia suas capiunt quæstiones inueniendiq́ue ratione (ut prius ostendimus) nihil ab aliis differunt: eloquendi uero genere plurimū. In affectibus enim præcipue regnat eloquentia. Nam quieta compositaq́ue mens auditoris, quamuis sedata oratione optime docebitur. Vis tamen omnis impetusq́ue dicendi & fulgura illa tonitruaq́ue orationis, qualia fuisse in Pericle memorant autores, quæ non impellant modo, sed auferant eripiantq́ue sedibus suis animos: ea sunt omnia, mouendis, turbandis, miscēdisq́ue affectibus parata. Quæ sint ergo species orationis, & quid sit argumentatio, quid expositio, quot partes habeat oratio, & quando usu ueniant, quibus'ue constent, hoc modo nobis sit explicatum.

IN CAPVT XXIIII.

Qvos de rhetoricis adolescenti sibi rudes.) Cicero principio lib. de oratore primi. *Cum quædam pueris, aut adolescentulis nobis, ex commētariis nostris inchoata atq; rudia exciderunt.* Quintil. lib. 3. cap. 1. & 8. *Nisi & rhetoricos suos ipse adolescenti sibi elapsos diceret* Politianus *Miscella.* cap. 27. *Sex fecit.)* Cicero lib. de inuentione primo: *Hæ partes sex esse omnino nobis uidentur exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehensio, conclusio.* *Aristoteles duas tantum.)* Lib. rhetoricorum 3. cap. 13. de partibus orationis, & citat eundē locū Fabius lib. 12. cap. 10. *Areopagitæ* (ut Trophonius ait) *narrationē & cōfirmationē solas admittebāt ad quos cū orator accedebat causam dicturus, præ foribus præcone exordio atq; peroratione uteretur præscribebat, inquiens* μὴ προοιμιάζειν μηδ' ἐπιλογεῖν *ne procemio neue epilogo utare.* *Epilogum adiecit.)* Vt uidere est in calce lib. 3. Officiorum. *Nec aliās desiderat partes.)* Verbum desiderat pro supposito habet oratio, *quæ argumentatione constat.* *Quæ cognitionis sit solum.)* Supra lib. 1. ca. 11. & lib. 2. cap. item 2. *Et enumeratione redigenda in summam.)* Hunc ad modum: *Iam uero cum multa sunt & diffuse tractata, age nos quoq; breui quapiam enumeratione omnia in memoriam reuocemus. Colligamus igitur rerum quas diximus summam. Vt igitur causam omnem in pauca contraham: Vt ergo cūcta quasi in memoriam redigamus. Vt semel finiam, ut semel omnia complectar. Hæc huc tendunt. In summa. Ad summā.* Diligenter etiam obseruādum est ut quicq; primum dictum est, primum complectamur, breuiq; concludamus. Ex enumeratione enim certū & constans aliquid relinquamus oportet, ut intelligatur quid propositum in narratione sit, quid deinde ratione, quid cōfirmatione, quid tota deniq; argumentatione demonstratum. *Ibi quatuor partes orationis res ipsa poscet.)* Lege Platonem in Phædro & Ciceronem in partitionibus, unde ista desumpta sunt omnia. *Principij tria ferè constat esse munera.)* Cicero lib. de oratore 2. *Quæ enim præcepta principiorum, & narrationum esse uoluerunt ea in totis orationibus sunt conseruanda. Nam & ego mihi beneuolum iudicem facilius facere possum, cum sum in cursu orationis, quam cum omnia sunt inaudita, docilem autem non cum polliceor me demonstraturum, sed tum cum doceo, & explano, attentum uero crebro tota actione, excitandis mentibus iudicum, non prima denunciatione efficere poßimus. Iam uero narrationemq́; iubent, uerisimilem esse, apertam & breuem,* recte nos

recte nos admonent, quòd hæc narrationis magis putēt esse propria quàm totius orationis, ualde mihi uidentur errare. Vt beneuolum faciat auditorem, ut attentum, ut docilem.) Cicero in partitionibus & in rhetoricis item lib. 1. copiosius simul & apertius ista commemorat. Erasmus Rot. lib. Eccles. 2. Quemadmodum igitur recte faciunt, qui scripturæ locum adhibent pro exordio, modo id faciant apposite: ita nequaq̄ est illis assentiendum, qui putāt nō esse phas aliter exordiri. Frequenter enim incidūt occasiones, ut expediat aliter exordiri. Quēadmodum M. Tul. dicturus pro Milone, non statim conciliat attentionem, docilitatem ac beneuolentiam, sed prius exprimit metum iudicibus: ita Petrus in Actis Apostolorum, multitudini tumultuanti Christum annunciaturus, non statim orditur à prophetia Iohelis, sed prius amouet falsum rumorem à quibusdam sparsum, eos qui uarijs linguis loquebantur musto onustos sic delirare. Ad illos quorum animus, ira, spes, metus.) Quintilianus lib. 2. cap. 18. Nam si mihi sapientes iudices dentur, sapientum conciones, atq; omne concilium, nihil inuidia ualeat, nihil gratia, nihil opinio præsumpta falsiq; testes, perquàm sit exiguus eloquentiæ locus qui prope in sola delectatione ponatur. Sin & audientium mobiles animi, & tot malis obnoxia ueritas, arte pugnandum est, & adhibēda quæ prosunt, nec enim qui recta uia depulsus est, reduci ad eam, nisi alio flexu potest. Idem lib. 12. cap. 10. Enumerandi quoq; est expedita ratio.) Cicero in calce lib. prioris de inuētione: Enumeratio, inquit, est per quam res disperse, & diffuse dictæ unum in locum coguntur, & reminiscendi causa unum sub aspectum subijciuntur, & quæ sequuntur, unde hæc sequentia mutuatus est Rodolphus. Et hæc probauerimus.) Et illud Ciceronis ex loco modo à nobis citato: Docuimus hoc, illud planum fecimus. Aut aliqua figura utamur.) Nempe, nisi fallor, transitione. Tum ardent affectibus cuncta.) Quintilianus lib. 6. cap. 2. in calce. Miseratio lachrymæq; commēdant.) Cicero in calce lib. 1. de inuent. Lege quæ annotauimus in huius lib. cap. 4. circa locum eum ubi dicit: Duo sint oportet in misericordia mouēda. Lachrymas fratris apud patrē.) Titus Liuius belli Macedonici & Asiatici lib. 10. Omnia quæ reorum antea fuerant auxilia, pater præoccupauit accusator, simulatisq; lachrymis in alterius perniciem ueras meas lachrymas suspectas tibi fecit. Perorationis autem fermè hæc est ratio.) Quintilianus lib. 6. cap. 1. Georgius Trapezontius lib. 5. rhetoricorum sub finem.

Quandoq; conditionem eius deflet.) Vide libri huius cap. 4. Qualia fuisse in Pericle memorant autores.) De ijs qui uelit copiosius edoceri, legat D. Eras. Roterod. Chiliad. adagio: Sedecim pedibus superauit. In affectibus enim præcipue regnat eloquentia.) Cicero in Bruto: Vt enim ex neruorum sono in fidibus quàm scienter ij pulsi sint intelligi solet: Sic ex animorum motu cernitur quid tractandis ijs proficiat orator. Quæ sint ergo species orationis.) ἀνακεφαλαίωσις est qua perstringit ea quæ ab huius libri cap. 15. in hunc usq; finem fusius edisseruit.

Quod nulli ꝓprij rhetorices sunt inuētionis loci. Cap. XXV.



Vlla ferè quæstio iustius animo lectoris occurrere toto opere potuisset, quàm cum omnibus prope locis oratorum poëtarumq; exemplis simus usi, ecquā credamus esse inter dialecticos rhetoricosq; locos differentiam: de qua nūc potissimū dicturi uidemur,

cum tractatum locorum, hoc est, quomodo sint ad inuentionem loci accommodandi, sumus tradituri. Nam de inuentione (quam nos his libris aperire conamur, quamq; dialectico tribuimus) rhetores plura quàm dialecticorum quisquam, præceperunt: & locos magna ex parte eosdem quos priore libro descripsi. Cicero & Quintilianus, itemq; alij qui rhetorica complexi sunt, inseruerunt libris suis: & præter hos & alios quosdã, quos attributa personarum & rerum uocant, uelut proprios rhetoris fecerũt locos. Et Boëtius sic esse putauit, sic tradidit: cum in quarto libro Topicorum hanc ipsam tractaret quæstionem. Si uiderimus autem, quod sit proprium dialectici, quod rhetoris officium, quæ sit utriq; præscripta professio, non erit difficile uidere, utrius horũ sit differere de locis: aut si sit utriusque, quo pacto tractandos eos, hic sibi uel ille uendicabit. Et de dialectice quidem, quod credamus esse munus illius, satis multis superius executi sumus. Oratorem uel rhetora (eadem est enim nominis utriusque uis) quidam uoluerunt esse, qui de qualibet re posset apte ornateq; dicere. Quod si statuissent sic, ut commoditas ipsa cultusq; orationis, solius rhetoris esset labor: ea uero de quibus dissereret, suis quæq; artibus relinquerent: esset aliquid fortasse quod dicitur. Sed illis parum uisum est splendide ornateq; dicendi laudem per se amplissimam oratori tribuere: nisi reliquarum omnium artium cumulum prope immensum, iuri illius ditioniq; subdidissent. Neque consummatum eum dignum'ue tanto putauerunt nomine; nisi idem de omnibus rectissime sentiret, optime diceret. Quod si detur, fingamus'que tam felicis ingenij mortale aliquod esse pectus, ut artes, quibus nec singulis plene perdiscendis ullius hominis sufficit ætas, eas omneis unius studium possit assequi, memoria complecti: fatendum tamen erit, si tum de oratoris officio quæratur, non quæsitum iri de eo tanquàm de discretæ alicuius certæ'que artis, sed tanquam de hominis officio, qui cunctas artes teneat animo comprehensas. Sed cum non donemus rhetoris nomine eum, qui reliquas artes omnes perdidicerit: neque quicquam illi negocij cum rhetorice putemus esse, nisi uiam rationemq; bene dicendi calleat: contra uero qui sit hac instructus, & solam ciuilium quæstionum peritiam teneat, minimam utiq; artium humanarum partem:

tem: cum hic laudi rhetoris sibi nomen audeat asciscere, isq; ipse solus sit, quem rhetorum omnium libri doceant & absoluant, multo uidebuntur arctius rhetorices contrahi fines. Aristoteles ergo ciuilis scientiæ partem rhetoricen uocat. Hermogenes etiam de ciuilibus solum quæstionibus dicere, rhetoris cẽset esse. Cicero & Quintilianus, quamuis aliud disputarint, non aliud tamen docent. Equidem non negauerim eum qui sit de ciuilibus quæstionibus, hoc est, de omnibus quæ in repub. quærentur, prudenter ornateq; dicturus: & qui de pacis bellíq; rebus, & de legibus, omni'que iuris diuini, & humani, publici priuatíq; ratione, disserere possit, multis magnisq; instructum artibus esse oportere. Sed quotusquisq; fuit talis? Quanquam enim Cicero, præterq; illum alter tertius'ue possint hoc in genere numerari: reliqui dicere solum sui negocij putabunt. Res si quæ reconditiores essent, ab his mutuari, qui profiterentur, malebant. Et sicut Cicero ait Gallum dicere solitum, si quando quæstio incidisset, in qua non de iure sed de facto quæreretur: nihil hoc ad ius, inquit, sed ad Ciceronem: ita illi, si quando quæstio proferebatur, in qua de iure, non de facto esset contentio: illi tanquam nihil id ad Ciceronem, ad Gallum reijciebant. Vocem tantum uerbáq; commodabat orator, res à iuriscõsulto petebantur. Itaque apud Græcos erant, quos πραγματικοὺς uocabant: & Romæ iurisconsultus aderat, qui dicenti res (ut Quintilianus inquit) uelut telam texenti ministrabat. Aut igitur non erant rhetores isti, aut si fuerunt, cum præstarent id quod solum in rhetorum didicerant scholis, cunque & ipsi se rhetoras esse uellent, & populus putaret, uidetur sola dicendi ratio ad rhetora pertinere. Et sane qui non habet eam, quantumuis sit aliarum artium cumulum consecutus, non habebitur utique rhetor. Cum ueniat ergo ab ea sola rhetoris nomen, sola uidetur, quam proprium sit præstare rhetoris: cui quidem rhetorices etiam uocabulum consentit, quod à dicendi munere tributum esse Græci nominis indicat origo. Quod si omnia uelimus intra rhetorices ambitum claudere, quæcunque sunt in foro dicturo necessaria: & grammaticam, & iuris uel peritiam uel non inscitiam saltem, exempla, monumentáq; uetustatis, & reliqua id genus rhetorices putabimus partes: quas multum & inter se & à rhetorice di-

stantes, artium discretæ professiones, & rerum ipsa natura demonstrat. Nec me latet, eum qui diceret in foro, semper uocatū esse rhetora: nec uel Homerum, uel Thucydidem, uel Platonem, quanquam fuerint isti quisque in suo genere facundissimi, quisquam hoc nomine uocauit. Sed ut modo diximus, rhetor ad hunc popularem morem loquendi *hominis multarum artium periti, non artis unius est nomen. Qui uolet autem suis finibus cunctas artes includere, cum uideat omnes quæ uel cognitionis sunt uel actionis, intra præscriptum suarum præceptionum comprehēsas esse, haud difficulter perspiciet, eas quæ pertinent ad dicendi rationem (quas λογικὰς Græci, nos rationales uocamus) & materiæ quam docent, & preceptionum genere, ab alijs esse discretas. Cum sunt autem (ut alio loco diximus) tria, quibus perfecta constet oratio, quæ sunt, emendatio sermonis, probabilitas dictionis, & elocutionis ornatus: quorum cum primum grammatice doceat, secundum dialectice, tertium cui tribuam nisi rhetoricæ, prorsus non inuenio. Nam si dialectices est munus, inuenire, quæ de re qualibet probabiliter dicuntur (quemadmodum Aristoteles magnic̄ꝫ post eum senserunt autores) inuentaq́ꝫ dijudicare: si recte probeq́ꝫ doceat id dialectice, nihil erit utiq; necesse, nouam ullam de inuentione rhetori inferre mentionem. Sed perspicuitas solum, compositio, cultusq́ꝫ orationis, suus futura sunt labor. Nec quisquam propterea nudum me putet rhetora & inopem destituere: Nam quisquis uidebit, quantum negocij habeat eloquendi ratio, quantum iudicij: cum & sua poëtis, sua historiæ danda sit: suam philosophia, suam ciuilis oratio postulet: & uniuscuiusque generis uariæ sint adhuc multiplicesq́ꝫ differentiæ. Maximumq́ꝫ discrimen est apud poëtas, quomodo Heroici carminis expleatur sonus, quomodo lene illud molleq́ꝫ elegorū sculpatur, qua dictione tragœdia, qua comœdia, qua lyricorum libertas constet. Sic & in reliquis generibus longa est diuersitas: quæ cūcta quàm magnum habeant negocium, uel hinc facile liquet, quod cum in reliquis quæ pertinent ad dicendum, permulti, qui uel morosissimis satisfacerent desiderijs, reperti sint: sola eloquendi ratio semper fuit, in qua paucissimi potuerunt, consentiente omnium iudicio, laudem mereri. Si sola igitur elocutio propria rhetorices

*Videtur legendum: Nō hominis multarū artium periti, sed artis unius est nomen.

rhetorices est, quid ita tam multa de inuentione tradiderunt, quicunque scripsere rhetorica? Dicam quod sentio: Primum puto, eis qui rhetorica tractauerunt, nec inuentionem, nec elocutionem tanquam proprium munus explicandam fuisse. Quoniam qui rhetores uocati sunt, ij fuerunt, qui ciuiles tractauerunt quæstiones. Circa quas omnis labor eorum curáq; uersata est. Cum utantur autem omnes artes elocutione & inuentione, non poterit utique proprium illorum esse, quod erat omnium commune. Sed quia reliquas artes, quæ ad eruditionem pertinent, animi causa quisq; discebat: nec quisquam ob id, nisi naturæ ingenijq; ui extimulante, tracta bat eas: ideo quisquis non optime sperabat de ingenio suo, ne attingebat quidem. Sic quæ inuenienda in eis essent, quomodo eloquendum, quisq; cum animo suo deliberabat: in locumq; artis exactissimæ, succedebat optima natura. Proxima erat artis loco, imitatio eius, qui aliqua cum laude rem eãdem tractasset. Ciuilis uero ratio, quoniam cœpit in Græcia in quæstu esse, subnixi'que ciuium clientumq; gratia incedebant, ut quisq; pollebat plurimum in ciuitate dicẽdo: incessit passim cupido cunctis: nec quisquam quid posset iam, sed quantum cuperet, spectabat: uolebantq; bene dicere omnes, et cito uolebant: quare ab arte fuit eis præsidium petendum, quibus natura segnior erat. Cœperunt igitur disci doceriq; ista. Vsu enim atque honore, quibus maxime aluntur artes, eisdem natas etiam primum esse certum est. Cum ueniant autem tales plerunq; quæstiones in forum, de quibus nihil perpetuum pręcipi possit, sed contentione dicendiq; ui trahantur in quamuis partem: fuit idcirco tradenda communis quædã inueniendi ratio, conueniens omnibus quęstionibus: quę quidem rectissime peteretur à dialectico, si tradita iam tum fuisset: sed multo pòst secutus est Aristoteles, qui primus eam in artis formam cogere adorsus est. Sic etiam quia splendor & cultus orationis maxime dominabatur in animis liberorum populorum, apud quos sustulit se primum plurimumq; semper ualuit eloquẽtia: hanc quoq; partem adiecerunt, tandemq; longa temporis possessione, uelut usucapione, uerterũt in rem suam ista, cum non esset eorum alius assertor. Cum sit enim aliarũ artium præcipueq; poëtarum, sua quędam & discreta à forensi dictione eloquẽtia: quam neq; Aristoteles,

neque ueterum quisquam qui rhetorica scripsit attigit: cumq; habeat omnis eloquentia commune quiddam tanquam genus, quod ad unius artis tractatum pertineat: perspicuum est, eos eloquētiam non uelut suum propriumq́; negocium, sed quatenus usui rebus'que suis conduceret, executos esse. Quod si sit ergo eloquendi ratio (siue rhetoricen eam seu quocunq; uelimus alio nomine uocare) & dialectice, cui inuentionē, iudiciumq́; tribuimus, inter se altera ab altera, & utraq; à ciuilium quęstionū ratione discreta, sicut & à reliquis discernuntur artibus, quę sibi utendas eas accipiunt: paratum est uidere, non esse ullam dialecticorum rhetoricorumq́; locorum differentiam. Nam elocutio quidem nullos habet locos: rhetor autem forensis ille à dialectico mutuetur eos oportet. Ea uero quæ personarum & rerum attributa dixerunt, ad quos locos ex his quos descripsimus redigantur, planum erit, qui singulos uolet scrutari. Conueniūt autem solis coniecturalibus causis. Qui quęret enim, an possit ciuitate R. donari is, cuius populus fundus factus non fuisset, id est, cuius populus Romanis legibus non uteretur: quod in Cornelij causa quęsitū est: & an uis sit, metu armorum à possessione sua deterrere quenquam, quod in Cecinnæ iudicio fuit: quid habebit hic, quod ex attributis illis personarū aut rerum dicat? Nihil profecto, quo pacto hæc attributa à rhetoribus describuntur. In his ergo si uolet inuenire ex locis aliquid, & non præparatis argumentationibus uti, quas artium scriptores tradunt, necesse est redeat ad dialecticum. Sic loci & omnis inueniendi doctrina, dialectices opus: eloquendi, rhetorices erit. Ciuilium quæstionum pars in legibus iureq́; ciuitatis posita, quę iuriscōsultorum libris continetur: & ne eam quidem qui rhetores uocabantur attingebant. Pars in communi sensu, & usu uitæ consistit, quæ apertior est, quàm ut artibus sit tradenda: aut si quid discendum est eis, à philosophis petitur. Inuentionem ergo, eam'que nec integram nec absolutam, elocutionemq́; quatenus instituto suo conducebat, complexi sunt, futuras tamen aliarum artium particulas, si quis totas eas uoluisset explicare. Hæc'que pro artibus suis habita sunt, quando sola hæc habuerunt, quæ possent artium specie docere. Laudandi tamen, agendæq́; in omne æuum gratiæ uiris illis: quippe quod dedissent illi initium, & ni forent hæc ab

eis in

eis in artium formam collecta, nemo forte alius colligere tentasset.

IN CAPVT XXV.

Cum tractatum locorum, hoc est, quo modo accommodandi sint ad inuentionem loci.) Vide lib. huius cap. 2. ubi hoc pollicetur se postea traditurum, id quod hic absoluit tandem. Rhetores plura quàm dialecticorum quisquam praeceperunt.) Idipsum hisce uerbis narratur lib. 2. cap. item 2. Quoniam autem pleraq; sibi rhetores de inuentione & plura etiam quàm quisquam dialecticorum dicenda sumpserunt. Idem Rhodolphus in oratione in studiorum ad hyemem innouatione: Itaq; mihi quidem sententia illorum minime uidetur uero abhorrere, qui quicquid orator sibi de inuentione usurpat, id proprium esse dialecticae putant. Quod si omnia uelimus:) Cicero: Etenim caeterae ferè artes se ipsae per se tuentur singulae, benedicere autem quod est scienter & perite & ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis septa teneatur. Ea uero quae personarum & rerum attributa dixerunt.) Quoniam huic argumento adhaeret circunstantiarum cognitio, quo res tota melius intelligatur, uisum est hic attingere paucis, quae rhetores de attributis praeceperunt, quando in his potißimum uersantur rudimenta inuentionis dialecticae. Si enim attributa praescripta diligenter perdiscant studiosi, magnam adinueniendi facultatem adiecerint accesßionem.

Περιςάσεις.

Genus, Natio, Patria, Sexus, Cognatio, Aetas, Educatio siue Disciplina, Habitus corporis, Fortuna, Conditio, Animi natura, Victus, Studia, Affectiones, Affectationes, Anteacta dictaq;, Commotio, Consilia, Habitus animi, Nomen, Causa, Locus, Tempus, Occasio, Casus, Facultas, Antecedentia rem, adiuncta, Consequentia, Instrumentum, Modus, Signum. Iuriscon. in L. aut facta de poenis enumerat septem circunstantias, causam, personam, locum, tempus, quantitatem, qualitatem, & euentum.

PROPAEDEVMATVM DIALECTICAE INuentionis opusculum sanè quàm frugiferũ, iuxta ac necessarium, circunstantias siue attributa personarum & rerum, ad locos Rodolphi Agricolae Phrisij redacta, simul & exemplis aliquot omnis generis adiectis enodatius explicata, compendio pertractans, per Alardum Aemstelredamum.

Ad quos locos ex his, quos descripsimus redigantur, planum erit, qui singulos uolet scrutari. Conueniunt autem solis coniecturalib. causis.) Fab. Quintil. lib. 7. cap. 4. Ducitur coniectura primum à praeteritis. In his sunt personae, causae, consilia. Nam is ordo est, ut facere uoluerit, potuerit, fecerit. Rodol. Agri. lib. 1. inuenti dialect. cap. 14. Quae causa est, quòd in ijs controuersijs, quibus factum nec ne sit aliquid quaeritur, colligi solet, uoluerit, deinde potuerit ne quis facere id, quod arguitur fecisse, quae si probata fuerint, facillima est ei quod tertium sumi solet, id est, quod fecerit probandi uia. Hoc egregiè facit Cicero pro Milone, & C. Roscio Amerino.

Loci

Loci Rodolphi.

Causa efficiens, euenta, connexa, contingentia.

GEnus siue natales. Nam similes aut dissimiles maiorum filij sunt. Nec raro ad honestè turpiterq; uitam instituendam, inde caussæ fluunt. Cicero pro Sex. Roscio Amerino: Sic se res habet iudices, magnam uim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusq; sanguis: ex quo si qua macula concepta est, non modo leniri non potest, uerum usq; eò promanat ad animum, ut summus furor atq; amentia consequatur. Sic & progenitorum infamia grauat improbos filios. Nam Ioannes Baptista in euang. Iudæos malos è malis progenitos appellat progeniem uiperarum. Et nobilitati respondisse, aut obscurius genus illustrasse, suaq; sibi uirtute nobilitatem parasse pulchrum. Iliados 14. Diomedes nescio quid persuasurus principibus, primum recenset natalitium splendorem, virosq; strenuos, unde duxerit originem, ac mox subiungit: Hæc ut uera sunt, ita mihi commemoranda, uobis audienda fuerunt: ne uos existimetis humilib. me ortum natalib. esse, ne'ue degenerasse credentes, nostram contemneretis adhortationem. Homerus Ιλ. α. παῦροι γάρ τοι παῖδες ὅμοιοι πατρὶ οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους, id est, Pauci gnati similes patri sunt, plures peiores, pauci uerò patre meliores. Idem lib. Iliad. 6. οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα πηλεύς. Iliad. π. οὐδὲ θέτις μήτηρ γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα, πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής, id est,

Non eques ipse pater fuerat me iudice Peleus,
Non Thetis est genitrix: glaucum te protulit æquor,
Aëriæ rupes; mens quòd tibi dura, feroxq;. Verg. 4. Aeneid.
Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus autor
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, hircaniq; admorunt ubera tigres. Theocri. in Aepolo de Cupidine:
ἦρα λεαίνας μασδὸν ἐθήλαζε, δρυμῷ τέ μιν ἔτρεφε μάτηρ, id est, Scilicet ille leænæ
Vbera suxit, & in nemore hunc genitrix fera pauit. Vergil. lib. Aeneid. 10.
Indignum est Italos Troiam circundare flammis
Nascentem, & patria Turnum consistere terra.
Cui Pelumnus auus, cui diua Venilia mater. Euripides: φεῦ φεῦ, παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός, id est, heus heus ut illud dictitant rectè, probum patre ab improbo non posse nasci filium. Vergilius: Sate sanguine Diuûm. Mecœnas atauis ædite regibus. Horat. lib. 4. car. Fortes creantur fortibus, & bonis Est in iumentis est in equis patrum uirtus, Nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Terent. in Phor. Bonam bonis prognatam. Διογένης μειράκιον ἐκστατικὸν ἰδὼν καὶ περιφρονοῦν ἔφη νεανίσκε ὁ πατὴρ μεθύων σε ἔσπειρε, id est, Diogenes adolescentulum stupidum prorsusq; desipientem intuitus, Adolescentule ait, temulentus te pater progenuit. Cicero pro Sextio: Parente Pub. Sextius est natus iudices homine (ut plerique meministis) & sapiente & sancto & seuero. Idem pro L. Murena & pro L. Flacco. Teren. Heauton. Id quod est consimilis moribus, Conuinces facile ex te natum. Nam tui similis est probe, Nam illi nihil uitij est relictum quin id itidem sit tibi. Tum præterea talem nisi tu nulla pareret. οὐ παῖς Ἀχιλλέως ἀλλ' Ἀχιλλεὺς αὐτὸς εἶ, id est, haud satus Achille, uerum Achilles ipsus es. Vergil. 2. Aeneid. At non ille satum quo te mentiris Achilles, Talis in hoste fuit. κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, id est, mali corui malum ouum. Præclarus, inquit Plato, thezaurus progenitorum uirtutes, sed præclarius est huic op

ponere

ponere posse Sthenei dictum. Atqui nos patribus longe præstamus auiśq;. Iuuenalis saty. 8. Quid Catilina tuis natalibus atq; Cethegi. Inuenit quisquam sublimius? Homerus Iliados 4. Iuno ad Iouem: καὶ γὰρ ἐγὼ θεός εἰμι γένος δέ μοι ἔνθεν ὅθεν σοι, id est, Ipsa etiam dea sum genus inde mihi, Vnde tibi ortus. Verg. lib. Aeneid. 7. Ab Ioue principium generis Ioue Dardana pubes, Gaudet auo, rex ipse Iouis de gente suprema Troius Aeneas. Actorum 17. Sicut & quidam uestratium poëtarum dixerūt: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Nam huius progenies etiam sumus. Ezech. 16. Radix tua & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Daniel 13. ad presbiterum &c. delinquentem, & adulterio homicidium iungentem, Semén, inquit, Chanaan & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. Roma. 11. Quod si primitiæ sanctæ, sancta est & conspersio. Et si radix sancta, sancti erunt & rami. Vergil. lib. Aenei. 5. Dardanidæ magni genus alto à sanguine diuum. Plaut. Is ex se hunc reliquit, qui hic habitat, filium pariter moratum ut pater atq; auus eius fuit. Plaut. Pseud. Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum esse probiorem quàm ipsus fuerit, postulet. Id ne tu miraris si patrissat filius. 1. Regum 20. Iratus autem Saul aduersum Ionathan dixit ei: Fili mulieris ultro uirum rapientis, nunquid ignoro quia diligis filium Isai. Saul Ionathæ matrem pro adultera appellat mulierem ultro uirum rapientem significans, eum non esse legitimum sed suppositititium. C. Lælius cuidam malo genere nato, obijcienti sibi quòd indignus esset suis maioribus. At Hercle, inquit, tu tuis dignus es. Id si dicas bono uiro ex bonis prognato laus est, sin malo ex malis prognato graue couitium est. 1. Reg. 18. Et ait Dauid: Num parum uidetur uobis generum esse regis? ego autem sum pauper & tenuis?

Natio. Locus.

Nam singularum gentium propria quædam studia, proprij mores & peculiares notæ sunt, & aliud in alio probabile est. Huc refer quod scribit Herodotus in calce libri ultimi, φιλέειν γὰρ ἐκ τῶν μαλακῶν χώρων μαλακοὺς γίνεσθαι, οὐ γάρ τοι αὐτῆς εἶναι καρπόν τε θαυμαστὸν φύειν καὶ ἄνδρας ἀγαθοὺς τὰ πολέμια, id est, ex mollibus enim regionibus molles homines nasci solere. Neq; enim eiusdem esse terræ fructum egregium producere, & uiros in re bellica præstātes. Aphthonius sophista in uituperationem Philippi: προῆλθεν μὲν καὶ ἔθνους ὃ τῶν βαρβάρων κάκιστον χείριστον, id est, natus est ex ea gente quæ pessima est omnium barbarorum. Plautus in Penulo: Pœnus plane est, quid uerbis opus est. Vergil. 1. Aeneid. Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni. Homerus odyss. 2. δὴ τότε φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδὼς τρώκτης. Dionysius in epistola ad Rufum scholasticum: λόγος ἐστὶ παλαιὸς μὴ ῥαδίως ἀληθεύειν τοὺς Κίλικας, id est, Vetus uerbum est, Cilices haud facile uerum dicere. Adagio: Siculus uel samia furatur. Cicero 8. philippica: Iudices legit Græcos, concessum iudicum præclarum. Cicero in oratione pro M. Fonteio de Gallis. Idem pro Val. Fla. & L. Murena de Græcis Asiaticisq;. Adagio: Semper ad pocula Leontini. Epimenidis: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται κακὰ θηρία γαστέρες ἀργαί, id est, Cretenses uani usq;, malæ feræ, alui inertes. Paulus in epistola quam scripsit ad Titū. M. Tullij pater dicebat Italos similes esse Syrorum uenalium, quorum ut quisq; sciret optime Græce, ita esse nequißimum. Sentiens una cum literis Græcorum mores ad Latinos demigrare. Vnde quod M. Tullius fuit iniquior Græce nationi, propemodū uideri poßit illi fuisse hæreditarium. Cuidam dicenti Antisthenem philosophum, matre Threicia prognatum esse, ueluti hoc probrum impingenti uiro quod Hybrida esset, patre quidem Atheniensi, sed matre barbara. Quid, inquit, an tu putas uirum adeo præclarum ex utroque parente Atheniensi

nasci potuisse? Notās corruptißimos Atheniensium mores, ut citius è Thrace Scytha'ue nasci posset uir probus, quàm ex Atheniensi. Et hoc quod habebat probitatis Antisthenes, matri tribuendum putauit. Cicero in Verr. 7. actio. Huccine tandem hæc omnia reciderunt, ut ciuis Romanus in prouincia Po. Ro. in oppido fœderatorum ab eo qui beneficio Po. Ro. fasces ac secures habent deligatus in foro uirgis cæderetur? Vide Gellium lib. 10. cap. 3. Cice. pro Ligario: Hoc egit ciuis Romanus ante te nemo, externi isti mores usq; ad sanguinem, incitare solent odium, aut leuium Græcorum aut immanium barbarorum. Cicero pro Milone: Comites Græculi quocunq; ibat etiā cum in castra Aethrusca properabat. Thales Milesius triū maxime rerum causa fortunæ gratias agebat, primum quòd homo non bellua, deinde quòd uir non mulier, postremo quòd Græcus natus esset, non barbarus. Philip. 3. Israël ex genere tribus Beniamin, Hebræus ex Hebræis iuxta legem Pharisæus. Esaiæ 1. Cognouit, inquit, bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël autem non cognouit me, & populus meus non intellexit. Gal. 1. Si tu, cum sis Iudæus, gentiliter uiuis, ac non Iudaice, cur gentes cogis Iudaizare?

Patria. Locus.

Similiter etiam patrij mores, ciuitatum leges, instituta, opiniones, neq; parum differentiæ neq; nihil momenti habent, uel ad recte uiuendum secus'ue, uel ad probandum aut improbandum. Plutarchus in apophtegmatis: ἀλλ᾽ οὔτ᾽ ἂν ἐγὼ σερίφιος ὢν ἐγενόμην ἔνδοξος οὔτε σὺ ἀθηναῖος. Cicero de Senectute: Themistoclem ferunt Seriphio cuidam in iurgio respondisse, cum ille dixisset. Non cum sua, sed patriæ gloria splendorem assecutum. Nec hercle, inquit, si ego Seriphius essem, nobilis, nec si tu Atheniēsis esses clarus unquam fuisses. Non obstitit Anacharsidi Scythæ quo minus sit in admiratione, interq; sapientes numeretur, tametsi genere barbarus esset. Huic quum quidam exprobraret quod genere barbarus esset, ac Scytha. Multis quidem, inquit, patria dedecori est, tu uero patriæ. Pulchre retaxans hominem ex sese nihili, nec alia re superbientem quàm patria. Liuius 7. quartæ decad. Num id aurum in ludos consumis in urbe Rom. Cicero pro Archia: Nam ut primum ex pueris excesßit Archias, atque ab his artibus quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit, primum Anthiochiæ (nam ibi natus est loco nobili, celebri quondam urbe, & copiosa, atque eruditißimis hominibus, liberalißimisq; studijs affluenti) celeriter antecellere omnibus ingenij gloria contigit. Persius: Ecce inter pocula quærunt Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent. Vergilius libro Aeneid. 3. Sum patria ex Ithaca comes infelicis Vlyßi Nomine Achæmenides. Seneca epistola 52. Quemadmodum aliqua uestis sapienti ac probo uiro magis conuenit, quàm alia, nec ullum colorem ille odit, sed aliquem putat parum aptum esse frugalitatem professo. Sic regio quoque est, quam sapiens uir, aut ad sapientiam tendens declinet, tanquam alienam bonis moribus. Ioannis 1. A Nazareth potest aliquid boni esse? Ioannis 4. Quomodo tu Iudæus cum sis potum à me poscis quæ sum mulier Samaritana? Ioannis 7. Num à Galilæa ueniet Christus? Lucas in actis cap. 16. Cæsos nos publice, indicta causa, cum simus Rhomani, coniecerunt in carcerem, & nunc occulte nos eijciunt. Erasmus Roterodanus libro Ecclesiastæ secundo: Niniuitæ populus barbarus, & à dei religione alienus, ad comminationem Ionæ prophetæ ignoti conuersi sunt ad pœnitentiam. Iudæi lege edocti, prophetarum uaticinijs instructi, prophetarum dominum, apud ipsos natum, tot miraculis celebrem, tam efficaci doctrina prouocantem ad pœnitentiam, non modo con-

ſo contempſerunt, uerum etiam occiderunt. Similiter regina Saba, mulier, & mulier barbara, tantum audita fama Solomonis, & auditum immenſis muneribus honorauit. Iudæi ad ipſos ultro uenientem tam admirabilem cœleſtis ſapientiæ doctorem conuitijs & omni genere contumeliarum proſecuti ſunt.

Sexus. Actus. Adiacentia. Contingentia. Connexa.

Nec enim idem in uiro æque ac muliere, aut probabile aut laudabile eſt, & contra, ut latrocinium facilius in uiro, ueneficium in fœmina credas. Titus Liuius libro quarto de bello Macedonico & Aſiat: Virorum hoc animos uulnerare poſſet, quid muliercularum cenſetis quas etiam parua mouent? Terentius Eunucho: Iam hæc tibi aderit ſupplicans ultro. A. Credin? R. Imo certe noui ingenium mulierum, nolunt ubi uelis, ubi nolis cupiunt ultro. Idem ut ſtultæ & miſeræ omnes ſumus religioſe. Terentius Heautontimorumenon: Matres omnes filijs in peccato adiutrices, & auxilio in paterna iniuria eſſe ſolent. Cicero pro Sextio: Mortem quam etiam uirgines Athenienſis regis opinor Erychthæi filij pro patria contempſiſſe dicuntur, ego uir conſularis timerem? Iuuenalis ſatyra decimatertia: Vindicta nemo magis gaudet quam fœmina. Ennius: Vos etenim iuuenes animos geritis muliebres. Illaq; uirgo uiri. γυνὴ γυναικὸς πώποτ' οὐδὲν διαφέρει, id eſt, A fœmina nihil fœmina unquam diſcrepat. Homerus ιλ. η. ὤμοι ἀπειλητῆρες ἀχαιΐδες οὐκ ἔτ' ἀχαιοί. Heus Graie neque enim Graij tantumq; minaces. Vergilius ſexto Aeneidos: O uere Phrygiæ neque enim Phryges. Homerus ιλ β. ὦ πέπονες κάκ' ἐλέγχε' ἀχαιΐδες οὐκ ἔτ' ἀχαιοί, id eſt, O pepones, mala probra Achiuæ non enim Achiui. Cum Dionyſius in conuiuio iuſsiſſet, ut ſinguli in ueſte purpurea ſaltarent: purpura uero tum regum erat geſtamen, nunc ſutoribus etiam communis: id Plato facere recuſauit, his trimetris è fabula quapiam,

οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν,
ἄῤῥην πεφυκὼς καὶ γένους δὲ ἄῤῥενος,
Muliebri ego haud quaquam indui queam ſtola,
Vir natus ipſe & ex uirili germine.

Ariſtippus uero non recuſauit, ſed indutus purpura ſaltaturus, hos uerſus recitauit ex tẽpore.

καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν,
ὁ νοῦς ὁ σώφρων οὐ διαφθαρήσεται, id eſt,
Nam in liberi patris ſacris,
Mens quæ pudica eſt neſciet corrumpier.

Eraſmus libro tertio Eccleſiaſtæ: Quid igitur Alceſtis mariti ſui uice parata mori, erumpunt lachrymæ. Mulierculæ charitas erga maritum ſic mouet, & Chriſti ſeruatoris erga nos charitas non perinde mouet? Terent. Heaut. Oh pergin mulier eſſe? Vllam ne ego rem unquam uolui, quin tu in ea re mihi aduerſatrix fueris Soſtrata. Idem Hecyra: Itaque adeo uno animo omnes ſocrus oderunt nurus, uiris aduorſas æque ſtudium eſt, ſimilis pertinatia eſt. In eodem omnes mihi uidentur ludo doctæ ad malitiam. Quintilianus in matris infamia: Non fœmina, non mater, inquit, ſed matrona. Et mox: Cuius puellares annos, & cuius primam rudemq; coniugij mentem nulla libidinum reſperſit infamia. Teren. Phor. Viduam extrudi turpe eſt. Terentius Adelphis: In qua ciuitate tandem te arbitrare uiuere

Virginem uiciaſti, quam te ius non fuerat tangere,
Iam id peccatum primum magnum, at humanum tamen
Fecere alij ſæpe, item boni, at poſtquam id euenit, cedo

Nunquid circumspexti? aut nunquid tute prospexti tibi
Quid fieret? qua fieret? si teipsum mihi puduit dicere
Qua resciscerem hæc dum dubitas menses abierunt decem, &c.

Terentius hecyra: Quid ais cum uirgine una adolescens cubuerit plus potus.

Cognatio. Adiacentia. Connexa. Relata.

Quibus sit consanguineis. Vergil. 2. Aeneid. Illi me comitem & consanguinitate propinquum. Pauper in arma pater primis huc misit ab annis. Vos ô patricius sanguis, quos uiuere fas est, Vergil. in Bucolicis: Nunc scio quid sit amor, duris in cotibus illum. Ismarus aut Rhodope aut extremi Garamantes, Nec nostri generis puerum nec sanguinis ædunt. Terentius Phorm. Neq; æquum facere aut illam ciuem esse Atticam, bonam bonis prognatam. Terentius Adelphis: Cognatus mihi erat, una à pueris paruuli sumus educati, una semper militiæ & domi fuimus, paupertatem una pertulimus grauem, quapropter nitar, faciam, experiar, denique animam relinquam potius quàm illam deseram. In Galatis 3. Quod si uos estis Christi, igitur Abrahæ semen estis. Actorum 23. Viri fratres, ego pharisæus sum, filius pharisæi de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Vergilius lib. 11. Quin natam egregio genero dignisq; hymenæis. Des pater & pacem hanc æterno fœdere firmes. Vergilius libro Aeneid. 11. Genus huic materna superbum, Nobilitas dabat incertum de patre ferebat. Vergilius libro Aeneid. 12. Et pater Aeneas & auunculus excitet Hector.

Aetas. Tempus.

Quia aliud alijs annis magis conuenit, ut Horat. ostendit in arte: Puer an adolescẽs, natu grandior an senex. Cic. pro lege Mani. Quid tam nouum quàm homini per adolescẽti, cui à Senatorio gradu ætas longe abesset imperium atq; exercitum dari. Hom. odyss. ρ. οὐ γὰρ ἐπὶ σταθμοῖς μένειν ἔτι τηλίκος εἰμι. i. nam ut maneam in stabulis iam non mea postulat ætas. Vergil. Impositiq; rogis iuuenes ante ora parentũ, Pubentesq; genæ iuuenili in corpore pallor. Vergil. de Turno lib. Aene. 12. Miserere parentis longeui. Cicero secunda Tusculanarum quæstione: Hoc pueri possunt, uiri non poterunt? Cicero de Senectute: Quod igitur adolescentes, & ij quidem non solum docti, sed etiam rustici contemnunt, id docti senes extimescunt. Cice. pro Deiotaro: Qui igitur adolescens nondum tanta gloria præditus, nihil unquam nisi seuerissime & grauissime fecerit, is ea æstimatione eaq; ætate saltauit? Marius Cice. An quod adolescens præstiti, cum etiam errare cum excusatione possim, id nunc ætate præcipitata commutẽ, ac me ipse retexã. Cic. in Philip. Etenim si abhinc annos prope 20. hoc ipso in templo negaui posse mortem immaturam esse consolari, quanto uerius nunc negabo seni? 2. Machab. 6. de Eleazaro: Præmitti, inquit, malo in infernum, quàm patrias leges deserere. Non enim ætatẽ nostram dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitrari Eleazarũ nonaginta annorum transisse ad uitam alienigenarũ, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum & corruptibile tempus uitæ per me seducantur, & odium ac maculam senectuti acquiram. Quapropter fortiter uita excedens senectute dignus apparebo, adolescentibus autem exemplum forte relinquam, ut prompto animo ac fortiter pro grauibus ac sanctis legib. honeste nigri succedant. Quintil. in matris infamia. Omnis igitur miseræ cum filio sermo &c. Quint. in Mili. Mariano: Pater, inquit, huic emeritis bello stipẽdijs. Item in cæco in limine: Salua res est saltante sene. Iuuen. Facies tua computat annos. Martia. In te reclamat sed tua barba, uir es. Terent. And. Nam postquàm excessit ex ephœbis Sosia Liberius uiuendi fuit potestas. Nã antea: Qui scire posses aut ingeniũ noscere. Dum ætas, metus magister prohibeant.

Cicero

Cicero pro Roscio: Parricidij crimen ab ætati refellit. Alexander Seuerus: honores uiris, & gladij nunquam uendi passus est dicens: Qui emit, & uendat necesse est. Hoc ethnicus & iuuenis, quid iam decet principes Christianos: Vergil. lib. Aeneid. 11.

Ducitur infelix æuo confectus Acetes,
Pectora nunc fœdans, pugnis, nunc unguibus ora.

Ἀδέσποτον: ἂν περιλειφθῇ μικρὸν ἐν ἄγγεσιν ἡδὺς οἶνος εἰς ὄξυ τρέπεται· τοῦτο τὸ λειπόμενον οὕτως ἀντλήσας τὸν ὅλον βίον εἰς βαθὺ δ' ἐλθὼν γῆρας ὁ πρεσβύτης γίγνεται ὀξύχολος. Cicero lib. 14. Famil. epistolarum: Amariorem enim me senectus facit, stomachor omnia, sed mihi quidem βεβίωται uiderint iuuenes. Plautus asinaria: Cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit. Idem in Bacchidibus: Hoc demũ est quod percrucior, me hoc ætatis ludificari, imò ædepol sic ludos factum cano capite, atq; alba barba sic miserum me auro esse emunctum. Idem. Sapere ista ætate oportet qui capite candido Verg.

Infelix puer atq; impar congressus Achilli.
Item: —Dauni miserere senectæ.

Affert aliquam excusationem ætas, qua tum fuit Cicero pro Rabirio. 1. Corinth. 13. Cum essem puer, ut puer loquebar, ut puer sentiebam, cogitabam ut puer, at ubi factus sum uir abo leui puerilia. Teren. Phorm. Adeon' hoc indignum tibi uidetur filius, homo, adolescens, si habet unam amicam, tu uxores duas. Nihil pudere? quo ore illum obiurgabis? respõde mihi. Cicero pro A. Cluentio: Se in balneis cum id ætatis filio fuisse. Verg. 5. Aeneid.

—Non laudis amor nec gloria cessit,
Pulsa metu, sed enim gelidus tardante senecta,
Sanguis hebet, frigentq; effœtæ in corpore uires.

Iuuenalis:

Sexaginta annos Fonteio consule natus,
Et nihil in melius tot rerum proficis usu.

Gen. 18. Postquam consenui, & dominus meus uetulus est, uoluptati operam dabo? Num uerò paritura sum anus. 1. Regum 17. Et ait Saul ad Dauid: Non uales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es, hic autem uir bellator est ab adolescentia sua. 3. Regum 11. Et auerterunt mulieres cor eius, cum autem iam esset senex deprauatum est cor eius per mulieres ut sequeretur deos alienos. Iob. 16. Rugæ meæ testimonium dicunt cõtra me. Paulus ad Philemonem. Tamen propter charitatem rogo, cũ talis sim, nempe Paulus senex, nunc autem etiam uinctus Iesu Christi.

Educatio & disciplina, Causa efficiens, Effecta, Destinata, Adiacentia, Connexa.

Quoniam refert nec parum refert, apud quos & quibus artibus ac moribus cuiusq; arbitrio sit quisque institutus. Adeo' que ad excolendos aut corrumpendos animos nihil efficacius. Et ex educatione disciplinaq; & sodalitio multæ trahuntur suspitiones, cum quemadmodum, & apud quos, & à quibus educatus & eruditus sit, quos habuerit artium liberalium magistros, quos uiuendi præceptores quæritur. Philippus Macedonum rex filium Alexãdrũ à prima statim pueritia Aristoteli philosophiæ decretis imbuendum tradidit, nimirum intelligens plus uno die disci præceptis, quam multorum annorum experientia, præsertim quum in ipsis præceptis insit experientia. Cicero in Bruto: Eram cum Stoico Diodoro, qui cum habitauisset apud me, mecumq; uixisset, nuper est domi meæ mortuus, à quo quum alijs rebus,

tum studiosissimus in dialectica exercebar. Cicero de Demetrio Phalereo: Vt Theophrasti discipulum possis agnoscere. Cicero pro Quintio: Et quemadmodum natus & quemadmodum educatus sum memini, uetus est de scurra diuitem facilius quàm patremfamiliâs fieri posse. Actorum 7. Et eruditus est Moses omni sapientia Aegyptiorum & erat potens in factis & in dictis. Augustin. de ciuitat. Dei, lib. 18. de Iuliano Augusto apostata: An ipse nō est ecclesiā persequutus, qui Christianos liberales artes docere aut discere uetuit? Verg. li. Ae. 7.

Hos super aduenit Volsca de gente Camilla
Bellatrix, non illa colo calathisq́; Mineruæ
Fœmineas assueta manus, sed prælia uirgo
Dura pati, cursuq́; pedum præuertere uentos.

Puer quidam apud Platonem educatus, quum ad patrem ex interuallo redisset, cumq́; uidisset effusius ridentem, admiratus dixit se tale nihil unquam apud Platonem uidisse. Tanta res est iam inde à teneris uirtuti assuescere. Cicero pro lege Manilia: Qui è ludo atq; pueriticæ disciplina, bellum maximis atq; acerrimis hostibus ad patris exercitum atq; in militiæ disciplinam profectus est, qui extrema pueritia miles fuit imperatoris summi, ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator. Cicero in Verrem Act. 3. Ab hominibus & natura & consuetudine & disciplina leuissimis. Iuuenalis Satyra 1.

Et nos ergo manum ferulæ subduximus, & nos
Consilium dedimus Syllæ. — Vergilius lib. 9. Aeneid.
Durum à stirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, sæuoq́; gelu duramus & undis,

Et quæ sequuntur, ubi antiquam Italiæ disciplinam describit. Cicero: Sed est magnum id quidem uerum tamen multiplex pueri ingenium, quo ego regendo habeo negotij satis. Terent. Attamen habet bene & pudice eductam, ignaram artis meretriciæ. Idem: Fac periculum in literis, fac in palestra, in musicis, quæ liberum scire æquum est solertem dabo. Pulcherrimum extat exemplum ex Euripidis Hecuba. Adagio: Annus producit non ager. Huc referenda est indoles siue ingenium puerile, referendi & mores. Terent. Sic uita erat, facile omnes perferre & pati. &c. prima scena Andriæ. Idem Andria: Quid isthuc tam mirū est de te si exemplum capit. Cicero ad Quintum Fr. Homo est sua sponte moderatus, & maiorum institutis optimis obtemperans. Salust. in Iugur. Ita inter artes bonas integrum ingenium breui adoleuit. Cicero pro P. Quintio: Memini uetus est, de scurra multo facilius diuitē q̄ patremfamiliâs fieri posse Terent. Imperitos rerum, eductos libere, in fraudem illicis? Quintil. in milite Mariano statim narrationem siue expositionem incipit à seueritate parētum & educationis: Pater, inquit, huic emeritis bello stipendijs &c. Aphthonius Sophista in Philippū: Nec quāuis media in Græcia uersaretur, mores conuictu mutans ad meliora deflexit, sed Barbaricā semper impotentiam inter Græcā retinuit institutionē. Cicero pro L. Murena: Iudices hæc bona, quæ uidemus diuina atq; egregia &c. Aeschynes aduersus Timarchum: καὶ γὰρ πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς ἄμουσός τις οὗτος καὶ ἀπαίδευτος ἄνθρωπός ἐστιν, Id est, Nā & præter alia mala, alienus à musis, & ineruditus est homo. Alexāder Seuerus militibus suis uini usum interdixit qui quum à Saracenis deuicti essent & dicerent uinum non bibimus. Destituunt nos uires nostræ. Erubescite, inquit, quum illi qui uincunt aquam bibunt. Cicero 2. Philip. Qui autem tibi uenit in mentē, redigere in memoriā nostram te domi Pub. Lentuli esse educatum, an uerebare ne non putaremus natura te potuisse tam improbū euadere nisi etiā accessisset di-

ſciplina. Cicero Philip. 2. Iam inuideo magiſtro tuo, qui te tanta mercede quantā iam proferā nihil ſuperdocuit Cornelius &c. Homerus Odyſſ. χ. αὐτοδίδακτος δ' εἰμὶ θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας παντοίας ἐνέφυσεν, Id eſt, A me ipſo doctus, Deus autē mihi in mentibus omnigena indidit inſeuitq; carmina. Vergilius lib. 8. Aeneid.

Hunc tibi præterea ſpes & ſolatia noſtri
Pallanta adiungam, ſub te tolerare magiſtro
Militiam, & graue Martis onus, tua cernere facta
Aſſueſcat, primis & te miretur ab annis.

Actorum 12. & 22. Cæterum educatus in hac ciuitate ad pedes Gamalielis inſtitutus accurate in patria lege ſectæ Dei. 1. Timoth. 4. Enutritus in ſermonibus fidei bonæq; doctrinæ, quā uſq; ſecutus es. Matth. 3. Porrò cibus illius erant locuſtæ, & mel ſylueſtre. Geneſis cap. 25. Creuerunt pueri, & erat Eſau homo agreſtis ſciens uenari, Iacob autem homo ſimplex, manens in tabernaculo. Zachariæ 13. Non ſum propheta, homo agricola ego ſum, quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea.

Habitus corporis, Connexa, Adiacentia, Contingentia.

Nam hic ſermo quidam totius mentis eſt, & frequenter in argumētum probitatis aut improbitatis adducitur, ut ſpecies libidinis, robur uiolentiæ, longitudo ignauiæ &c. confertq; admiratiōi multum infirmitas, ut cū Homerus Tydea paruū, ſed bellatorē ait fuiſſe. Sic. D. Hieronymus formæ decus laudat in Paula Euſtochij matre, quā nec morbus nec mors extinxerat. Sic in Paulo Concordiēſi, laudat floridā ſenectutē immortalitatis imaginem, ac reſurrectionis ſimulachrū. Ad habitū corporis haud uulgariter conducit Effictio ſpecies hypotyposeos, cuius elegās cū primis extat exemplū apud Eraſ. Roter. lib. 3. Eccleſiaſt. In comœdijs inducuntur ſeueri patres altero ſupercilio ſublato, altero compoſito. Et M. Tullius Piſoni exprobrat quod in ſenatu altero ſupercilio ad frontē ſublato, altero in oculos depreſſo dixit ſibi non placere crudelitatē. Terent. Haud ſimilis uirgo uirginū noſtrarū, noua figura oris, color uerus, corpus ſolidū, & ſucci plenū. Vergil. Nec ſum adeo informis nuper me in littore uidi, Cum placidum uētis ſtaret mare. Ouidius: Non formoſus erat, ſed erat facūdus Vlyſſes. Et tamen æquoreas torſit amore deas. In Galbam oratorē eloquentia clarum, ſed gibbo deformem ita luſit M. Lelius ut diceret ingenium Galbæ male habitare. Nam animi domicilium eſt corpus. T. Liuius decadis 3. lib. 8. De Scipione Aphricano caſtigaturo legationem quæ defecerat: Corpora, inqt, ora, ueſtitū, habitū ciuiū agnoſco: facta, dicta, conſilia, aīos hoſtiū uideo. Demoſthenes inuidiā conflat Midæ quod in facie ab eo cæſus eſſet & quidē coronatus. In C. Domitiū ænobarbū hoīem durū et arrogantē ſic luſiſſe tradit L. Craſſus orator. Quid mirū ſi barbā habet æneā Domitius, cū & os ferreum, & cor habeat plumbeū. Plaut. Mercat. Cū ſis iā ætatis plenus, aīa fœtida. Senex hircoſus tu oſculare mulierē, uti ne ei aduenies uomitū excutias mulieri. Verg. li. Aeneid. 8. de Caco, pedibuſq; informe cadauer Protrahit, nequeūt expleri corda tuēdo Terribiles oculos, uultū, uilloſaq; ſetis Pectora ſemiferi atq; extinctos faucibus ignes. Cice. pro Sex. Roſ. Nōne ipſum caput & ſupcilia illa penitus abraſa, olere malitiā, & clamitare calliditatē uidentr? qui idcirco è capite & ſupcilijs ſemper raſis ne ullū pilū boni uiri habere dicatr? Idē in Piſonē. Iā ne uides beluā? Iā ne ſentis quæ ſit hoīm querela frōtis tuæ? Nemo quærit Syrū neſcio quē, de grege nouiciorū factū eſſe cōſulē? Non eñ nos color iſte ſeruilis, nō piloſæ genæ, nō dentes putridi deceperūt, oculi, ſupercilia, frōs, uultus deniq; totus, qui ſermo quidā tacitus mētis eſt, hic in errorē hoīes impulit, hic

eos quibus erat ignotus decepit, fefellit, hic in fraudem induxit. Vergilius lib. Aeneid. 3. de Achæmenide:

Cum subito è syluis macie confecta suprema,
Ignoti noua forma uiri, miserandaq; cultu
Procedit, supplexq; manus ad littora tendit
Respicimus, dira illuuies, immissaq; barba
Consertum tegmen spinis, at cætera Graius.

Vergil. in quinto. Magna ossa lacertosq; Exuit. Ambrosius lib. de uirginibus de deipara uirgine Maria loquens. Nihil, inquit, in oculis toruum, nihil in uerbis procax, nihil in actu inuerecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non uox petulantior, ut ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Iulia Augusti filia quũ patrem salutaret, senserat illius oculos licentiore cultu offensos, licet ille dißimularet. Itaque postero die mutato cultu patrem cõplexa est. Tum Cæsar, qui pridie dolorem suũ continuerat gaudium cõtinere non potuit. Et quanto magis, inquit, iste cultus decet Augusti filiam. Tum illa, Nimirum hodie me patris oculis ornaui, & heri uiri. Martialis:

Crine ruber, niger ore, breui pede, lumine læso,
Rem magnam præstas Zoile si bonus es.
Andromade patriæ fusca colore suæ.

Lucanus: Et flauos aquilone Sueuos.—

1. Regũ 16. Erat autem Dauid rufus, & pulcher aspectu Samuel in medio fratrum suorum. Cicero in oratione ad senatum: Proceßit madenti coma, composito capillitio, grauibus oculis, fluentibus buccis. Cicero in Verrem. Stetit soleatus prætor Pop. Romani pallio purpureo tunicaq; talari, muliercula nixus in litore &c. Plinius ad gemini 7. Ac primum conspicuus forma, omneis sermones malignorum & puer & iuuenis euasit. Salustius in Catilina: Color ei exanguis, fœdi oculi, prorsus in facie uultuq; uecordia inerat. Suetonius in Vitellio: Erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerumq; ex uinolentia, uenter obesus, alterum femur subdebile impulsu olim quadrigæ. Homerus Iliad. ε. τυδεὺς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής: Strenuus in pugna sed corpore paruus Tydeus. Statius:

Maior in exiguo regnabat corpore uirtus. Vergilius:
Ingentes animos angusto pectore uersat.

Homerus Iliad. 1. Ebriæ cui catuli sunt lumina, cordaq; cerui. Plinius ad Arrium Clemen. Decora facies, dimissus capillus, ingens & cana barba, quæ licet fortuita, & inania putentur, illi tamen plurimum uenerationis acquirunt. Seneca in ludo negat Claudium debere deum fieri, quod non esset corpore diuinæ maiestatis capaci. 1. Regum 10. de Saule: Stetitq; in medio populi, & altior fuit uniuerso populo ab humero & sursum. Plato in Phædro: Fieri non potest, ut Aspasius inquit, qui omnino deformis sit, bonus sit. Heb. 11. Oberrarunt, ouillis & caprinis pellib. destituti, preßi, afflicti quibus indignus erat mũdus. Homerus Iliad. 2. Thersiten omnium qui ad Troiam uenerunt fœdißimum fuisse commemorat. Ac totum hominem à capite, quod aiunt, ad pedes usq; ita graphice depingit & corporis uitia & animi morbos, ut dicas peßimum ingenium in domicilio se digno habitasse. Turpißimus, inquit, ad Ilion uenit, strabus erat, claudus alterum pedem humeri ei angusti, in pectus contracti, sed desuper, acuminatus erat capite, rarus autem defloruit capillus. Erasmus Roterod. lib. 3. Ecclesiastæ: An non uobis uidetur natura mentis turpißimæ imaginem in ipso corpore depinxisse, caput turbinatum

turbinatum, oculi strabi, nasus aducus, os uiperinum, lingua hæsitans, uox gallinacei, gibbus in tergo propemodum capite altior, uenter prominens, crura distorta, pedes utroq; claudicantes. T. Liuius lib. 1. ab urbe cond. Ibi Sex Tarquinium mala libido Lucretiæ per uim stuprandæ capit, tum forma, tum spectata castitas incitat. Suetonius in Claudio: Corpore nec prolixo, nec exili erat, canicie pulchra, opimis ceruicibus. Terentius And. Vide num eius color pudoris signum usquã indicat? Post Cæsaris uictoriã interrogatus Cicero, quur in electione partiũ errasset, præcinctura, inquit, me fefellit, sentiens se non sperasse uictoriã à molli & effœminato staturã. Cæsar enim ita toga præcingebatur, ut laciniam trahẽs, mollium in morem incederet. Vnde Sylla Pompeiũ admonere solet, caueret à puero male præcincto. T. Liuius: Mundiciæ, ornatus & cultus hæ fœminarum insignia sunt, his gaudent & gloriantur. Archidamus princeps Lacedæmoniorum quum in consilio Lacedæmoniorum legatum quendam uidisset, qui canos pinxerat, ut ætatem mentiretur, quid inquit an non putatis eum animo mẽtiri qui etiam capillis mẽtitur? Aelianus. Suetonius in Augusto: Corpore traditur maculoso genitiuis notis dispersis per corpus. Velleus Paterculus historiæ Roma. post. uolu. de Vatinio: In quo, inquit, deformitas corporis cũ turpitudine certabat ingenij, adeo ut animus eius dignißimo domicilio inclusus uideretur. Terent. Heautõ. Aedepol te mea Antiphila laudo & fortunatam iudico. Id cum studuisti isti formæ mores ut consimiles forent. Minimeq; ita me dij ament miror si te sibi quisq; expetet. Homerus 11. Odyss. Latus erat humeris, ore ater, crineq; crispus. Horatius: Talos à uertice pulcher ad imos. Terẽt. Heauton. Rufam'ne? illam uirginem Cæsiam sparso ore, adunco naso Non possum pater. Tranquillus in Cæsare dictatore: Vsum eum lato clauo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter super eum cingeretur, & quidem fluctiore cinctura. Vnde emanasse Syllæ dictum. Optimates sæpius admonentis, ut male præcinctum puerum cauerent. Ecclesiasticus cap. 19. ἀπὸ ὁράσεως ἐπιγνωσθήσεται ἀνήρ, ϗ ἀπὸ ἀπαντήσεως προσώπου ἐπιγνωσθήσεται νόμιον, Στολισμὸς ἀνδρὸς ϗ γέλως ὀδόντων ϗ βῆμα ἀνθρώπου ἀναγγελεῖ τὰ περὶ αὐτοῦ. E uisu cognoscitur uir, & ab occursu faciei cognoscitur prudẽs, Amictus uiri, & risus dentium, & gressus hominis annũciabit, quæ de eo. Diogenes conspecto quodam formosa oris figura facieq; sed improba mente. In hospitio, inquit pulchro, hospes deformis. Homerus Odyss. 23. νῦν ὅτι ῥυπόω κακὰ δὲ χροῒ εἵματα εἷμαι τοὔνεκ' ἀτιμάζει με κὰ οὔ πω φησὶ τὸν εἶναι. Nunc quod sordeam sordidasq; uestes indutus sim. huius gratia me conuitiatur eumq; esse pernegat. Homerus Iliad. θ. de Hectore γοργοῦς ὄμματ' ἔχων ἠδὲ βροτολοιγοῦ ἄρηος. Gorgoneos oculos quales & Martis atrocis. Homerus Odyss. 1. οὐ μὲν γάρ τι κακῷ εἰς ὦπα ἐώκει: Ex specie mimine improbus ipsa. Esse uidebatur. Homerus cũ uiros ut imbelles solutos'ue describit. ἑλκεσιπέπλους, Locus est Iliad. χ. αἰδέομαι τρῶας ϗ τρωάδας ἑλκεσιπέπλους. Id est, Vereor Troianos & Troianas uestes trahentes. Frequens est apud eundẽ epitheton hoc ἑλκεχίτωνες Plaut. Penulo. Sed carũ nutrix qua sit facie mihi expedi, statura non magna, corpore aquilo est, Ipse est specie uenusta &c. 4. Regum 1. Cuius figuræ & habitus est uir ille qui occurrit uobis & locutus est uerba hæc. At illi dixerunt: Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est. Huc pertinere arbitror quod euangelista tam sedulo depingit amictum & uictum Ioannis Baptistæ. Matthæi 3. Ipse uero Ioannes habebat indumentum suum è pilis camelorum & zonam pelliceam circa lumbos suos. Vergil. lib. Aeneid. primo.

Restitit Aeneas claraq; in luce refulsit,
Os humerosq; deo similis, nanq; ipsa decoram

Cæsariem nato genitrix lumenq; iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Terentius Phormio.

Virgo pulchra & quo magis diceres,
Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem,
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida,
Lachrymæ, uestitus turpis, & ni uis boni
In ipsa inesset forma, hanc formam extinguerent.

Quintilianus: Longus Sulpitius, insigniter ipse fœdus, cũ cõtra quem in iudicio liberali aderat, dixit, ne faciẽ quidem habere liberi hominis. Cui respondens Domitius Afer, Næ tu ex animi mei sententia Longe: Qui malam faciem habet liber non est. Si ideo liber non erat cuius agebatur causa, quod deformis esset, nec ipse Sulpitius habendus erat pro libero quum esset fœdissimus. 2. Regũ 14. Porro sicut Absolon uir nõ erat pulcher in omni Israel & decorus nimis, à uestigio pedis usq; ad uerticẽ non erat in eo ulla macula.

Fortuna, Connexa, Contingentia.

Hac enim recte usum esse si felicior contigit laudabile est, certissimum siquidẽ facit morum experimentum: si infelicior, maiorẽ benefactis gloriã parit. Summa laus est non extulisse se in potestate, nõ fuisse insolentẽ in pecunia, se prætulisse alijs propter abundantiã fortunæ, ut opes & copiæ non superbiæ uideantur ac libidini, sed bonitati atq; moderationi facultatem & materiã dedisse. Hinc seruus, an liber, pecuniosus an pauper, nobilis an ignobilis, fastuosus an humilis, propinquis, amicis, clientib. abundãs, an his omnibus destitutus, felix an infelix, priuatus an cum potestate sit, aut fuerit, aut futurus sit consideratur, & si de non uiuo quæritur etiã quali morte sit affectus aut deniq; aliquid eorũ quæritur quæ fortunæ esse attributa intelliguntur. Huc pertinent opes & honores, potentia, claritas & his diuersa, & quõ ea peperit iure aut iniuria, quales liberos habeat & huiusmodi. Plautus: Pauci ad modũ ex multis sunt amici homini, qui certi sunt. Et perinde ut quisq; fortuna utitur, ita præcellit atq; exinde sapere eũ oẽs dicunt, hoĩem cautum cũ esse declarant, stultũ autẽ illum cui male uertit. Verg. li. Aeneid. 7. Exulibus ne datur ducenda Lauinia Teucris. Cicero in Pisonem: Iamne uides belua? Iamne sentis quæ sit hominũ querela frõtis tuæ? nemo queritur Syrum nescio quem, de grege nouiciorũ factum esse consulem. Non enim nos color iste seruilis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperũt, oculi, supercilia, frons, uultus deniq; totus, qui sermo quidã tacitus mẽtis, hic in errorẽ hoĩes impulit, hic eos quibus erat ignotus decepit, fefellit, hic in fraudẽ induxit. Verg. 4. Aen. Et nostris illuserit aduena regnis. Bis capti Phryges. Horatius in Epodo: Licet superbus ambules pecunia, Fortuna non mutat genus. Cicero in Verrẽ: Inueterauit enim iã opinio perniciosa reip. uobisq; periculosa, quæ non modo Romæ, sed & apud exteras nationes omniũ sermone percrebuit, his indicijs, quæ nũc sunt, pecuniosum hominem quamuis sit nocens, neminem posse damnari. Liuius libro 1. Spernentibus Hetruscis Lucumonẽ exulem, aduena ortum ferre indignitatem non potuit. Aristophanes in ranis: Ac deinde seruus cum sis portas comam. Plautus: Sed quid tibi nos mendice homo tactio est. Vergilius in quinto: Gaudet regno Troianus Acestes. Quondam fuerunt fortes Milesij, Nos quoq; floruimus & fuimus Troes. Vergilius libro septimo: Turnus auis, atauisq; potens. Cicero in Luc. Pisonem: Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumo

sarum

parum imaginum. T. Liuius 2. primæ decad. Adolescentes nec tenui loco orti. Salustius in Ciceronem: Splendor domesticus tibi animos attollit. Cicero pro Roscio Amerino: Videtis iudices, ut hominem præ se neminem putet. Terentius in Adelph. Quàm estis maximi potentes, dites, fortunati, nobiles: Tam maxime uos æquo animo æqua noscere oportet si uos uultis perhiberi probos. ἵππος μὲ φέρει βασιλεὺς με τρέφει, Id est: Equus me portat rex alit. Terentius in Andria: Feci è seruo ut esses libertus mihi, Propterea quod seruiebas liberaliter mihi. Scipio Africanus quibusdam calumniantibus, quod parum strennuus pugnator esset, Imperatorem, inquit, me mater, non bellatorem genuit. Significans in Imperatore plus habere momenti solertiam ac prudentiam in consilijs, quàm uires in prælijs. Cum grauem amicum audisset Iulia Augusti filia suadentem melius facturam si se composuisset ad exemplum paternæ frugalitatis, Ille, inquit, obliuiscitur Cæsarem se esse, Ego memini me Cæsaris filiam. Plinius ad Cornutum: Nulla occasione ab insito abstinentiæ amore deflexit, nunquam secundis rebus intumuit. Suidas: οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον ἀστικὸς ἀνήρ: Nil cogitat æqui urbanus uir. Serui, inquit Memmius tribunus plebis apud Salustium, ære parati, iniusta imperia dominorum non perferunt, uos Quirites in imperio nati æquo animo seruitutem toleratis? Adagio: Quem fortuna nigrum pinxerit, hunc non uniuersum æuum candidum reddere potest. Plautus: Suus rex reginæ placet: sua cuiq; sponsa sponso Cicero pro L. Murena: Sed ex annalium uetustate eruenda est memoria nobilitatis tuæ. Iuuenalis Satyra quarta:

Prodigio par est in nobilitate senectus.

Iuuenalis Satyra octaua:

Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis ac tituli.

Qui semel scurra nunquam paterfamilias.

Sæpe etiam est holitor ualde oportuna loquutus.

Homerus Odyss. ρ.

ἥμισυ γάρ τε νόου ἀποαμείρεται εὐρύοπα Ζεὺς
ἀνέρος οὖς ἂν ἴδα κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλησι. Id est:

Dimidio mentis deprauat Iuppiter illos,
Seruilis quoscunque uiros sors ceperit unquam.

Plato de legibus lib. 6. Nihil enim integrum, neque sanum habet animus seruilis: Nam nihil oportet credere his, hominem qui sapiat. Siquidem poëta doctissimus ait:

μὴ ποτὲ δουλεύσασα γυνὴ δέσποινα γένοιτο.

Si qua ancilla semel fuit haud unquam dominetur.

Terent. 1. scena Heauton. Agrum in his regionibus meliorem &c. Idem: Interea mulier quædam &c. And scena prima. Vergili.

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ. &c.

Terentius Heauton. Nam hic Clinia, & si is suarum rerum satagit, attamen habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ, Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis. Plinius Tito Vespasiano: Nec quicquam in te mutauit fortunæ amplitudo in his, nisi ut tantundē prodesse posses, ut uelles. Iphicrates Atheniēsis, obijciēte sibi quodā, quod nouus homo esset: mei, inquit, generis splēdor à me incipit, tui in te desinit. Cice. in Salust. Ego, inquit, maioribus meis uirtute mea præluxi, ut si prius noti non fuerint à me accipiant initium memoriæ suæ: tu tuis uitæ, quā turpiter egisti magnas offudisti tenebras, ut etiā si fuerint egre-

gij ciues certe uenerint in obliuionem. Quare noli mihi antiquos uiros obiectare, satius est enim me meis rebus gestis florere, quam maiorum opinione niti: & ita uiuere, ut ego sim posteris meis nobilitatis initiũ & uirtutis exemplũ. Verg. Tot quõdam populis terrisq; superbũ Regnatorem Asiæ. Adagio: Homũculus ex Caria. Verg. 2. Aeneid. Nec si me miserũ fortuna Sinonem Finxit uanum etiam mendacemq; improba finget. Terent. in Phor. Heus heus quanta hæc mea paupertas est, tñ adhuc Curaui unũ hoc quidem, ut mihi esset fides. Philippus Macedonum rex uir alioqui cordatus, quodam tempore cum temulentis bene potus ipse per mediũ exercitũ discurrens agebat choreas, quẽ Demades Atheniensis orator ad hũc increpuit modũ. Quid facis ô rex. Fortuna tibi imposuit personã Agamenonis, & tu tibi ipsi sumis psonam Thersitæ.

Conditio, Connexa, Ad aliquid siue relata.

Conditio personæ, superiori finitimus locus. Nam & ea non leue discrimen aut momentum habet, ut pater an filius sit, ciuis an peregrinus, liber an seruus, maritus an cœlebs & huiusmodi. Teren. in And. Mirũ uero impudenter mulier si facit meretrix. Idẽ: Quãobrem me rogas? homini fugitiuo? Idẽ: Vt ne addã quod sine sumptu ingenuã, liberalẽ nactus uxorẽ sine mala fama. Cice. in Orat. Si histrio quid deceat quærit, quid faciundũ oratori putemus? Teren. in Adel. Neq; uendendã censeo quæ libera est. Terẽ. in Phor. Seruũ hoĩem causam orare leges nõ sinũt. Idem Eunuch. An paululum est ciuẽ uirginẽ uitiare. Teren. Eunucho: Immo hæc cogitato qui cũ res tibi est, peregrinus est, minus potens quã tu, minus notus, amicorum hic habẽs minus. Quint. li. 11. cap. 1. Ego te inquit, consulẽ L. Crassus Philippe, cũ tu me non putes esse senatorẽ. Itẽ illud: Vnde tibi frontẽ libertatẽq; parentis: Cũ facies peiora senex? Cicero pro lege Manilia. Vos cũ regem inultum patiemini qui legatũ po. Rom. consularẽ necauit? Cicero pro Quin. Et quẽadmodum nactus inquit, & quẽadmodũ educatus sum memini. Vetus est de scurra diuitẽ facilius, q̃ patrẽ familiãs fieri posse. Anicula Theophrasto licitanti quiddam, idq; admodum Attice, hospes, inquit, non uendo tanti. Quint. in milite Mariano. Quid dicis? Tu si tribunus esses hoc fecisses, si miles esses hoc tulisses? Teren Adel. Meretrix & mater familiãs erit una in domo? Salust in Ciceronẽ: Quasi unus reliquus ex familia uiri clarissimi Scipionis Aphricani, ac non repetitus, accitus ac paulo ante insitus huic urbi. Iuuenal Saty. 8. Hic nouus Arpinas ignobilis & modo Romæ Municipalis eques &c. Cicero in Verrẽ. Seruus nemo est tã domini, quam tu libidinũ, neq; seruus tã fugitiuus à dño, quam tu à iure, à legib. à castimonia, nec quisq̃ tam barbarus lingua, & natione, quã tu natura & moribus, neq; tã hostis hoĩbus, quã tu dijs immortalib. Teren. Eunu. Haud decet imperatorẽ una cum amica ire in uia. Seruus cum sis comam geris? 1. Corint. 7. Seruus uocatus es, ne sit tibi curæ, quin etiã si potes liber fieri potius utere. Etenim qui in dño uocatus est seruus, libertus domini est. Similiter & qui liber uocatus fuit seruus est Christi.

Animi natura, Adiacentia interna.

Etenim auaritia, iracũdia, misericordia, crudelitas, seueritas, aliaq; his similia afferũt frequẽter fidẽ aut detrahũt. Acutus an hebetior, memor an obliuiosus, comis, facetus, pudẽs, officiosus, patiẽs, prudẽs, an cõtrã. Eras. lib. Eccles. 2. Sublucẽt interim in adolescẽtulis, & aliarũ uirtutũ scintillæ quædã, ueluti pudicitiæ, sobrietatis, pietatis, lenitatis erga proximũ, amoris bene merendi de rep. Quemadmodum in Catone etiãnum puero emicuit infracta uis animi, ac tyrannidis odium. Eras. lib. 2. Ecclesi. Hæc autem indoles in primis statim annis sese nonnullis prodit indicijs, si quis aduortat animum, Velut Athanasius è lusu puerili deprehensus est esse natus ad gerendum sacerdotium. Nec inscite, Naso patris iussu datus ad agendas causas

causas forenses. Quicquid, inquit, tentabam dicere uersus erat. Cic. pro lege Manilia: Quare etiamsi quem habetis, qui collatis signis exercitus regios superare posse uideatur, tamen nisi erit idem, qui se à pecuniis sociorum, qui ab eorum coniugibus ac liberis, qui ab auro gazaq; regia manus, oculos, animum cohibere poßit, non erit idoneus qui ad bellum Asiaticum regiumq; mittatur. Cicero pro Milone: Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis, qui cum à tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de eius extremis comitibus cogitauit.

Homerus odyss. 23. σοὶ δ' αἰεὶ κραδίη στερεωτέρη ἐστί. At tibi perpetuo cor saxo durius omni Odyss. ε οὐδέ μοι αὐτῇ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι σιδήρεος, ἀλλ' ἐλεήμων. Neque enim mihi cornea fibra est. Theocritus de pane: δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Cicero pro Cornelio Balbo: Habetis hominem singulari pudore, uirtute cognita & spectata fide. Cicero in Verrem: Iste sacrorum omnium hostis, religionum prædo. Cice. in Ver. act. 4. Cuius uirtutem hostes, misericordiam uicti, fidem cæteri perspexerunt. Cicero pro domo sua de Clodio: Istius qui non solum aspectu, sed etiam incesto flagitio, & stupro polluit ceremonias, pœna omnis oculorum ad cæcitatem mentis est conuoluta. Cice. in Pisonem: Ille gurges atq; helluo natus abdomini suo, non laudi atq; gloriæ. Cicero in Catilinam inuectiua 2. Vino languidi, confecti cibo, eructat sermonibus suis cædem. Cicero in Salust. Quæ nota domesticæ turpitudinis non inusta uitæ tuæ. Cicero: Et auersus & aduersus impudicus es. Aul. Gellius de Alexand. Victi hostis uxorem, facie inclyta mulierem uetuit in conspectum suum deduci, ut eam ne oculis suis quidem contingeret. Homerus Iliad. 1. οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο. Ebrie caninum cor habens, oculosq; caninos. Terent. Eunucho: Fatuus est, insulsus, tardus ingenio, stertit noctesq; & dies. Cicero in L. Pisonem: Contumax, rapax, fallax, perfidiosus. Impudens, audax, libidinosus, luxuriosus, nequam, Plautus: Purus putus sycophanta est, anguilla est, elabitur. Terent. in Andria: Mala mens, malus animus. Cicero pro Deiotaro: Dij te perdant fugitiue ita non modo nequam & improbus, sed & fatuus & amens es. Plautus: Id antiquum obtines, tardus ut sis. Vergil: lib. Aeneid. 2. Ipse doli fabricator Epeus. Ibidem: Dixerat ille dolis instructus & arte Pelasga. Cice. in Verrem: Hominem sine re, sine spe, sine fide, sine fortunis, ore, lingua, manu, uita omni inquinatum ire patiamini absolutum? Cice. in Salust. Neq; enim qui ita uiuit ut tu, aliter ac tu loqui potest, neque qui tam illoto sermone utitur uita honestior est. Cicero pro M. Cælio: Quis in laboribus patientior, in uoluptatibus inquinatior, quis in rapacitate auarior, quis in largitate effusior? Cicero pro Milone: Cui nihil nephas unquam fuit, neq; in facinore. Liuius: Qui in omnem libidinem uenalis habebatur. Liuius 53. decad. Qui fraude & auaritia parem neminem habuit. Geneseos cap. 16. Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione uniuersorum fratrum suorum figet tabernacula. Genes. 37. Videntes autem fratres eius quia à patre plus cunctis filijs amaretur, oderunt eum nec poterant ei quicquam pacifice loqui. Regum 25. Nomen autem uiri illius erat Nabal, & nomen uxoris eius Abigail, eratq; mulier illa prudentißima, & speciosa. Porro uir eius durus & peßimus, & malitiosus, erat autem de genere Caleb. Iudicum 16. Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? Hieremiæ 5. Emissarij facti sunt, unusquisq; ad uxorem proximi hinniebat.

Victus. Contingentia. Actus. Connexa.

In uictu considerare oportet quibus amicis utatur, quo in negocio, quæstu, artificio occupatus, quomodo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit. Et ex uictu multæ trahuntur suspitiones. Sub quo complector & cultum. Nam & hic coniecturas admodum

dum probabiles adfert luxuriosus aut frugi aut sordidus quæritur. Cicero pro Roscio: Qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad huius innocentiam esse poterat, in uictu arido, in hac horrida incultaq; uita maleficia gigni non solere. Terent. ex And. Primum hæc pudice uitam, parce ac duriter agebat. Cicero pro L. Flac. Homines sunt tota Asia frugalißimi, sanctißimi, à Græcorum luxuria & leuitate remotißimi. Tranquillus in Iul. Cæsar. Conuiuia in primam lucem sæpe pertraxit. Liuius de Alexandro: Ille ne qui temulento agmine comessabundus inceßit, par esset Romanis? Flauio Vespasiano quum adolescens quidam gratias ageret pro impetrata præfectura, quoniam unguento fragrabat, & nutu contemptus est, & grauiter increpitus. Mallem, inquit, Vespasianus, allium oboluisses, mox & literas concessas reuocauit. Tranquillus in Claudio: Vini cibiq; appetentißimus. Cicero: facillime in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros & sapientes uiros bene consulentes reipub. contulerunt. Quibuscum si frequentes sunt, opinionem afferunt, eorum fore se similes, quos sibiipsi delegerunt ad imitandum. Liui lib. 1. ab urbe cond. Sed nocte sera deditam lanæ, inter lucubrantes ancillas, in medio ædium sedentem inueniunt. Cicero pro Roscio Amer. Nam cum Metellis Seruilijs Scipionibus erat ei non modo hospitium, uerumetiam domesticus usus. Cicero pro lege Agraria: Non tam ingenerantur hominibus mores à stirpe generis, ac seminis, quàm ex his rebus, quæ ab ipsa natura bonis à uitæ consuetudine suppeditantur, quibus alimur & uiuimus. Carthaginenses fraudulenti & mendaces non genere, sed natura loci, quod propter portus suos multis & uarijs mercatorum sermonibus, ad studium fallendi studio quæstus uocabantur, &c. Home, odyss. 6. de Iro: μετὰ δ' ἔπρεπε γαστέρι μάργῃ ἀζηχὲς φαγέμεν καὶ πιέμεν οὐδέ οἱ ἦν ἴς. Hoc est, interprete D. Erasmo: Sed uentre insignis inerti, Aßidue bibere atq; edere, ast industria nulla. Salust. in Catili. Quod si quis etiam à culpa uacuus in amicitiam eius liber inciderat, quotidiano usu atq; illecebris facile par, similisq; cæteris efficiebatur. Quibus libido atq; luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerāt. Teren. in sene seipsum excruciante: Perij, is mihi ubi adbibit plus paulo, sua quæ narrat facinora! Nunc ait periculum ex alijs facito, tibi quod ex usu siet astutus. Næ ille haud scit quam mihi nunc surdo narret fabulam. Aphthon. in uituperatione Philippi: καὶ διατρίβων ἐν μέσοις τῆς ἑλλάδος, οὐ μετετίθει τῇ συνουσίᾳ τὸν τρόπον, id est, nec quamuis in media Græcia uersaretur, mores improbos conuictu mutans ad meliora deflexit. Terent. in Eun. Sine Cerere & Libero friget Venus. Plaut. in Curc. Item genus est lenonum inter homines meo quidem animo. Vt muscæ culices, pedesq;, pulicesq;, cimices. Odio & malo, & molestiæ bono usui estis nulli. Nec uobiscum quisquam in foro frugi consistere audet. Qui constitit culpant eum, conspicitur, uituperatur, eum rem fidemq; perdere tametsi nihil fecit aiunt.

Studia. Causa efficiens. Effecta. Destinata. Actus. Adiacentia.

Studia, & quotidianæ uitæ consuetudo. Siquidem hæc cuiusq; ingenium ut sit declarant maxime, ut rusticus, forensis, negociator, miles, nauigator, medicus aliud atq; aliud efficiunt. Studium autem est animi uehemens ad rem aliquam applicatio. Teren. Heauton. Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit. Hinc sciri potuit (aut nusquam alibi) Clinia, Quo studio uitam suam te absente exegerit. Vbi de improuiso est interuentum mulieri. Nam ea res dedit tum existimandi copiam, Quotidianæ uitæ consuetudinem, Quæ cuiusq; ingenium ut sit, declarat maxime. Texentem telam studiose ipsam offendimus. Idem Andria: Quod plerique omnes faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos alere, aut canes ad uenandum, aut ad philosophos &c. egregie. Idem: Lana ac tela uictum quæritans.

Plaut.

Plaut. Pen. Indignum genere quæstum corpore faciunt. M. Cato in oratione quadam: Frusto, inquit, panis conduci potest, uel uti taceat, uel uti loquatur. Micheas 3. cap. Et si quis non dederit in ore eorum quippiam sanctificant super eum pretium. Vergil. 9.

Creteá musarum comitem, cui carmina semper
Et citharæ cordi, numerosq; intendere neruis.
Semper equos atq; arma uirûm pugnasq; canebat.

Pertinet huc & ars. Verg. Canto quæ solitus si quando armenta uocabat Amphyon. Cicero pro Murena contra Cato. Vticensem: Accessit his tot, doctrina non moderata, nec mitis, sed ut mihi uidetur paulo asperior & durior, quàm aut ueritas aut natura patiatur. Cicero de Oratore: Valerius quotidie cantabat, erat Scænicus, quid faceret aliud? Cicero: Themistocles aliquot ante annis quum in epulis recusasset lyram, est habitus indoctior. Cicero in Verrem actione quinta: Itaq; istos inter se perbreui tempore mores non ratio, non commendatio aliqua, sed studiorum turpitudo similitudoq; coniunxit. Audax uenali comitatur Curio lingua? Lucanus 9. Cicero decimoquarto epistolarum ad Atticum: Accipe à me, inquit, καθολικὸν θεώρημα rerum earum, in quibus sumus exercitati: Nemo unquam, neq; poëta neq; orator fuit, qui quenquam meliorem quàm se arbitraretur. Hoc etiam malis contingit, quid tu Bruto putas ingenioso & erudito? Cicero pro Ligario: Hæc ego noui propter omnes necessitudines quæ mihi sunt cum L. Tuberone domi una eruditi, militiæ contubernales, post affines, in omni denique uita familiares, magnum etiam uinculum, quod ijsdem studijs usi sumus. Cice. in 2. philip. de uomitu Antonij: O rem non uisu modo fœdam, sed etiam auditu. Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu uero populi Romani negocium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is frustis esculentis uinum redolentibus gremium suum & totum tribunal impleuit. Cicero de reditu suo. Cum uero literas studere incipit, & helluo immanis cum Græculis philosophari, tamen est Epicureus. Cicero pro Roscio Amerino: Et in agro colendo uixerit, quæ uita maxime disiuncta est à cupiditate. ἄλλον in ardelionem:

πάντα μὲν οἶδας λέγεις ἀτελὴς δ' ἐν πᾶσιν ὑπάρχεις.
γινόμενος πάντων οὐδὲν ἔχεις ἴδιον.

Cicero libro epistolarum octauo: Iam pridem in eo genere studij, literarumq; uersatur, satisfacere immortalitati cupit &c. Cicero pro Lælio: An ille uir illa humanitate præditus, illis studijs, artibus, atque doctrinis. Cicero: Nec adhuc quam personam teneant, aut quid profiteantur intelligere potuerunt. Homerus odyss. Α. ἤτοι μὲν τόδε καλὸν ἀκουέμεν ἐστὶν ἀοιδοῦ τοιοῦδ' οἷος ὅδ' ἐστὶ θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδήν, id est, honestum est audire cantorem talem, qualis hic est similis dijs. Persius: Cum primum pauido custos mihi purpura cessit. Me tibi supposui, teneros tu suscipis annos Socratico Cornute sinu. Cicero in secunda Philipp. Agrum Campanum, qui cum de uectigalibus eximebatur, ut militibus daretur, tamen infligi magnum reipublicæ uulnus arbitrabatur, hunc tu compransoribus & collusoribus diuidebas. Zacharias 13. Sed dicet: Non sum propheta, homo agricola ego sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. 1. Regum 16. Et respondens unus de pueris, ait: Ecce uidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & fortissimum robore, & uirum bellicosum & prudentem in uerbis, & uirum pulchrum, & dominus est cum eo. Verg. libro Aeneid. 12.

Iasides, acri quondam cui captus amore,
Iamq; aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis

Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo
Augurium, citharamq; dedit, celeresq; sagittas
Ille, ut depositi proferret fata parentis.
Scire potestates herbarum usumq; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

Vergil. lib. Aeneid. 12. De Menœte Arcade: Piscosæ cui circum flumina Lernæ. Ars fuerat, pauperq; domus, nec tota potentum Munera, conductaq; pater tellure serebat. Cicero pro Cælio: Atq; scitote iudices eas cupiditates quæ obijciuntur Cælio, atq; hæc studia de quibus disputo non facile in eodem homine esse. Cicero Verrem: Aderat ianitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorq; sociorum, & ciuium Romanorum lictor Sextius. Hierony. ad Pomachium: Plus debet Christi discipulus præstare, quàm mundi philosophus, gloriæ animal, & popularis auræ atq; rumorum uenale mancipium. Plaut. Persa: Equidem te iam sector quintum hunc annum, cum interim credo canis si in ludum iret, potuisset iam fieri ut probe literas sciret. August. contra Iulianum Pelagianum lib. 1. cap. 2. Nec sanctum Hieronymum quia presbiter tantum fuit contemnendum arbitreris, qui Græco & Latino insuper & Hebræo eruditus eloquio, ex occidentali ad orientalem transiens ecclesiam, in locis sanctis atq; in literis sacris usq; ad decrepitam uixit ætatem. Cicero quinta Tuscul. de Dionysio Tyranno: Musicorum uero, inquit, perstudiosum accepimus, poëtam etiam tragicum, quam bonum, nihil ad rem. In hoc enim genere nescio quo pacto, magis quam in alijs suum cuiq; pulchrũ. Adhuc neminem cognoui poëtam, & mihi fuit cum Aquinio amicitia, qui sibi non optimus uideretur, hic se res habet, te tua, me delectant mea. Actor. 22. Ego quidem sum uir Iudæus natus in Tharso Ciliciæ, cæterum educatus in hac ciuitate ad pedes Gamalielis, institutus accurate in patria lege, sectator dei, sicut & uos omnes estis hodie. Genes. 10. Porro Chus genuit Nemroth. Ipse cepit esse potens in terra, & erat robustus uenator coram domino. Ab hoc exiuit prouerbium: Quasi Nemroth robustus uenator coram domino. 2. Regnorum 23. Dixit uir cui constitutum est de Christo dei Iacob egregius psaltes Israël. Spiritus domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam dixit. 2. Paralip. 26. de Iosia rege: Erat quippe homo agriculturæ deditus. Iudicum 20. Præter habitatores Gabaa qui septingenti erant uiri fortißimi, ita sinistra ut dextra prælian tes, & sic fundis lapides ad certum iacientes, ut capillum quoq; possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. Marci 6. Vnde huic hæc? & quæ est sapientia, quæ data est illi? & uirtutes tales per manus eius efficiuntur? Nonne hic est faber ille filius Mariæ?

Affectus siue affectiones. Proprium. Differentia. Adiacentia. Actus. Efficiens. Euenta.

Harum enim ratio perspicuam solet præ se ferre coniecturam, ut amor, iracundia, molestia, læticia, propterea quod & ipsa uis intelligitur, & quæ res harum aliquid consequantur faciles cognitu sunt. Vergil. lib. Aeneid. 2. Et casum insontis mecum indignabar amici, Si patrios unquam remeassem uictor ad Argos. Promisi ultorem. Sueton. in Vitellio: Pronus ad cuiusq; quacunq; de causa necem. Terent. Eo ne es ferox, quia habes imperium in belluas. Salust. in Cat. Alieni appetẽs, sui profusus, ardens in cupiditatibus. Lucianus de calumnia: Ptolomæus uero, ut qui cæteris in rebus prorsus animi non ualde potens esset. Daniel 13. Auerterunt sensum suum & declinauerunt oculos suos ne uiderent cœlum, id est, cœlestia cogitarent, neq; recordarentur iusticiorum iustorum. Erant enim ambo uulnerati amore eius. Vergil.

gil. Tuaq́; exoptata parenti Vicit iter durum pietas, datur ora tueri. Martialis libro 1.

Qui loquitur Curios, assertoresq́; Camillos,
Nolito fronti credere nupsit heri.

Cice. in Vat. testem: Nimium es uehemens feroxq́; natura. Teren. Hecy. Vno animo omnes socrus oderunt nurus. Verg. Me ne efferre pedē genitor te posse relicto Sperasti? Dido Vergiliana: Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit? Num lachrymas uictus dedit, aut miseratus amantem. Verg. in Pharmaceutria: Credimus, an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt. Terent. Phorm. Nostrapte culpa facimus, ut malos expediat esse, Dum nimium dici nos bonos studemus & benignos. Catullus de Suffeno: Neq; idem unquam æque est beatus ac poëma cum scribit. Tam gaudet in se, tamq́; se ipse miratur. Teren. Eunuc. Adeon homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse. Teren. Heau. Vbi animus semel se cupiditate deuinxit mala, Necesse est consilia consequi consimilia. Terent. Eunucho: Est genus hominum qui esse primos omnium rerum uolunt. Cic. pro L. Murena: Vides ne tu illum tristem, demissum, iacet, diffidit, abiecit hastam. Terent. in Heauton. Matres omnes filijs in peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria solent esse. Cicero ad Attic. lib. 3. ὅπου τὶς ἄλγα κᾶσε ἐς τὴν χᾶρ' ἔχει. Cicero pro lege Manilia: Hoc iam ferè sic fieri solere accepimus, ut regum afflictæ fortunæ facile multorum opes alliciant ad misericordiam maximeq́; eorum, qui aut reges sunt, aut uiuunt in regno, ut regale ijs nomen magnum & sanctum esse uideatur. Vergil. lib. Aeneid. 12. Miseri te si qua parentis, Tangere cura potest, oro, fuit & tibi talis Anchises genitor, Danai miserere senectæ. Animaduertens Diogenes Olympionicem quendam oculos defigere in scortum, adeo ut præteritū capite reflexo intueretur: Ecce, inquit, ut aries Martius, à puella publica, obtorto collo uictus abducitur. Ridiculū existimabat, certare cum electis uiris, & à uili puella, ueluti captiuum trahi sine funibus. Tertij Regum 3. item capite: Dixit autem mulier cuius filius erat uiuus ad regem, commota sunt quippe uiscera eius super filio suo: Obsecro domine, date illi infantem uiuum, & nolite interficere eum. Econtrario illa dicebat: Nec mihi nec tibi sit, sed diuidatur. Respondit rex & ait: Date huic infantem uiuum, non occidatur. Hæc est enim mater eius.

Commotio. Adiacentia. Interna. Accedentia.

Hanc accipi uolunt temporarium animi motum, sicut iram, pauorem, misericordiam. Commotio est animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio, ut: lætitia, dolor, cupiditas, euentus, molestia, gaudium, odium, spes, & alia quæ genere in eodem reperiuntur. ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινα, τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει γνώμην, ἵν' εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει, id est, Postquam deorum quempiam exagitat furor, Hunc undecunq; mente mox spoliat sua. Bonamq́; commutat repente in pessimam peccare sese ut nesciat peccet quibus. Olim in Demosthenem hunc Homeri uersiculum: δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο, id est, Forsan & innocuum culpet uir sæuus & acer. Vulgo iactatum fuisse multorum testimonijs constat. Propterea quod accepta pecunia, nonnunquam & malos defenderet, & oppugnaret bonos. Vergil. in Bucolicis: Quod si non aliqua nocuisses mortuus esses. Vergil. lib. 10. Aeneid. Ingemuit miserans grauiter, dextramq́; tetendit. Et mentem patriæ subijt pietatis imago. Idem libro Aenei. 5. Et uim suscitat ira. Tum pudor incendit uires, & conscia uirtus. Teren. Andria: Adeon' impotenti esse animo, ut præter ciuium morem atq; legem, & sui uolūtatem patris Tamen hanc habere studeat cum summo probro. Terent. Hecyra: Cum puella anum suscepisse inimicitias

non pudet? Terent. Adelphis: Nihil pepercit non puduisse uerberare hominem senem. Quem ego modo puerum tantillum gestaui in manibus meis. Plautus Mercatore: Sum'ne ego miser qui nusquam bene queo quiescere? Si domi sum, foris est animus: sin foris sum, animus domi est. Ita mihi in iecore atq; in corde facit amor incendium. Genes. 4. Iratusq; est Cain uehementer & concidit uultus eius. Dixitq; dominus ad eum: Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Iuuenalis satyra 13. Vindicta nemo magis gaudet, quàm fœmina. Eras. Roterod. lib. 2. Ecclesiastæ: Multos enim impotens pudor aut naturalis timiditas reddit ad dicendum inutiles, quod de Isocrate proditum est literis, quum alioqui scripta hominis mirentur eruditi. Cicero pro Milone & de Aruspicum responsis: Nihil feci iratus, nihil impotenti animo, nihil non diu consideratum, ac multo ante meditatum &c. Terent. Adel. Me miserum, uix sum compos animi, ita ardeo iracundia: nihil est quod malim, quàm illam totam familiam dari mihi obuiam. Vt iram hanc in eos euomam omnem, dum ægritudo hæc est recens. Terentius Phorm. Postquam ad iudices uentum est, non potuit cogitata proloqui, ita eum tum timidum obstupefecit pudor. Vergil. 1. Aeneid. Tantæ ne animis cœlestibus iræ. Vergil. 2. Aeneid. Furor iraq; mentem præcipitat. Vergil. 9. Aeneid. Spes addita suscitat iras. Homerus ἰλ. α. μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφὶ μέλαιναι πίμπλαντ' ὄσσε δὲ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην. Homerus: ὣς καὶ ἐμοὶ δίχα θυμὸς ὀρώρεται ἔνθα καὶ ἔνθα. Cicero pro Milone: At ualuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriæ, punitor doloris sui. Cicero pro Cluentio: Vestram, Iudices, æquitatem & mansuetudinem una mater oppugnat, at quæ mater? quam cæca crudelitate & scelere ferri uidetis, cuius cupiditatem nulla unquam turpitudo retardauit, quæ uitijs animi in deterrimas partes iura hominum conuertit omnia, cuius ea stultitia est, ut eam nemo hominem: ea uis, ut nemo fœminam: ea crudelitas, ut nemo matrem appellare posit, & cæt. eo iam deniq; adducta est, ut sibi præter formam, nihil ad similitudinem hominis reseruarit. Quare, Iudices, si scelus odistis, prohibete aditum matris à filij sanguine. 2. Reg. 16. Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi. Egredere egredere uir sanguinum, & uir Belial. Reddidit tibi dominus uniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo, & dedit dominus regnum in manu Absolon filij tui, & ecce premunt te mala tua, quoniam uir sanguinum es.

Antecedentia. Anteacta, dictaq; & consequentia. Actus. Contingentia. Effecta.

Antecedentia sunt ut iurgium ante cædem, colloquium ante adulterium. Adiuncta, ut clamor & strepitus in cæde, cultior habitus in adultero. Consequentia, ut fuga & latebræ post cædem, rubor in uultu, & sparsa coma post adulterij congressum. Valent autem ista non ad coniecturam modo, sed etiam ad qualitatem demonstrandam, ut cum ex anteacta uita, ex dictis & factis crimen colligitur, & cum ad odium, inuidiam & commiserationem persona tractatur. Tota ferè peroratio Miloniana desumpta est ex anteacta Milonis uita. Ex præteritis enim æstimari solent præsentia. Facta autem & casus, & orationes tribus ex temporibus considerabuntur, quid fecerit, aut quid ipsi acciderit, aut quid dixerit, aut quid faciat, quid accidat, quid dicat, aut quid facturus sit, quid ipsi casurum sit, qua sit usurus oratione. Item facta & casus & orationes, quæ sunt omnia in tria tempora distributa, facile erit uidere: nunquid afferant ad coniecturam confirmandam suspitionis. Cicero pro Milone: Res erat minime obscura. Etenim palam dictitabat consulatum Miloni eripi non posse, uitam posse. Significauit hoc sæpe in senatu, dixit in concione, & quæ sequuntur. Ac mox deinde: Quum

ante

ante diem tertium prædixerit Clodius Milonem periturum, cum ille non dubitauerit quid esset facturus aperire, uos potestis dubitare quid fecerit? Cicero in Catil. Notat ac designat oculis ad cædem unumquenq; nostrum. Plaut. Mercatore:

Nam amorem hæc cuncta sectari solent:
Cura, ægritudo, nimiaq; elegantia.
Sed amori accedunt etiam præter quæ diximus,
Insomnia, ærumna, error, & terror, & fuga,
Ineptia, stultitiaq;, adeo & temeritas
Incogitantia, excors immodestia.
Petulantia, cupiditas, & maleuolentia.
Inhæret etiam auiditas, desidia, inimicitia,
Inopia, contumelia, & dispendium.

Ecclesi. 22. Ante ignem uapor camini & fumus: sic ante sanguines conuitia. Cicero pro Ligario: Principum dignitas erat penè par, non par fortasse eorum qui sequebantur, causa tum dubia, quod erat aliquid in utraq; parte quod probari posset, nunc melior certe ea iudicanda est, quam etiam dij adiuuerunt. Cicero pro Milone: Vos ex M. Fauonio audistis Clodium sibi dixisse, & audistis uiuo Clodio, periturum Milonem triduo: post diem tertium, gesta res est, quam dixerat. Aphthonius de loco communi: Liquet enim immoderata præterita tulisse ipsum, quibus ad tantum flagitij peruenit.

Consilia. Destinata. Effecta. Finis.

Consilia autem & præsentis, & præteriti, & futuri temporis. Consilium est aliquid faciendi, aut non faciendi uere excogitata ratio. Intuenda uidentur & consilia, quæ late patent, an credibile sit reum sperare, id à se scelus effici posse, an ignorari cum fecisset, an etiam si ignoratum non esset absolui, uel pœna leui transigi, uel tardiore, uel ex qua minus incommodi consecuturus, quàm ex facto gaudij uideretur, an etiam tanti putauerit pœnam subire, posthæc an alio tempore & aliter facere, uel facilius uel securius potuerit: ut dicit Cice. pro Milone plurimas enumerans occasiones, quibus ab eo Clodius impune occidi potuerit. Præterea cur potißimum illo loco, tempore, illo modo, sit aggressus, & ipse diligentißime tractatur pro eodem locus. An etiamsi nulla ratione ductus est, impetu raptus sit, & absq; sententia. Nam uulgo dicitur scelera non habere consilium, an etiam consuetudine peccãdi allectus. Cicero pro Milone: Vbi uidit homo ad omne facinus paratißimus, fortißimum uirum, inimicißimum suum, certißimum consulem: idq; intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragijs Po. Ro. sæpe esse declaratum, palam agere cœpit, & aperte dicere occidendum Milonem. Seruos agrestes, & barbaros, quibus syluas publicas depopulatus erat Etruriamq; uexarat, ex Appennino deduxerat, quos uidebatis: res erat minime obscura. Terentius Adelphis: Ego nouus maritus anno demum quinto & sexagesimo fiam, atque anum decrepitam ducam? Id ne estis autores mihi? Etsi hoc mihi prauum, ineptum, absurdum, atque alienum à uita mea uideatur: Si uos tantopere uultis, fiat. Terent. in Andria: Repudiatus, inquit, repetor. Quamobrem? nisi id est, quod suspicor aliquid monstri alunt. Ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me. Tit. Liuius lib. primo ab urbe cond. Vbi obstinatam uidebat, & ne mortis quidem timore inclinari, addit ad metum dedecus, cum mortua iugulatum seruum nudum positurum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur.

Habitus animi. Adiacentia. Subiectum. Efficiens.

Quo tractatur, amicus, an inimicus: & quae industria comparantur, ad habitum pertinent. Habitum autem appellamus animi constãtem & absolutam aliqua in re perfectionem, ut uirtutis & artis perceptionem alicuius, aut quamuis scientiam. Homerus: ἀνὴρ παλαιὰ τε πολλά τε εἰδώς. ὀδυσ 2. οἷος ἐκεῖνος ἔην βουλῇ τ' ἠδ' ἐν μάχῃσι, id est, simul & consilio ualebat & facto. Homerus Iliad. γ. ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής, id est, Dux bonus, ac miles praepollens uiribus idem. Plaut. Asinaria: Poëta es ad eam rem unicus. Cicero pro Roscio Amer. Accusant hi, qui in fortunas eius inuaserunt. Cicero 5. in Ver. actione: Non enim furem, sed raptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae: non sacrilegũ, sed hostẽ sacrorum religionumq́: non sicariũ, sed crudelissimũ carnificem ciuium sociorumq́; in uestrum iuditiũ adduximus. Teren. Adel. Tu quantus quantus es nihil nisi sapientia es. Ille futilis, somniũ. Ibidẽ: Homine imperito nunq̃ quicq̃ est iniustius. Qui nisi quod ipse fecit nihil rectum putat. In Cn. Domitium Sexti Neronis atauum, cui cognomen fuit Aenobarbo, L. Crassus orator dicebat, non esse mirandũ quod aeneã haberet barbã, cui os ferreũ, cor plumbeũ esset. Os ferreũ obijciẽs propter summã impudentiã, cor plumbeũ ob ingenij stuporem.

Nomen. Nomen rei.

Nomen est quod unicuiq; personae datur, quo suo quaeq; res proprio & certo uocabulo appellatur. Nomen autem cum dicimus cognomen & agnomen intelligatur oportet: Nam & de nomine nonnunquam aliquid suspitionis nascitur. Plaut. Sticho: Gelasimo nomen mihi indidit paruo pater, propter paupertatem hoc adeo nomen reperi. Quia iam inde à pusillo puero ridiculus fui, eò quia paupertas fecit, ridiculus forem. Nam illa artes perdocet, ubi quem attigit. Crocociũ ancilla hunc sic alloquens. Gelasime salue. Gelasimus: Non est id nomẽ mihi. Croco. Certo mecastor id fuit nomen tibi. Gela. Fuit, uerum id usu perdidi. Crotogus nunc ex uero uocor μικροτωγὸς, id est, micas comedẽs. Vide fabulam de Iro, cuius mentionem facit Homerus odyss. Σ. scribitq́; eum publicum fuisse mendicum apud Ithacenses, corpore specieq́; praegrandi à matre dictum Arnaeum, à iuuenibus Irum fuisse nominatum, quod iret nuncius quoquo iussus esset. Cum quidã Diogeni referrent Didymonẽ moechũ comprehensum: dignus est, inquit, ex ipso nomine suspendi. Porrò Didymi Graecis testiculi dicũtur: ab ijs igitur unde nomen habebat, & quibus peccauerat uult eum suspendi. Ioan. 1. cap. Tu es Simon filius Ionae, tu uocaberis Cephas, quod sonat si interpreteris, lapis. Hieron. in epist. ad Nepotianũ de uita clericorũ: Igitur clericus qui Christi seruit ecclesiae, interpretetur primo uocabulũ suũ et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Graece, sors Latine appellatur, propterea uocãtur clerici, uel quia de sorte domini sunt, uel quia ipse dominus sors, id est, pars clericorum est. Eras. lib. 2. Ecclesi. Licet ipse habitus orthodoxus, tamen uxorẽ habuit nomine Eudoxam, re cacodoxam uidelicet Arianam. Cice. in 11. Philip. Lysidicũ ipsum in Graeco uerbo qui omnia iura dissoluit. Iam uero qui in singula personarum attributa & alia uolet habere exẽpla, is legat licebit Fab. Quintil. lib. 5. cap. 10. & lib. 7. cap. 4. Consultum Chirium Fortunatianũ artis rhetorices lib. 2. Geor. Trapezon. lib. rhetoricorum 3. circa medium. Erasmum in opere de conscribendis epist. Sulpitiũ Victorẽ ad Marcum Silonem.

Attributa rerum. An uoluerit.

Causa. Efficiens. Destinata. Finis.

Causa per quam, & quamobrem, & cuius rei causa sit quaeritur. Cicero pro Milone: Satis est quidẽ in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnã ei causam, magnã spem in

Milo-

Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Cicero pro lege Manilia: Quo tandem animo esse existimatis aut eos qui uectigalia uobis pensitant, aut eos qui exercent atq; exigunt, cum duo reges cum maximis copijs prope adsint, cum una excursio equitatus perbreui tempore totius anni uectigal auferre poßit, & quæ sequũtur. Verg. 2. Aeneid. Quem falsa sub proditione Pelasgi Insontẽ infando inditio quia bella uetabat, Demisere neci. Plaut. Sparsisti aquam iam redijt animus. Aeneas apud Vergilium lib. Aen. undecimo adhortans sepeliri occisos, causam addit:

Interea socios, inhumataq; corpora terræ
Mandemus, qui solus honos Acheronte sub imo
Ite ait, egregias animas quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperêre suo.—

Terentius in Hecyra: Pueri inter sese quàm pro leuibus noxijs iras gerunt. Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus infirmum gerunt. Verg. 5. Aeneid.

Haud equidem sine mente reor sine numine diuûm.

Q. Curtius lib. 4. de rebus gestis Alexandri de Optolomino loquens inquit: Causa ei paupertas sicut plerisq; probitas erat. Vergilius lib. Aeneid. 2.

Assensere omnes, quia quæ sibi quisq; timebat,
Vnius in miseri exitium conuersa tulere.

Ecclesiastæ 8. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absq; timore ulle filij hominum perpetrant mala.

Locus. An potuerit.

Locus consideratur in quo res gesta sit, ex oportunitate quam uideatur habuisse ad negocium administrandum. Ducuntur uidelicet argumẽta, ut ex loco. Spectatur enim ad fidem probationis montanus, an planus, an maritimus, an mediterraneus, consitus, an incultus, frequens, an desertus, propinquus, an remotus, oportunus consilijs, an aduersus. Frequens est loci usus in laudando & uituperando, tum in consilijs tractandis. Vt cum à patria quis, à loco educationis & studij, laudatur & uituperatur. Item cum facultas rerum gerendarum ex loci conditione quæritur. Valet etiam in coniecturis, & in amplificanda re sæpe commode adhibetur. Vt cum factum probatur ex loci facultate, aut cum ex eiusdem circunstantia crimen augetur. Vt obiectum Miloni quod Clodium in monumentis maiorũ suorum occidisset. Cicero in Verrem: Stetit soleatus prætor pop. Rom. pallio purpureo, tunicaq; talari, muliercula nixus in littore. Verg. 2. Aeneid.

Fatale aggreßi sacrato auellere templo
Palladium: cæsis summæ custodibus arcis:
Corripuere sacram effigiem, manibusq; cruentis
Virgineas ausi diuæ contingere uittas.

Cicero pro Roscio Ame. Domus officina nequitiæ &c. Cicero in 5. Philip. Illud uero teterrimum auditu, non modo aspectu, in cella Concordiæ collocari armatos, è templo carcerem fieri? Actorum 16. Paulus apud Philippos laceris uestibus, uirgarum uulneribus, lacero corpore, uinctus in imo carceris, ieiunus noctu canit cum Sila collega. Seneca in ludo ridet Claudiũ, quod cum Romæ fuisset audacißimus, in cælo non auderet hiscere: Gallum inquit in suo sterquilinio plurimum posse. Terẽ. in Eunucho: Quis homo pro mœcho unquam uidit in domo meretricia deprehendi quenquam. Verg. 3. Aeneid.

Sed quis ad Hesperiæ uenturos littora Teucros
Crederet.— Verg.8.Aeneid.—Hæc illum regia cepit. Vergilius:
O felix una ante alias Priameia uirgo
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis Iussa mori.

Cicero pro Ligario: An ille, si potuisset illinc ullo modo euadere, Vticæ potius quàm Romæ cum P. Actio, quàm cum concordißimis fratribus? cum alienis esse quàm cum suis maluisset? Vergilius:

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros. Verg.
Cum uitam in syluis inter deserta ferarum
Lustra domosq; traho.— Verg.2.Aeneid. de Cassandra:
Ecce trahebatur à templo adytisq; Mineruæ.

Et alibi: Diuæ armipotentis ad aram procubuit. Excipit incautum patriasq; obtruncat ad aras. Vide exordium pro Deiotaro in orat. Cicero. Cicero in Verrem act. 6. Sed etiam delubra sanctißimis religionibus consecrata depeculatus est. Plautus in Bacchidibus: O stulte ne scis nescis nunc uenire te, Atq; in eo astas lapide, ubi præco prædicat. Cicero in Verrem: Res illum diuinas apud eos deos in suo sacrario prope quotidie facere uidisti. Vergilius libro Aeneidos decimo:

Sternitur infelix alieno uulnere, cœlumq;
Aspicit, & dulceis moriens reminiscitur Argos.

Et ecce unus de filijs Israel errauit coram fratribus suis, ad scortum Madianitiden, uidente Moyse, & omni turba filiorum Israel qui flebant ante fores templi. Num. 25. Alexāder Mileti quū uidisset multas statuas eorum qui in Olympijs ac Pythijs uicerant, easq; pergrandes: Et ubi, inquit, erant tam magna corpora, quum Barbari uestram urbem obsiderent?

Tempus Tempus.

Tempus autem est id quo nunc utimur, hic tractatur tempore uel diurno cum testes plures, uel nocturno cum maior difficultas. Ad suadendi momenta idem ualet sicut locus, nunc, olim, tunc, deniq; præteritum, instans, futurum, æstas, hyems, nox, interdiu, in pestilentia, in bello, in conuiuio. Cicero pro Cœlio: Si quis forte nūc iudices adsit ignarus legū, iudiciorum, consuetudinis uestræ, miretur profecto quæ sit tanta atrocitas huius causæ, quod diebus festis, ludisq; publicis, omnibus negocijs forensibus intermißis, unū hoc iuditium exerceatur. Homerus Odyss. 21. νῦν μὲν γὰρ κατὰ δῆμον ἑορτὴ τοῖον θεοῖς. Plaut. Aulu. Tum autem interdiu, quasi claudus sutor domi sedet totos dies. Vergil. 4. Aeneid.

Et medijs properas aquilonibus ire per altum. Verg.
Tertia iam lunæ se cornua lumina complent
Septima post Troiæ excidium iam uertitur æstas.

Cicero pro P. Qu. Septingenta millia passuum uis esse decursa biduo. Teren. in seipsum excruciante: Et nosti mores mulierum, dum comūtur dum poliuntur annus est. Plaut. Persa: Sed quid cessamus præliū cōmittere, Dum mane est, oēs esse mortales decet. To. Nimis pene mane est. Sa. Mane quod tu occeperis negotium agere id totum procedit diem. Plaut. in Mustel. A mane ad noctem usq; in foro expectat. Homerus Iliad. μ. οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν, Id est, ut nunc sunt homines. Cicero pro Milone: Cuius iam pridem testimonio Clodius eadem hora Interamnæ fuerit & Romæ. Terentius in Adelph. Persuasit nox, amor, uinum, adolescentia. Humanū est. Idem in eadem fabula: Amicis opera dari potest interdiu, sed si hic pernocto

nocte causæ quid dicam Syre? In consulatu Vatinij, quem paucis diebus gessit, notabilis Ciceronis urbanitas animaduersa est, magnum ostentum inquit, anno Vatinij factum, quod illo cõsule nec bruma, nec uer, nec æstas, nec autumnus fuit. Obiurgantibus quod homo sexagenarius puellam uirginem duxisset: Cras inquit Cicero mulier erit. Iocans hoc probrum mox eluendum. Nam postridie non poterat obijci, quod uirginis esset spõsus. Cicero pro Milone: Videte nunc illum egredientem è uilla subito, cur uesperi, quid necesse est tarde, qui cõuenit, præsertim id temporis. Plautus: Iam quasi uulturij triduo prius prædiuinant quo die esuri sient. Horatius: sub Galli cantum consultor ubi ostia pulsat. Cicero in Pisonem: Inde nocte in tempesta crepidatus ueste seruili nauem cõscendit. Lucianus in Nigrino: ἤδη ἔαρ καὶ πόθεν ὁ τάως οὗτος, τάχα τῆς μήτρος ἐστιν αὐτῇ, Id est, Iam uer est & unde nobis pauo hic? fortasse fieri posit uti materna sit uestis. Cæsar lib. 3. Nactus idoneam ad nauigandum tempestatem tertia fere uigilia soluit. Cicero pro lege Manilia: Ita tantũ bellum tam diuturnum tam longe lateq; dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte uere suscepit, media æstate confecit.

Occasio siue ἀφορμαὶ ἔργων. Tempus.

Occasio autem est pars temporis habens in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi oportunitatẽ. Cicero pro lege Manilia: Quod si Romæ Cn. Pompeius priuatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atq; mittendus: nunc cum ad cæteras summas utilitates hæc quoq; oportunitas adiungatur, ut in his ipsis locis habeat exercitum, ut ab ijs qui habent accipere statim posit quid expectamus? aut cur non ducibus dijs immortalibus eidem, cui cætera summa cum salute reip. commissa sunt: hoc quoque bellum regium committamus. Cicero pro Milone. Quem igitur cum omni gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, quem non impune non est ausus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitauit occidere? Teren. Heauton. Datur, modo fruare dũ licet, nam nescias Eius sit potestas posthac an unquam tibi. Terent. Adelph. Illuc uide ut in ipso articulo oppresit. Plautus Persa: Ipsa mihi oportunitas non potuit oportunius aduenire. Ea nunc occasio decidit de cœlo. Cicero: O Brute ubi es quantam εὐκαιρίαν amittis. Verg. 3. Aeneid. Iamq; dies alterq; dies processit & auræ Vela uocant tumidoq; inflatur carbasus euro. Vergil. 5. Aeneid. Placidi strauerunt æquora uenti, Creber & aspirans rursus uocat auster in altum. Vergil. 8. Aeneid. Fatis huc te poscentibus affers. Idem in 8. Euriole audendum dextra nunc ipsa uocat res. Vergilius 11. Aeneid.

Nec ueni nisi fata locum, sedemq; dedissent.

Homerus: εἰ δὲ κεν εὐπλοίην δώῃ κλυτὸς ἐννοσίγαιος. Homerus: αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. Item: προφάσεως δεῖται μόνον ἡ πονηρία, Id est, Occasione duntaxat opus est malitiæ. Demosthenes in Olynthia. mirari non oportet nos cunctabundos & rem suffragijs decernentes, superatos à Philippo esse belligerante, præsente omnibus nec occasionem ullam è manibus dimittente. Casus. Contingentia.

Casus autem qui & ipse præstat argumentis locum sine dubio est ex insequentibus, sed quadã proprietate distinguitur, ut si dicã melior dux Scipio, quã Hannibal, uicit enim Hannibalẽ, bonus gubernator nunquam fecit naufragium, bonus agricola, magnos sustulit fructus, & contra, sumptuosus fuit, patrimonium exhausit, turpiter uixit, ideo uel oĩbus inuisus est. Cicero pro lege Manilia: Sic Mythridates fugiens maximam uim auri atque argenti, pulcherrimarum'que rerum omnium, quas & à maioribus acceperat, & ipso bello superiore

ex tota

ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Hæc dum nostri colligunt omnia diligentius, rex ipse è manibus effugit. Ita illū in persequēdi studio mœror, hos lætitia retardauit. Plautus Bacchidibus. Lydus. O baratrum, ubi nunc es, ut ego usurpem lubens. Video, nimio iam multo plusquàm uolueram Vixisse, nimio satius est, quam uiuere, Magistron' quenquam discipulum minitarier? Nihil moror discipulos mihi esse tam plenos sanguinis, Valens afflictat me nunc uacuum uirium. Pimetrio: Eia nunc esse ego opinor Hercules, tu autem Linus. Ly. Pol me tuo magis ne Phœnix tuis factis fiam, Teq; ad patrem esse mortuum renunciam. T. Liuius decad. 1. lib. 1. Quo terrore cum uicisset obstinatam pudicitiam uelut uictrix libido profectusq; inde Tarquinius ferox expugnato decore muliebri esset. Plautus: Adeon' me fuisse fungum, ut qui illi crederem. Idem: Non quod pueri clamitāt in faba se reperisse. Plautus: Tum deniq; omnes nostra intelligimus bona, quum quæ in potestate habuimus ea amisimus.

Quæ præcesserunt, quæ adiuncta rei, quæ consequuta. Contingentia antecedentia, adiuncta, consequentia.

Principio recensenda sunt ante rem gestam, quæ facta sunt continenter ad ipsum negocium. Deinde in ipso gerendo negocio quid actum sit. Ad extremum quid postea factum. D. Erasmus in tertia locupletandi ratione posterioris copiæ cōmentarij. Cicero ad Herennium lib 4. de demonstratione in id appositißimum habet exemplum. Cicero 2. de Oratore: Consilia primum, deinde acta, postea euentus expectatur. Teren. in Phor. Persuasit homini, factum est, uentum est, uincimur, duxit. Exempla uero horum omnium nusquam non occurrunt apud Ciceronem præsertim pro Milone & S. Roscio. Teren. Phor. Suspenso gradu placide ire perrexi, accesßi, astiti, animam compreßi, aurem admoui, ita enim cœpi attendere hoc modo sermonem captans. Terentius: Placuit, despondi, hic nuptijs dictus est dies. Sic Liuius primo Punico bello narrat qua fraude circumuentus & captus fuerit Regulus, quomodo Romā missus, quid egerit in senatu: qua fide redierit, quo animi robore, qua constantia, in exquisito tormenti genere, in summo cruciatu ad ultimum usq; spiritum perdurauerit. Cicero Philippic. 9. Declarauit quàm odisset senatum, cum autorem senatus extinctum lætè atq; insolēter tulit. Cicero in 2. Philip. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum uini in Hippiæ nuptijs exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu uomere postridie.

Facultas. Causa efficiens, Destinata.

Facultates sunt aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest. Intuendæ sunt præcipue in coniecturis & facultates. Credibilius est, occisos à pluribus pauciores, à firmioribus imbecilliores, à uigilantibus dormientes, à præparatis inopinantes, quorum contraria in diuersum ualent. Hæc & in deliberando intuemur, & in iudicijs ad duas res solemus referre, an uoluerit quis, an potuerit. Nam & uoluntatem spes facit. Hinc illa apud Ciceronem coniectura, insidiatus est Clodius Miloni non Milo Clodio. Cicero pro Milo. Itaq; anteuertit. At quo die? quo (ut ante dixi) insanißima cōcio ab ipsius mercenario Tribuno pleb. est concitata: quem diem ille, quam concionem, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus properaret, nunquam reliquisset. Cicero pro lege Manilia: Hoc tantum bellum, tam turpe, tam uetus, tam late diuisum atq; dispersum, quis unquam arbitraretur aut ab omnibus imperatorib. uno anno, aut oībus annis ab uno imperatore &c. Cicero pro Milone: Cū alter ueheretur in rheda penulatus, una sederet uxor, quid horum non impeditißimum? uestitus?

stitus? an uehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam? cum penula irretitus, rheda impeditus, uxore pene constrictus esset. Cicero: Philippus omnia castella expugnari posse dicebat in quæ modo asellus onustus auro posset ascendere. Plautus: Tam hoc quidem tibi in procliui, quàm imber est, quando pluit. Teren. Heauton. Sed uereor ne me absente mulier corrupta sit. Concurrunt multæ suspiciones quæ mihi animum exaugeãt, locus, occasio, ætas, mater sub imperio cuius est mala. Plautus Curculione: flamma fumo est proxima, fumo comburi nihil potest, flamma potest. Teren. Adelph. Intus psaltria est. Domus sumptuosa, adolescens luxu perditus, Senex delirans. Ipsa si cupiat salus seruare, prorsus non potest hanc familiam. Verg. Aeneid. 10. Non hæc humanis opibus non arte magistra, Proueniunt. Verg. 12. Aeneid. Et nodum informis leti trabe nectit ab alta. Vergil. 2. Aeneid. Patet isti ianua leto. Idem in 5. Aeneid. Prosequitur surgens à puppi uentus euntem. Verg. 5. Aeneid. Possunt quia posse uidentur. Verg. 5. Aeneid. Exigui numero, sed bello uiuida uirtus. Vergilius secundo Aeneidos: Inuadunt urbem somno uinoq; sepultam.

Instrumentum & materia. Destinata, Subiectum, Actus.

Hinc illa apud Ciceronem coniectura, insidiatus est Clodius Miloni non Milo Clodio, ille cum seruis robustis, hic cum mulierum comitatu, ille equis, hic in rheda, ille expeditus, hic penula irretitus. Quamobrem si cruẽtum gladium tenens clamaret T. Annius: Adeste quæso atq; audite ciues P. Clodium interfeci: eius furores, quos nullis iam legibus, nullis iudicijs frenare poteramus, hoc ferro, & hac dextra à ceruicibus repuli, per me unum effectum est: ut uis, æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia, in ciuitate manerent. Cicero pro Milone: Cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum facibus ad Castoris, cum gladijs toto foro uolitarunt. Homerus Iliad. 5. ἀινείας δ᾽ ἐπόρουσε σὺν ἀσπίδι δουρί τε μακρῷ, Id est, Obuius Aeneas clypioq; insurgit & hasta. Verg. lib. 12. Bigis it Turnus in albis, Ima manu læto crispans hastilia ferro. Verg. de Euriali matre. Excussi manibus radij reuolutaq; pensa euolat infelix. Sic Cicero in Verrinis queritur flammam ex lignis uiridibus factam atque ibi inclusum fumo necatum. Idem facit & quum flagellis cæsum queritur ciuem Romanum. Vergilius: At pater omnipotens densa inter nubila telum Contorsit non ille faces, nec fumea tædis. 1. Regno. 19. Nisusq; est Saul configere Dauid lancea in pariete & declinauit Dauid à facie Saulis, lancea autem casso uulnere perlata in parietem. Cicero pro L. Flacco, Publio Lentulo ferrum, & flammam de manibus extorsimus. Plautus in Penulo, sine pẽnis uolare haud facile est, meæ alæ pennas non habent. Idem: Dedisti ei gladium qui se occideret. Terentius: Suo sibi hunc gladio iugulo. T. Liuius lib. primæ decad. 10. Brutus illis luctu occupatis, cultrũ ex uulnere Lucretiæ extractum manante cruore præ se tenens. Plaut. in Rudente: Equo ligneo per uias cæruleas estis uecti. Teren. in Phor. Vi coactum te esse inuitum, lege, iudicio, tenes? Verg. 12. Aeneid. Densi cuneis se quisq; coactis agglomerant. Verg. 9. Aeneid. Fidite ne pedibus ferro rumpenda per hostes Est uia. Verg. 10. Aeneid. Irritatq; uirum telis et uoce lacessit. T. Liuius lib. primo ab Vrb. condita: Vterq; agrestibus ferramẽtis in uestibulo regiæ quàm potuere tumultuosissime, specie rixæ in se omnes apparitores regios cõuertunt alter elatam securim in caput deiecit relictoq; in uulnere telo ambo se foras eijciunt. Cicero in Pisone: Quẽ ne maiorũ quidẽ more supplicio affecisti, quũ miser ille securib. hospitis seu ceruices subijcere gestiret, sed ei medico, quẽ tecũ eduxeras imperasti ut uenas hoĩs incideret.

Signum. Effecta.

Signum, ut spiculum in corpore inuentum. Sic Quintil. in pariete palmato, ingens domus

spacium, cruore notatum, & noctem electam scelere gladium adolescentis relictum, & institũ tum filium hæredem, cuncta uelut delibans aperit sibi iudicum aures facilioremq; uiam defensioni suæ sternit. Cicero in partitionib. oratorijs de cõiectura: Consequentia quædam signa præteriti & quasi impressa facti uestigia, quæ quidem uel maxime suspitionem mouet, et sint quasi tacita criminum testimonia: Vt telum, ut uestigium, ut cruor, ut deprahensum aliquid, quod ablatum ereptum ue uideatur, ut responsum inconstanter, ut hæsitatum, ut titubatum, & cum aliquo uisus ex quo suspitio oriatur, ut eo ipso in loco uisus in quo facinus peractum sit, ut pallor, ut tremor, ut scriptum aut obsignatum aut depositum quidpiam. Fabius libro sexto: Non solum autem inquit dicendo, sed etiam faciendo quædam lachrymas mouemus, unde & producere ipsos qui periclitentur squalidos atq; deformes, & liberos eorum ac parentes institutũ & ab accusatoribus ostendi cruentum gladium, & lecta è uulneribus ossa & uestes sanguine perfusas uidemus. Cicero lib. 2. de ora. Si & ferro interfectus ille, & tu inimicus eius cum gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco, & nemo præter te uisus est, & causa nemini, & tu semper audax, quid est quod de facinore dubitare possimus? Cicero in L. Pisonem: Deprehensus cum ferro ad senatum is quem ad Cn. Pompeium interimendũ collocatum fuisse constat. Cicero pro Milone: Comprehẽsus est in templo Castoris seruus P. Clodij, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. Extorta est confitenti sica de manibus. Ester 7. En lignum quod parauerat Mardochæo. Cicero in Paradoxis: Non appellatur inimicus qui cum telo fuerit? ante senatum tua sica deprehensa est.

Modus, Adiacentia, Efficiens, Finis, Locus, Tempus.

Modus autem est in quo, quemadmodum, & quo animo factum sit quæritur, si grauiter, si contumeliose, clam, palam, ui, persuasione, inscitia, casu, necessitate, molestia, iracũdia, amore. Cicero pro Milone: Tu P. Clodij cruentũ cadauer eiecisti domo, tu in publicũ eiecisti, tu spoliatum imaginibus, exequijs, pompa, laudatione infelicißimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandũ reliquisti. Cicero pro Milone. Obuiam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus ut solebat, sine uxore, quod nunq̃ fere, cũ hic insidiator qui iter illud ad cædem faciendã apparasset, cum uxore ueheretur in rheda penulatus, uulgi magno impedimẽto ac muliebri & delicato ancillarum puerorumq; comitatu. Verg. Voluitur ille uomens calidum de pectore flumen Frigidus infractum hesterno ue nas ut semper Iaccho. Idem de Orpheo: Latos iuuenem sparsere per agros. Verg.

Mortua quinetiam iungebat corpora uiuis,
Componens manibusq; manus, atq; oribus ora.
Tormenti genus, & sanie taboq; fluenti,
Complexu in misero: longa sic morte necabat.

Vergil. lib. Aeneid. 2. —Altaria ad ipsa trementem
Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati
Implicuitq; comam læua, dextraq; coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.

Verg. lib. Aeneid. 10. —Et terra subleuat ipsum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos.

Idem 9. Aenei. Hunc ego te Euryale &c. Ouidius in descriptione somnis

Vix oculos tollens iterumq; iterumq; relabens,
Summaq; percutiens nutanti pectora mento,

Excußit

Excußit tandem sibi se cubitoq; leuatus.

Verg. 2. Aenei. —Cæsis summæ custodibus arcis
Corripuere sacram effigiem, manibusq; cruentis
Virgineas ausi diuæ contingere uittas.

Teren. Phor. Nisi mihi prospicio, hæreo, hi gladiatorio animo ad me affectant uiam. Cicero in Pisonem: Meministi'ne cœnum? cum ad te quinta ferè hora cum C. Pisone uenissem, nescio quo è gurgustio te prodire, inuoluto capite, soleatum: & cum isto ore fœtido teterrimam nobis popinam inhalasses. T. Liuius decad. 1. lib. 1. Cum post cœnā in hospitale cubiculū ductus esset amore ardens, postea quàm satis tuta circa, sopitiq; oēs uidebantur, stricto gladio ad dormientem Lucretiam uenit, sinistraq; manu mulieris pectore oppresso: Tace Lucretia (inquit) Sex. Tarquinius sum, ferrum in manu est, morieris si emiseris uocē. Verg. li. Aen. 8. Et scissa gaudens uadit discordia Palla Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello. Cicero quinta in Verrem actione: Facinus est uincire ciuem Romanum, scelus uerberare, parricidiū necare. Quid dicā in crucem tollere? uerbo satis digno tā nepharia res appellari nullo modo potest. Cice. pro lege Mani. Legati, quod erant appellati superbius, Corinthū patres uestri totius Græciæ lumen extinctum esse uoluerunt, uos eū regē tutum esse patiemini, qui legatū pop. Rom. consularē, uinculis ac uerberibus atq; omni supplicio excruciatū necauit? Vergil. 6. Aen. Nec non & Tityon terræ omnipotentis alumnum Cernere erat, per tota nouē cui iugera corpus Porrigitur, rostroq; immanis uultur adunco Immortale iecur tōdens, fœcundaq; pœnis Viscera, rimaturq; epulis, habitatq; sub alto Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis. Vergilius Aeneid. primo:

Ipsa sed insomnis inhumati uenit imago
Coniugis ora modis attollens pallida miris
Crudeles aras, traiectaq; pectora ferro
Nudauit, cæcumq; domus scelus omne retexit. Vergilius:
Parte alia fugiens, amißis Troilus armis:
Infelix puer atq; impar congressus Achilli
Fertur equis, curruq; hæret resupinus inani
Lora tenens tamen, hinc ceruixq; comæq; trahuntur
Per terram, & uersa puluis inscribitur hasta.

Vergilius de Darete: Ast illum fidi æquales genua ægra trahentem, Quassantemq; utroque caput, crassumq; cruorem Ore eiectantem. Vergilius: Aereq; cruento Puluere perq; pedes traiectus lora tumentes. Idem:

Huc caput atq; illuc humero ex utroq; pependit.

Liuius 4. tertiæ decad. Cum integri saucijs, uiui mortuis cumularentur. Actorum 16. Cæsos nos publice, indicta causa, cum simus Romani coniecerunt in carcerem, & nunc occulte nos eijciūt? Reliquas περιστάσεις prudens omitto, quod non admodum ad inuentionem facere uideantur, & nobis propositum sit, ea duntaxat persequi, quæ proprie pertineant ad id quod instituimus. Nisi quæ me forte fugiunt hæc sunt ferè de attributis capita. Sunt & aliæ circumstantiarum partes quas Hermagoras μόρια περιστάσεως uocat, Theodorus στοιχεῖα πράγματος. Quintilianus libro tertio cap. 7. Idem libro quinto cap. 10. In omnibus inquit, quæ fiant quæritur quare, ubi, quando, quomodo, aut per quem facta sunt. Cicero lib. 1. de Inuent. in præceptis confirmationis. Idem in eodem, de coniecturali constitutione fusius

 expli-

explicat attributa. Lege Consultũ Chirium lib. 3. cap. de Thesi. Quis, quid, quando, ubi, cur, quemadmodum, quibus adminiculis. Et huius generis argumenta, quanquã proprie ad Rhetores pertineant, nempe, quæ probabilia fere & non necessaria sunt, tamen dialecticas formas induũt, quum aut syllogismis, aut epagogis, aut enthymematis uinciuntur, ut si argumenteris, Traiani adolescentia à bonis magistris formata est, est igitur uerisimile, bonum principem Traianum fore. Addendum illud etiamsi minutius, descriptiones rerum, personarum, locorum ac temporum præcipue quidem constare circunstantiarum explicatione earum præsertim quæ rem oculis maxime subijciunt ac moderatam reddunt narrationem. Quæ tametsi nonnunquam minutæ uidentur, tamen nescio quo pacto mirum in modum rem ob oculos ponunt. Quid quod usus attributorum persæpe necessarius sit & in schematis obscuris, per quæ id quod apertius dictum, non dubiũ quin aures alioqui offenderet, tectius occultiusq; dicitur. Cuiusmodi est illud apud Q. Curtium, quum uellet interrogare Darius rex ab uxore sua: Ecquid ei uim intulisset Alexander, ac propter ingenuum ingentemq; fœminæ amorem puderet id tam obscœnis de ea uerbis sciscitari dixit: Ausus ne est quippiam & dominus, & iuuenis? Subindicans in iuuene uoluntatem libidinis, in domino potestatem, quibus duabus rebus omnia designantur flagitia. Significauit quidem id ipsum quod apertius dicturus erat, sed interim ab omni uerborum turpitudine abstinuit. Circunstantiæ item ad iudiciales controuersias, & in his quidem coniecturales sunt accommodatiß. Eras. in posteriore Copiæ commentario octaua locupletandi ratione: Conducit autem ad multa circunstantiarum aptus ac tempestiuus usus, primum ad amplificandum atq; extenuandum. Deinde ad euidentiam, præterea ad confirmationem & probabilitatem. Facit enim ut tota oratio densis, ac crebris argumentis undiq; differta sit & communita. Quæ tametsi non explices, quasiq; in aciẽ educas, tamen pugnant per sese, causamq; non mediocriter adiuuant. Vt quemadmodum licet aliud agentem, tamen cognoscere liceat, palestricæ aut musicæ peritum: ita ubiuis ex huiusmodi circunstantijs cõmode suo loco admixtis, rhetorem intelligere posis. Gregorius Nyssenus de uoluntario & inuoluntario cap. 2. His itaq; determinatis quænam sint singularia dicendum est, hæc autem sunt quæ à rhetoribus circunstantes particulæ uocantur: quis, quid, ubi quando, qualiter, propter quid: uidelicet persona, res, organum, locus, tempus, modus, causa. Persona quidem est, quæ facit aliqua circa aliquam actionem: puta si filius patrem ignorans uerberauit. Res id quod actum est, uidelicet si alapas dare uolens, excæcauit. Organum est, puta si lapidem proiecit, putans esse pumicem. Locus est ut si in arcto transitu læsit ignorans obuiantem. Tempus uero, ut si in nocte hostem existimans, amicum interfecit. Modus est puta si percutiẽs sensim uel grauiter, occidit: ignorauit em̃ q uulneratus esset & p id moreret. Causa uero est, ut si hic pharmacũ dedit sanatiuũ: Mortuus aũt est q accepit, qa ei factũ est uenenũ & mortiferũ. At hæc simul oĩa, neq; utiq; præcludendo oculos, aliquis ignorabit, qui autẽ plurima horũ uel principaliora ignorauerit: hic per ignorãtiã operatus est. Inter hæc uero principalißima sunt, cuius gratia, & qd geritur, hoc est causa, & res. Eras. lib. 2. Eccles. Vsui fuerint & illa quæ tradũt de circũstantijs rerũ & psonarũ è quibus & argumẽta sumũtur et amplificatiões in quouis argumẽti gñe. Idẽ li. Eccles. 3. Neq; nouũ est res easdẽ ad diuersos usus accõmodari, uelut ex omnibus circũstantijs tũ rei tũ personæ ducũtur argumenta, sed ex ijsdẽ petunt affectus, siue exaggeratiões qd manifestũ est demõstratiuo. &c. Idem li. Eccles. eodẽ. Sic Chrysostomus ex omnibus circũstãtijs amplificat hospitalitatẽ Abrahæ, mãsuetudinẽ Dauidis erga Saulẽ aliaq; fere oĩa qnã tractat. Et quæ sequuntur ex Basilio de 40. martyribus.

Ibidem de amplificatione: Nec è circunstantijs solum, uerũ etiam è locis, nisi quod ipsæ circumstantiæ loci sunt. Quint. lib. 6. cap. 1. Atrocitas crescit ex his quid factum sit, à quo, in quem, quo animo, quo tẽpore, quo loco, quomodo, quæ omnia infinitos anfractus habẽt. Pulsatũ querimur, de re primum ipsa dicendum, tum si senex, si puer, si magistratus, si probus, si bene de repub. meritus, etiam percussus sit à uili aliquo contemptoq́; , uel ex contrario à potente nimium, uel ab eo à quo minime oportuit. Et si die forte solemni, aut ijs temporibus cum iudicia huius rei maxime exercerentur, aut in sollicito ciuitatis statu. Item in theatro, in templo, in concione crescit inuidia. Et si non errore, nec ira, uel etiamsi forte ira, sed iniqua: quòd patri affuisset, quòd respondisset, quòd honores contra peteret. Et si plus etiam uideri potest uoluisse quàm fecit. Plurimum tamen affert atrocitatis modus, si grauiter, si contumeliose: ut Demosthenes ex parte percussi corporis, ex uultu ferientis, ex habitu inuidiam Midiæ quærit. Occisus est, utrum ferro an igne, an ueneno: uno uulnere, an pluribus: subito an expectatione tortus: ad hanc partem maxime pertinet. D. Eras. posteriore Cop. comment. de 3. modo locupletandi exempla: Quod tamen, inquit, quamtumlibet copiose licebit facere, si quis plures circunstantias inter se componat. Veluti si quis hortetur aliquem, ut filij mortem moderate ferat, & è gentilium exemplis mulierem aliquam obijciat, quæ plurium liberorum mortem fortiter tulerit. Post enarratam rem ita comparabit. Quod mulier imbecillis potuit, tu uir barbatus non feres? Illa cum natura uicit et affectum matris, tu ab altero superaberis? Illa complurium liberorum iacturam animo infracto pertulit, tu unum extinctum inconsolabiliter defles. Adde quod illius filij simul omnes naufragio perierunt, morte uidelicet ingloria, tuus in bello fortiter pugnãs occubuit. Illa non habebat cui filios honeste imputaret, tu filium impendisti patriæ. Illi uere totiq́; perierunt, tuus immortali gloria semper uicturus est. Illa naturæ gratias agebat, quòd aliquando tot liberorum mater fuisset, tu tantum meministi te optimum perdidisse filium. Illa non habebat sarciendæ orbitatis spem, quippe maior quàm ut uterum iam ferre posset, tibi & uxor fœcunda, & ætas etiamnum integra, ualensq́;. Ergo quod barbara muliercula præstitit, tu uir Romanus non præstabis? Quod contemnere potuit literarum imperita, hoc te tot præditum literis, tantum philosophiæ professorem frangit? Denique quam animi fortitudinem præstitit pagana, hanc homo Christianus non exhibebit? Illa credens post rogum nil superesse, tamen luctum indecorum existimauit. Tu doctus eos demum uere uiuere, qui cum laude excesserint ex hac uita, sine fine clamas tibi perijsse filium. Et quod illa æquo animo reddidit naturæ, tu deo repetenti non reddis? Illa fortiter paruit necessitati, tu deo repugnas? Eras. Rot. lib. Eccle. 3. Illud artis est, ut exempla quæ per se sunt imparia, per amplificationem ac diminutionem magis imparia uideãtur. Id fit collatis omnibus circunstantijs, ueluti si sacerdotes ad continentiam exhorteris. Primus gradus est in sexu. Agnes & Cicilia fœminæ erant: Alter in ætate, puellæ erant: Tertius ab habitu corporis, egregia forma: Quartus in educatione et fortuna est, claris, et diuitibus prognatæ, in delitijs educatæ: Quintus cõditionibus, liberæ erant, nullis astrictæ uotis: Sextus in uarijs circunstantijs, ut à parentibus ad matrimonium urgebantur, à procis egregijs expetebantur, nec ullis tamen machinis expugnari poterant, ut uirginitatem licito etiam matrimonio commutarent. Et isti uiri, quidam etiam prouectæ ætatis in literis ac monasterijs educati, uotis astricti, dehortantibus amicis, proposita infamia non leui clamant se non posse continere, sed aut arripiunt uxores, aut alunt concubinas, aut quod est omnium sceleratissimum, uago concubitu se contaminant. Tametsi unum aut alterum duntaxat exemplum indicasse his ex-

plicandis attributis, uidebatur esse satis, tamen cum in mentem uenisset, adolescentibus, quibus hæc potißimum scribimus raro suppetere librorum copiam, unde hæc petant, non sumus grauati hanc illis impartire operam, ut ex uarijs libris autorum omnis generis exempla huc transcriberemus.

EXEMPLA.

T. Liuius lib. 7. ab urbe condita: Neq; eo minus principio insequentis anni, Q. Seruilio Hala, L. Gemitio Coß. dies Manlio dicitur à M. Pomponio tribuno pleb. Acerbitas in delectu, non damno modo ciuium, sed etiam laceratione corporum lata, partim uirgis cæsis, qui ad nomina non respondissent, partim in uincula ductis, inuisa erat, & ante omnia inuisum ipsum ingenium atrox, cognomenq; imperiosi, graue liberæ ciuitati, ab ostentatione ascitum, quam non magis in alienis quàm proximis, ac in sanguine ipse suo exerceret, crimini que ei Tribunus inter cætera dabat, quod filium iuuenem nullius probri compertum extorrem urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu æqualium prohibitum, in opus seruile prope in carcerem atque in ergastulum dederit, ubi summo loco natus dictatorius iuuenis quotidiana miseria disceret, uere imperioso patre se natum esse, at quam ob noxam? quod infacundior sit, & lingua impromptus, quod naturæ damnum, utrum nutriendum patri, si quicquam in eo humani esset, an castigandum ac uexatione insigne faciendum fuisse? Ne mutas quidem bestias minus alere ac fouere, si quid ex progenie sua parum prosperum sit, at hercule L. Manlium malum malo augere filij, & tarditatem ingenij insuper premere, & si quid in eo exiguum naturalis uigoris sit, id extinguere uita agresti, & rustico cultu, inter pecudes habendo. Omnium potius his criminationibus, quàm ipsius iuuenis irritatus est animus, quin contra se quoque parenti causam inuidiæ atque criminum esse ægre passus, ut omnes dij hominesq; scirent se parenti opem latam, quàm inimicis eius malle, capit consilium rudis quidem atque agrestis animi, & quanquam non ciuilis exempli, tamen pietate laudabile, inscientibus cunctis, cultro succinctus mane in urbem, atque à porta domum confestim ad Marcum Pomponium pergit Tribunum, ianitori opus esse sibi domino eius conuento extemplo ait, nunciaret T. Manlium L. filium esse, mox introductus. Cæterum percitum ira in patrem spes erat, aut criminis aliquid noui, aut consilij ad rem gerendam deferre, salute accepta redditaq; esse ait, quæ cum eo agere arbitris remotis uelit: procul inde omnibus abire iußis, cultrum stringit, & super lectum stans ferro intento, nisi in quæ ipse concepisset uerba, iuraret se patris eius accusandi causa concilium plebis nunquam habiturum, se cum extemplo transfixurum minatur. Pauidus tribunus, quippe qui ferrum ante oculos micare, se solum inermem, & illum prævalidum iuuenem, & quod haud minus timendum erat, stolide ferocem uiribus suis cerneret, adiurat in quæ adactus est uerba, & præ se deinde tulit, ea ui subactum se incepto destitisse, nec perinde, ut maluisset plebs, sibi suffragij ferendi de tam crudeli & superbo reo potestatem fieri, ita ægre habuit filium, id pro parente ausum, eoque id laudabilius erat quod animum eius tanta acerbitas patria nihil à pietate auertisset. Itaque non patri modo remissæ causæ dictio est, sed ipsi etiam adolescenti ea res honori fuit, & quum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri, nam & antea, sicut nunc quos ruffulos uocant, imperatores ipsi faciebant, secundum in sex locis tenuit, nullis domi militiæque ad conciliandam gratiam meritis, ut qui rure & procul cœtu hominum iuuentam egisset. Titus Liuius libro octauo ab urbe condita: Vt me omnes, inquit, pater,

ter, tuo sanguine ortũ uere ferrent, prouocatus, equestria hæc spolia capta, ex hoste cæso, por to. Quod ubi audiuit Coß. extemplo filium auersatus, concionem claßico aduocari iußit, quæ ubi frequens conuenit, quandoquidem, inquit, tu M. Manli neq; imperium consulare, neq; ma iestatem patriam ueritus aduersus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti, & quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, soluisti, meq; in eam neceßitatem adduxisti, ut aut reip. mihi aut mei meorumq; obliuiscendum sit, nos po tius nostro delicto plectemur, quàm Respub. tanto suo damno nostra peccata luat. triste ex emplum, sed in posterum salubre iuuentuti erimus. Me quidem cum ingenita charitas liberũ tum specimen istud uirtutis, deceptum uana imagine decoris in te mouet, sed quum aut morte tua sancienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda, nec te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam pœna restituas. Lictor deliga ad palum. Exanimati omnes tam atroci impe rio, nec aliter, quàm in se quisque districtam cernentes securim, metu magis, quàm modestia quieuere. Itaq; uelut emerso ab admiratione animo, quum silentio defixi stetissent, repente po steaquam ceruice cæsa fusus est cruor, tum libero conquestu coortæ uoces sunt, ut neq; lamen tis neq; execrationibus parceretur, spolijsq; contectum iuuenis corpus, quantum militaribus studijs funus ullum concelebrari potest, structo extra uallum rogo, concremaretur. Vide Te rentium scena 1. Heauton. ultima Eunuchi scena Andriæ. Satis iam satis. Scena Heauto. Nisi me animus fallit. And. scena: Quid igitur sibi uult pater. Plurimum adferet adiumenti accu ratius expensa secunda Ciceronis Philippica. Ad hæc si quis etiam è sacris literis exempla aliquot in primis apposita, nec minus copiosa requirat, is legat Originis homiliã in Genesim octauam de Abraham iusso filium immolare. Legat D. Eras. de eodem in methodo studij ue re Theologici. Legat D. Hieronymum in quadam ad Rufinum epistola cuius initium, plus deum tribuere. Ecce, inquit, puer honestis seculi nobiscum artibus institutus, & cæ. Legat Chrysostomi homiliam in Matth. 76. ex cap. 24. Quemadmodum enim multa peccantes quotidie si ad pœnitentiam redire contemnunt, thesaurum gratiæ sibi thesaurizant, & cæt. Ioan. Chrysost. in epist. ad Hebræos cap. 11. de Raab meretrice loquens: Adfert, inquit, Apo stolus historiam de meretricula, ut ex personæ qualitate Hebræis ruborem incutiat q. d. Ecce meretrix uerbis exploratorum fidem habuit, et uos nec deo, nec Christo, nec ulli prædicatori fidem adhibetis. Egredere de terra tua, et cognatione tua, et de domo patris tui, et ueni in ter ram quam monstrauero tibi. Chrysost. homil. in Gene. 80. Ad hunc modum conueniet è sin gulis bonorum autorum libris exempla colligere. Nam hæc exempli gratia duntaxat in me diũ adduximus: quo uiam indicaremus alijs, haud dubie his longe meliora reperturis. Quis quis igitur horum aut similium exemplorum uim maximam, maximeq; uariam innumerato habuerit, hunc demum non iniuria contenderim gradum fecisse ad inuentionem dialecticam. Hæc equidem propædeumata siue rudimenta sunt inuentionis dialect. quæ quisquis fideliter didicerit, ad inuentionem dialecticam non male uiam præstruxerit, parataq; erit his uberri ma inueniendi materia, & nonnihil imo plurimũ quod dicturi copiam potest instruere hac ra tione colligetur. Verum de his accuratius disquirere magis ad rhetores pertinere uidetur. Cæterum ad inuentionis dialecticæ rationem satis arbitramur hæc craßius attigisse. De cir cunstantijs plura dici poterant, sed tantũ admonuisse satis est. Ex his facile similia atq; etiam meliora reperiet qui pollet ingenio. Atq; hactenus de circunstantijs satis dissertum arbitror, ut studioso inuentionis dialecticæ detur occasio, similia aut his etiam meliora inueniendi exco gitan-

gitandiq;. Hæc mihi uisum est de attributis admonere, quod ad inuentionis dialecticæ rudimenta pertinent: nunc ad id quod intermisimus, redeamus. Hominis multarum artium periti.) Videtur contra legendum: Non hominis multarum artium periti, sed artis unius est nomen. Oratorem uel rhetora, eadem est enim nominis utriusq; uis.) Rodolphus in commentario in prologum Senecæ. Rhetor dicitur Græce, quod Latine orator, qui causas in foro agit. Qui docet artem, Græce Sophistes uocatur, quod nos possumus interpretari doctorem, apud Latinos uero ferè obtinet cõsuetudo, ut rhetor qui docet, orator qui dicit uocaretur. Hæc ille. Cicero: Tum maxime hoc signabat, eos qui rhetores nominabantur, & qui dicendi præcepta traderent, nihil plane tenere, neq; posse quenquam facilitatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inuenta didicisset. Laurentius Valla lib. 4. cap. 82. Orator est qui causas orat, uel in iudicijs, uel concionibus, qui Græce dicitur ῥήτωρ. Nos tamen rhetorẽ professorẽ rhetoricæ uocamus non oratorem. Res à iurisconsulto petebantur.) Quũ scilicet Sulpitius iuriscon. primum locum post Ciceronem obtinuisset in orando, & Scæuolam super quadam re Clientis causa consuluisset, & quod de iure respondentem parum intellexisset, Scæuola respondit, turpe est uiro patricio & nobili scientiam, in qua quotidie uersaretur ignorare: ob quem cauillum postea pertinacißime iuri operam nauauit. Sed illis parum uisum est splendidè.) Cic. 2. lib. de natura deorum: Iam uero, inquit, Domina rerum, uos soletis dicere eloquendi uis, quàm est præclara, quàmq; diuina quæ primum efficit, ut ea quæ ignoramus discere, & ea quæ scimus, alios docere possumus: deinde, hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos, & timore hac gestientes comprimimus, hac cupiditates, iracundiasq; restinguimus, hæc nos iuris, legum, urbium, societate deuinxit, hæc à uita immani & fera segregauit. Fab. lib. 1. cap. 16. & lib. 2. cap. 16. & lib. 12. ca. 12. Cic. 2. offi. Idem in oratore perfecto. Rodol. in oratione in studiorũ ad hyemẽ innouatione.

Nisi reliquarum omnium artium cumulum.) Quintil. lib. 2. cap. 22. Possum hic Ciceronis respondere uerbis, apud quem hoc inuenio. Mea quidem sententia nemo esse poterit omni laude cumulatus orator, nisi erit omniũ rerum magnarum atq; artium scientiam consecutus.

Aristotelis ergo.) lib. rheto. 1. cap. 2. Hermogenes etiam de ciuilibus.) Circumferuntur Hermogenis Tarsensis philosophi, ac rhetoris acutißimi de arte Rhetorica præcepta Antonio Bonfine Asculano interprete. Hermogenes in Paraphrasi rhetorices carpit hanc Aristotelis definitionem. Rhetorica est uis quædã artificiosa persuadendi, in unaquaq; re. Dicit enim deesse definitioni cum ciuili narratione, & præterea quod non solum rhetoricæ conuenit, sed etiã dialecticen definierit. Dialectica, inquit, non solum de politica materia, sed etiam de omni re proposita disputat persuasibiliter cum interrogatione, & responsione absq; narratione, non ergo uidetur Aristotelis definitio ex omni parte constare, melior est itaq; Dionysij Halicarnassæi. Rhetorica, inquit, est uis artificiosa persuadendi, rationabiliter in negocio ciuili & politico, cuius finis est benedicere. Hæc definitio apud omneis probatißima habetur.

Et sicut Cicero) In topicis. Vel cognitionis sunt uel actionis.) Vide lib. huius cap. 11. & orationem Rodolphi in studiorum ad hyemem innouatione. Quantum negocij habeat eloquendi ratio.) Aristoteles lib. rhet 3. cap. de elocutione. Quintil. lib. 8. cap. 1. Cice. in calce lib. 3. de oratore. Maximumq; discrimen est apud poëtas.) Hora. in arte. Georg. Trapezont. lib. rhetor. 5. cap. de elocutione. In qua paucißimi potuerunt.) Cice. de orat. lib 1. Scripsi etiam illud quodam in libello, disertos me cognouisse nonnullos, eloquentem adhuc neminem. Ciuilis uero ratio, quoniam cœpit in Græcia in quæstu esse.) Quod Rodolphus

subno-

subnotasse uidetur commentario in prologum Senecæ. Igitur & temporibus eis quo primum res Atheniensium,&c. Budæus in principio annotationum in Pand. Et Ioan. Antonius Campanus in oratione studij. Est enim ut apud Ciceronem ait Crassus: domus Iureconsulti totius oraculum ciuitatis, ab illo tanquam Apolline responsa uitæq; consilia postulantur, illi aurea munera tanquam Delphico Apollini offeruntur: illius ianuam frequens semper turba frequentat, & qui dubij ac incerti ad eum accedunt, accepto tanquam à deo responso firmi atque certißimi reuertuntur. Volebantq; benedicere omnes, & cito uolebant.) Cornelius Tacitus in dialogo de orato. Ergo apud maiores nostros iuuenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studijs deducebatur à patre, uel à propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in ciuitate tenebat, hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, utq; sic dixerim pugnare in prælio disceret, magnus ex hoc usus, multum constantiæ, plurimum iudicij iuuenibus statim contingebat in media luce studentibus, atq; inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid aut contrarie dicit, quod & iudex respuat, & aduersarius exprobret, ipsi deniq; aduocati aspernentur. Vsu enim & honore.) Cice. pro Cornelio Balbo: Aßiduus usus uni rei deditus & ingenium & artem sæpe uincit. Idem in prima disputatione Tuscul. Honos alit artes, omnesq; accenduntur ad studia gloria, iacentq; ea semper quæ apud quosq; improbantur. Maxime dominabatur in animis liberorum.) Cice. in præfatione lib. de inuen. 2. Præcipueq; poëtarum sua quædam.) Cice. in orato. Nam etiam poëtæ quæstionem attulerunt quidnam esset illud quo ipsi differrent ab oratoribus, numero maxime uidebantur antea & uersu, nunc apud oratores iam ipse numerus increbuit. Laudandi tamen, agendæq; in omne æuum.) Arist. 2. metaphysicorum lib. cap. 1. Non modo ijs agere gratias æquum est, qui nobis præcepta disciplinarum diligentißime tradiderunt, uerum ijs etiam, qui de illis leuiter, ieiuneq; disseruere. Nam hi quoq; aliquid nobis utilitatis attulerunt, dum habitum nostrum exercitatione reddiderunt aptiorem. Enimuero si Timotheus non fuisset, non tantum modulorum haberemus, quòd si Phrygius non fuisset, ne Timotheus quidem claruisset. Eodem modo de ijs existimandum est, qui ueritatem indagare uoluerunt. Accepimus enim ab aliquibus opiniones aliquas, sed hi, ut tales essent, illi causa fuerunt. Quod ueteres illos ætate sequuti sumus quodq; ab his artes ad summum prouectas recepimus, non mediocris fuit prærogatiua, quod facillimum sit ea, quæ multo tempore parta docuerunt priores, paucis annis ediscere. Quo facto, licet quod superest ætatis, ad inuenienda quæ restant insumere. Quintil. lib. 5. Adhibenda ijs quoq; gratia est, per quos labor nobis detractus est.

Quomodo cognoscenda proposita argumenta, ex quo ducta sint loco. Cap. XXVI.



VT ergo dicamus id, quod præsentis est negocij: tractatumq; locorum aperiamus, id est, doceamus, quo pacto sit omnis argumentorum facultas & copia è locis eruenda: primum hoc & præcipuum est, quod rerum ordo præcipiendum monet, ut quisquis inuenire uolet ex locis, diligenter & exacte locos habeat cognitos. Est autem

locorum notitia fere in his duobus posita. Prius est, ut numerum naturam'que locorum, quot sint, & quæ cuiusque sit uis & proprietas, explorate plane'que teneat. Quod siue nostra descriptione, siue quouis alio consequatur autore, non multum referet. Aut inueniet enim optimum ducem: aut pro optimo erit, quem poterit expeditissime sequi. Nec uero memoria tenuisse locos satis esse credidero: sed paratos, exercitos, & uelut in conspectu & ad manum positos teneat uelim. Sicut enim non potest celeriter quis & inoffenso uerborum cursu, legere aliquid, cui de singulis literis est in consilium eundum: sic neque parate poterit inuenire ex locis, cui cum inueniendum est, prius ipsi quærendi sunt loci. Proximum in locorum noticia est, quod'que difficilius est, traditas ab autoribus argumentationes suis locis reddere. Id'que non in hoc solum est utile, quòd plurimum confert in intelligendis uirtutibus autorum, & discernenda uaria apud eos argumentatione, ut quandoque tanquam crebris densis'que ictibus, sic multis argumentationibus celeriter coagmentatis, feriant aduersarios: quandoque argumentatione late copiose'que fusa, multarum impetum, unius pondere exæquent: iam confodiant acumine, iam uiribus prosternant, iam de re dicant: iam sicubi parum est in re fiduciæ, in aduersarium conuersa oratione, uelut flexu eludant. Paratur hinc iudicium, & omne fere artificium perspicitur, non inuentionis modo, quod & ipsum nostri instituti est, & nobis proinde maximum: sed magna ex parte elocutionis, quæ sic plerunque rebus affixa est, ut uix possit inde diuelli: apud Demosthenem præsertim & Ciceronem, & ut quisque est istis dicendi iudicio proximus: quorum est ita rebus accommodata oratio, ut nasci uideatur ex illis. Verum non in id solum (ut diximus) utile est cognoscere locos argumentationum apud autores: sed quod hoc usu tractatu'que rerum, cum ratio accesserit eis, copia quædam & thesaurus paratur, qui semper nobis in promptu sit, ut quoties ex locis quæremus similibus in rebus, similes nobis argumentationes occurrant. Sicut enim in omni uita, sic in hac quoque inueniendi ratione, primum est scire, quid sit faciendum & quo pacto. Facere uero quæ recta sunt, & quatenus recta sunt, imitatione facilime consequimur.

Præ-

Præceptis enim aures fere imbuuntur: exempla docent oculos. Quanquam sint autem plura, quæ audiendo possumus, quàm uidendo discere, latiusq; aurium pateat sensus, certiora sunt tamen, quorum ipsi nobis oculis tradimus fidem. Vnde scite apud Comicum dictum est, pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decē. Aures enim alijs, oculi sibi credunt. Non est autem facile, certam dare deprehendēdorum locorum in argumentationibus legem: præsertim cum persæpe, nisi assuetis admodum longo usu lectione'que autorum, difficile sit argumentationes explicare: & conclusionem propositionem'que earum, ex orationis cumulo colligere. Teguntur enim sæpe, & in ipsa dicendi copia delitescunt, uel uarijs dicendi figuris occuluntur. Quandoque iunguntur, tanquam in unius propositionis speciem, conclusio & propositio. Quandoque pro utrisque sola propositio ponitur. Et quod de Lysia legimus, cui summæ fuit artis loco, non uideri artem, id crebro est etiam apud reliquos autores uidere, quo grauius ex insidijs incautum aduersarium petant. Viam igitur quandam ad ista, & (ut dicitur) manuductionem fortasse dare poterimus, quo facilius in his loci cognoscantur. Vtilissimum fuerit igitur, incipientem primum ab his initium facere, quæ sunt apertissima perspectu: & in quibus uel iam formatæ sunt argumentationes, uel facillime poterunt formari. Eas ubi accepit, uideat primum, quod sit argumentum probationis, id est, quod sit futurum medium, si cogatur in formam ratiocinationis argumentatio. Est autem id, quod sumptum in propositione, in conclusione non sumitur: Vt philosophus non recte dimittet uxorem, non ergo Cato recte dimittet uxorem: Medium argumentationis est philosophus. Deinde conferatur medium cum eo, quod sumitur in conclusione, et in propositione non est sumptū, id est autē Cato: Tum uideatur, significetur'ne medio aliquid quo sit in extremo, cum quo confertur, aut extra. Vt philosophus significat aliquid quod est in Catone. Deinde, sit'ne substantia eius, aut circa substantiā. Certū est, quod nomē philosophi significatur esse circa substantiā Catonis. Sic per reliquos eamus locos, donec ad eū qui propius est noster, ueniamus: non enim philosophus subiectū est Catonis, nō actus, ergo cum sit circa substantiā eius, adiacens erit. Non

est autem ignorãdum, medium, etiam non solum comparatum extremo, quod in conclusione colligitur, in loci alicuius nomen transire: sed etiam, si comparetur extremo cui coniunctum est in propositione. Cuilibet enim comparatum, alicuius loci sortietur utique naturam. Vt si dicamus: Cato non recte dimitteret probatum seruum, ergo multo minus Cato dimitteret probatam uxorem, dimittere seruum probatum est medium, quod comparatum Catoni, ad connexorum pertinebit locum, cuius generis sunt, seruus & dominus: cõparatum autem uxori, inter comparata erit, minus enim in proposito seruus probatus, quàm probata uxor. Quanquam sint autem propiora rei connexa, quàm comparata, citius tamen dixerimus hanc à comparatis ductam argumentationem esse, quoniam uis & efficiendi euidentia est apertior ex hoc loco. Nomen itaq; etiam iustius inde capiet. Quanquam qui uolet exacte nominare locum argumentationis, facile uitabit errorẽ, si addat semper extremum id, ex cuius loco ductum uult esse medium. Vt si dicatur: Tarquinius est peregrinus Romæ, ergo non debet Romæ expetere regnum: medium est, peregrinum esse Romæ. Quod si Tarquinio compares, ad locum eum refertur qui ex loco dicitur. Quoniam peregrinum esse nõ est aliud, quàm aliam habere patriam: patria autem loci nomen est. Sin Romæ conferatur, connexum erit: quoniam peregrinum esse ei cui peregrinus quis est, cõnexum est: Sin ei, quod est expetere regnum, iungatur peregrinum esse: contingens erit: possunt enim iuncta esse utraq;, & utrumuis esse sine altero. Ergo si quis argumentum id ductũ, uel ex loco, uel ex connexis, uel contingentibus dicat: recte quidem, sed non satis explicate dicet. quod si addat, ex loco Tarquinij, ex connexis Romæ, ex contingentibus regni: iam quoduis horum dixerit, nihil errabit. Licebit igitur ex quouis horum uolet locorum, dare nomen argumento. Promptius tamen & expeditius quærenti, ex Tarquinij nomine inuenietur. Itaq; potissimum huius censebitur loci, quem comparatum Tarquinio tenet. Cum sint enim loci (ut diximus) notę quędam & tanquam indices inueniendarum rerum: ex quocunq; loco commodissime inuenitur quidq;, eius debet etiam potissimum generis existimari.

IN CAPVT XXVI.

QVo pacto omnis argumentorum facultas & copia è locis erueda.) Nec perfecte putet se quispiam rem tenere ullam, nisi per omnes inuentionis dialecticæ locos, aut certe per præcipuos ierit, & ea inquisiuerit, quæ iubet unusquisque locus inquiri. Quare semper in cõspectu nobis hi loci debent esse, ut quoties aliquid inciderit, statim percurrat eos ordine animus, & quærat, quid dici conueniat. Antonius in 2. lib. de Oratore, inquit, efficiendum esse usu atq; exercitatiõe, ut quemadmodum scribentibus ultro se literarum figuræ offerũt, ita incurrant in oculos loci nec procul nec diu quæsiti, et statim ostẽdant quid maxime dici oporteat. Explorate planeq; teneat.) Cicero libro de Oratore 2. Vt si aurum cui quod esset multifariam defossum commonstrare uellem, satis esse deberet si signa & notas ostenderem locorũ, quibus cognitis ille sibijpse foderet, & id quod uellet, paruo labore, nullo errore inueniret: sic has ego argumentorum noui notas, qui illa mihi quærenti demõstrant ubi sint, reliqua cura & cogitatione eruuntur. Sicut enim non potest celeriter quis.) Recte illud quidem, sed hoc non minus apposite dictum est à Georgio Trapezontio cap. de imperfectis syllogismis: Quemadmodum qui literas sciunt, non est necesse quoties legunt, aut scribunt, toties cogitatione literarum uim atq; numerum conquirere: sic qui locos iuste conceperunt, exercitatione firmauerunt, usu innatos sibi effecerunt, eos necesse non est, quoties quæstio proposita est, toties ad eius sepositos locos reuolui, sed occurrunt ilico peritis ad explicandã quæstionem, ut literæ ad singula uerba scribenda, etiamsi non quæras, ut natura non arte ad eas institutus uidearis. Idem lib. rhetoricorum 5. in calce capitis de elocutione. Sicut in legendo si quis literas omnes, ac syllabas, uerbaq; singula eorumq; accidentia tum secum examinet cũ legit, is ne syllabam quidem unam pronunciare possit, quod si prius dabit operam singulas cognoscere literas, deinde ex coniunctione literarũ syllabas efficere, primo quidem tardius ac tardius leget, deinde consuetudine ad miram usq;, ac pene incredibilem uelocitatem legendi perueniet, cum non amplius in cognoscendis singulis elaboret, ita fit in hac re. Elocutio plerũq; rebus affixa est, ut uix possit inde auelli.) Cicero li. de Oratore 2. Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia facile uincit, qui ita creber est rerum frequentia, ut uerborum prope numerum sententiarum numero consequatur, ita porro uerbis aptus & pressus, ut nescias utrum res oratione, an uerba sententijs illustrentur. Sicut enim in omni uita.) Ratio uitæ nostræ præceptis constat & exemplis, ut quisq; sibi authorem proponit ad imitandum optimum: ita fit ipse optimus, pessimus ut pessimum. Præceptis enim aures ferè imbuuntur, exempla docent oculos.) Seneca epistola 6 Longum iter per præcepta, breue & efficax per exempla. Cicero in paradoxis: Sed hæc uideri possunt obscuriora, cum sine appositione exemplorum lentius disputantur, uita atq; factis illustranda sunt summorum uirorum hæc quæ uerbis subtilius quàm factis disputare uidetur. Imitatione facillime consequimur.) Fabius libro 1. cap. decimonono: Ioannes Franciscus Picus de imitatione. Pluris est oculatus testis unus.) Apuleius lib. 1. floridorum narrat quo pacto Socrates prouerbium inuerterit, pluris est auritus testis unus, quàm oculati decem, nam cum conspexisset adolescentem decorum, sed diutile tacentem, ut te uideam inquit aliquid eloquere. Sensit itaq; Socrates aurium iudicium certius esse quàm oculorum, quod oculis non nisi corporis formam cõtueamur, ex oratione mentis habitum deprehendamus. Teguntur enim sæpe.) Lib. huius li. cap. 19. Et quod de Lysia legimus.) Quintil. lib. 4. ca. 2. sub finem. Idem eod. li. cap. 5. in principio. August. li. 4. de doctrina Christ. cap. 6. Lysiæ meminit & Cicero de ora

tore lib. I. & de claris oratoribus, & Plato itē in Phædro. Eras. Rot. Eccles. li. 2. Primū igit ex his quæ rhetores statim considerāda proponūt, quid sit ars, quis artifex, quale opus, nos artis nomen libēter relinqmus, qn̄ illi ipsi qui de pceptis eloquētiæ conscripserūt, ambigūt, nū rhetorice sit ars, & ille summus eloquētiæ parens fatet caput artis esse dißimulare artē, qualis aūt ars est illa quæ nocet nisi dißimulet. Videat primū qd sit argumentū probationis.) His ad plenū intelligendis multū momenti attulerit lectū caput de enthymemate in dialect. Philip. Melanch. Si addat semper extremū id ex cuius loco ductum uult mediū.) Ex his nequaq̄ difficile est animaduertere, unūquemlibet locū ex medio syllogismi suā sumere denominationē, uariatis proinde medijs, locorū quoq; rationes uariari, ut qui dicat Tarquiniū nō debere Romæ regnum expetere, quod sit peregrinus: hic si peregrinus fiat medium respectu Tarquinij reducto ad syllogismū enthymemate, locus erit à loco hunc ad modū. Nullus peregrinus debet Romæ regnū expetere. Tarquinius est peregrinus, nō ergo debet regnū expetere, si uero Roma sit medium à cōnexis est, qm̄ relatiue se habet peregrinum esse Romæ ad Romā, sic, Romæ nullus peregrinus &c. Tarquinius est peregrinus Romæ, ergo &c. Sin uero respectu expetere ita ut expetere addatur peregrino, sicut Romæ addebatur, erit à cōtingentibus sic, qui expetit Romæ regnum non debet esse peregrinus. Tarquinius expetit Romæ regnū: Ergo non debet esse Romæ peregrinus. Fortasse non inutile fuerit sic accuratius expendisse, quæ in locis sophisticis tradunt de fallacia (ut uocant) cōpositionis atq; diuisionis.

Quomodo positæ apud autores argumentationes colligēdæ sint, & formæ suæ reddendæ. Cap. XXVII.



NOn erit autem iam supra spem difficultas, cū in apertioribus & magis expositis argumentationibus fecerimus usum, ut tectiores paulatim deinde argumentatiōes, nō modo reddamus locis suis, sed quod prius difficiliusq; est, in formā suam colligamus, & ostendamus, quæ propositio sit, & quid conficiatur. Opus est ergo in primis, scire quæ sit quæstio, cui argumentationes adhibētur: quæ quomodo sit inuenienda, si forte non satis aperta fuerit, quàm simplicissime potuimus, ostensum est à nobis, cum de inuenienda quæstione loqueremur. Nec inueniēda solum generalis est quæstio, in qua omnia cōtinentur ea, quæ dicūtur tota oratione: sed specialis etiam, quæ generali continetur, ad quam præsens argumentatio adhibetur, quam quærimus explicare. Quam cum inuenerimus, tum quicquid id est, quod pro argumentatione propositum est, id si una propositio est, adhibendum quæstioni. Quod si probet ea quæstionem in hanc aut illam partem, pronunciatum quæstionis in eam partem, in quam inclinat probatio, conclusio fiat enthymematis: & quod in probationem assumptum erit, propositio. Sin plures erunt

propo

propositiones, tum adhibendæ erunt altera alteri: uidendum'que, an altera probetur per alteram: quod si fiat, ad summam quæstionis solum erit una argumentatio, ordine tamen probandi plures. Quod si non probetur altera per alteram, sed unaquæque per se probet id quod quæritur, plures erunt argumentationes. Quod si nec altera alteram probet, nec quælibet quæstionem per se, uel erũt plures unius argumentationis propositiones, uel plurium propositionum probationes. Quæ quidem qualia sint, optimum erit sumptis ab autoribus exemplis ostendere. Pro tota argumentatione est apud Quintilianum in milite Mariano propositio posita. Quid dicis? Tu si tribunus esses hoc fecisses? si miles esses, hoc tulisses? Non erit difficile formare hanc argumentationem, qui uiderit, quid ea uelit efficere. Id autem est in summa quæstionis, tribunum iustè occisum esse à milite. Quod si cum hac propositione conferatur, non probatur id quidem continuo ex ea, sed hoc quod ei proximum est, neque hunc tribunum istud facere, neque militem ferre debuisse. Vt sit hæc argumentatio. Tu si fuisses tribunus, non fecisses hoc, ergo nec iste tribunus facere debuit. Sic etiam, si fuisses miles, non tulisses: ergo nec miles iste debuit ferre. Iam apertum est duas esse argumentationes eas, quas dicimus in una composita propositione fuisse conclusas. Crebro quidem usu uenit concisa hæc argumentatio altercãtibus, quod ex tragœdiarum scriptoribus facile liquet. Apud Senecã cum dixisset Amphitryo, Semperq; magno constitit nasci deũ, uolens Herculis affirmare diuinitatẽ. Subijcit Lycus confutaturus illud. Quemcunq; miserum uideris, hominem scias. Duabus argumentationibus est hic opus, ut perueniamus eò, quod hac propositione colligitur. Quod quomodo fiat, apertũ erit, si respiciamus, quid uelit probare Lycus. Vult sane confutare, quod sit Hercules deus. Ergo hæc erit intentio. Hercules non est deus. Propositione autem quam ipse sumit, solum uidetur colligi, hominem esse Herculem. Hanc itaque argumentationem uelut confessam in medio relinquit. Hercules est homo, ergo nõ est deus. Quod sit autem homo, probat, quoniam quisquis miser est, homo est. Hercules est miser, est igitur homo. Prius argumentum è diuersis deo ducitur, posterius ab adiacentibus Herculis. Simile est quod subijcit in

cit in proximo Amphitryo. Quemcunq; fortem uideris, miserum neges. Confutat minorem propositionem, quæ erat, Hercules est miser. Vt sit argumentatio. Nemo fortis est miser, Hercules est fortis, non est ergo miser. Plures autem propositiones sunt quarum alterã probat altera. Vt apud Lucanum in quinto Pharsaliæ, Orbis Hiberi Horror, & arctoi nostro sub nomine miles Pompeio certe fugeres duce: probat id à pari, Fortis in armis Cæsareis Labienus erat, nunc transfuga uilis, Cum duce prælato terras atq; æquora lustrat. Posterius ergo propositio prioris est. Prius etiam propositio est alterius argumentationis, cuius est ab autore colligenda conclusio, quam reperiemus rursus ea uia, quam prius ostendimus. Quæstio est, an bene sibi consulant milites, deserendo Cæsarem. Capiamus propositionem, quæ est: milites qui sunt fortissimi & clarissimæ apud omnes famæ ductu Cæsaris, timidi atque fugaces erunt si Pompeium sequantur. Hæc propositio si adhibeatur quæstioni, statim uidebitur confici, non ergo bene sibi consulent, si deserant Cæsarem. Quandoq; & in hoc genere, probationes propositionum pro propositionibus ponuntur, quemadmodum & propositiones pro conclusionibus. Quale est apud eundem autorem: Par labor atque metus, precio maiore petuntur. Hæc argumentatio uidetur tota mihi esse ratiocinatio huiusmodi. Quæcunq; minus laboris habent & plus pręmij, magis sunt expetenda, bellum ciuile minus laboris habet q̃ Gallicum & plus pręmij, ciuile ergo bellum magis est expetendum. Pro maiori propositione posita est probatio, quæ est, Vbi par labor est & pręmium maius, id est expetendum, consequitur ergo ubi minor labor est & precium maius, id est expetendum. Sic pro minore quæ erat, ciuile bellum habet minus laboris quàm bellum gallicum, & maius precium: quoniam Gallia quota pars terrarum, tenuerit eum bello decem annorum implicitum, ciuile autem bellum, si gesserit pauca felici euētu prælia, cum Roma subiget ei orbem. Cum uero plures sunt propositiones, quarum alteram altera non probat, & utraq; probat intentionem per se, certum est plures esse argumentationes. Cuiusmodi apud eũdem autorem eodem loco: Socerum depellere regno Decretum est genero: partiri non potes orbem. Vel una propositio est, uel id quod prius est (Socerum

cerum depellere regno Decretum est genero) confirmatio fit eius quod sequitur (partiri non potes orbem.) Hoc autem posterius, neque eam quæ sequitur probat (Solus habere potes) neque probatur ab ea. Ergo hoc ipsum (solus habere potes) altera propositio est. Vt sint argumentationes. Pompeius destinat depellere te imperio, ergo suscipiendum tibi est bellum. Et, solus potes habere imperium, ergo etiam gerendum tibi est bellum. Sic & Quintilianus in apibus pauperis: Decerpebant (inquit) flores meos. Hæc est aduersarij contradictio. Hanc confutat. Subdit itaque: Ecquid intelligitis iudices, quanto dolore dignum sit quod ego perdidi, si etiam hoc damnum est, flores auferri? Vtitur hac aduersarij confessione ad probandam intentionem suam. Si enim perdere flores est damnum, multo magis damnum est apes perdere. Sequẽs propositio est hæc. Ita planè: alioquin tu illos in uetustatem seruabas; & durarẽt adhuc nisi ad ortum tuum apes uenissent. Priore propositione uelut alligato ad inconueniens aduersario, probauit, uel non esse damnum decerpi flores, uel maius esse quod ipse sit passus in apibus. Hic probat, ne decerpi quidem eos, cum nequeant alioquin durare, quanq̃ non accedant apes. Sed istud quia semper propemodum fit, ubicunq; uberior est aliqua ad dicendum materia, non fuit ideo monendum, nisi quod plerunq; sic duæ aut plures propositiones elocutionis ratione iunguntur, ut uideantur in unam confundi argumentationem. Idcirco discentis iudicium diligentiori nobis admonitione fuit excitandum. Quod postremum posuimus, cum neutra alteram, & neutra per se conclusionem probet, si sint unius argumentationis propositiones, duæ tantum poterunt esse. Nec enim plures capit ratiocinatio propositiones. In enumeratione uero quanquam possint esse plures duabus, omnes tamen coniunctæ unius propositionis obtinent locum. Plena ratiocinatio uidetur esse apud Lucanum, Ante aciẽ Aemathiam nullis accessimus armis: & quæ sequũtur: sed turbato propositionum ordine. Vt sit minor propositio, nõ sumus secuti lætas res Pompeij, cum dicit (Ante aciem Aemathiam nullis accessimus armis.) Deinde sequitur cõclusio, ergo possumus iuste deesse aduersis. Hæc est: Pompeij iam castra placent, quæ deserit orbis? Tum postremo maior, quia quisquis secutus non est læta,

iuste potest deesse aduersis. Quod aũt ponitur, Nunc uictoris opes & cognita fata lacessis? est uelut alia maior propositio. Pluriũ uero propositionũ probationes, crebrum est uidere, præsertim cum non nunquam totæ causæ in duas sint coniectæ propositiones, ad quas omnes referuntur probationes. Vt redeamus autem eò unde cœpimus, optimũ fuerit ab apertissimis incipere, ut usu assuetudineq; rerum quæ obscuriora sunt, fiant paulatim apertiora. Rerum natura sic se habet. Suis cuncta colligẽda sunt gradibus. Et quod festinanti nonnunquam præcipitium est, ad id per singula sequenti uestigia, magna quandoq; facilitate pariq; securitate peruenitur.

IN CAPVT XXVII.

CVm in apertioribus, & magis expositis argumentationib.) Philippus Melanchthon *in dialecticis cap. de enthymemate, subindicat unum aut alterum exemplum ex Ouidio, quod nonnihil facit ad hunc locum plenius intelligẽdum. Quæ sit quæstio.)* Hoc est *quod sit caput, summaq; rei totius. Ostensum est à nobis.)* Huius *lib. cap. 12. & 15. Nec inueniẽda solum generalis est quæstio, sed specialis etiam.)* Lege huius lib. cap. 10. *Quid dicis, tu si tribunus esses.) Supra li. primi cap. 24. idem citatur exempli. Crebro quidem usu uenit.) Lib. 2. cap. 18. in calce. Quandoq; & in hoc genere.) Infra lib. 5. cap. 6. Quin una quandoq; proposita & reliqua. Quemcunq; fortem uideris.) Terentius Heauton. simile quiddam habet ubi Chremes negat Menedemũ esse miserum quod Clitipho affirmarat. Chremes, me miserum? quem minus credere est. Quid reliqui est, quin habeat, quæ quidẽ in homine dicuntur, bona, parentes, patriã incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias. Atq; hæc perinde sunt ut illius animus qui ea possidet qui uti scit, ei bona, illi qui non utitur recte, mala. Victrix causa deis placuit.)* Et *decrũ autoritate iustiorẽ Cæsaris partem probauit, fecit autem syllogismum in utraq; quòd probari possit, nũc melior certe iudicanda est, quam etiam dij adiuuerunt. Ea uia quam prius ostendimus.) Libro 1. ca. 25. Solus habere potes.) Erit fortasse cui non minus apte, una duntaxat argumentatio esse uideatur: quæ explicetur hoc modo. Quisquis ob improbitatem alterius, partiri regnum nõ potest, & tamen solus potest habere, huic bellum pro regno suscipiendum est, atqui tu ob improbam cupiditatem Pompei partiri orbem non potes, solus tamẽ potes habere, itaq; tibi pro uniuerso orbis imperio, bellum suscipiendum est. Sic & Quintilianus in apibus.) Subintellige duas habet ad idẽ propositiones. Rerum natura sic habet.) Progressu assuetudineq; dulcescunt paulatim etiam acerba, quemadmodum ad alta nõ nisi gradibus ascenditur.*

Ratio cuiuslibet rei per oẽs locos describẽdæ. Cap. XXVIII.



Roximum est ei, qui diligenter cognitos habet locos, uoletq; ex eis inuenire, parare facultatem sibi cuiuslibet rei per locos deducendæ, quod uel idem est, uel simile illi, quod solebant qui docebãt rhetoricen, inter præexercitamenta ponere puerorum; quod Græce

ἔκφρασις, latine à plerisq; descriptio uocatur. Sed rhetores angustius pleraq; quã pro oĩm locorum latitudine describebãt: eloquendi uero rationem (quã præcipue spectabãt illi) latius, quã nobis sit opus. Satis eñ nobis erit, res singulorũ locorũ, singulis uerbis uelut capitibus quibusdã annotasse. Si quis tñ ea uolet oratiõe latius fundere: & uel nudã hanc describendi sequi expositionẽ, uel cõuersa in laudẽ aut uituperationẽ dictione, argumentatione tractare descriptionẽ, poterit obiter & pulcherrime artiũ oĩm elocutioni cõsulere, dũ parat inuentionẽ. Necesse est aũt quisquis uolet rẽ aliquã describere, ut oẽm eius naturã, proprietatẽq; exacte perspectam habeat. Quantũq; distabit à notitia rei, tm̃ à facultate aberit eius describendæ, & proinde apte cõmodẽq; de ea disserẽdi. Queadmodum eñ sæpe iam diximus, dialectice solã inueniẽdi docet rationẽ, res ex penitiorib. artiũ petẽdæ sunt penetralibus. Atq; ex eis inueniant̃ oportet, quæcunq; inueniuntur. Illæ materiã præbent inuentioni, dialectice uiã docet: nisi illis in rebus, quæ in uulgari opinione notitiáq; oĩm positæ, notiores sunt, q̃ ut sint discendæ præceptione, & quæ usu quotidie terunt̃ in manibus: quoniã apertæ sunt enim, sola prope ad disserendũ de eis suffecerit dialectice: materiã nobis is quem cõmunem uocamus sensum rerũ humanarũ, suppeditabit. Qui nouerit aũt rẽ, quam descripturus est, oẽmq; eius uim naturæ peruiderit, illi promptũ est expeditũq; reperire omnes in ea locos: & uidere etiã, qui loci quibus rebus cõueniant aut non cõueniant. Nec enim oẽs est in omni re inuenire. Et quidam rebus per se conueniunt: alij cõueniunt quidẽ rebus, sed non nisi in pronunciato dispositis. Quæ cuiusmodi sint, subdito exẽplo descriptionis, facile uidebit̃. Fiet descriptio cõmodissime, si sic instituatur, ut ex eis quæ singulis è locis ducimus, & re describenda, pronunciata fiant: sic, ut subiectũ res sit quæ describitur: id quod ex loco ducit̃ prædicatũ. Nisi tñ ei loci erũt, in quibus cõmodius secus fiat, ut cũ species rei sumimus. Ibi eñ aptius res fiet prædicatũ. Genus eñ natura de specie, non species de genere prædicatur. Et si qua alia erunt eius conditionis, quæ nõ erit difficile uidere. Quanq̃ in reliquis propemodũ nihil est q̃d impediat, quo minus omnia quæ dicũtur ex locis, possint prædicari de eo, à quo ducuntur. Nam & definitum de definitiõe prædicatur: ut ani-

mal rationale est homo,& subiectum de passione,& item adiacente dicitur:ut docibile est homo,album est homo. Contra aptius fieri non abnuerim:uerum hoc tamen nō fiet inepte. Quare in his,quanquam liberum sit hoc uel illo pacto facere: malim tamen, quo minus sit errori locus,præscriptum prioris legis seruari:ut res de qua quæritur subiectum sit:quod ex loco inuētum fuerit,sit prædicatū. Vt si sumamus exempli gratia describendum hominem. Primum dicimus ex definitionis loco,homo est animal rationale; deinde, quia hominis genus est animal:dicimus,homo est animal. Pro speciebus hominis accipimus omnia,in quæ diuisionis lege ea quam priore libro diximus,homo potest diduci. Non quod possit homo quidem diuidi in ueras species:sed quia ad inueniendi uiam, præstant idem illa in quæ homo diuiditur illo pacto,quod præstant ueræ species,in quas diuiditur genus. In quibus cū habeat homo generis uicem(ut modo diximus)prędicetur de eis oportet. Dicimusq́ꝫ homo doctus est homo,& homo indoctus est homo. Possumusq́ꝫ hoc eodem modo per omnes diuisionis ire differentias,ducta (quē admodum prædiximus)propemodū ex omnibus locis diuisione. Post hæc,propria hominis sunt,homo capax est doctrinæ, homo est rationalis,homo est natus ridere. Ex totius loco nihil erit fortasse,quod de homine dicatur:ipse nanq; per se homo totum est. Nisi uellemus forte dicere,homo totius mundi pars est. Partes autē hominis eo pacto quo partium diuersitatē priore libro fecimus, haud difficile erit inuenire. Cōiugata erunt,humanus,humanitas,humane,ut dicamus,homo est humanus,homo præcipue debet expetere humanitatē,homo debet omnia façere humane. Nemo autem credat hic erratum esse,si uerbis per se repugnantibus,ut fiat ex eis pronunciatum cum re de qua quærimus,alia addantur uerba,quo possint commodius in pronunciati formam cū re cōcludi. Cum enim per se dicať inepte,homo est humanitas:additis aliquibus uerbis, ut sit, homo ꝑcipue debet expetere humanitatē, cōmode diceť. Simili ratione descriptio per reliquos ducetur locos. Nihil enim attinet omnium ponere exempla,quando longum id esset,& facilius sit q̄ ut indicandum sit. Adiacentia & actus maximā & immensam propemodum copiam præbebūt inuentioni. Ex subiecti loco,nihil est

quod

quod de homine dicatur. Cum sit enim homo generis earum rerum, quæ per se subsistunt, in subiecto nequit esse. Sic & causæ, & euenta, & connexa, in his præcipue rebus quæ agendi patiendi'ue generis sunt, primas persæpe sibi uendicant partes. Locus & tempus, describendis singularibus rebus, ut Ciceroni, ut Catoni, ut Romæ, ut Athenis, bello Punico, cladi Cannensi, multam suppeditant plerunq; materiam. Generibus rerum, quoniam ea fere citra intellectum temporis & loci apprehenduntur ab animis nostris, & efferuntur, minus iccirco sunt hi loci accommodati. Quinque accidentium loci, simplici rei describendæ non facile queunt aptari: sed rectius pronunciatis eis, quæ ex priorum locorum descriptione ducta sunt, adiūgentur. Vt si dicamus, homo loquitur: loqui actus quidam est hominis, cui contingens est, quod psitacus effingit uocem humanam. Psitacus autem homini cōparatus, non est contingens, sed specie diuersum. Effingere autem humanā uocem ad loqui genus est. Quicquid enim loquitur, uocem humanam effingit: sed tamen non quicquid effingit uocem humanam, loquitur utiq;, quoniam animalia quæ citra intellectum id agunt, non loquuntur. Sed hominem loqui, comparatum ei quod est psitacum effingere humanam uocem, contingens est. Sic etiam, tussire hominem ad id quod est, hominem loqui, contingens uocamus. Similiter in loco qui nominis uocatur, si dicas homo uocatur, nil uideris dicere, quod ad eum locum pertineat, nisi addas iam ei pronunciatum id, quod dici solet, quoniam factus sit ex humo: uel simile quiddam. Ex eo quoque loco, qui pronunciatorum dicitur, nihil itidem posse simpliciter dici, hinc patet, quod quisquis de re pronunciaturus est, necesse est pronunciato id faciat: quod quia constare oportebit ex re & eo quod de re dicitur, necessario ex aliorum locorum aliquo ducetur. Comparationes itidem, & similitudines rerum, non fiunt per se rerum ad res, sed semper accipitur aliquid in re, per quod fiat eius ad aliam rem comparatio. Homo per se nulli comparatur, nisi capiamus in eo, uel magnitudinem corporis, uel uires, uel celeritatem, uel quæcunq; alia talia capi possunt, in quo reliquis uel animalibus uel hominibus comparetur, ex adiacentibus hominis. Opposita & diuersa, quia solum negatione pronunciantur, nihil est quod per se describendæ rei con-

ferant, nisi alijs locis adhibeantur, ut uel in comparationes uel similitudines transferantur, uel aliorum locorum usum. Vt quemadmodum dicimus, homini est studium honestatis, cura discendi: adiacētia sunt hæc, sic dicimus etiam à contrarijs, homini est odium uitiorum, euitatio ignorantiæ. Et ex diuersis hominis, brutis nullus est uitiorum, uirtutumq́ delectus, nullus respectus scientię aut ignorantiæ. Illud etiam admonuisse uolumus, utilissime singulares res, & ut quæq; notissima est, ab his describi, qui primam huic curæ affe rant manum. Vberius enim, quia singularia sunt, omnes intra se locos continent. Et quia nota sunt, faciliorem præbent inueniendi uiā. Quia constat hæc facultas usu præcipue & crebra experiendi consuetudine, non sumus ab eis inter principia maxime operis difficultate deterrēdi. Alendus enim spe est animus, quisquis maius aliquid conatur. Nonnunquam enim maiora propemodum uiribus nostris, uel per hoc solum præstamus, quia speramus commode præstare nos posse.

IN CAPVT XXVIII.

INter præexercitamēta ponere puerorū.) Paratū est illud colligere ex rhetoricis Aphthonij progymnasmatis, ubi inter exercitationis modos quatuordecim, ad augendam eloquentiam cum primis necessarios, ut quos apud ueteres & primos habuit & diu solos prima rhetorices institutio, ponitur etiā descriptio. Galenus in libello quod optimus medicus idem sit & philosophus, utitur hoc artificio cōtra nolentes fateri medicum esse philosophum, quanquam concedant debere esse temperantem quidem, ac pudicum, pecuniarum contemptorem ac iustum oportere esse medicum, non tamen esse necesse ut sit philosophus. Si quis tamen ea uolet oratione latius fundere.) Quasi dicat, quod ad inueniendi rationem pertinet sat fuerit, singulas res, singulis capitibus annotasse, si quis tamen ingenio indulgere uelit & latius fundere, is frustra sane non laborabit, sed dum hæc agit inueniendi gratia, interim etiamnum consulet eloquentiæ & quidem pulcherrime, nam in omni re plurimum ualet exercitatio. Nemo tamen putet his omnibus quos commemoramus semper petendum esse, uix enim inuenias argumentum in quod incidant omnes, sed ipsa causa docebit qui sint adhibendi. Idem hic faciendum quod in partibus suasorij generis: pulsandæ quidem omnes sed eligendæ quæ possint esse usui. Hoc secuti consilium descriptiones aliquot exhibuimus primum baptismi, deinde hæretici, præterea uxoris siue mulieris, ad extremum episcopi siue ecclesiastæ. In laudem aut uituperationem.) Nullo præexercitamētorum genere Fabio teste felicius exercetur adolescentia quàm laudandis aut uituperandis personis. Vt omnem eius naturam proprietatemq́.) Supra lib. 1. cap. 5. Eras. in 2. lib. cop. de apologis. Quem communem uocamus sensum.) Quintil. lib. 1. cap. 3 Sensum ipsum qui communis dicitur, ubi desit, cum se à congressu qui non hominibus solum, sed mutis quoq; animalibus naturalis est segregauit! Horatius libro 1. sermo. satyra tertia.

Com-

Communi sensu plane caret. Iuuenalis satyra octaua:

Rarus enim ferme sensus communis in illis.

Sed non nisi in pronunciato dispositis. Vt sequenti docet cap. Non quod posset homo quidem diuidi in ueras species) Prioris libri cap. 6. Rodolphus admonuit speciei nomine ita se esse usurum, ut quicquid minus commune esset id species uocaretur, at quicquid altero esset communius, id genus ipsius diceretur. Humane.) Hoc est, si quando uocabula eiuscemodi sunt, ut seorsum acceptum alterum de altero prædicari non posset, tum aliquod alia nomina adijcienda sunt, per quæ cohærere posit oratio. Minus idcirco sunt eis hi loci accommodati.) Nimis Hebraice istud, Latinitas respuit eis, proinde dispungendum esse censemus.

Cum sit homo generis earum rerum.) Obseruat id quod præcipit huius libri cap. 9. sub calcem. Bello Punico, cladi Cannensi.) Augustinus lib. 3. de ciuitate dei cap. 28. 19. Plutarchus in uita Fabij Maximi. Quoniam ea citra intellectum temporis & loci.) Vide librum huius capitis 19. in calce propemodum. Quod psitacus effingit uocem humanam.) Plinius libro decimo, capite 42. Martialis in apophoretis: Psitacus à uobis aliorum nomina discam. Hæc didici per me dicere Cæsar aue. Ouidius:

Occidit illa loquax humanæ uocis imago.
Psitacus extremo munus ab orbe datum.

Theodoricus Cirenensis episcopus: Sicut aues uocales humanam quidem uocem imitantur, non tamen intelligunt, quid loquuntur. Ita philosophi uirtutem nescientes prodiderunt.

Quoniam factus sit ex humo.) Quintilia. lib. 1. cap. 10. Quod quisquis de re pronuntiaturus est.) Nam si dicas: Plato autor est animam esse immortalem, hic authoritatem Platonis animæ accommodas, animæ inquã non seorsum, sed in pronunciato acceptæ, est enim pronunciatum, anima est immortalis. Comparationes itidem.) Vt si dicas: Cato Pompei partes sequutus est, ergo & Cicero sequi debuit, hic Cato & Cicero comparantur non seorsum, sed in pronunciatis accepti. Et similitudines rerum non fiunt.) Diligenter hoc, ut omnia ostendit Erasmus in adagio: Scarabeus aquilam, & dulce bellum inexpertis. Quia speramus commodè.) Verg. lib. Aeneid. 5. Hos successus alit, possunt quia posse uidentur. Quintili. in prologo 4. lib. Prope infinitum mihi laborem prospicio, & ipsa cogitatione suscepti muneris fatigor, sed durandum quia cœpimus, etsi uiribus deficiemur, animo tamen perseuerandum. Crebra experiendi consuetudine.) Oportet hanc describendi rationem sæpius tentare, neque defatigari protinus si quando parum ex animi sententia ceciderit. Futurum enim ut iterum atq; iterum periclitanti felicius aliquando cadat. Vetus est illud: Si crebro iacias aliud aliàs ieceris.

Inter duas res propositas consentanea, & dissentanea, quomodo ex locis inueniantur. Cap. XXIX.



SI uero qui parauit hanc describendæ cuiusq; rei facultatẽ, hoc est, ut possit uidere, quid de re quaq; ex omnibus locis dici possit, utile erit deinde propositis duabus rbus', quarũ altera dicatur de altera, ut cũ descripserit utrãq;, cõferat inter locos utriusq; rei, unũquenque alterius alterius omnibus: uideatq; quid cõsentaneum possit in

eis &

cis & quid dissentaneum inuenire. Quatenus enim consentiunt inter se loci, eatenus enim res altera de altera non negabitur. Quatenus autem discrepant loci, non poterunt etiam ne res quidem inter se conuenire. Si quando uere ducetur idem ex diuersis utriusque rei locis, quemadmodum sæpe fieri supra ostēdimus, si modo id quod ductum est è locis, certum habeat cum re utraque consensum, certo etiam uinculo res inter se conuenient. Quærenda autem erunt per omnes locos iam consentanea, postea rursus dissentanea: tentandumq́ꝫ hoc pacto, quid in utranq; partem de re proposita possit dici. Sumamus in exemplum, Philosopho habenda est uxor. Hic primum philosophum per suos explicemus locos, similiter & uxorem. Definiamus philosophum esse hominem diuinarum humanarumq́ꝫ rerum notitiam cum uirtute sectantem. Pro genere erit homo, quanquam exactius intuenti subiectum sit. Species erunt: Stoicus, Peripateticus, Academicus, Epicuræus, & quæ reliquæ sectæ philosophorū numerantur. Propriū est: cura scientiæ cum uirtute. Totū & partes: eadē quę hominis. Coniugata: philosophia, philosophari. Adiacentia: pallor, macies, horror, & asperitas frontis, seueritas uitæ, morum integritas, amor laborum, rerum humanarum incuria, contemptus uoluptatum, & dolorum. Actus: studere, uigilare, laborare: aliquid tale semper efficere, quo melior ipse, meliores alij fiant. Causa efficiens est: philosophus qui docuit eum, & cura, & iugis intentio studiorum, quibus didicit. Finis: bene tranquilleq́ꝫ uiuere. Effecta sunt: mores hominum, uitaq́ꝫ rectis institutis emendata, & ædita præcepta uitæ, conscripti libri usui & memoriæ posteritatis. Destinata sunt: omnia quæ cōsequendæ philosophiæ causa parauit. Connexa sunt: opes eius qualescunq;, discipuli, ueneratio, fama. Locus: patria in qua natus, locus in quo uersatur, publicus, & aspectui omnium expositus, ut qui omnibus sit uitæ præbiturus exemplum: item habitatio satis certa, cum debeat urbium populorumq́ꝫ corrector & emendator esse. Temporis: ut ætas eius, iuuenis an senex. Accidentium loci, ut prędiximus, quia in solam & simplicem rem non ueniunt, melius in toto pronunciato quod sumptum est, perspicientur. Hoc pacto etiam erit explicanda uxor per suos locos. Primumq́ꝫ definienda, ut sit uxor mulier in consortium uitę, liberorum

causa

causa legitime accepta. Hic pro genere erit mulier. Species erunt, hæc & illa uxor. Proprium, liberos parere. Totum & partes (ut de philosopho diximus) non alię quàm hominis. Coniugata: uxorius, uxorie. Adiacentia: affectus matrimonialis, amor uxorius, cura alendæ eius, pudicitia, aut negligentia tori. Actus: blandiri, queri, rixari, suspicari, æmulam metuere, iura genialia reddere, parere, educare, & communem rem familiarem curare. Subiectum (quoniam nunc uxorem sicut & philosophum tanquā substantiam accipimus) non habet. Causa efficiens est: consensus coniunctioq́; matrimonij. Finis est: procreatio liberorum conseruatioq́;. Destinata sunt: opes, quibus ali possit, reliquarumq́; rerum ad toleranda matrimonij onera apparatus. Connexa: maritus, opes, dos, nobilitas. Ipsum etiam uxoris nomen ad connexa pertinet: & earum rerum generis est, quæ ad aliquid uocantur: uxor enim mariti est uxor, & maritus uxoris est maritus. Nos autem in præsentia uxorem non tanquam pro qualitate uxoria, sed pro substantia quæ ab ea denominatur accipimus. Locus & tempus in generalibus his quæstionibus, hoc est, quæ proposita alio loco diximus uocari, per conditionē inferuntur: ut dicamus, quid si peregrina sit? quid si iuuenis? quid si senex? Per se enim nihil horum est in uxoris persona accipere, sed per conditionem potius adducuntur: suntq́; & eorum quæ supra memorauimus et in philosophi & uxoris persona pleraque huius generis. Quia tamen crebro insunt eis, & in alterutram partem propensiora sunt, uelut pro certis & non conditionalibus accipiuntur. Accidentium loci quæ sequuntur, eadem ratione se habent in uxoris nomine, quemadmodum in philosophi & hominis habere prædiximus. Verum hi loci, qui ex conditione inferūtur, non incommode ad contingentium referentur naturam. Quāquam enim iuuenem esse uel senem, non sit contingens uxori, cui inest iuuenta uel senectus: huic tamen quod est, philosophum habere uxorem, contingens est, iuuenem habere uxorem, uel habere senem. Sicutq́; ista in uxore ad philosophū relata contingentia sunt: sic & in philosopho hæc eadem, relata ad uxorem, sunt contingentia. In eis autem rebus, quibus de certo aliquo singulariq́; facto disseritur, hic locus aptius excutitur: plusq́; cōfert, antecedentibus, adiunctis, consequentibus inspectis: quę omnia

priore libro nobis sunt explicata. Similiter iam inspicimus nomen philosophi, & nomen uxoris, quid eorum uis proposito nostro affe rat. Sic pronunciata de hac re, quid quisq; magni nominis autor hac de re, in hanc uel illam partem dixerit. Sic comparata sunt ex philo sophi persona, ecquid imperatori in exercitu agenti, an seruo, an re-ctori ciuitatis, habenda sit uxor? Ex uxoris persona, an philosopho habendus sit amicus firmior, an seruus, an concubina. Similia (ut suo loco diximus) nisi simul ex utrisq; subiecto & prædicato sumi non possunt: ergo ea continuo aut affirmatiue aut negatiue pronunciare de proposito oportebit: ut doceamus similitudine accepta, philoso-phum uel habere debere uxorem, uel non habere. Oppositorum, & diuersorum nisi in negatiuis, nullus fere est usus. Cum fuerint er-go, quæ describenda sumpsimus, hoc more per locos deducta, tum conferend[illegible]nt (ut diximus) loci locis: et uidendum, qui quibus con ueniant. Ex his enim affirmatiue de proposito statuemus. Qui discre pabunt, hi propositum subuertent. Primumq; per omnes locos consentanea scrutemur: ut sumpta definitione philosophi, qui scru-tatur diuinas & humanas res cũ cura uirtutis: conferamus huic ordi ne ea, quę ex nomine uxoris sunt ducta. Definitio uxoris nõ mul tum dabit, nisi ea parte, qua ponitur in definitione philosophi, cu-ra uirtutis, & in definitione uxoris, causa liberorum quærendorum. Quærendi enim liberi, cum cura uirtutis, uidentur conuenire: quo-niam officium uirtutis uidetur liberos procreare. Deinde genus uxoris, mulier, parum uidetur conuenire definitioni philosophi, nisi in ea intelligamus, quod is uir sit. Vir enim & mulier naturæ ordine iuncta uidentur. Species uxoris, si sumamus clari nominis fœminas, quarum pudicitiæ & uirtutum inclyta memoria est, etiam non discrepabunt: digna enim consuetudo earum, talibus uiris erit.

Poterimus hoc pacto definitionem philosophi, per omnes lo-cos uxoris circumferre, & tentare omnia. Deinde reliquos ex or-dine locos, qui in philosophi nomine sunt, eadem ratione quem-admodum de definitione diximus, cum omnibus locis uxoris con-iungere, & experiri, qui conueniant: eos uero qui non conueniunt, intactos relinquere. Hi enim cum postea dissentanea eodem or-dine quæremus, quo consentanea quæsiuimus, materiam inuen-

tioni

tioni nostræ dabunt. Quod si etiam contraria sint aliqua inter se, quæ ex altera parte ducentur, inuenienda tamen utrisque consentanea erunt. Quemadmodum Stoicus & Epicureus repugnant, quoniam hic uirtutem expetit, ille aspernatur. Ergo huic, uoluptas tori genialis, & blanditiæ, benigna'que uxoris consuetudo, & gratia formæ, consentanea erunt. Stoico uero, cura procreandorum liberorum, & studium cohercendæ libidinis, ne alia quàm qua permissum est rapiat. Hinc etiam nascuntur argumentationes illæ, quæ proprie ἐνθυμήματα rhetores uoluerunt dici: cum diuisa una re per duo opposita, utrunque deinde affirmamus uel negamus: quod in enumeratione supra comprehendimus, Cicero complexionem uoluit id uocari. Quale est, uxor uel decora est uel deformis. Videtur quidem primo aspectu, si altera sit ducenda, alteram ducendam non esse. Qui tamen uolet utrisque consentanea quærere, dicet, decoram ducendam esse, in spem pulchritudinis liberorum: deformem, ut exerceat continentiam mariti. Sic qui dissentanea quæret, dicet, decoram suspectam esse, deformem inuisam.

Nec uero primo statim conatu desistendum est, si consentanea quærenti, prima duorum locorum collatio parum respondeat. Sed conferendi iterum, adhibendi'que ad eos erunt alij loci, quibus consentanea esse peruincantur. Qualia sunt Thucydidis nonnulla, contra communem sensum opinionem'que dicta: quæ tamen adhibita probatione, confirmat. Agitandum'que hac ratione ingenium: nec acquiescendum solum eis, quæ ultro se proferunt: sed erunt etiam quæ latent eruenda. Sic enim paulatim facultas illa parabitur magna ex parte, quam tribuit orationi Cicero, ut nihil tam improbabile sit, quod non hac uia probabile uideatur. Vsus autem horum exercitamentorum hic præcipuus est: Descriptionis quidem, quòd per eam facilem assequimur omnium locorum in qualibet re uelut uno sub aspectu intuitum. Nec enim satis est, scire locos, & in omni re inuenire posse: sed oportebit promptos esse, & uelut nutum nostrum expectantes. Præterea, qui nequibit rem propositam per locos describere, nihil est quod inuenturum ex locis certa se ratione confidat. Hoc enim primum est totius inuentionis caput: ex quo commode tractato, omnia copiosissime pro-

feruntur. Comparatio uero inter se duarum rerum descriptarum per singulos locos, hanc præstat utilitatem, ut quicquid inuenerimus, facile aptemus instituto nostro, & in usum argumenti traducamus, & uideamus etiam, quod inuentum nostrum aptum sit argumento, quod ineptum, & quid in hanc illam'ue partem magis prosit nobis: & si quid conatui nostro repugnat, ut id ne attingamus quidem. Si dicam enim, cuicunque est cura uirtutis, ducet uxorem, ergo philosophus ducet uxorem: si neget aduersarius id, quod propositum est, hoc est, ducendam esse uxorem cuicunque sit cura uirtutis, iam hac inuentione (quæ ex philosophi nomine ducta est) habere curam uirtutis, nihil egerimus: nisi habeamus aliud ex persona uxoris inuentum, cui hoc sit consentaneum, ut dicamus, cuicunque est cura uirtutis, uolet liberos procreare: ergo cuicunque est cura uirtutis, ducet uxorem. Similiter quod in philosophi descriptione positum est, contemptorem esse eum uoluptatum & dolorum, cuicunque inuentorum ex uxoris persona adhibeas, frigidum & segne argumentum conficies. Id uero quod sequitur in philosophi descriptione, incuria rerum humanarum, dissentaneum fere uidetur omnibus eis quæ ex persona uxoris ducentur. Ergo in his danda erit opera, ut si non prosint, obsint quàmminimum. Vt dicamus, philosophum non uxoris molestia, non orbitate liberorum à coniugio deterritum iri: quoniam contemptor sit uoluptatum & dolorum. Sic etiam, cum non amore filiorum, cura'que parandæ eis hæreditatis amplioris, aut uxoris desiderio, in uitia cupiditatis aut auaritiæ prolapsurum: quoniam sit sibi incuria rerum humanarum: solum ergo philosophum innoxiè bona matrimonij mala'q; toleraturum. Sic quę per se quandoq; obstare uidentur, contra obstantia alia munimento sunt. Et quemadmodum reliquis in rebus, sic hic fit, ut quæ per se in malis numerarentur, alijs comparata malis, in remediorum habeantur loco. Hæc quidem fundamenta sunt omnis inuentionis: quę quisquis recte firmiter'q; iecerit, exiguus in reliquis restabit labor, parata'q; est his omnis dicendi materia: & quicquid dicturi copiā potest instruere, hac uia colligitur. Sola deinceps opus est ratione, quæ præsenti rerum usui aptet ista, & ordinet ea disponat'q;, & uelut in aciem producat.

In ca-

IN CAPVT XXIX.

EI uero qui parauit hãc.) Proximo capite rationem ostendit uniuscuiusq; rei per locos describendæ, hic autem idem quoq; facit, sed in pronũciatis, quia loci sæpenumero cõmodius inueniũtur, cum sunt in pronũciatis dispositi: id quod ipse testatur Rodolphus loco modo citato. Et quædam inquit rebus per se conueniunt, aliæ cõueniunt quidem rebus, sed non nisi in pronũciato dispositis. Philosopho habenda est uxor.) Aphthonius in progymnasmatis de Thesi, uide quæ adnotauimus in eum locum. Ioan. Chrysostomus homi. in Gen. 20. Eras. in opere de epist. conscrib. Epist. suasoria. similem aut fere similem describendi rationem sequi uidetur & Lucianus in dialogo de mercede conductis, ubi uitam aulicam, uel philosopho, uel erudito nimis prorsus indignam esse persuadet. Quoniam hic uirtutem expetit, ille aspernatur.) Mea quidem sententia, nihil necesse uidetur sic corrigere (ille uirtutem expetit hic aspernatur) ut quidam magni apud Colonienses nominis emendandum esse pertinaciter contendit, ac proinde νόθον esse exẽplar per me eius precibus eo perlatum idq; magno meo dãno. Præsertim non suffragante autographo. Id quod & prius libri huius cap. 4. annotauimus. Non enim perpetua est talis illorum pronominum obseruatio.

Stoicus, Peripateticus, Academicus, Epicuræus) Inter Epicuræos & Stoicos maximum est dißidium. Nam Epicuræi felicitatem hominis uoluptate metiuntur. Stoici præter honestum nihil ducunt in bonis. Philosophia, philosophari.) Quodam die quum populus theatrũ egrederetur, Diogenes aduersus populũ nitens ingrediebatur. Interrogatus cur id faceret. Hoc inquit in omni uita facere studeo: Sentiens hoc esse philosophari, in omnibus actionibus quàm maxime à multitudine dißidere, propterea quòd uulgus hominum cupiditatibus agitur non ratione. Connexa sunt, opes eius qualescunq;.) Lucanus in Timone: ὀλιγαρκῆ γὰρ καὶ μέτριον χρὴ εἶναι τὸν φιλοσοφοῦντα, καὶ μηδὲν ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν. Id est, oportet enim philosophum paucis contentum ac frugalem esse, neq; quicquam ultra peram quærere. Vide scholia nostra in orationẽ Rodol. de studiorum ad hyemẽ innouatiõe. Quẽadmodum sæpe fieri supra ostendimus.) Lib. 1. nõ semel admonitum est, unam atq; eandem rem rebus diuersis collatã, in diuersos quoq; locos posse referri, sic homo animali collatus species est, prudentiæ, aut colori cõparatus accipit nomen subiecti, & sic de cæteris. Definiamus philosophum esse hominẽ.) Cicero lib. 1. de oratore: Philosophi deniq; ipsius, qui de sua ui ac sapientia unus omnia pene profitetur, est tamen quædam descriptio, ut is qui studeat omnium rerũ diuinarum atq; humanarum uim, naturam, causasq; nosse, & omnem bene uiuendi rationem tenere & persequi, nomine hoc appelletur. Publicus & aspectui omnium expositus.) Quidam ob hoc ipsum docti uolunt haberi, quod semet abdunt à uulgi conspectibus. At exemplo ueri philosophi non debemus horrere consortium indoctorũ aut imbecillium, modo spes sit ulla uel eruditionis uel resipiscentiæ. Cur enim horreat fidus & amicus medicus homines morbidos, modo spes sit sanitatis? Quidam multa destomachãs in philosophos etiam hoc adiecit quod conspiceret illos semper obsidere fores diuitum, cui Aristippus: Et medici inquit ægrotantium domos frequentant, nemo tamẽ ægrotus esse mallet, quàm medicus. Scite retorsit in diuersum conuitium, philosophi prædicant felicitatem, quam uni sapiẽti uindicãt, & tamen aßidue uersantur apud diuites aliquid uenantes ab illis, unde colligebat diuites esse beatiores quàm philosophos Sed ille interpretatus est philosophos ideo potißimum colere diuites, quod ob luxum ac delitias cæteris mortalibus & stultiores & corruptiores egerẽt præceptis sapientiæ, philosophus autem animorum male habentium medicus est. Porro

beatius est esse medicum quàm ægrotum. Qu. inquam exactius intuenti.) Nam philosophi nomen potius qualitatem significat quàm substantiam, quanquàm nos id uocabuli sic usurpamus, ut hominem eum qui philosophatur intelligamus. Et reliquæ sectæ.) De quibus lege Ciceronem 3. de Oratore circa principium. Cura alendæ eius.) Sunt qui putet legendum cura alendi eius, nempe matrimonialis affectus, alij uerò manente structura incolumi, prolis uolunt subintelligi, fortasse non pessime diceretur, ut cura passiue capiatur, nam cum dicitur uxor curatur: adiacens est uxoris, nisi forte rectius actus appelletur, nam & passionem actum uocat Rodolphus. Quæ proposita alio loco diximus.) Libri huius capite decimo. Quoniam officium uirtutis uidetur liberos procreare.) Prioris ad Timotheum capite secundo, salua tamen fiet per generationem liberorum, si manserit in fide ac dilectione & sanctificatione cum castitate. Quæ proprie ἐνθυμήματα) Lib. huius cap. duodeuicesimo in calce. Cum diuisa una re per duo opposita.) Aristoteles lib. Rhetoricorum secundo capite uigesimotertio circa locum à duobus oppositis. Laurentius Valla libro tertio in dialecticen cap. quinquagesimoquinto & quadragesimoprimo. Aulus Gellius libro quinto capite undecimo. Angelus Politianus Miscella. cap. quinquagesimoquarto & quinquagesimoquinto. D. Erasmus in opere de conscribendis epistolis cap. de complexione & cæteris argumentationum oratoriarum generibus. Idem adagio: Oleum & salem oportet emere.

Sic qui dissentanea quærit.) Quorum catalogum bene longum, non minori iudicio quã sedulitate recenset D. Hieronymus contra Iouinianum, & in epistola cuius initium: Vereor ne officium, ad Saluinam de seruanda uirginitate, & ad Furiam de uiduitate seruãda, in epistola cuius initium: Obsecras literis, & in epistola ad Eustochium de custodia uirginitatis, & in epistola aduersus Vigilantium: cuius initium, multa in hoc orbe monstra. Gregorius Nazianzenus in dictum Euangelij: Cum consummasset Iesus sermones hos Matthæi decimonono. Aphthonius de Thesi. Ioannes Antonius Campanus in oratione de obitu fratris. Erasmus in opere de conscribendis epistolis cap. de genere dissuasorio. Rogatus ab adolescente quodam Socrates utrum melius censeret, uxorem ducere, an non ducere, utrumcunq;, inquit feceris, pœnitebit, iudicans & cœlibatum & coniugium habere suas molestias, ad quas perferendas esset præparandus animus. Cœlibatum comitatur solitudo, orbitas, generis interitus, hæres alienus. Matrimonium perpetua solicitudo, iuges querelæ, dotis exprobratio, affinium graue supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus, aliaq; innumera incommoda. Proinde non hic est electio qualis est inter bonum & malum, sed qualis inter leuiora & grauiora incommoda. Sed oportebit promptos esse, & uelut nutum nostrum expectantes.) Hoc est ut alijs quidem uerbis, eodem tamen aut fere eodem tẽdentibus referamus, in numerato habere quẽadmodũ Octauius Augustus (ut refert Seneca) pronunciauit de Vatinio oratore quod ingenium in numerato haberet, propterea quod in causis agendis ingenio esset præsentissimo & quicquid alijs præstaret diutina cogitatio id illi prima statim animi intentio daret. Cicero: Vt omnes eas causas diligẽtes oratores & memores percursas animo, & prope decantatas habere debeant. Nec satis est scire locos & in omni re inuenire posse.) Neq; satis erit huiusmodi locorum mundum comparasse, nisi non solum in promptu uerum etiam in conspectu habeas ut protinus uel non quæsiti sese ostendant oculis.

Ordo totius

Ordo totius inuentionis in summa breuiter uelut aspectui subiectus. Cap. XXX.


T ergo demus omnia tanquam sub unum conspectum, totamq́; præceptionis huius amplitudinem in unam summam colligamus, ubi materia disserendi fuerit oblata, siquidem sit formata quæstio, nihil est q̊d in hac parte laboremus. Sin rudis (ut ita dicã) materia dictionis proponatur, qua ratione sit in quæstionis conijcienda formam docuimus, quantũ tamen id præceptione potuimus assequi. Cum habuerimus autem formatam quæstionem, tum diligenter est ea etiam atq; etiam expendenda, cuius generis quæstionũ sit, ex omni illa (quam supra explicuimus) quæstionum uarietate. Nec em̃ facile quis inueniet, quò sint probationes oẽs referẽdæ, nisi recte naturã quæstionis cognitã habuerit. Deinde tũ uidendum quo pacto hæc quæstio, quæ totius disputationis est caput, in plures diducatur quæstiões, quod cũ hic locus à nobis tractaret, pro uiribus est explicatum. Iam iudicij nostri erit, quas quæstiones inter primã quæstionem comprehensas tractandas putemus: quod tamen ex conditione rerum & utilitate nascatur oportet: cũq́; ea deliberãdum est ante omnia, quas quæstiones credamus tractandas, quas remittendas: & an solam eam quæ prima est sufficere arbitremur. Vt in quæstione quam modo pro exemplo posuimus, an philosopho ducenda sit uxor: utrum in hac quæstione solũ de philosophi persona, de qua quæritur, differere uelimus, an prius generalem in hac inclusam quæstione explicare, an cuiquã ducenda sit uxor. Sic etiam, an optandi philosopho liberi, quod ex hac etiã pendet quæstione, utrũ id latius uelimus fundere, & propria quæstione tractare, an solũ in simplicis argumẽtationis formã breuiter colligere. Sic an expetẽdę philosopho diuitiæ, an philosopho cura rei familiaris obeunda, & reliqua omnia argumẽta ex locis ducta, quæ latius arctius'ue tractari pro dicentis arbitrio, & suas quæstiones accipere possunt. Cũ fuerit autẽ cõstituta nobis quęstio, siue unam siue plures faciamus: eadẽ erit omniũ, quæ cuiusq; cõfirmãdæ ratio, ea quam proximo loco diximus: ut acceptis in quæstione omnibus ex quibus argumenti aliquid duci poterit (poterit aũt fere ex omnibus quę ponent in quæ-

stione

stione) describamus ea, per'q; locos omnes ducamus, & tum ex consentientium aut discrepantium ratione, prout de quæstione pronunciauimus, in hanc uel illam partem argumenta colligamus. Nam de quæstione quæ expositione explicatur, minus suscipitur negotij, præsertim cum de facto aliquo quæritur, cuius tantum ordo, id est, initia, decursus, exitus'q; sunt recensendi. In eis uero ubi causæ rerum quæruntur, quia possunt unius rei quandoq; esse multæ causæ: aut habitudo qualitas'ue rei alicuius inuestigatur, ut qui quærat, quibus rebus, aut quo genere uitæ Cato tantum uirtutis nomen sit assecutus: non oportebit utiq; argumentari eum, qui de hac quæstione disseret: sed solum integre, seuere, iuste, constanter, prudenter, facta dicta'q; Catonis expositione colligere. Argumenta tamen & semina omnia confirmandarum laudum Catonis ponētur, ex quibus si quæreretur an fuerit laudandus Cato, idē id colligi posset. Sed quia genus hoc quæstionis credentes habet auditores, non enim quæritur, an fuerit laudandus Cato, sed quibus rebus tantum laudis sit assecutus: idcirco expositiōe poterit ea quæstio absolui. Quod in omnibus his fere rectissime fiet, in quibus auditor non certantis, sed discētis sustinet personam. Hæc ubi fecerimus, peruiderimus'q; cuncta, quibus sit nobis opus ad id quod instituimus docendum, tum facile uidebimus, quod ad formādam orationem pertinet, an res ea ex qua nascitur quæstio, quæ per argumentationem est explicanda, simplex sit, & quæ solum proposita quæstione possit intelligi, quales sunt quas proposita diximus uocari, an sinuosa sit & multiplex, quæ'q; ex uaria & flexuosa rerum oriatur serie, ut sunt conditionales quæstiones & ciuiles pleræque, ad quas recte percipiendas longior narratio præcedat oportet. Deinde cum nostram auditorum'q; personas & rerum de quibus simus dicturi conferimus æstimationem: & cogitamus, quas aures nobis auditores, quas eis qui contra nos dicent, si qui dicent contra, sint adhibituri: quas'q; prius adhibuerint, si qui prius quàm nos dixerint: tum non erit difficile iudicium nobis, an sit exordio parandus aditus ad animos eorum, & cui uel occurrendum incommodo, uel spei incumbendum: cum uiderimus quid sit nostrarum partium, quo uel premamur maxime, uel cui faueatur. Sic & peroratione, an tam multiplex res tanta'q; fuerit ar


rit ar

rit argumentationum copia, ut sit auditoris memoria enumeratione reficienda: an ea sit natura rerum, ut queri de nostra conditione, mouere lachrymas: ira, odio, indignatione miscere auditorum animos debeamus. Omnium nos, rerum personarumq́; conditio rectissime admonebit, si cuncta consideremus, quemadmodum diximus, cum loqueremur de his partibus orationis. Omnia ex eisdem ducenda locis erunt, ex quibus argumentationes ostendimus duci: siue doceamus, siue beneuolentiam, iram, odium, misericordiam, alios'ue moueamus affectus: solisq́; cuncta hæc quæstionum capitibus, quod inuentionis est, distant. Validissimi autem affectus persæpe oratione, quæ expositioni quàm argumentationi similior est, mouentur: sæpe tamen & argumentatione, ut alio docuimus loco. Colligendi tamen acumen, omnisq́; tenuior illa argumentandi subtilitas uitanda est. Vtq́; semel dicam, puritas illa docentis orationis, & impetus affectibus turbantis, sicut inuentione nihil distant, ita eloquendi prope extremis sunt finibus discreta.

IN CAPVT VLTIMVM.

VT ergo demus omnia.) ἀνακεφαλαίωσις est eorum quæ dicta sunt de locorum usu. Siquidem.) De hac uoce uide Vallam lib. 2. cap. 15. Plautus: Saluus sum siquidem isti dicto solida & perpetua est fides. Docuimus.) Libri huius capite duodecimo. Quam supra explicuimus.) Capite nono, decimo, & undecimo. Quod quum hic locus à nobis tractaretur. Libro huius capite decimoquarto. Quæ expositione explicatur.) Lege libri huius capite decimosexto. Quo genere uitæ Cato tantum.) T. Liuius libro nono de bello Macedonico, Marcus Tullius libro primo de Oratore, in oratione pro Murena. Quintilianus libro duodecimo capite undecimo. Quales sunt quas proposita diximus.) Supra cap. 10. Vt sunt conditionales quæstiones.) Lib. huius capite decimo. Deinde cū nostram auditorumq́;.) Hac de re, uide huius libri caput uigesimūquart. Vt alio docuimus loco.) Partim libri huius capite quarto, & quinto partim eiusdem lib. capite uigesimoquarto. Sicut inuentione nihil distant.) De quo si quis addubitet legat huius libri caput quartū & uigesimumquart. Ita eloquendi prope extremis.) Fab. Quintilianus libro octauo capite tertio.

FINIS.



RODOLPHI AGRICOLAE PHRISII DE INVENTIONE DIALECTICA, LIBER TERTIUS.

De affectibus quid sint, & unde oriantur. Cap. I.



VONIAM autem de affectibus dicere locus admonuit, & dicturum me de eis priore rerum tractatu pollicitus sum: paucis, quæ natura eorum, quæ uis sit dicam: ut cum cognitos eos teneat, qui inuenire cupit paratum habeat tanquam scopulum uniuscuiusque naturam, ad quem sint omnia argumenta uelut tela dirigenda.

Affectus autem mihi non aliud uidetur esse, quàm impetus quidam animi, quo ad appetendum auersandum'ue aliquid uehementius quàm pro quieto statu mentis impellimur. Omnis itaque affectus uel ex appetendarum rerum, uel auersandarum studio nascitur. Appetimus'que, quæcunque uel reuera uel in speciem bona sunt: contra auersamur, quæ noxia sunt, uel nocitura creduntur. Nec solum afficimur eis, quæ nobis bona putamus aut mala, sed alienam quoque uicem dolemus, gaudemus, irascimur, miseremur.

In omni autem affectu duo sunt præcipue quibus mouemur: res quæ accidit aut expectatur, & persona ad quam res ea redit. Quæcunque ergo res digno contigerit, siue bona ea sit siue mala, gaudemus. Contra, si qua indigno, ferimus moleste. Et si quidem bona sit, inuidemus, irascimur: sin mala, miseremur, & in doloris uenimus societatem. At in his affectibus, qui in suam cuiusque ueniunt personam, res sola plerunque sufficit affectui, & perquam breuis est de persona cunctatio. Nemo enim ferè non sibi fauet. Quicquid bene cesserit, id digno sibi: quicquid secus, indigno id sibi euenisse persuadet. Venit & quandoq; in partem rei, persona, non quidē cui contigit, sed à qua profecta res est, Unde persæpe, nō tam

bene

bene aut secus de re quæ facta est existimamus ex ipsa re, quàm ex animo aut opinione eius qui fecit. Vnde scite apud comicum dictum est: Vnum hoc scito, contumeliæ nō me fecisse causa, sed amoris. Et item alio loco. Abs quiuis homine (cum opus est) beneficiū accipere, gaudeas: Verumenimuero id demum iuuat, si quem æquum est benefacere, is facit. Sed in tractatu rei, persona hæc ad efficientium locum redigetur. Quandoque persona etiam ad subiecti locum pertinet: ut si quis propter uirtutes amet quempiam, uel propter decorem: similiterq́; oderit in eo uitia, uel deformitatem: res quidem sunt uirtus, uel uitium reliqua'ue, quibus spectatis, animus præcipue mouetur: persona uero uelut rerum quædam fit accessio: quoniam rebus etiam sine persona moueremur, personam sine rebus nihil ad nos putaremus pertinere. Et quoniam rerū subiectum est persona, cum tractabuntur res, in eum locum ponēda erit. Quia tamen affectus complecti personam uidetur, & nomen affectus illi præcipue tribuitur: tametsi prior sit nobis uirtutis uel decoris cura, sine quibus personam negligeremus, ipsa tamen persona est quæ amari dicitur, quam odimus, cui inuidemus: idcirco in his pro re sæpe accipimus personam, & rem inter locos personæ collocamus.

Nihil autem refert in affectibus, aut sic esse rem, aut sic uideri. Temerarius est enim affectus omnis & præceps, rapit mentem, & plerunq; alius ex alio nascitur. Vnde fit, ut de rebus omnibus, non ex uero statuat, sed bonas eas malasq́; putet ex opinione, quam indidit alterius affectus error: uel quam leuiore quacunque & inani persuasione secutus est. Sunt & affectuum diuturniores alij, qui longo sunt usu firmati: ut amor, odium, inuidia, luctus, metus: & in summa, omnis, quicunq; maioris alicuius causæ persuasione animos obsedit. Alij breuiores & subiti magis: ut qui cum alijs ex causis, tum orationis uento, tanquam in stipula ignis concitantur. Hiq́; sicut de improuiso propemodum prorumpunt, sic celeriter quoq; persæpe & quāuis leui causa residunt. Quanq̄ sit aāt capax omniū affectuum oratio, & nullus non locū aliquādo sibi uendicet in dicēdo, duo tamen uel maxime oratoribus laudem tulerūt, odiū & misericordia. Sane Aristoteles in eis libris quos de rhetorice conscripsit, multos enumerat, & quid sit quisque, quibusq; rebus oriatur, extinguaturq́;

rursus, copiosissime prosequitur: ut fuit uir ille ingeniosissimus, omniq; rerum copia instructissimus. Quæ quisquis scire uolet, ex illo paratum erit inquirere. Mihi uidetur, quisquis communis sensus planè non erit expers, cum rem de qua dicturus sit cũ auditoris contulerit animo, cunq; perspiciat quid dicendo uelit efficere, non laturum eum in quod affectus genus sit rapiendus auditor. Deinde quum res cum personis (quemadmodum modo prædiximus) coniunxerit, facile ex re, quod bona ea mala'ue sit: facile ex persona, quod ea re illa digna sit aut indigna, deducet.

ANNOTATIONES ALARDI AEMSTELREDAMI IN *tertium Rhodolphi Agricolæ de dialectica inuentione commentarium.*



QVONIAM *autem de affectibus dicere locus admonuit.) Plurimas ad res caput hoc, cæteraq; proxime sequentia usui futura sunt, proinde diligenter excutienda. Hoc loco non ab re crediderim illud obiter admonendum, apud Areopagitas oratoribus haud licuisse affectus mouere, ut quibus iudicum animi à ueritatis luce, in falsitatis caliginem sæpe abducuntur, ut autor est Quintilianus in Prologo, libro quinto. Idem lib. sexto capite 1. ubi de Epilogis loquitur: Athenis, inquit, affectus mouere per præconē prohibebatur orator, philosophos minus miror, apud quos uitij est loco affici, nec boni mores uidentur, sic à uero iudicem auerti, nec conuenire bono uiro, uitijs uti, necessarios tamen affectus fatebantur, si aliter obtineri uera & iusta & in commune profutura non possunt, Lucianus in ἀναχάρ. de Areopago loquens: ἢν δέ τις ἢ προοίμιον εἴποι πρὸ τοῦ λόγου ὡς εὐνουστέρους ἀπεργάσαιτο αὐτοὺς ἢ οἶκτρον ἢ δείνωσιν ἔξωθεν ἐπάγοι τῷ πράγματι, οἷα πολλὰ ῥητόρων παῖδες ἐπὶ τοὺς δικαστὰς μηχανῶνται, πρὸς ἐλθὼν ὁ κῆρυξ κατεσιώπησεν εὐθὺς οὐκ ἐῶν ληρεῖν πρὸς τὴν βουλὴν καὶ περιπέττειν τὸ πρᾶγμα ἐν τοῖς λόγοις. ὡς γυμνὰ τὰ γιγνόμενα οἱ ἀρεοπαγῖται βλέποιεν. Hoc est, Gulielmo Budæo interprete: Quod si quis, inquit, in auspicanda oratione procemium ad conciliandos eorum animos, aut commiserationem exaggerationem'ue extrinsecus ductam, agendæ causæ accommodaret, qualia multa machinamenta oratorum natio, capiendis iudicum animis comminisci solet, extemplo præco prodiens, tacere eum iubebat, non ultra sinens inaniter uerba fundere, uerborumq; inuolucris qua de re agitur implicare, ut nuda apertaq; ipsa facta cernere Areopagitæ possent. Præterea Quintilianus libro decimo de Demosthenis Ciceronisq; comparatione loquens: Salibus certe, inquit, & commiseratione, qui duo plurimum affectus ualent, uincimus. Et fortasse epilogos illi mos ciuitatis abstulerit, lex (inquit) aut institutum Atheniensium Demosthenis orationibus commiseratione, & amplificationē abstulit duo acerrima oratoriæ artis tela. Et lib. 2. ca. 17. Eloquentiã ait Lacedæmoniorũ ciuitate expulsam. Athenis uero ueluti recisam orandi potestate, ubi orator mouere affectus uetabatur. Quint. lib. 2. ca. 18. Affectus si aliter ad æquitatem perduci iudex nõ potuit necessario mouebit orator. Igit Athenis interdicebat præco dicturis in cõcione ne uel præfatiõe uel affectib. uterētur, rē mõ exponerent*

exponerent ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, id est, absque procemijs & affectibus. Eras. Roter. lib. Ecclesi. 2. Porro Stoicorum dogma nullos probantium affectus, non à Christianis modo, uerum etiam ab ipsis Stoicis paulo æquioribus, reiectum atque explosum est. Nam quod Athenienses ab actionibus causarum secluserunt affectus, potest aliquo colore defendi. Tum ad clepsydras dicebatur, nolebant aquam non necessarijs absumi, nec iudicem nimium diu detineri cognitione: præterea quoniam à iudice religione astricto requirebatur incorrupta pronunciatio, maluerunt abstineri à mouendis affectibus quod ij sæpe nubilum offundunt iudicio, interdum eo rapiunt cognitorem, ut non ex iure sed ex animi commotione ferat sententiam. Et dicturum me de eis.) Quod ita testatur lib. 2. cap. 24. Cum fiant autem (inquit) hæc omnia affectuũ permotione quo pacto oporteat ea expedire paulo aperientur. Quæ natura eorum, quæ uis.) Quintilia. lib. 6. cap. 2. & 3. Cice. lib. de oratore 2. circa medium. Quot sunt & quomodo definiũtur in dial. Melanch. in 2. specie qualitatis, quæ dicitur habitus explanatur. Nihil aliud uidetur esse.) Affectus est motus, quo se sensus ac uolũtas prosequitur, aut fugit rẽ oblatã. Sicut enim pulsata cutis afficitur, ita impellitur cor, quum offertur res aut placens aut displicens. Sunt autem summa genera affectuum, lætitia, spes, dolor, seu tristitia, & metus. Ex his commixtis fiunt cæteri affectus. Seneca epist. 76. Affectus sunt motus animi improbabiles, subiti, & concitati, qui frequentes, neglectique fecere morbum. Sicut distillatio nec adhuc in mortem adducta tussim facit, assidua & uetus. Cicero in Partitionibus: Motus autem animi incitatio aut ad uoluptatem, aut ad molestiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem, tot enim sunt motus genera. Partes plures generum singulorum. D. Augustinus 14. de ciui. Dei lib. cap. 8. Idem in eodem opere lib. 9. cap. 4. Suidas ἐν τῷ πάθος. Vergilius: Hinc metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque. Horat. 1. epistol. lib. epist. 6. Gaudeat an doleat, cupiat metuat'ue quid ad rem. Siue bona ea sit, siue mala gaudemus.) Gaudemus equidem ea ratione, qua iudicamus eum hominem ea re dignum esse: at aliunde tamen accidere potest, ut ei afficiamur, ut si miseret nos eius, qui ultimo afficiatur supplicio, ea sane misericordia non oritur ex persona illius, quatenus scimus eum dignum esse illo supplicio, sed quatenus alia quædam nobis in mentem ueniunt, nempe fragilitas humana, & cætera quibus in huiusmodi rebus commoueri solemus. Sin mala miseremur, & in doloris uenimus societatem.) Cice. 2. de orato. Iam misericordia mouetur, si is qui uidet adduci potest, ut illa quæ de altero deplorentur, ad suas res reuocet, quas aut tulerit acerbas aut intuens alium crebro ad seipsum reuertatur, ita cum singuli casus humanarum miseriarum grauiter accipiuntur, si dicuntur dolenter, tum afflicta & prostrata uirtus maxime luctuosa est, ut & illa altera pars orationis, quæ probitatis commendatione boni debet speciem tueri leuis (ut sæpe iam dixi) atque summissa, sic hæc quæ suscipitur ab oratore ad commutandos animos, atque omni ratione flectendos intenta ac uehemens esse debet. Similiterque oderit in eo uitia.) In eodem enim homine sæpe summæ sunt uirtutes, cum summis uitijs coniunctæ, ut autor est Plutarchus in uita Alcibiadis, ut nescias amore ne an odio persequendus. Quam ex animo aut opinione eius qui facit.) Thais Terentiana: Etsi ego digna hac contumelia, tu tamen indignus qui facias. Pro re sæpe accipimus personam.) Hoc est, inuertimus orationem: Nam cum de re loqui deberemus, & personam inter locos eius enumerare, nos inuerso ordine de persona instituimus orationem, & rem inter locos personæ collocamus: ut scilicet homini uel bene uel male afficiamur, quamuis propriè uirtus & uitium est amoris aut odij obiectum. Et rem inter locos personæ collocamus.) Vt cum de homine probo contumelijs affe-

cto doleamus, quamuis ipsa sit uirtus, quæ indigna sit contumelia, tamen tota rei exaggeratio, in permouendo affectu, pendet ex locis qui accommodantur ad personam, non ad rem.
Sunt & affectuum diuturniores alij.) Lege supra lib. 1. cap. 11. de adiacentibus. Vel maxime oratoribus.) Quia eorum labor ferme in iudicijs desudauit, ubi accusator cōdemnationem captans, reo inuidiam & odium parit: contra patronus liberando clienti studens misericordiam undiq; uenatur, alioqui in senatu & populo, reliqui affectus crebro locum habēt, ut cum metum hostium inijcere animo uolunt, & incolumi fortuna exercitus gaudium gratulantur conciliare. Ea demum uox gignit affectum in animis auditorum, quæ ab animo bene affecto uenit, præsertim uultu gestuq; conueniente adiuta. Laudem tulerunt.) Cicero in Bruto: Vt enim ex neruorum sono in fidibus quam scienter ij pulsi sint intelligi solet: Sic ex animorum motu cernitur quid tractandis ijs perficiat orator. Odium & misericordia.) Vide quæ supra lib. 2. cap. 4. annotauimus circa locum ubi sic habet: Duo sint oportet in misericordia mouenda. Multos enumerat.) Maxime lib. rhetoricorum 2.

Quot modis à dicente tractentur affectus. Cap. II.



TRactantur autem affectus triplici ratione: Prima est, ut exprimamus oratione affectum, hoc est, ut irati, metuentis, amantis, dolentis, nobis assumamus uerba: qualis fere est omnis in comœdia, tragœdiaq; oratio. Sed hæc ardentiores habet motus, quoniam personas habet magis insignes & res grandiores. Illa quietos magis & propius à tranquillitate distantes, quia res personasq; de medio sumit. Qua in parte, necesse est, cogitationes, uota, querelas, desideria, preces, contentiones omnes, pro natura cuiusq; affectus, exprimat oratio. Ante omnia uero elocutionis genere istud conficitur, ut ipsa dictio, tumultum perturbationemq; concitatæ mentis imitetur. Et est quidem in hac affectuum imitatione pręcipue posita ea uis, quam nonnunquam colorem uocamus dictionis. Vt cum eandem rem multi dicant, siue exponant quidem, siue argumētentur, alius tamen monentis solum, alius irati, alius querentis, alius miserantis tueatur colorem. In satyra uidemus, idem tribus illis qui adhuc extant, Horatio, Persio, & Iuuenali, institutum esse, eandemq; rem tractari. Ea est, ut mores uitamq; emendent, & reprehendant uitia. Suum tamen quisq; secutus est colorem. Horatius ridentis speciem, & ingenuo (ut ipse ait) culpam defigere ludo affectauit. Persius seueriorem & prope philosophi personam accepit. Docendo itaq; reprehendit, & reprehendendo docet. Iuuenalis indignantis & irati plerunque præfert speciem. Quare erectior paulo & profluentior carminis compositio,

ditio, magis decuerit eum, sicut & sal amarior plerunque & solutior orationis libertas. Nec ulla alia in re magis positum esse decorum orationis illud crediderim, (quod tantopere in oratore suo laudauit Cicero, tantaq; ubiq; secutus est obseruatione) quàm in eo qui sit ex hac imitatione desumptus color, isq; dicentis personæ, ex sua, auditoris, rerumq; collata existimatione, apte & diligenter accommodatus. Sed plura de his dicere, ad eloquendi magis quàm inueniendi pertinet ratione. Secũda tractandorũ affectuũ ratio est, cum aliquem affectu aliquo concitũ describimus: & quæ fecerit, quę dixerit sic explicamus, ut ex omnibus affectus possit deprehendi. Cuius rei cum multis in locis multa sunt apud autores exẽpla, tum egregium apud tragicum nostrum in Oedipode: Prædicta postquam fata & infandum genus Deprępendit. quæq; sequuntur: notus enim est locus. Huius etiam generis est, cum uel nos uel alium quempiam esse aut fuisse aliqua affectione permotos docemus, quæ utrolibet modo, & argumentatione & expositione possunt explicari. Multum autem interest inter hanc rationẽ & priorem illam. Quoniam ex priore solum color assumitur, quem possumus etiam aliud agentes præferre. Sicut enim qui obiurgat, plerunq; irati speciem habet, ita possumus & amantis personam gerentes obiurgare, & indignari, & queri, & reprehendere: quemadmodum apud Vergilium Dido queritur primum: Dissimulare etiam sperasti perfide tantum Posse nefas? Deinde iam flagrat ira: Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus autor. Omnia tamen fœminæ furentis amore colorem habent. In hac autem parte, non color orationis, sed res ipsa quę agitur, hoc est, quam docere conamur, continetur: in hoc enim dictio impenditur, ut hoc aut illo pacto affectum quempiam esse doceamus. Tertia uia qua tractantur affectus, est, cum auditoris animum tractare nitimur: cumq; non quærit oratio affectum docere nostrum, sed eruere excitareq; cupit alienum. Hocq; est, quod secundo numerant loco, qui tria uolunt oratoris esse munera, docere, mouere, delectare.

Quia nascitur autem omnis affectus (ut diximus) siquidem pro aliena suscipitur persona, ex rei specie, quę uel euenit, uel expectatur, proinde ut ea bona mala'ue creditur: & existimatione personæ, quia uel dignam eam uel indignam eo casu putamus: tertium persæpe accedit

cedit persona, quæ rem opera consilio'ue explicuit: quibus uero affectibus pro nobis mouemur, sufficit quidem res, efficientis tamen etiã persona sæpe adiungitur: sępe etiam & nostra persona, quod ad dignitatẽ indignitatem'ue pertinet, in his ipsis utimur affectibus, si quid ea alterutrã in partẽ habeat notabile. Ex his ergo, uel omnibus uel singulis argumẽta ducentur, pro rerũ conditione, & affectus quẽ conamur excitare natura. Cicero quidem quandoq; ex persona solum ducit, ut pro Plancio, pro Sylla. Quandoq; ex re, ut in Nauarchorum casu deplorando, contra Verrem. Quandoq; ex utrisq;, ut pro Quintio. Pro Milone uero cum personam Milonis indignam eo casu docuisset, pro re (ut alio loco pluribus diximus) suam subiecit personam, & suis lachrymis tanquam iustis maxime'que fauorabilibus causam commendauit. Non sunt autem eo deducendæ argumentationes, ut colligere nitamur, miserendum, inuidendum, irascendum, fauẽdum esse. Satis est de re persona'q; demonstrare, id quod natura affectus postulat: ut res bona uel mala, persona digna uel indigna sit. Quod si recte & ex sententia fiat, sit'q; auditoris animus, qui oratione possit expugnari, sequetur affectus ultro. Rapidus enim est, & tantum opus est cœpisse. In reliqua, cum semel impetum collegerit, uelut decidentes summis montibis torrẽtes, præcipiti per decliue cursu deuoluitur.

IN CAPVT II.

TRiplici ratione.) Triplex est tractandorum affectuum ratio. Prima, quando nobis etiã aliud forte agentibus, oratio tamen nostra affectum quempiam præ se fert Secunda, quando oratione recensemus dicta, factaue quæ quispiã affectu aliquo motus aut dixerit aut fecerit. Tertia, quando conamur in auditoris animo affectum quempiam excitare, & de hac postrema ratione oratores loqui consueuere. Necesse est cogitationes, uota, querelas, desyderia.) Cicero ad Herennium lib. 1. cap. de narratione. Illud genus narrationis. & quæ sequuntur. Colorem uocamus dictionis.) Color in rhetoricis non schema (ut quibusdam persuasum est) sed rationem defensionis significat, quod euidentius est quàm ut admoneri necesse sit. Iuuenalis: Dic Quintiliane colorem. Sic dicimus: Nullo colore defendi factũ posse, cui iusta excusatio obtendi non queat. Horatius ridentis speciem.) Horatius: Discit enim citius, meminit'q; libentius illud;, Quod quis deridet, quàm quod probat & reueretur Idem serm. lib. 1. satyra 1. Præterea ne sic, ut qui iocularia ridens Percurram, quanquam ridentem dicere uerum quid uetat. Quintil. lib. 10. cap. 10. de Horatio: Plenus est iucunditatis & genere, & uarijs uerbis, & figuris felicißime audax. Eras. Roter. lib. Ecclesi. 3. Imo ubi sic temere exclamat, uel in medio sermone. Satyricis fortaßis istud conuenit, quanquam Horatius omnium laudatißimus, à moderata incipit admiratione. Qui fit Mecœnas, ne nihil haberet

beret ueteris comœdiæ, in cuius locũ successit Satyra. Sic Aristophanes ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστι· Sumit hoc interdũ & noua comœdia. Quid igitur faciam, occidi, perij. Id nimiũ bene imitatus Persius: O curas, inquit, hominum, ô quantum rebus inane est. Aliquanto moderatius Iuuenalis, qui tamen Satyram corrupit, & uertit in tragicam inuectiuam. Semper ego auditor tantum? Erectior.) Vt cuius dictio pressior, humiliorq́; est quàm oportet, semper quasi iacens, nunquam aut ferè nunquam assurgens. Vt ipsa dictio tumultum perturbationemq́;.) Cicero de oratore 2. Prò dij immortales quæ fuit illa &c. Ad eloquendi magis.) Quintil. lib. 8. cap. 3. Secunda tractandorum affectuum ratio est.) Lib. ad Heren. 4. dicitur notatio esse, cum alicuius natura certis describitur signis, quæ sicut notæ quædam naturæ sunt attributa. Cum aliquem affectu aliquo concitum describimus.) Præter alias, elegantissima est iuxtaq́; plenissima affectuum oratio Ciceronis de reditu suo & pro Milone. Conuocabat tribus &c. Vergil. lib. Aeneid. 7. de Iunone: Heu stirpem inuisam &c. Idem lib. 9. Aeneid. Voluitur Eurialus letho pulchrosq́; per artus. It cruor, inq́; humeros ceruix collapsa recumbit. Macrob. lib. saturnal. 4. cap. 2. Ouid. 9. μεταμορφώσεων lib. in fabula Byblidos: Vetitoq́; & fratris amore.

Arsit & est laqueo fortiter ulta nephas,

Byblis Apollinei correpta cupidine fratris. & quæ sequuntur: qua nimirum fabula poëta ingeniosissimus, cogitationes, uota, querelas, desideria, preces, contentiones omnes expressit, & quidem artificiosissime. Idem in fabula Therei & Prognes. 6. μεταμορφώσεως & in principio 7. lib. eiusdem operis. In Oedipode.) Et in Hippolito item. Prædicta postquam fata.) Verba sunt nuncij recensentis quomodo Oedipus ipse sibi oculos eruerit.

Docere, mouere, delectare.) Lege quæ supra lib. 2. cap. 4. annotauimus. Quia nascitur autem omnis.) Lib. huius cap. 1. Duo dixit esse quæ in omni affectu nos mouent, rem quæ euenit aut expectatur, & personam cui res ea accidit. Iam igitur hoc dicit Rodolphus, interim posse moueri affectus ex sola re, nonnunquam ex sola persona, quandoq; ex utrisque.

Vt in Nauarchorum casu deplorando.) Cicero in tertio Verrinarum: Isocrates in oratione quæ inscribitur Plataicus, quæ tota est παθητική. Quintilianus 4. institutionum li. ca. 2. An nõ M. Tullius circa uerbera ciuis Romani omnes breuissime mouet affectus, non solum conditione ipsius, loco iniuriæ, genere uerborum, sed omni quoque commendatione: summum enim uirum ostendit, qui cum uirgis cæderetur non ingemuerit, non rogauerit sed tantum ciuem se Romanum esse, cum inuidia cædentis & fidutia iuris clamauerit. Non sunt autem eo deducendæ argumentationes.) Supra libro secundo capite quarto circa medium. Velut decidentes summis montibus torrentes, præcipiti per decliue cursu deuoluitur.) Tale est & illud Homeri libro Iliad. 16. in descriptione Cataclysmi, id quod ita perquam iuuenes cum Louanij bonas literas profiteremur, & hasce annotatiunculas meditaremur, utcunque uertimus:

Tota sub horrisono ueluti cum terra fragore.
Subsonituq́; gemens oneratur, uiq́; dehiscit
Destomachatur ubi, multa efferuescit & ira.
Ardet item, magnoq́; irarum fluctuat æstu.
Iupiter, ob techmas, astus, periuria, fraudes,
Se quibus imponunt, fallunt, falluntur & ipsi,
Obliqua inuidia, stimulisq́; agitantur amaris.

Corruptéq; ferunt suffragia, dantq; maligne,
Quod temere statuunt quiduis, uiolantq; statutum,
Ridiculas figunt leges, precióq; refigunt.
Nec metus est superum, nullus respectus & æqui.
Aeque foro ius omne semel uiolenter abactum est.
Pestifer Autumnus solcat quo tempore pestem,
Vndarumq; chaos cunctis immittere terris,
Imbribus aßiduis, pluuiáq; humectat & austro
Proluuiem, simul & magnam uim fundit aquarum.
Omnes mox subitis implentur ab imbribus amnes,
Et præceps celsi torrens è uertice montis
In campos ruit, & frustra prohibentibus exit
Obicibus, resonant permixto turbine tecta
Ilicet aggeribus disruptis spumeus amnis.
Exilit, oppositasq; euincit gurgite moles.
Fertur in arua furens, cumulo camposq; per omnes.
Cum stabulis subito trahit arua, armenta uirosq;
Sternit agros, sternit sata læta, boumq; labores
Tantisperq; ruit, uasto dum gurgite totus
In mare purpureum uiolenter influit amnis.

Et apud Lucanum libro pharsaliæ 3.

Qualis Ryphæi cum uertice montis
Abscidit in pulsum uentorum adiuta uetustas Cuncta ruens &c.

Cum auditoris animum tractare nitimur.) Erasmus libro 3. Ecclesiastæ de affectibus Velut Basilius non sat habet narrare quadraginta martyres frigore interfectos & cæt. Et mox: Sed hanc miserãdam rerum faciem ipse prius repræsentauit animo suo, & ante seipsum commouit quàm alios ad misericordiam accenderet.

Quomodo augetur, & diminuitur oratio, & quomodo soluitur affectus. Cap. III.



EST igitur omnis dicentis in hoc conferenda cura, ut affectũ, qui dicendo repente nõ potest fieri summus, paulatim excitemus oratione: demusq; operam, ut rerum & personarum ęstimationẽ, in hanc illam'ue partẽ, uelut gradibus quibusdam ab infimo ad summum perducamus. Quod tum amplificationem, tum augmentationem rhetores uocant. Sicut autem in rebus, prope laudis suæ est expers ea, quæcunq; tm̃ generis sui nomẽ tuetur, proximũq; est à conuicio, dici (quod dici solet) est quidem homo, sed solum homo est: est doctus sed preterea nihil. Ingentẽ rem, spectandã, admirandã esse oportet, & quæ oculos animũq; suspẽdat, quęcunq; debet insigni aliquo

loco numerari. Sic etiā, ne affectus quidē meretur nomen, quisquis est à mentis tranquillitate proximus. Ergo ut moueri, rapi, ardere dicatur auditor, magnitudo rebus est addenda, per'q; omnia quæcūq; possimus res extollendæ sunt incrementa. Sicut autem quantitate, magna quædam per se in rerum toto genere creduntur, ut mons omnis, omnis elephas magnus dicitur: alia comparatione magna dicuntur, ut adamas adamanti minori comparatus, & granum milij minori grano milij, dicitur magnum: Sic etiam in his quorum æstimatio initur, & quæ nostra opinione magni putantur, quædam per se uidentur talia, quædam cōparatione tolluntur. Per se magna uidentur, ut religio, patria, parentes, coniuges, filij, uita, ualetudo, honor. Et hæc quidem omni hominū generi. Alia sunt magna singulorum opiniōe: ut quicquid est quod unicuiq; maiorem in modum desideratur, ut sitienti potus, esurienti cibus, studenti eruditio, auaro pecunia. Quod si uolemus ergo aliqd augere, docebimus pertinere ad hæc tuenda, uel paranda, uel ad ea quæ obstant istis depellenda. Quantoq; plura in hoc genere coaceruabimus argumenta, & alia super alia congeremus, tanto fiet res maior. Vt cum docuerimus nō posse quem sine eo de quo disserimus, incolumitatem tueri. Deinde addamus, ne uitam quidem in tuto sibi fore. Post hæc, idem periculi parentes manere. Iam patriam quoq; & aras focos'q; in discrimen adductum iri. Pro cuiusq; rei natura, ingenio'q; auditorum, hæc erunt adhibenda. Videndum'q;, ad quàm partem rerū earum, quæ uel ab omnibus magni putātur, uel priuatim ab his qui audiunt, id quod in orationem uenit, possit accommodari. Nanq; & hoc inter utilissima fuerit, uidere, quid is apud quem dicimus, maxime probet: quid auersetur, in quem sit pronior affectū. Alius enim ab ira facilius aufertur, alius est aduersus misericordiam infirmior, quosdam inuidia torquet, aliquos promptius metu concusseris. Ergo & hæc & quibus rebus facilius in ista ferantur, diligenter erit explorandum: & qua parte facillime uictoriam cedent, ea erunt acerrime oppugnandi. Comparatiōe uero res tolluntur, alias quidem non expressa per orationem comparatione, sed tacite audientis animo collecta: alias aperta, & dicendo demonstrata. Prior ille comparationis modus fit, cum rem de qua disserimus in partes

spargimus, & uelut unam in multas distribuimus. Multa nanq; uno, quia plura sunt, maiora quoq; uidentur. Sic qui bellum dixit, omnia quęcunq; solēt in bello fieri cōprehendit. At qui metus hostiles, prędas, incēdiaq; uillarum, expugnationes oppidorum, cædē popularium, impensas militares, uastationē agrorum, famē, ęgestatē, omniaq; ferro & flamma diruta, omnia sanguine conspersa dicet, quanq nihil ille plus dixerit, id tamen consequitur persæpe, ut cum sic dixerit, dixisse omnia: cum aliter, hoc est, solo belli nomine, nihil fere dixisse uideatur. Præterea maiora uidentur quæ instant, q quæ uel præterierunt ex multo, uel futura sunt. Quoniā hæc, spei metus'ue locum admittunt: illa, solatium desiderium'ue percipiunt, facto iam tādem fine rerū. Ergo si res de qua disseritur præterijt, aut adhuc futura est, colligendum tamen est, ea secuta esse uel prouentura, quæ in præsentia bene aut male nos habeant, prout est rei natura de qua dicitur.

Ad hæc, præsens rei conspectus præcipue penetrat animos, nec est res ulla ad mouendos affectus potentior. Segnius enim (ut inquit Horatius) irritant animos demissa per aurem, Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Detectæ itaq; sunt in aduerso pectore cicatrices in concione, & uulnera deligata in iudicijs, & parentum cognatorumq; lachrymæ, infantium puerorum ætas, reorum sordes prolatæ in conspectum, & præsentibus aptata oratio. Quod si minus res patitur fieri, oratione tamen conantur, quammaxime datur, rem uelut in conspectum dare, & oculis subijcere: quod describenda re, & imagine eius uerbis exprimenda, eo (quod ἐνάργειαν Græci, nostri euidentiam interpretati sunt) maxime consequuntur.

Aperta uero comparatione res crescunt, quoties alijs quibus eas præferimus adhibentur, & earum collatione magnitudo ipsarum colligitur. Sicut autem in quantitatibus, quoties duæ pluresue conferuntur, maior est ea quæ aliqua parte sola manet, & quam non usquequaq; aliarū magnitudo assequitur. Sic in hac cōparandi ratiōe, quicquid aliquid habet quod non sit sibi cum alijs cōmune, ea parte reliquis maius uidetur, qua sola eminet, reliquasq; (ut ita dicam) à tergo relinquit. Cicero itaque, cum pro M. Marcello restituto, Cæsari gratias egit, præsentem illam clementiam omnibus bellicis Cæsaris prætulit laudib[us]. Quoniam bellicæ rei [de]cus, & milites

& tri-

& tribuni & auxilia etiam muneri sibi asciscerent: uellentq́; cuncti uenire in eius societatem gloriæ: hæc autem clementiæ laus sola sua esset. Et bellicas laudes multa turbulenta, aspera, horrida, qualia fert bellorum necessitas, habere: clementię laudem benignam, fauoris plenam, plenã modestiæ esse. In bello quoq; uires humanas humanis uinci uiribus: clemẽtiam animos iramq́; uincentium, qui inuicti uiribus sint, placare. Hæc itaq; quia clementiæ conueniunt soli, præfertur hac in parte bellicæ uirtuti. Quod si quis è diuerso uolet colligere, quibus rebus bellica uirtus à clementia superetur, poterit eam similiter multis præferre clementiæ. Clemẽtiam enim pacatis conuenire rebus, & pacis potius ornamẽtum esse, quàm periculorum præsidium: bellicam uirtutem, rebus in ultimum discrimen adductis succurrere solere: & patriam penatesq́; ab his quæ uictori collibuisset defendere. Et clementiæ laudem uelut in medio positam cuiuis posse contingere: bellorum gloriam non nisi rarissimum quenq; consequi. Sic etiam, nõ hominis modo sed omnium animalium esse clementiam: ignoscere enim omnia, & post iras iterum placari: cõtinere autem res nutu ditioneq́; sua, omnes quidem solius esse dei, plurimas autem eius uideri, qui deo proximus sit, quod bellica laude in primis paratur. Poterunt autem hæc augmentationis exempla per omnes locos duci. Posuerimq́; uel inter utilissimas exercitationes dialectici augendi rationem, cum priores illas, tum hanc postremam ex comparatione. Quando omnis hominum deliberatio, omnia consilia, fere inter magis minusq́; bona iactantur. Neq; quicquam est, quod acrius expendere uim rerum, intueriq́; doceat, quàm comparatio. Laudationibus in primis augmentatio conuenit. Plæraq; enim quæ laudis loco ponuntur, per se frigida sunt, nisi extollantur oratione, & dicentis ingenio fiant laudanda. Isocrates in Helenes laudatione, cum pulchritudinem eius in maxima laudum illius poneret parte, & pulcherrimam eam fuisse, cum alijs rebus, tum Thesei rapina prudentissimi totius Gręcię uiri, & Paridis iudicio docuisset, exiguam tamen laudem conquisisse uidebatur, pulchritudinis quamuis admirandæ, quamuis incredibilis commemoratione, nisi & ipsam pulchritudinem (quam alij fortassis ne laudandam quidem putarent, alij in ultimis

laudum ponerent) omnibus alijs quæ laudantur, prætulisset.

Diminutionis ex augmentandi præceptis parata est ratio. Quibuscunq; enim additis res crescit, eorum rursus oportet detractione decrescat. Ergo commotos augmentatione affectus, detracta rursus magnitudine rebus, ad rationem reuocamus: meliusq; & clementius æstimare res, & iudicare de eis cogimus auditorem. Hæcq; una est ratio soluendorum affectuum, ut pacata rursus compositaq; mēs tranquillitati reddatur. Aliter affectus contrarijs discutimus affectibus, & iram paratam nobis regerimus in autorem: uel conciliata misericordia, impetus eius mollimus: & euocato quādoq; undecūque nouo affectu, prioris obliuisci cogimus. Potentissimus autem ad soluendos subitos & recens concitatos affectus est risus. Vnde in causa Murenæ Cicero nihil æque uidetur opposuisse Catonis & Sulpitij maximorum uirorum autoritati, quàm lætissimam illam suam facete dicendi festiuitatem: sicq; omne iudicium solutum est risu, ut Cato quamuis natura & institutione, ipsa quoque accusatoris persona, quam sustinebat, horridior, cum tamen risum tenere nequiret, feratur dixisse. Dij boni, quàm ridiculum consulem habemus. Demosthenem quoq; tradunt cum pro Aristide dicturus esset, in quem uehementissime iudices accenderat accusatorum oratio, reclamareturq; ab omnibus sibi, & uelut prædamnato iam reo silentium imperaretur, orauisse, ut bona illorum uenia liceret paucissima extra causam uerba facere. Quod cum permitterent, ait, Megarensem quendam studijs operatum Athenis, cum redire in patriam uellet, cōducto asino imposuisse sarcinas. Meridie uero, cum nulla umbra, qua solis ardorem leuarent ipse & agaso, præberetur: statuto in uia asino, constituit illius umbra solem uitare, eaq; cum non sufficeret ambobus, agaso sibi illam uendicare, sui illam affirmare iuris esse, operas illi non umbram locatam, contra ille contendere umbram inter operas esse. Cunq; diceret orator, grauissime inter eos de umbra asini altercatum, uideretq; omnes risu quati, & exhilaratos iudices esse, tum grauissima eos increpuit oratiōe, qui possent de umbra asini disserentem audire, de salute ciuis, quod eos iudicij religio cogeret, audire non possent: tum cœpisse de causa dicere, reumq; liberasse. Constat autem hæc facultas, natura primum, quæ

cum in

cum in omni re multum, tum in hac plurimũ potest. Deinde, quod proximam post naturam uim habet, crebro usu, Sunt tamen etiam tradita eius rei præcepta, quatenus tradi præceptis potest: quorum autores Cicero & Quintilianus, notiores sunt, quàm ut sint indicandi. Et de affectibus quidem hæc sufficiat dixisse.

IN CAPVT III.

Ab infimo ad summum perducamus.) Terentius Adelphis: Quem neq; pudet quicquam, nec metuit quenquam, Neq; legem tenere se putat ullam. Quod tum amplificationem tum augmentationem.) Cicero in partitionibus de amplificatione Quintilianus lib. 8. cap. 4. Erasmus 2. lib. copiæ nona dilatandi ratione. Eras. lib. Ecclesiast. tertio: Si quis homo gratis tibi donaret in singulos annos censum mille drachmarum, &c.

Quæcunq; tantum generis sui nomen tuetur.) D. Eras. priore copiæ commentario cap. 120. exemplis aliquot explanat. Quidam quum in Luscinia, plumis reuulsis minimum reperisset carnium, Vox quidem, inquit, tu es, præterea nihil. Id in eos dici potest qui præter garrulam linguam ac magnifica uerba nihil habent. Ingentem rem spectandam.) Lib. huius cap. 12. In hoc itaq; orationis genere, quæuis &c. Pro cuiusq; rei natura.) Nam non omnia ad quæuis tutanda uel paranda sunt apposita. Vt sitienti potus.) Secundo Regum 23. & 1. Paralip. 11. Desiderauit ergo Dauid aquam de lacu & ait: O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem iuxta portam. Videndumq; ad quam partem rerum.) Vt enim res in medium adducta, plurimam afferat momenti ad quidpiam, hoc tamen iste forsitan pro nihilo ducet. Proinde, quisquis hoc animo fuerit auditor, non intelliget rem magnam, ut quam non attollimus eius rei mentione, quam iste magni alioqui facit.

Cum rẽ de quã differimus spargimus in partes.) Quintilianus lib. 8. cap. 3. Eras. in cop. lib. 2. de descriptione rei. Detectæq; itaq; sunt in aduerso pectore cicatrices.) Id Cicero de Antonio dicit quum M. Aquilium defenderet in oratione, quam dixit pro Quintio, qui uestem eius à pectore discidisse ad commouendosq; iudices honestas cicatrices ostendisse commemoratur. Et huius rei Quintilianus quoq; meminit lib. 6. cap. 1. & 2. ubi agit de affectibus mouendis & Rhodolphus lib. 2. cap. 4. Et oculis subijcere.) D. Erasmus 2. copiæ commentario capite de hypotyposi. Quod ἐνάργειαν Græci, nostri euidentiam interpretati sunt.) Fab. lib. 4. cap. 2. Sunt qui adijciant his euidentiam, quæ ἐνάργεια Græcè uocatur Quintilianus lib. 6. cap. 3. Et lib. 8. cap. 3. Budæus in annotationibus in pãdectas: Enargia per à scribi debet, Id est, euidentia & rerum repræsentatio, & ut Cicero inquit illustratio. Energia enim per e in secunda syllaba efficientiam significat. Erasmus in quinta locupletandi ratione posterioris copiæ commentario. Sic qui bellum dicit omnia quæ solent in bello fieri comprehendit.) Quintilianus lib. 8. cap. 3. Erasmus in posteriore Copiæ commentario de descriptione rei. At qui metus hostiles, prædas.) Quintilianus lib. 8. cap. 3. Homerus Iliad X. Cicero lib. ad Herennium 4. de tribus dicendi generibus. Nam quis est uestrum iudices qui satis idoneam &c. Horatius in Arte:

Segnius irritant animos demissa per aures
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Et Lucretius in 6. Quia semper ad aures Tardius adueniunt, quàm quæ moueant res. Adagio: Oculis magis habenda fides quàm auribus. Aperta uero comparatione res crescũt.)

Erasmus in opere de conscribendis epistolis cap. de amplificatione. Aristoteles in præceptis ciuilibus ad Alexandrum cap. de genere deliberatiuo. Apud Chrysostomum autem appositißimum huius rei extat exemplum in libello quo confert uerum monachum cum principibus, nobilibus ac diuitibus huius mundi. A tergo reliquit.) Hoc est (ut usurpemus interim illud, ex quinto Aeneid. lib.) Proximus huic longo, sed proximus interuallo. Ad quod allusit & Cicero de claris oratoribus. Duobus igitur summis Crasso & Antonio, Lucius Philippus proximus accedebat, sed longo interuallo, proximus tamen. Posuerimq; uel inter utilißimas exercitationes.) Aphthonius progymnasmate de comparatione. Neq; quicquam est quod acrius expedere uim rerum intueriq; doceat, quàm comparatio.) Certißimum iudicium ex collatione nascitur. Vnde emptores mercaturi purpuram ne fallantur, alteram adhibent purpuram. Quintilianus libro duodecimo capite de generibus dicendi, agens de dictione, quæ, quod mediocris est, per se habet admirationem, sed admotis ijs quæ sunt eximia desunt esse admirationi. Habet, inquit, admirationem, neq; immerito, nam ne illud quidem facile est, sed euanescunt hæc atq; moriuntur comparatione meliorum ut lana tincta fuco citra purpuras placet: at si contuleris etiam lacernæ, conspectu melioris obruatur, ut Ouidius ait. Nisi extollantur oratione.) Vide πανηγυρικὸν Erasmi ad Philippum de profectione eius in Hispaniã, & epistolam eiusdem ad amicũ quendam qua respondet eis, qui dicebant eum plusquam Gnathonicè adulatum esse Philippo, in illo Panegyrico, quia natura Panegyrici est, magis dicere quæ deceant, quàm quæ aliquando fiant. Hæc autem clementiæ laus sola.) Scribit Seneca neminem quenquam magis ex omnibus quàm regem ac principem decere clementiam. Theodosius ad Honorium:

Sis pius in primis nam cum uincamur in omni
Munere, sola deos æquat clementia nobis.

Est quidem præcipua uirtus in principe clementia ac mansuetudo, uerum ob malorum ingenium, hæc ita temperanda ut principi sua constet autoritas. Cato senior admonebat ut qui potentes essent, parce uterentur sua potestate, quo semper uti possent. Sentiens potentiam clementia comitateq; fieri diuturnam, ferocia breuem. Cum pulchritudinẽ eius in maxima laudum.) Quintilianus lib. 8. cap. 5. citat locum eum ex tertio Iliados lib. Paris apud Ouidium sic laudat Helenæ pulchritudinem:

Magna quidem de te rumor præconia fecit,
Nullaq; de facie nescia terra tua est.
Nec tibi per totam Phrygiam, nec solis ab ortu
Inter formosas altera nomen habet.
Credis & hoc nobis minor est tua gloria uero
Famaq; de forma penè maligna tua est.

Isocrates in Helenes laudatione.) Circumfertur Helenes Encomion autore Gorgia Leontio interprete uero Christophoro Hegendorphino. Diminutionis ex argumentandi præceptis parata est ratio.) Erasmus lib. 2. cop. in calce 9. locupletandi rationis. Totidem autẽ sunt minuendi modi quot sunt amplificandi. Eras. Rot. lib. Eccles. 2. Habet tamen locum exaggeratio aut eleuatio commissorum in consolando & in obiurgando, modo ne quid uero affingatur aut detrahatur &c. Aliter affectus contrarijs discutimus affectib.) Plutarchus in Tullio. In causa. Q. Ligarij quæ apud Cæsarem dictatorem acta est, fertur Cæsar ita animatus fuisse, ut Ligarium omnino pro cõdemnato haberet, & cum Cicero defensurus uenit dixisse

dixisse ad amicos. Reum quidem damnare certißimum est, nihil tamen prohibet Ciceronem audire. Verum idem ille qui hoc dixerat mox agente oratore propositum damnandi tenere non potuit, prudentißima & artificiosa oratio cum gratia & plenitudine ad aures eius perueniens, tam uarie mentem eius affecit, ut sæpe uultum coloremq; mutaret. Vbi uero ad commemorationem pugnæ deuenit, cum in accusatorem acriter côuersus illa uerba dixit: Quid enim Tubero tuus ille gladius & reliqua, eo ista dicente Cæsarem extra se positum & mente alienatum ferunt, ut toto corpore excusso libellos quos manu tenebat abijceret, deniq; ui coactus contra propositum animi reū absoluit. Demosthenem quoque tradunt.) Eras. Roterod. lib. Eccles. 2. Postquàm autem theatrici mores è templis eiecti sint, tamen non desunt, qui nimium frequenter, ne dicam impudenter imitantur fabulam, quæ iactatur de Demosthene, qui iudices dormientes in causa capitali excitauit ex transuerso inducto loco de umbra asini. Eras. lib. I. Eccles. Prodis in theatrum ut spectes nugas, & auscultas, at in concione dormis auditurus quæ & te tibi reddant meliorem, & Deo chariorem faciant. Si ecclesiastes ordiatur fabulam de lana caprina, aut de umbra asini (nam sunt qui studio quædam admiscent huiusmodi) expergisceris, defricas somnū ab oculis, ac arrigis aures, aduocas animum: Et ad ea quæ faciunt ad ueram perpetuamq; felicitatem aures non habes. Leo Bizantius quum esset supra modum obeso corpore prodijssetq; in concionem suasurus concordiam Bizantijs seditione ciuili tumultuantibus, statim populi risus obortus est ex ipso corporis habitu. At ille risum uertit in rem seriam: Ridetis, inquit, ciues quum tale corpus habeam. Vxorem habeo multo me obesiorem & tamen concordes quoduis grabbatulum capit ambos, discordes ne tota quidem domus. Dij boni, quàm ridiculum cōsulem habemus.) Quum M. Tullius Murenam defendens multa salse diceret in paradoxa Stoicorum, ridentibus cæteris tandem & Cato exhilaratus proximis dixit: Dij boni quàm ridiculum habemus consulem.

Quatenus tradi præceptis potest.) Quintilianus lib. II. cap. 3. Et ut uere dictum est caput esse artis decere quod facias ita id nec sine arte est nec totum arte tradi potest. Pro Aristide.) Plutarchus in uita Aristidis, & Philostratus in uitis sophistarum. De asini umbra.) Non ita dißimile quiddam ridiculum refertur & à Philippo Melanchthone in oratione de legibus. Quū aliquando de re seria disserens Diogenes, nullum haberet auscultatorem attentum, cœpit ineptam cantionem canere ueluti saltaturis. Vbi iam plurimi concurrissent, obiurgauit illos, quod ad stulta & inepta frequentes & alacres accurrerent: ad seria uero & ad bene uiuendum utilia, nec alacriter conuenirent nec diligenter auscultarent. Quorum autores Cicero & Quintilianus.) Extant apophthegmatum siue scite dictorum libri sex per D. Eras. Rot. Extant iocorum ueterum ac recentium centuriæ aliquot per Hadrianum Barlandum. Extant itidem & sales Ottomari Argentini. Tum Thesei rapina prudentißimi totius Græciæ uiri & Paridis iudicio.) Non putant indignum Troiani principes Graios propter Helenæ speciem tot mala tanto temporis spacio, tantisq; dispendijs sustinere: quæ nam igitur illa forma fuisse credenda est? Non enim hoc dicit Paris qui eam rapuit, nō aliquis iuuenis aut unus è uulgo sed senes, sed prudentißimi, sed Priamo aßidentes. Nec hi tantum uerum & ipse rex decennij bello exhaustus amißis tot liberis imminente summo discrimine cui faciem illam ex qua tot lachrymarum origo fluxisset, inuisam atq; abominandam esse oportebat, & audit hæc & eā filiam appellans iuxta se collocat & excusat etiam atq; sibi esse malorum causam negat.

De delectatione quibus rebus fiat, & de digrediēdi extra rem propositam ratione. Cap. IIII.


Xplendus erit mihi fortasse numerus. Et quia docendi rationi, mouendi præcepta subiecimus, æquum uidebitur, ut quæ iucundam faciant orationem, subdamus: tametsi alio docuimus loco delectationi nullam inueniendi certam rationem posse accommodari, magisq́; præceptionem huius partis ad rhetora quàm dialecticū pertinere. Quia tamen ex rebus etiam nascitur orationi delectatio, res autem præcipue subduntur inuentioni, idcirco paucis etiam de hac parte dicamus. Delectatio (ut diximus) quia permotio est cognitiuæ uirtutis, duæ sunt autem uirtutes cognitiuæ, sensus & mens, idcirco duplicia sunt quæ delectant: quorum alia sensu percipiūtur, alia mente. Et ij quidem, qui magis sensibus uiuunt, & corporis tenētur uoluptatibus, quorumq́; animus corpori seruit, hi magis eam sequuntur delectationem, quæ sensibus obijcitur. Contra, quorū generosior & erectior animus omnem in mēte curam posuit, hi uelut inimicas & infestas instituto suo corporis aspernantur uoluptates, & solum quæ mentem delectant sequuntur. Qui inter utrosque sunt medij, & suam tribuendam utriq; partem arbitrantur, utriusque etiam uoluptate capiuntur. Quarum itaq; rerum usu quisq; & perceptione gaudet, earum etiam commemoratione præcipue delectat, & his ipsis apud eum maxime captatur orationi gratia. Duplex autem est in summa, quæ percipitur ex oratione uoluptas, quarum alia nascitur ex rebus de quibus disseritur, alia ex orationis percipitur genere. Res quæ sensus oblectant notæ sunt. Quisq; enim sensus delectatur eo quod est naturæ suę proprium. Vt oculi coloribus lætissimis: aures, sonis mitioribus: & reliqui suo quisq; obiecto. Sunt quædam tamen, quæ & ad mentem pertingunt: quia uero propius ad sensuum naturam accedunt, & inter sensuum oblectamēta numerantur. Vt dies festi, spectacula, ludi, choreæ, conuiuia, horti floribus consiti, uerni temporis gratia, fluminum per uirētia prata decursus, primus iuuentæ decor, corpora pulchritudine conspicua, amores, ioci, concentus, saltationes, & omnia lætiorū annorum animorūq́; studia: quorū tamen maxime sunt liberalia, quæ oculorum auriūq́;

studia

ſtudia morantur: reliqua quia craſſiora ſunt, ſordidiora ſunt etiã plerunq;, ut quorum etiam nonnulla ſine honoris non ſint præfatione memoranda. Mentem (cuius propriũ eſt opus ueri boniq; perquiſitio) delectant omnia quæcunq; docent, quæ magna, admirãda, inopinata, inexpectata, inaudita ſunt, reconditarum rerum peruestigatio, notitia uetuſtatis, & rerum in longinquo poſitarum cognitio, egregia magnorum uirorum dicta factaq;, & præclare in omni genere uirtutis acta. Quæ quidem ſi de eis diſſeratur, iucundam nimirum faciunt orationem, in ſuo quodq; genere. Sin aſperior & triſtior ſit res de qua dicitur, tum ſolent iſta auribus expeti. Et uel ſimilitudines docendis rebus hinc ſumuntur, uel argumentationes quæruntur, quarum explicationi tale quippiam adhiberi ſit neceſſe: uel liberius etiam digreſſione ad ea dilabimur: quod cõmodiſſime fit, cum fallente tranſitu, ſic ad ea deferimur, ut non ſecuti ea ſed adducti eſſe uideamur. Tranſitus autem fit aptiſſime, cũ generale aliquid inuenerimus, in quod parata eſt uia ex re propoſita, & ex quo rurſus in quod digredi uolumus facilis eſt acceſſus. Vt qui de laudibus muſices dicit, ſi uolet ad deſcribẽdam ueris gratiam dilabi, dicat muſas libertate animi omniumq; rerum ſecuritate gaudere, & ſyluas fluminaq; expetere. Hic quia iam ſyluas & flumina, qui dicit habet, & gaudentem eis muſicen, facile iam tranſibit in ueris deſcriptionẽ, cum ſit in eo ſummus iſtorum decor, & præcipua poſſit ex eis percipi uoluptas. Itaque quantus ſit ornatus, quæ gratia florentium uirentiumq; omnium, quis frondibus interſtrepentium uolucrum cõcentus, quàm amœnum riuorum per prata labentium murmur, & reliqua id genus, explicabit. Sic in hoc ipſo propoſito ſi dicere uolet, quantus ſit labor remp. adminiſtrãtis, paratum eſt dicere, muſicam leuare curas, & mẽtem reficere: hæcq; deinde cum reipub. adminiſtratione coniungere, quoniam præcipue ſit his opus ei, qui rempublicam tractat, cum tot ac tantis prematur laboribus, tot curas ſuſtineat: quas deinde enumerabit. Eſt autem huius rei cũ apud multos uidere exẽpla, tũ apud Platonẽ Lucianumq; in dialogis, quo pacto ſumpto diductiſſimo exordio, à re propoſita paulatim & occulto gradu ad id quod inſtituunt adrepant. Vtilis eſt diſſerenti hæc tranſeundi ratio, ſi quando res diuerſas una complecti uolet oratione,

sic,ut non turbatam disiectorum membrorum formam,sed unius faciem corporis præstent. Vtilis etiam,si quando de re tali dicendum sit,à cuius prima mentione abhorreant aures,ut tum posito fauorabili aliquo principio,sensim & plumbeo(quod aiunt)pede,ad id de quo dicturi sumus deducamur. Cuius rei est egregium in primis Ciceronis exemplum in orationis exordio,quam contra legem agrariam in concione dixit. Quod exordij genus rhetores insinuationem dixere. Cum enim nihil uideretur magis exasperaturum pop. R. animos,quàm audire contra legem agrariam, hoc est, spem alimentorum suorum differentem,orator dilata omni rei istius mentione,primum hinc cœpit,non ordiri se orationē de laudibus maiorum suorum,ne illis potius quàm populi beneficio consulatum acceptum referre uideretur, & popularem se consulem hoc ipso uelle uideri,idq; in senatu initio consulatus sui dixisse:permultaq; alia in hanc ipsam sententiam: nec esse se qui Gracchanas actiones improbet,nec cui displiceat,si quis de populi commodis ferat. Cumq; multis huiusmodi populi molliuisset aures, paulisper & pedetentim allabi ad rem cœpit,nec statim contra tendere,sed primum uoluisse socium se Rullo adiungere,ferendis agrarijs legibus,isq; cum refugisset, & eo adductum se tandem omnia diligentius inquisisse diceret, tum demum eo delatus est, ut non se cōtra legem agrariam dicere,sed contra Rulli dominatum,qui legis specie parabatur, doceret. Conueniens itaq; fuit hoc in loco transitio latens, ut fauorem quem dicendi initio colligebat,nusquàm abrupta re etiam ad asperiora usq; perferret. Digrediendi autem crebrior & magis permissa poëtis libertas,proxima deinde alijs,ut quisq; est poëtis dicendi libertate proximus. Sed quia digrediendi ratione sumus adducti, ut digrederemur,rursus ad institutum reuertamur. Secūdum diximus esse quo delectaret nos oratio,ipsum orationis genus. Qua in parte primum est,ut habeat oratio motus animorum, colloquia personarum,consilia euentusq; rerum inopinatos. Quæ quidem quanquam ad res pertinere possint uideri, ex oratione tamen capiunt,quod delectant, Argumento est,quod eadem hæc magna ex parte,si uideamus,non modo non delectent,sed offendant: idcirco in oratione,non tam res ipsa, quàm imitatio orationis qua exprimuntur

muntur ista, uoluptati est. Et quemadmodum in pictura, pleraq; gratissima sunt propter solam imitationem, nec tam rem (quæ pictura expressa est) quàm ingenium miramur imitantis: sic cum in oratione, personis sua pro cuiusq; natura conditioneq; uerba tribuuntur, & animorum affectuumq; omnium figura effingitur, idq; consequitur oratio, ut non dici sed agi uideatur res, & inani quadam imagine audientis animus uelut medium se ipse intra actum iactationemq; rerum constituit, id quoniam fit orationis uirtute, nō rerum natura, idcirco est etiam orationi iure tribuendum. Cuius quidem gratiæ capacissimum est omnium, poëma. Quia enim non rem sequitur oratio, sed uoluptati orationis res aptatur, utq; maxime placitura sunt sic omnia finguntur, idcirco summa est ei captandæ uenustatis istius in oratione libertas. Proxima est historia, seuerior tamen & contractioris frontis, ut quā, illesa ueritate, ludere oporteat. Ciuilis etiam oratio in narrationibus, sæpe etiam & inter argumentandum, uel ueris personis uel fictis, affectus suaq; uerba tribuit, & non parum hac oratiōis gratia sibi indulget. Ne in dialogis quidem philosophi expertes huius laudis fuere. Est apud Platonem uidere, tam diligenter effictas differentes personas, ut non Platonis, sed personæ, non uerba audire, sed uultus intueri uidearis. In his in quibus ipsa Philosophi loquitur persona, aut si qua sunt quæ posita sunt extra actus rerū, extraq; affectus, exiguus relinquit istis locus. Hocq; præcipue hac in parte, cum ipsi differentis personæ tribuitur oratio, delectat, quod & in alijs omnibus generibus quæ diximus gratissimum est, si boni emineant dicentis in oratione mores, hoc est, si nō sit de se arrogās, si de alijs modesta oratio, si benignū candidumq; de rebus proferat iudiciū. In primisq; placet simplicitas illa omnia in melius flectentis. Iuuat tamen interim libertas, dicētis, sine aliena contumelia, quid sentiat. Harumq; rerum, sicut omnium in dicendo uirtutum, obseruantissimus fuit ubiq; Cicero. Sunt & præter hæc in oratione quæ delectant, quæ propria sunt orationis, sententiæ graues, acutæ, nouæ, expectatę, dicta facete, amare, salse, prudenter. Ornamenta etiam omnia uerborum, sententiarum, & compositionis. Sed hæc eloquendi ratione continentur, & idcirco ab his qui huius rei præcepta tradiderunt expetenda.

IN CAPVT IIII.

Alio docuimus loco.) Lib. 2. cap. 4. Eras. Rot. lib. Ecclesiastæ secundo: Sed priusq̃ ad partes descendamus illud in summa spectat qui dicit, ut doceat, ut delectet ut flectat. Docendo efficimus, ut res intelligatur ac persuadeatur. Id potissimũ fit in narratione & argumentatione, atq; item in epilogo. &c. Mentem delectant omnia quæcunque docent.) Plato tertio de rep. lib. Cum enim triplex sit, inquit, genus uoluptatis, suauissimum id est, quod parti animi qua discimus & erudimur tribuendum est, & homo in quo ea pars præcipue dominatur suauissime uiuit, cæterorum autem uoluptates non ueræ neq; syncerę sunt, sed quasi umbratiles. Homines enim prudentiæ & uirtutis expertes epulis & alijs huiusmodi delicijs obruti humi detinentur, etsi aliquãdo paululum emerserint non amplius quam interpsiotã partẽ attingunt, sicq; tota uita aberrant, nec parte inferiorem' que supera ea, superiorem illã & uere excelsam aut attingere aut suspicere possunt, nec rei ueræ cognitione se satiant aut integram firmam sinceramq; uoluptatem degustant. sed more pecudum proni humum semper spectant & terrestres mensas secuti se cibis ingurgitant & rebus Venereis inuoluuntur, quarum rerum cupiditate alterutrum calcitrant & cornibus aut unguibus ferreis se inuicem percutientes interimunt, utpote qui gustum rei ueræ nullum habent cibo partem sui animi integrã exaturantes. Delectatio ubi & quatenus sit adhibenda egregie docet Eras. in Copia cap. de partiũ rhetoricarum multiplicatione sub calcẽ. Et corporis tenetur uoluptatibus.) Prouerb, 25. Seneca epist. centesima 22. Seneca de beata uita cap. 9. Sicut in aruo quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbæ quãuis delectet oculos, tantũ operis insumptũ est, aliud fuit serenti propositũ, hæc superuenit: Sic uoluptas non est merces, nec causa uirtutis, sed accessio. Nec quia delectat, placet, sed quia placet delectat. Plautus in fine Pseudoli, & Penuli. Cicero 2. de finib. Nolim enim mihi fingere ἀσώτους ut soletis, qui in mensam uomãt, & qui de cõuiuijs afferantur, crudiq; postri die se rursus ingurgitãt, qui solem (ut aiunt) nec occidentẽ unq̃ uiderint nec orientem, qui consumptis patrimonijs egeant. Tum solent ista auribus expeti.) Planè tum legendum, non tamen solent ista auribus expeti. Est enim sentẽtia. Quòd si res sit auditu aspera, tum istiusmodi læta expetuntur trifariam, ut sequitur. Quod cõmodissimè fit cum fallente.) De ratione digrediendi extra causam, & excusatione quoties uideris à re proposita uagatus esse Trapezontius lib. 5. rheto. Transitus autẽ fit aptissime.) Tale quiddam quæratur quod utriq; sit cõmune & rei propositæ & illi in quod digredi uolumus, hoc nisi fiat tũ transitus erit parũ concinnus ac nimis abruptus. Egressio definitore Quint. lib. 4. cap. 3. & lib. 5. ca. 10. est alicuius rei, sed ad utilitatẽ causæ pertinentis extra ordinẽ excurrẽs tractatio. Præcipit itẽ Quintilia. ut quoties alio trãscundũ est demus operã, ut extrema pars eorũ que diximus cohæreat aliquo mõ cũ his quæ dicturi sumus. Vide sextã locupletãdi rationẽ in poster. Copiæ cõmentario. Ciceronẽ de Oratore. Quintil. lib. 3. cap. 13. Sed nõ perpetuo intẽdimus in hæc animũ, & cupiditate laudis utcũq; acquirẽdæ uel dicẽdi uoluptate euagamur, quãdo uberior semper extra causam materia est. Vt non secuti ea, sed adducti esse uideamur.) Quoties id usu uenit & in sacris, plus erit ueniæ in exhortando, in cõsolando, in repræhendendo, q̃ in asserenda ueritate. Ambrosius uidetur hoc nonnunq̃ tribuisse lætitiæ dici dominici. Sic enim scribit: Et q̃m de typo ad moralia defleximus, inter tot credentiũ uoluptates, dominica die relaxare animũ, festiuitatẽ admiscere delectat. Zacheus in sycomoro nouũ uidelicet noui tẽporis pomũ, ut in hoc quoq; cõpleret illud: Arbor fici ꝓduxit grossos suos. Aliaq; quæ disse

quæ disserit in hanc sententiã, fatetur esse coactiora, sed tamen data delectandis auribus credentium. In rebus ad ostentationẽ paratis, nihil uetat quo minus exposita re in locum aliquẽ q̃ maxime plausibilẽ & amœnũ expatiemur. Quo simul & narrationis tediũ abstergamus & uoluptate sermonis ad futurã probationẽ reddamus alacriores. Quod ita demũ permittit Fabius, si excursus ille sic adhæreat ut sit quasi narrationis finis. Cauendum ne partium ordinẽ confundamus tumultuaria uerborũ congerie, sursum ac deorsum miscentes omnia, ne molestã uocũ turbã nulla conditam gratia conglomeremus, sed uel ordine scito, uel apta distributione uel elegãti descriptione legentis aut audientis tedium excludamus. Quoties digressio longior est, quã ipsa res, uti licebit prouerbio cuius meminit & Eras. in Chilia. Ne maior Thylaco accessio. Si uolet ad describendam ueris gratiã dilabi.) Verg. lib. Georg. 2. cum doceat uere serendas esse uites concinno trãsitu facto describit uer: Optima uinetis satio est cum uere. Eras. lib. 2. ecclesi. Quod Augustinus crebris digressionibus moratur auditorũ animos, sugentis ingenio tribuit, uir pius & humanus. Eumq; cũ refugisset.) Mendosa mihi uisa sunt hæc, emẽdatius fortasse sic legatur. Isq; cum refugisset, eo adductũ se tandem. Cum generale aliquid inuenerimus.) Hac in re, ut in omnibus alijs saneq̃ mirus est artifex D. Hieronymus, nam semper fere statim à principio dilabitur ad iucundã aliquã materiã, & captat locũ cõmunem, in quem expatietur. Testatur & Fabius id à nõnullis factitari solere, qui locũ communẽ tractãt, ueluti amœnitate rei ad quã digrediũtur, cõciliato sibi auditore. Est autem huius rei cum apud multos uidere exẽpla.) Cic. actio. in Verrẽ 4. Cum ex oppido Thermitanorũ antiquissima signa sublata esse quereretur sic maioris inuidiæ, ac criminationis causa digreditur. Etenim ut simul P. Africani quoq; humanitatẽ agnoscatis, & quæ sequuntur. Et Homerus inter prælia deorũ hominumq; muscæ improbitatẽ describit. Lucianumq; in dialogis.) Lucianus undecunq; auspicetur, & quicquid id tandem sit quod in exordio promittat oratio, tamen priusq̃ institutum absoluat, tam artificiose ad traducendos philosophos dilabitur, ut ipsa reprehensio uix uideatur, etiam citra reprehensionem posse omitti. Sic quando res diuersas.) Cice. in 4. ad Heren. de transitione: Eras. in ratione epistola. cap. de ordine epistolari, & in Cop. de partium rhetoricarum multiplicatione. Vide in eum locum scholia siue potius ἀναμνήματα nostra. Cic. ad Attic. Sed hæc fuerit ut ait Thucidides ἐκβολὴ λόγου non inutilis. Et magis permissa poëtis libertas.) Infra huius lib. cap. 10. Quia enim non rẽ sequitur oratio.) Poëtis talis ferè rès ad describendũ eligitur, quæ maxime uoluptati orationis cõueniat, nã plerũq; magis res orationi q̃ orationẽ rebus accõmodant, siquidẽ proponũt sibi aliquid in quo sciãt delectationẽ & copiã esse, ac deinde ad eã orationẽ aptant. Proxima est historia, seuerior tamẽ.) Vide supra lib. 2. cap. 22. Ciuilis etiã oratio in narrationibus.) Cic. lib. de orat. 2. Itaq; uel narratione exposita, sæpe datur ad cõmouendos animos digrediendi locus, uel argumẽtis nostris cõfirmatis uel contrarijs refutatis, uel utroq; loco &c. Si boni emineant dicentis in oratione mores.) Cic. in partitionibus orat. Maximeq; mouet ea quæ motũ aliquẽ animi miscet oratio, quæq; significat oratoris ipsius amabiles mores, qui exprimũtur aut significãdo iuditio ipsius ex animo humano ac liberali, aut inflexione sermonis, quũ aut augẽdi alterius aut minuẽdi sui causa, alia dici ab oratore, alia existimari uidentur idq; comitate fieri magis q̃ uanitate. Seruat istuc Cice. in oratiõe pro Murena cõtra Seruiũ Sulpitiũ & contra Catilinã alibi, quos certe aduersarios humanissime tractat. Quintili. lib. 4. cap. 2. Ne id quidem præteribo, quantã afferat fidem expositioni narrantis autoritas, quam mereri debemus ante omnia quidem uita, sed & ipso genere orationis. Si

non

non sit de se arrogans, si de alijs modesta oratio. Plato in dialogo de sapientia. Verum semper nihil scire me dico propter exiguam quandam amandi disciplinam. Hac utiq; disciplina apud quemlibet uehementior tum superioribus tum etiam præsentibus uiris esse uideor. Cicero 2. de oratore: Sed hæc adiuuant in oratore lenitas uocis, uultus, pudoris significatio, uerborum comitas, si quid persequare acrius, ut inuitus & coactus facere uideare, facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non auidi signa proferre perutile est, eaq; omnia, quæ proborum, demissorumq; non acrium, non pertinacium non litigiosorum, non acerborum sunt, ualde beneuolentiam conciliant, abalienantq; ab his in quibus hæc non sunt. Quintilianus lib. 11. cap. 1. Iucundißima in oratore humanitas, facilitas, moderatio, beneuolentia. Harumq; rerum sicut omnium.) Plutarchus tamen scribit non parum inuidiæ Ciceroni inde conflatum fuisse, quod ipse res à se gestas nimiū extolleret, & cum oratio eius alioqui populi auribus esset gratißima, factum tamen esse nimis crebra rerū suarū laudatiōe ut molesta ingrataq; esse inciperet. & Quintilianus hæc ita excusat, ut Ciceronem neceßitate potius quàm arrogantia fecisse hæc dicat. Si de alijs modesta oratio.) Quintilianus lib. 12. cap. 9 Supra omnia perit illa quæ plurimum oratori & autoritatis & fidei affert modestia. Si benignum candidumq; de rebus.) Actorum 24. Ex multis annis & Actorum 26. de omnibus accusor. Obseruantißimus fuit ubiq; Cicero.) Nec non & Rodolphus ipse, qui ut in alijs ita in hoc quoq; neminē post se non reliquit & quidem longo interuallo. Lege proœmium lib. 2. de inuentione. Sine aliena contumelia.) Qui contumeliose dissentit duplex sumit ac faceßit negotium, geminumq; malum accersit dum & famam lædit alienam, & sibi ipse maledicentiæ suspicionem conciliat. Quid sentiat.)

χρὴ μὲν δὴ τὸν μῦθον ἀπηλεγέως ἀποειπεῖν:

Nam decet ingenue quod sentis uoce profari.

Absit modo procacitas quam fœdam & indecoram sibi ducunt & ethnici uersantes in re literaria. Hocq; præcipue hac in parte cum ipsi.) Vide D. Eras. Rot. lib. prim. de ratione concionandi sub calcem. Si paucis inquit admoneamus quibus rationibus, Ecclesiastes sibi poßit apud populum gratiam simul & autoritatē parare partamq; tueri &c. In melius flectentes.) Parum digna philosopho uisa est Stilphonis comitas omnia in bonam uertēs partem etiam illa quibus hominum uulgus grauiter offendi solet.

De copia in dicendo quomodo paretur. Cap. V.



Copia uero & breuitas in dicendo, quoniam præsertim istis inter cætera delectamus & offendimus, constantq; etiam inuentione ista, non alienum uidetur ab instituto nostro, paucis de his dicere. Constat autem orationis ubertas, uel quia pauca quidem, multis tamen eloquimur: uel quamuis paucis dicamus, congerimus tamen multa, atq; ut non magnitudine, aceruo tamē rerum tendimus orationem: uel quod affluentissimum est, multa dicimus de multis. Si ostenderimus autem, quomodo multa, & quomodo multis dicatur, tria

tur, tria hæc cuiusmodi sint, facile erit perspectu. Multa dicuntur, & expositione & argumentatione. Expositione dicuntur multa, cum non tantum satis habemus, summas rerum explicare, sed partes omnes prosequimur. Qui dicit enim, Iuno quoniam oderat Troianos, nauigante ex Sicilia Aenea classem eius disiecit ui tempestatum: quarum impulsu delatus ad Africam, à Didone hospitio benignissime est acceptus. Hoc qui dicit, totum primum Aeneidos librum complexus uidetur. Qui uolet autem paulo uberius dicere ista, ille quidem causas odiorum, propter quas infensa Troianis erat Iuno, recensebit: deinde, ut è Sicilia nauigarint, sollicitatum à Iunone Aeolum, ut tempestatem classi immitteret. Non tamen ille preces Iunonis effinget, non pollicita Aeoli, nec quo pacto immissa sit Troianis exequetur, aut iactauerit eos tempestas: sufficiet tempestate disiectos fuisse demonstrare, atque diuersos alium ab alio, ad littora portus'que Africanos esse delatos. Nec Veneris ille querelas, nec Iouis responsa, quibus futurus rei Romanæ status explicatur, attinget. Post tempestatem, refectis corporibus atque confirmatis animis sociorum benigno alloquio Aeneæ, tum ut explorandorum locorum gratia profectus sit Achate comitatus, Carthaginem'que peruenerit: cuius urbis condendæ causam, & Didonis casus, breuius qui dicet explicabit suis uerbis: quàm ut describenda Venere, & querelis Aeneæ, iactatis'que hinc inde uerbis ea effingat. Deinde, ut in templo Ilionea & socios reginæ implorantes fidem ne littoribus arcerentur agnouerit, agnoscendum'q; se eis & reginæ præbuerit. Nihil hic ad ordinem rerum pertinuerint res Troianæ pictura in templo expressæ: nihil Didonis pulchritudo, aut templi forma descripta: nihil reliqua multa, quæ ut ornandis rebus immensum, ita cognoscendis nullum attulerint momentum. Poëta enim acerrimi ingenij iudicij'q;, non magni sane putauit, qui fuerint casus, aut ordo rerum Aeneæ, quarum etiam uix tenuis ad ipsum peruenerat fama: sed sumpta illius persona, uoluit tanquam in speculo quodam uarietatem rerũ humanarum uitam'q; & mores hominum spectandos proponere. Quæ cuncta, ut maiore uoluptate commendaret, late fudit, quo orationis rerúmque decorem & gratiam, quæ in angustioribus delitescunt, in ipsa amplitudi-

ne per omnes posset numeros explicare. Quin & hæc ipsa multo poterunt effusius dici. Nam in causis odiorum recensendis, singulæ causæ longissimarum narrationum sunt capaces. Et quod postea dicitur: Vix è conspectu Siculæ telluris in altum Vela dabant. hic & quæ sit Sicilia describi potest, & quæ fuerint manendi ibi rursusq; discedendi causæ, & apparatus discessionis, & iam ipsa exprimetur nauigatio. Sic uidemus in prælijs narrandis apud historicos, tantum quæ acies cui cesserit, & quarum partium eques pedes'ue alterius profligauerit equitem aut peditem. Singulorum rara fit aut perquam breuis mentio, nisi imperatorum, aut eorum qui ordines ducunt. Idcirco in angustum pugnę apud eos colliguntur. Apud poëtas, singulæ pugnæ singula sæpe implent uolumina. Quoniam non exercituum solum, sed singulorum hominum casus effingunt, quo magis uarietate & rebus sub aspectu ponendis delectent. Sed & singulorum casus quantum possint extendi, Aeneæ & Turni apud Vergilium, Polynicis & Eteoclis apud Statium, facile declarat descriptio. Dicimus uero argumentando multa, & quando propositam quæstionem in multas quæstiones diducimus, & quæstiones numerosis colligimus argumentationibus, argumentationesq; alijs super alias probationibus confirmamus: & si quid exponendum in argumentatione, non contenti caput rei annotasse, totum ordinem eius recensemus, Vt qui probet uirtutis nomen etiam improbitati uenerandum esse, quoniam piratæ fama Scipionis adducti, Liternum ubi exulabat profecti sint: cumq; conspexissent eum, rursus abierint. Id qui iam uolet eo pacto, quo superius ostendi, uberius exponere, & ubi sit Liternum, & quare illic exulauerit Scipio, dicet: & in reliquo expositionis ordine, Scipioni piratisque suam dabit, si uidebitur, orationem. Multum autem dicimus una de re, id est, quoties libuit, circa unam rem hæremus, quodq; paucis dici potuit, id ipsum late spargimus. Idq; tribus illis maxime fit modis, quibus diximus rem unam in multa diduci, diuisione, partitione, & dinumeratione: quæ quid sint, suo loco diximus. Ergo si quis uolet dicere, uirtutem Ciceroni rempublicam tractanti aptissimam esse, uirtutem diuidet, próque ea religionem, pietatem, iustitiam, fortitudinem, magnanimitatem, constantiam, temperantiam,

mode-

modestiam, prudentiam, fidem, & reliquas uirtutis species ponere potest: pro republica, partes eius, ut sunt patres, & plebs, inopes, potentes, pauperes, diuites. Deinde Ciceronem per adiacētia aut actus aut effecta dinumerabimus: ut qui facundus sit, qui doctus, qui nouus homo, qui consularis, qui causas agat, & quotidie in iuditijs concionibúsque uersetur, quæque reliqua sunt huius generis. Possunt igitur hæc omnia, uel inter se coniungi, & unumquodque unicuique prout est cuiusque naturæ maxime consentaneum aptari: uel sic, ut integra cum diductorum numero componantur: ut primum diuisa uirtute, & manentibus reliquis dicamus, certum est religionem, pietatem, iustitiam, fortitudinem, & cæteras quas diximus uirtutum species, necessarias esse Ciceroni tractanti rempub. Deinde rursus dispertita repub. nec quenquam dubitaturum, quin Ciceroni, qui inter patritios, plebeios, potentes, inopes, & reliquas reipub. partes uersetur, opus sit habere uirtutem. Post hæc, dinumeratis his quæ Ciceroni adsunt, non enim fieri posse, ut qui facundus, doctus, & homo nouus, honoribus functus, quæque reliqua huiusmodi sunt, rempub. administret, ut id recte faciat sine uirtute. Probationum habent ista faciem, possunt'que probationes esse, si quod primum est propositum tanquam dubium accipiatur: nunc tamen non in eum adhibentur usum: alioqui quo minus ociosa & supina uideantur, non inepte probationes aliquæ interspargerentur. Possumus itaque hoc pacto, cum uisum fuerit, unam pluresúe res in oratione positas spargere, & unamquamque non uno solum, sed tribus illis quos diximus explicare modis. Quæ quidem propositum respicientibus exemplum, cum tentatu factúque haud esse difficilia credam, nihil est necesse singula suis exemplis indicari. Est & alia ratio dicendi copiose, quæ fit, cum unam eandem'q; rem iterum atq; iterum mutatis dicimus uerbis. Quo pacto uidemus apud Ciceronem, non singula modo membra (quod crebrum est uidere apud au tores) sed totos locos repetitos, in eis præsertim orationibus, quas iunior ædidit, qua ætate, sicut semper alioquin, sic tum præcipue, omnis affluentiæ cultus'q; in dicendo cupidus extitit. Sed hæc eloquendi, non inueniendi præceptis comprehenduntur, nec idcirco ad nostram pertinent præceptionem.

IN CAPVT V.

SVmmas tantum rerum explicare.) D.Erasmus in 2.uariandi ratione posterioris copiæ commentarij. Apud poetas.) Potißimum apud Homerum in Iliade. Non contenti rei caput notasse.) Erasmus in eo quem modo citauimus loco. Polynicis & Eteoclis apud Statium.) Eteoclis filij Aedipodis Thebanorum regis cum fratre Polynice plusquã pernitiale dißidium prodidit Statius Thebaidos lib.7.

Nec segnem Argolicæ sensere Eteoclea turmæ.
Parcior ad ciues Polynicis inhorruit ensis.

Vt qui probet uirtutis nomen.) Cicero: Propter uirtutem & probitatem eos etiam quos nunquam uidimus quodammodo diligimus. Erasmus Ecclesiastæ 2. Habet enim hoc eximia uirtus ut propius inspecta, malis quoq; sit ueneranda. & quæ sequuntur. Eras. Rot. lib.1.Ecclesi. Habet enim eximia uirtus uim admirabilẽ rapiendi mentes hominum in amorẽ et admirationẽ sui. Id quod cõpluribus declarat exemplis. Herodes metuebat Ioannẽ sciens eum uirũ iustũ & sanctũ, & custodiebat eum, & eo audito multa faciebat & libenter eum audiebat. Vides quæ uis sit æquitatis & syncerææ illibatæq; integritatis ac sanctimoniæ, ut quamlibet inimicorũ ora obturet aduersus se & omnes post se ducit. Quod si quispiã quo efficacißime adhortetur ad Christianæ philosophiæ studiũ ex actis apostol. adducat. Eunuchus ille præfectus Cãdaces reginæ uir æthiops, relicta aula ex æthiopia, hoc est, ut ait D.Hierony. epistola Frater Ambrosius, de extremis finibus mundi, uenit Hierosolyma adoraturus in tẽplo tãtus amator legis diuinæq; scientiæ fuit, ut etiam in uehiculo literas legerit sacras. Id exẽpli qui iam uolet uberius exponere præfetur licebit. Accedet ad miraculũ Eunuchi, quod ea tẽpestate uel paulo ante magnis itineribus nec non muneribus petebãt oracula uana. At intellexit uir ille scripturã esse certißimæ fidei, qua nobis loquitur deus ex adyto suo quoties uolumus. Nos uero si non Eunuchi certe ethnicorum illorum moneat exemplum, ut quod illi operæ & impensæ in talia oracula insumpserunt, nos ne pigeat per ociũ & mille occasiones impendere in diuina. Ciceronem per adiacentia.) Libro primo capite 11. Possunt igitur hæc omnia uel inter se coniungi.) Hoc dicit: Facta diuisione, partitione, & enumeratione, duplex est harum rerum tractandarum modus. Nam principio ita tractari possunt, ut singula conferantur cũ singulis, uerbi causa, singulæ uirtutum species cum singulis adiacentibus, effectis, & actibus Ciceronis, & item cum singulis partibus reipub. ut si religionem conferas cum Ciceronis facundia, cũ patribus ciuitatis Romæ. Deinde ita tractari hæc possunt, ut unũ ex hisce tribus sumas totũ, & id totũ cum reliquorũ duorũ cõferas partibus, ut si uirtutẽ in genere sumas, & eam cõpares cum singulis hisce quæ de Cicerone dicũtur, et cũ singulis partibus reip. & cõtra si Ciceronẽ ipsum cum singulis uirtutũ speciebus, & cũ singulis reip. partibus cõponas &c. Est & alia ratio dicẽdi copiose.) Cice. in 4. ad Heren. de expolitione & Eras. de eadẽ in posteriore Copiæ cõmentario. Georg. Trapezontius lib. rhetoric. 5. Quas iunior edidit.) Quarum omnium prima fuit pro S.Roscio. Cice. de claris oratoribus. Itaq; prima causa, publicaq; pro Sexto Roscio dicta, tantum commendationis habuit, ut nulla esset, quæ non nostro digna patrocinio uideretur. Idem pro Sexto Roscio: Quod antea causam publicam nullam dixerim. Aulus Gellius libro 15. cap.18. Cicero de perfecto oratore: Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum. Qua ætate sicut semper alioqui.) Quintilianus lib.2.cap.4. Facile remedium est ubertatis, sterilia nullo labore uincuntur, uolo enim se efferat in adolescentia fœcunditas. Vt qui facundus sit, qui do-

ctus

ctus.) Socrates dicebat uehementer absurdum esse, quum artes sedentarias nemo profiteatur absq; dedecore qui nō didicerit, neq; quisquam scrinium faciundum locet ei, qui rudis sit eius opificij, ad publicos magistratus admitti, qui nunquā dederunt operam disciplinis sine quibus nemo potest recte magistratū gerere: cumq; nemo nō detestaturus sit eū qui clauo assideret ignarus artis nauticæ, multo magis detestandos, qui rempub. capessērent ignari politicæ philosophiæ. Neq; eū putabat appellandum impostorem, qui à persuaso quopiam pecuniam aut uasculum acciperet, quod non posset reddere: sed illos magis impostores habendos dicebat, qui dolo persuaderent se idoneos gubernādæ reip. quum sint homines nihili. Hoc dictum multo magis ad principes, magistratus & episcopos Christianos pertinet, q̄ ad ethnicos.

Quæ sit ad breuiter dicendum uia. Cap. VI.



Breuitatis ratio facilior est. Quarum enim rerum collectione copia paratur, earum rursus prætermissione breuitatem consequemur, contraria enim (ut in uulgato uerbo est) contrarijs oriuntur causis. Breues erimus, in exponendo quidem, si trita omnibus breuitatis sequemur præcepta, hoc est, si rem non à primis utiq; initijs, sed solum quatenus instituto nostro sufficit ordiamur. Aeneas utique apud Vergilium narraturus insidias Græcorum, non labores periculaq; bellorum, quibus perfuncti erant, recenset: sed protinus cœpit, fracti bello fatisq; repulsi. Deinde, ut in reliquo decursu expositionis, quicquid ad rem nostram non pertinet, prætermittamus, cuiusmodi est: (dixit & multa alia, quæ nunc non est narrandi locus) &: (dixit quæ in rem putabat) &: respondit quæ sibi uisum est. Quæ moderatio plerisq; nostra ætate studia tractantibus usq; adeo deest, ut non solum uelint quicquid de re dici possit exequi, sed etiam cuiuscunq; ulla parte potest inferri mentio, id undiq; quæsitum accersant: & quamuis diuersa, quamuis repugnantia proposito suo, uiribus detorta tamen inculcēt: ex quo iam in friuolis plerisq; & leuissimis quoq; rebus nullus scribendorum uoluminum neq; modus neque finis fit. Post hæc, si non singulas rerum particulas dicendo prosequemur, sed satis habebimus summas & uelut fastigia rerum perstringere. Cuius rei, cum multa sunt apud autores exēpla, cuiusmodi est apud Vergilium: Punica regna uides, Tyrios & Agenoris urbem, & tota fundatæ Carthaginis explicatio quæ sequitur. Item in quinto: Interea Aeneas urbē designat aratro Sortiturq; domos, hic Ilion, hæc loca Troiæ, Et reliqua. Sic apud Terentiū: Placuit, despō

di,hic nuptijs dictus est dies. Tum præcipue poterunt istud ostendere argumenta comœdiarum,quæ paucissimis uersiculis,totum fabulæ cōplexum tenēt. Et declamationū themata, quæ cū breuia admodū sint,uerbosis exponunt plerunq; in declamatiōe narrationibus. Sic & apud scriptores rerū,crebro uidem⁹ copiose fuseq; res dictas ab alijs,rursus ab alijs in paucissima uerba contractas. Postremo, si quod uel ex præcedentibus aut sequētibus satis potest percipi, ut id ne dicamus quidem. Quod solet autem adijci,ne bis eādem rem dicamus,id cui præcipiēdum est,ignarum esse,quid sit breuitas,oportere credam. Ex sequentibus præcedentia intelliguntur, ut apud Vergiliū in quinto: Gaudet regno Troianus Acestes. Ex eo, quod quidem non dixit poëta,satis perspicitur,imperio Acestæ subdidisse urbem recens conditam,& depositos in ea Troianos. Sic apud Terētium in Andria,ex eo quod dixit Crito,eius morte ad me lege redierunt bona: nec mortuam eam esse,nec cognatam sibi prædixerat,utrunq; tamen ex eo intelligitur. Ex præcedentibus, ut quoties mādata, cōsilia, causas'ue explicuimus, quibus uel ordo sequentium rerum,uel uis facile perspicitur: quale est in Phormione Terentij: Est parasitus quidā Phormio: & quæ sequuntur. Deinde subijcit: Ego te cognatum dicam,& tibi scribam dicam. Non dicit, hoc dixisse Phormionem,quod ipsum ex figura uerborum facile perspicitur. Sed hoc quidem prioris loci exemplum est. Quod autem huius est loci, postquàm totum ordinem consilij recēsuit, deinde rem ipsam,quæ hoc pacto gesta est,cum posset hinc cognosci, solum dixit: Persuasit homini,factum est, uētum est,uincimur,duxit. Argumentationum breuitas in eo posita est, si primum uel recidamus multitudinem quæstionum,uel quæ si fusius tenderentur, quæstiones futuræ erant,eæ breuiter argumentationum specie colligantur. Tum si quas sumimus quæstiones,quàm paucissimis argumentationibus confirmemus: sed ne argumētationes quidem late,fuseq; colligamus,uerum nonnunquam pro tota argumentatione solam ponamus propositionem. Vt: Quid repetam exustas Erycino in littore classes? Quid tempestatum regem,uentosq; furentes Aeolia excitos? Singulæ argumentationes singulis propositionibus explicantur. Quin una quādoq; propositione singulis prope uerbis densa-

mus

mus argumenta:ut apud eundem autorem:Quin natam egregio genero,dignisq; hymeneis Des pater, & pacem hanc æterno fœdere firmes.Pro eo quod dicere instituit,ut natam daret Aeneæ, inquit, natam egregio genero:argumẽtum est:idcirco enim colligitur dandam eam esse Aeneæ,quoniam sit egregius gener. Sic quod subdidit:dignisq; Hymenæis:quanq; id priori prope sit idem. Sic etiam. Des pater,& curam filiæ,& potestatem uno nomine collegit. Sic quod postremum posuit:& pacem hanc æterno fœdere firmes. Breuius adhuc est, quod Dido inquit,cum causam quare coniugium auersaretur dixisset,subiecit:Huic uni forsan potui succumbere culpæ.Cum uellet mollire faciem amoris sui,huic uni dixit, quasi iustior esset sibi uenia hac in parte,quæ nulli alteri delicto locum esset datura.Et culpę dixit,non peccato,nõ crimini.Nec tamen dixit admissuram se:sed,potui inquit,& forsan,& succumbere:ut nõ ipsa factura istud,sed amoris impetu uictum iri uideretur.Hoc itaq; pacto consequemur,ut quandoq; quantumuis multa,breuiter tamen ea dicamus.Nec enim fieri poterit,ut hac densitate stipemus argumẽta, si uelimus singula eis quos superius dixi modis dilatandi,id est,uel diuisione,uel partititione,uel dinumeratione, diffundere. Breuitas igitur his rebus maxime constat.

IN CAPVT VI.

SI trita omnibus.) Cicero lib.de inuentione 1.cap.de breui narratione.Idem lib.de Oratore 2.Quintilia.lib.4.cap item 4.circa medium. In paucißima uerba.) Quæ Titus Liuius lactea illa sua ubertate diffusißime recenset, ea Lucius Florus paucißimis complexus est uerbis.Hieronymus in epistola ad Pammachiũ aduersus errores Ioan Hiero. Potest enim fieri,ut quæ per quadraginta dies tradere solebat in ecclesia baptizandis: hæc sub unius lectionis occasione perstrinxerit.Eiusdẽ enim eloquẽtiæ est & pauca multis,& multa paucis uerbis posse dicere.Basilius Magnus ad Libanium sophistam scribens ait:Propriũ rhetorum esse magna parua facere, & paruis magnitudinem opponere atq; demũ si ita res postulet ex musca facere elephãtum.Cum Agesilao sophista quispiã hoc nomine laudaretur quod res minimas dicendi artificio maximas efficeret,negauit is uel cerdonẽ bonũ sibi uideri qui paruo pedi magnũ induceret calceũ,significãs oportere cũ re congruere non aliter quàm uestis cõuenire debet corpori. Sic apud Terentiũ.) In Phormiõe:Persuasit homini,factum est,uẽtum est,uincimur,duxit.Vi coactum te esse,inuitum,lege,iudicio,tenes?Cicero in Catilinam.Abijt,excessit,euasit,& in calce lib.5.de Finibus in historia Polycratis. Iulius Cæsar quum Pharnacem primo congressu uicisset, amicis scripsit,ueni,uidi,uici,summam rei gestæ celeritatẽ indicãs. Id undiq; quæsitũ accersant.) Erasmus de rõe studij theologici. Nullus scribendorũ uoluminum neq; modus.) Ecclesiastæ 12.Faciẽdi plures libros nullus est finis.Iuuenalis Satyra septima:

—Tenet insanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.

Hodie tantus est nouorum librorum prouentus, ut periculum sit ne turba cognitioni ueritatis officiat, præsertim cum tanta sit inter ipsos dissensio, ut nobis propemodum acies illas referant, ex serpentis dentibus natas quas poëtæ memorant, mox ut extiterant mutuis uulneribus interijsse, nam ut uero uerior est. Mimus ille: Nimium altercando ueritas amittitur: Ita loquacitas immodica citius obscuret ueritatem quam illustret. Verum de his esto suum cuique iudicium. Cuiusmodi illud apud Vergiliū.) Ecquid breuius dici potuit quàm illud apud eundem poëtam lib. Aeneid. 3. Et campos ubi Troia fuit. Lege Macrobiū Satur. lib. 5. ca. 1. Si quod ex præcedentibus aut sequentibus.) Si statim mediam in rē aggrediemur, si præfationes superuacaneas uitabimus, si uerbis quàm significātißimis utemur, si rerum exitus ita proponemus, ut ex his conijciantur, ea quæ præcesserunt ex præcedētibus. Quintilianus lib. 4. cap. 2. in medio. Eras. de epist. conscriben. cap. de amplificatiōe circa medium. Quod solet autem adijci ne bis eandem rem dicamus.) Cicero in Partitionibus orat. Breuitas autē conficitur simplicibus uerbis semel unaquaq; re dicenda nulli rei nisi dilucide dicas seruiēdo. Non dicit hoc dixisse.) Id tn̄ ex hisce uerbis præcessisse intelligitur. Pro tota argumentatione solam ponamus propositionem.) Lib. 2. cap. 19. & 27. Rodol. lib. 2. cap. 5. Quale est strictim & breuiter dicere, & solum pro necessitate ea quæ capita sunt & firmamēta rerum. Aut quibus prope nihil est opus dummodo excoli ornariq; possunt.

Quis sit optimus in dicendo copiæ, breuitatisq́; modus. Cap. VII.



MAgni est & uel præcipui in dicēdo opus iudicij, quis sit orationis commodissimus modus, & quo fine sit breuitas copiaq́; claudenda. Nec sane res est, quam facile præceptis comprehenderis: quoniā autores (quorum obseruatio primam ædendorum præceptorum uiam aperuit) non eundem omnes in dicendo statuere modum: cū alijs plena & quodam affluentiæ impetu rapta probetur oratio: alijs astricta & arguta, & neruis magis quàm carne commendata eloquentia, placeat. Quoq; difficilius sit hæc in alterutram partem uel damnare uel laudare, duo maximi omnis æui in dicendo uiri effecere, Demosthenes & Cicero: quorum uter fuerit eloquentiæ laude prior, magna fuit semper, eritq́; contentio inter utriusq; doctos linguæ, cum quisq; uelut patriā hanc laudem, nō sine magnis atq; dictu difficilibus asserat causis. Cum ergo Demosthenes breuitatis fuerit amantior, Cicero copiæ: & (ut Quintiliani iudicio huius à me sententiæ repellam inuidiam) illi nihil possit detrahi, huic nihil adijci, non erit utiq; facile inter dissentientia tantorum uirorum iudicia,

cia, utrum sit potius, inuenire. Si quis tamen certam aliquam & uelut præfinitam postulet legem, haud inuenio quid rectius ei respondeatur, quàm medium illud, quod inter nimium parumq́ue est, quod modum uocant, id ut in omni re, sic in hac etiam optimum esse. A quo si quis alterutram in partem aberrabit, minus quidem erit mea sententia culpandus, qui in id quod plus, quàm quod minus est, deflexerit. Nam qui minus dicet, aut non intelligetur satis aut non satis probabit: aut utrunq; pariter dicentisq́ue culpa, rei damno de qua dicitur, luetur. At si plus dicat, quanquam dicenti forte sit quod obijci possit, nullo tamen id rerum uel intelligentię uel fidei detrimento constabit. Satius itaq; fuerit semper, uel fastidiri potius dicētem, quā rem parum probari. Modus autem quem dicimus sequendum esse, ex instituto dicentis maxime definiendus erit. Pro cuiusq; enim destinatione, ut uel docere, uel mouere, uel delectare cupit, optimus putandus erit esse modus, quo poterit quiduis horum consequi qui dicit. Ergo in rerum auditorumq́ue discrimine, tota huius rei posita est ratio. Partem tamen nonnullam sibi uendicabit qui dicet. In his itaq; rebus, in quibus credentem fingimus auditorem, docēdiq́ue tantum dicimus causa, ut in rebus gestis explicandis, tradenda rerum natura, artium præceptis docendis, reliquisq; id genus, quæ prope expositione traduntur, breuitas ferè gratissima est, quoniam id quæritur solum, ut intelligat qui audit. At cum res est cum aduersario, qui peruincendus est oratione, uiribus est opus, quæ plerunq; mora plus, quàm impetu ualent. Quousque non probauerimus ergo, quod sumus aggressi probare, quatenus tamen rei natura probationem accipiet, non uidebimur legitimā dictionis impleuisse mensuram. Quicquid autem superabit, id huic instituto putabimus superuacuum. Mouendi (quoniam, ut sæpe iam diximus, non est aliud motus, quàm uehemēs quædam probatio) idem modus est, qui docendi. Delectationi latius plerunq; indulgetur. Vnde fit, ut quæ poterant persæpe paucissimis absolui, postquàm occupauit aures audiendi uoluptas, nostræ oblectationi largissima demus atq; expetamus tempora, cum rebus alioquin quamuis angusta sufficerent. Ex eisdem causis quas diximus uenit, ut doctis prudentibus, grauibus, seueris auditoribus, breuior oratio paretur. Facilius enim docentur,

uel uolunt uideri discere: minusq́ affectibus & dicendi illecebris, obnoxios se præbent. Populus atq; omnis promiscua multitudo, omni copia, impetu, splendoreq́ dicendi est demulcendus. Idcirco ad illos cuncti panduntur eloquentiæ sinus. Nec sane est ulla maior eloquentiæ fax, quæ'ue acriores subijciat dicenti stimulos, quàm latissima audientium corona. Eis autem qui dicunt, magnanimis quidem, & acribus, & indoctis, siue sint tales, siue affectent uideri tales, aptior est breuis dictio. Quoniam magnanimi natura sunt imperiosi, fidemq́ non tam orationi quàm personę deberi putant: & principes singula uerba sua uelut legem accipi uolunt, ut quos sæpe quãuis pauca grauent uerba, & uel solis nutibus suis deberi obsequium credant. Vnde & in Græco prouerbio est, dominos seruis suis monosyllabos esse. Acres, magis urgere uidentur breuitate. Indocti nõ habent, unde copiam parent. Ergo quamuis persæpe multa sint eis dicenda, singulis tamen breuitas magis conuenerit, ut quanquam longa, accelerata tamen dictio uideatur. Contra humilioribus, sedatis, prudentibus, doctis, sectanda magis est ubertas. Hi sunt enim qui uidentur & uelle posse rem quamlibet exacte docere: & non solum quid sit unumquodq; ostendere, sed rationem quare ita sit afferre debere. Sic rebus etiam perplexis, dubijs, numerosis, grandibus, adhibenda est copia. Tenues uero, & nullius momenti, apertæq́ & simplices, breuiter dicentur: breuiter enim possunt doceri. In partibus orationis (siquidem argumentatione constet oratio) longior expediet dictio, ut quæ fidem sit maiori labore factura. Expositioni in uniuersum breuitas est aptior, quanquam expediant nonnunquam etiam in suo genere narrationes uberiores, ut sicubi res repetẽda altius, uel præsertim si sit inferẽdus acrior affectus, siue, quẽadmodum solet, retinẽdus uoluptate sit auditor. Omnis tñ in suo genere expositio, debet argumẽtatiõe breuior esse. De exordio & cõclusione cũ re deliberandũ est, & cũ oratiõis etiã magnitudine: sic ut meminerimus partes eas, & uelut accessiones oratiõis esse, nec rei docẽdæ sed auditoris cõciliandi causa paratas. Facilius itaq; qs copia in eis q̃ breuitate peccauerit: nisi tñ p̃sens rerũ cõditio, latiorẽ etiã in his partib⁹ dictionẽ poposcerit: tũ utilitati nimirũ cedent præcepta, quę in hoc præcipiuntur solum, qm̃ creduntur utilia. Quod si contrariũ res ipsa

tulerit,

tulerit, sicut in omni uita solemus, sic in oratione, non quod alias, quanquam sæpe, laudatum: sed quod nunc, quamuis in præsentia solum fuerit optimum, sequemur.

IN CAP VII.

Quis sit orationis commodissimus.) Aristoteles in *præceptis ciuilibus ad Alexandrum cap. de facetijs & prolixitate orationis: Qui uero dicendi prolixitate uti uoluerit, opus est rē diuidat, & quæ qualibet in parte sint, quāq; naturā sapiāt, edoceat, eorumq; usum omnem tum proprium, tum commune, & ipsas causas enarret, quod si longiorē quoq; uoluerimus orationem efficere, pluribus nominibus circa singula utendum est, eritq; singulis in orationis partibus iterandum, & iteratio ipsarum paucis absoluēda in fine uero orationis hæc omnia, de quibus singulatim dixeras, cōgestim ponas, ac de rebus omnibus dicas, cōuenit. Hoc igitur modo prolixiores reddi oratiōes poterūt. Qui autē dicendi uoluerit breuitate uti oportet totum negocium uno uocabulo complectatur, & hoc maxime quod in ipsa re breuissimum insit, opus est etiam paucis uti copulis, plurima uero coniungere, nominibus ita uti, ut una dictio duabus seruiat rebus, eritq; frequens illa iteratio, partibus amouenda, & in oratione duntaxat finibus iterandum, & hoc quidem modo breues poterimus orationes efficere. Quod si mediocritate uti in dicendo uolueris, partium maximas deligens de hisce uerba facias oportet, est etiā medijs utendū noībus, quæ scilicet neq; longissima neq; breuissima, neq; multa de aliqua una re sint, sed mediocria potius oportet & epilogos ex medijs partibus neq; omnino auferri, neq; ubiq; responsum inferri. Sed quæ maxime auditoribus nota esse uolueris, in his maxime ad finem iterationibus uti conuenit, ex hisce igitur quandocunq; libuerit, prolixitate uti in dicendo quibimus.* Homerus autē teste Fabio lib. 10. cap. 1. *iuxta utraq; re mirabilis est tum copia tum breuitate.* *Quum alijs plena, & quodam affluentiæ impetu rapta probetur oratio, alijs astricta.)* Cicero de *claris oratoribus: Menelaū ipsum, dulcem illum quidem tradit* Homerus, *sed pauca dicentem, breuitas autē laus est interdum in aliqua parte dicendi, in uniuersa eloquentia laudem non habet.* Quintilianus lib. 12. cap. 10. *sub finem.* Erasmus *in calce posterioris copiæ commentarij.* *Et neruis magis quàm carne.)* Vt *satius est habere corpus pressum & sanum quàm timidum & malis distentum humoribus: ita oratio melior est quæ pressa est quàm exuberans ac tumēs.* *Quod modum uocant.)* Quintilianus lib. 2. cap. 13. *Propter hoc quoq; interdum uidentur indocti copiam habere maiorem, q̄ dicūt omnia, doctis est & electio & modus.* *Nam qui minus dicit aut non.)* Quintilianus lib. 8. cap. 2. *Alij breuitatis æmuli necessaria quoq; orationi subtrahunt, & uelut satis sit scire ipsos quæ dicere uelint, quantū ad alios pertineat nihil putāt.*

In his itaque rebus in quibus.) Libro secundo cap. 22. *Narrationes uberiores.)* Cicero lib. 2. de oratore. *Si tamen est breuitas cum tantum uerborum est, quantum necesse est, aliquando id opus est, sed sæpe obest uel maxime tamen narrando, non solum, q̄ obscuritatem affert, sed etiam quòd eam uirtutem quæ narrationis est maxima, ut iucunda, & ad persuadendum apta sit tollit uidelicet illa. Nam is postquàm excessit ex ephœbis: quàm longa est narratio, mores adolescentis ipsius, & senilis percunctatio, mors Chrysidis, uultus & forma & lamentatio sororis, reliqua peruariè, iucundeq; narrantur, quòd si hanc breuitatem quæsisset. Effertur, imus, ad sepulchrum uenimus. In ignem posita est. In his ferè decem uersiculis totum conficere potuisset, quamq; hoc ipsum: Effertur, imus: concisum est ita ut non bre-*

uitati seruitum sit, sed magis uenustati, quòd si nihil fuisset nisi, in ignem posita est: res tamẽ tota cognosci facile potuisset sed & festiuitatem habet narratio distincta personis & interpuncta sermonibus, & est probabilius quod gestum esse dicas quum quemadmodum actum sit exponas, & multo apertius ad intelligendum est si sic consistitur aliquando, ac non ista breuitate percurritur. Hæc ille. Eius generis item est illud ex Phormione Terentiana. Hoc ubi ego audiui, ad fores suspenso gradu placide ire perrexi, accessi, astiti, animam compressi, aurem admoui, ita animum cœpi attendere hoc modo sermonem captans. Quam latissima audientium corona.) Vide quæ annotauimus in liminarem totius huius operis epistolam Vnde in Græco prouerbio est: Dominos seruis suis monosyllabos esse) πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβον. Id est, Omnis herus seruo monosyllabum: Heris & potentibus breuissimo tantum uerbulo est opus, ut uel annuant uel renuant, ναὶ ἢ οὔ. Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas. Seruis autem & impotentioribus multis opus est uerbis ut exorent aut persuadeant. Effertur integre ad hunc modum πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβον. τὸ δὲ ἱκετεύειν μάκρον. Id est, Omnis dominus seruo monosyllabon, at supplicare longũ. Hæc Erasmus in adagio. Omnis herus seruo monosyllabus.) Idem adagio. Ad digituli crepitum. Cicero pro Rabirio: Regum autem sunt hæc imperia. Animaduerte, & dicto pare. Et præter rogitatum si quæraris: & illæ minæ. Si te secundo lumine huc offendero, moriere. Aristoteles primo Politicorum libro: D Erasmo interprete: Etenim si fieri posset, ut unumquodq; instrumentum uel iussum uel per se præsentiens suum opus peragent, quemadmodum autem aiunt Dædali statuas facere, & Vulcani tripodes, quos poëta scribit ultro in diuitum certamen prodiisse, itidem & pectines per se texerent & plectra cithara canerent, haud quaquam opus haberent neq; architecti ministris, neq; domini seruis. Vt litati tamen nimirum cedent.) Amentis est enim superstitione contra rationem causæ trahi, inquit, Fabius lib. 4. cap. 2. Populus atq; omnis promiscua multitudo omni copia impetu splendoreq́; dicendi est demulcendas.) Cicero in Bruto: nam populo non erat satis uendibilis præceps quædam, & tamen idcirco obscura, & peracuta tũ rapida & celeritate citata oratio. Demosthenes & Cicero.) Interrogatus Cicero quæ oratio Demosthenis esset optima respõdit ea quæ longissima esset. & idem Quintilianus uerum esse putat de Ciceronis orationibus, quàmuis Cicero & Demosthenes diuersis uijs ingressi sunt. Nam Cicero semper copiam affectauit. Demosthenes autem breuitati semper studuit. Lege apophthegmatũ, siue scite dictorum librum quartum per D. Erasmum Rot.

De dispositione quid sit, & quotuplex ordo rerũ. Cap. VIII.



DE ratiõe inueniẽdi, quàm cõmodissimã crediderim, sit nobis hactenus dictũ. Nec solũ quibus ex locis faciẽda esset, sed q̃ facillime uia nos ad inuentionẽ eius q̃d quaq; de re quæreret̃ perduceret, q̃ potui conatus sum apertissime tradere: dixiq́;, quęcũq; utilia huic instituto pro captu meo putaui, ut nõ optimo forsitan euentu, optima certe fide. Reliquũ est, ut de dispositione pauca subijciamus. Et sitnt quidem pauca, quæ de ipsa dicantur. Nec enim res est, quę cõstet ita

multis præceptis. Aristoteles in rhetoricis ne attigit quidem hanc partē, in octauo topicorum perpauca tradidit. Nec multo plura Cicero & Quintiliaus, quiq; alij de ea re dixere. Quo excusatius nobis fuerit, si breuius eam perstringamus. Quam quidē si præterissemus in totum, poteramus fortasse Quintiliani autoritate culpā hanc tueri: qui cum de diuisione, id est, de ratione cōtrouersiarum in singula quæstionum capita diducēdarum dixisset, copiosissimeq; esset hunc locum executus, de disponendi deinde arte, nullis perpetuis legibus statui credidit posse, sed consilium sumi ex præsenti rerum conditione. Ego quemadmodum inueniendi uiam, ita collocandi quę inuenta sunt, formam etiam quandam esse puto. Quæ quidem ut uaria multiplexq; sit, neque in uniuersum demonstrari queat: dicentur tamen ea, quæ creberrime conueniet facere. Extra quæ si quid res ferat quod faciendum sit, idq; ab his quæ dicta sunt discrepet, eorum tamen collatione quæ plurimum obseruauimus, pręsenti quoq; usui aliquod succurret consilium. Vtq; inter sana numerantur morborum remedia, quæ sanitatis tempore alioquin persæpe essent mala: sic inter præcepta putabitur, si quid sit quod legem pręceptorum fugiat, in eo ordinem quoq; præceptorum uitasse. At difficile erit inuenire, quod Quintilianus credidit inueniri non posse. Erit quidē difficile, poterit tamen fortasse. Vtq; à nobis non possit, uel in hoc tamen conandū, ut nostro errore alijs causam demus felicius ista tentandi. Cum sit autem dispositio (ut Cicero inquit) ordo & distributio rerum, quę demonstrat, quid quibus locis conueniat & collocandum sit, non abs re fuerit fortasse uidere in primis, quotuplex sit ordo rerum, quem in disponendo sequamur. Is mihi triplex maxime uidetur. Aliæ sunt enim res quæ statutum quendam & certum ex se habent ordinem: ut annus prior ad annum sequentē. Aliæ uero sunt res, quæ uel non habent ordinem: uel quanquam posset earum certus esse ordo aliquis, nos tamen nullum sequimur: sed solum utcunq; alia alij aptissime ex dicendi occasione subtexi potest, proinde subiungitur. Quale est apud Liuiū, cum de Papirio Cursore dicit, quòd omnes hunc maxime, si Alexander arma in Italiam uertisset, illi parem destinassent: hinc sumpta occasione, quærit, quis fuerit euentus futurus, si bellum Romanis Alexander intulisset. Tertio loco est,

cum rerum ordinem consulto turbamus: & quæ priores sunt, posteriore loco ponimus. Vt cum prius esset dicere, quomodo capta fuerit Troia, deinde quomodo ex longa nauigatione Aeneas ui tempestatum tandem sit in Africam eiectus: quod postremum est, Vergilius primo libro narrat: deinde priora illa sequentibus duobus exequitur. Primus ordo naturalis est. Secundus arbitrarius (si ita uolumus) dici potest. Tertius est, quem artificialem uocant. Et naturalis quidem ordo in quatuor istis positus est, prout aliud alio prius posteriusue quadrupliciter dicitur. Est enim prius aliquid tempore: ut dies hesternus ante hodiernum, & hodiernus ante crastinum. Est et aliud prius existendi necessitate, uel (ut aliter loquimur) prius natura: id est autem huiusmodi, ut si hoc sit, nō ideo necesse sit aliud existere: si autem existat aliud, necesse sit hoc utique existere. Hoc ergo prius est, ut si sit animal, non oportet idcirco hominem esse: sed si homo est, consequens utiq; est & animal esse. Prius ergo animal est homine. Hoc pacto prius est genus speciebus, partes toto, causæ euētis, subiectum adiacentibus suis. Dicuntur & alia aliis priora positione, ut per fretum Gaditanum in orientem nauiganti, prior est Hispania quàm Gallia: & hæc prior quàm Italia, post quam Peloponessus sequitur. Sic contrarium dirigenti cursum, prior quàm Italia Peloponessus erit: & deinceps ut antea quodq; fuit prius, ita nunc fiet posterius. Sic & per hominis eunti membra, primum, si descendamus, caput erit, postremi pedes: sic ascendenti, primi pedes erunt, caput ultimum, mediorum uero sic unumquodq; prius erit, ut huius uel illius ordinis primo fuerit propius. Postremo dicitur prius, quod est dignatione præstantius. Sic prior est consul prætore, & tribuno prætor, & aurum prius argento, & argentum orichalco dicimus. Conuertimus tamē interim, & ab infimo ordinem ducimus: primumq;, non quod optimum, sed quod utilissimum facimus, sic in magistratibus quæsturam primam, postremam dictaturā: & in metallis plumbum primum, aurum postremum numeramus: nisi tamen hunc ordinem malimus non naturalem sed artificialem potius uideri. Plerunque autem fit, ut id quod alia ratione prius dicitur, alia sit posterius. Vt tempore quidem, pueritia prior est quàm iuuenta, æstimatione tamen & dignitate pueritiam iuuenta præcedit. Fieri itaq; potest,

test, ut ordo qui alia ratione non naturalis esset, alio tamen captu secundum naturam sit institutus.

IN CAPVT VIII.

Quiq; alij de ea re dixere.) Scripsit D. Augustinus de ordine libros duos. Extat apud Georgium Trapezontium li. 4. caput de dispositione non minus prolixum, quàm accuratum, & Erasmum de epist. conscribendis cap. de ordine epistolarum. His consentanea scribit Philip. Melan. in epit. philos. moral. cap. quae est partitio uirtutis, de ordine praeceptorum decalogi. Formam etiam quandam puto esse.) Cicero in oratore: Iam uero ea quae inuenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id secundum erat de tribus. Vestibula nimirum honesta, aditusq; ad causam faciet illustres, cumq; animos prima aggressione occupauerit infirmabit excludetq; contraria, de firmissimis, alia prima ponet, alia postrema inculcabitq; leuiora. Idem de claris oratoribus: Omnia ueniebant Antonio in mentem, eaq; suo quaeq; loco, ubi plurimum proficere, ac ualere possent: ut ab imperatore equites, pedites, leuis armatura: sic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Quintilianus libro 9. capite 12. Quaesitum etiam, potentissima argumenta primo ne ponenda sint loco ut occupent animos, an summo, ut inde demittant, an partita primo summoq; ut Homerica dispositione, in medio sint infirma, an à minimis crescant, quae prout ratio causae cuiusq; postulabit ordinabuntur, uno (ut ego sentio) excepto, ne à potentissimis ad leuissima decrescat oratio. Fabius in procemio libri 7. & in fine eiusdem libri. Vtcunque alia alij aptissime.) Lege libr. secund. caput tertium circa finem. Proinde subiungitur.) Id est, secundum hoc, sic Fabius lib. 4. cap. 5. Proinde enim magis aut minus hoc erit necessarium.

Cum rerum ordinem consulto.) Supra libro 2. cap. 5. Confundunt etiam ordinem rerum.

Primus ordo naturalis est.) Fab. lib. 9. cap. 4. Est & alius naturalis ordo, ut uiros ac foeminas, diem ac noctem, ortum ac occasum dicas, potius quàm retrorsum. Prout aliud alio prius posterius'ue.) Laurentius Valla lib. dialectices 1. cap. 17. Nihil aliud est prius, & posterius, quemadmodum nec praesens nisi in tempore, quum prius posterius'ue natura uel ordine, uel dignitate à nemine nisi captiosis, aut certe ineruditis dictum est, si enim alia de re quàm de tempore agunt, cur non alijs uocabulis utuntur. Totum est, inquiunt, prius parte, genus prius specie, species prior indiuiduo, ciuitas prior domo, aut prior singulis hominibus, bonum prius malo, cur non potius dixerunt, satius, dignius, maius, amplius, superius, excellentius, honoratius, praestantius, quanquam prius fuit pars ut sentio quàm totum, ut in struendo, aedificando, fingendo, prius unus homo, quàm una familia, & una familia quàm una ciuitas, & Adam quàm species homo, usque adeo enim uidentur philosophi isti uerborum captionibus passim struere rerum quaestiunculas. Valla libro sexto capite 52. Est enim prius aliquid tempore.) Augustinus libro duodecimo confessionum capite decimoquinto. Sic & per hominis eunti membra.) Quintilianus libro 9. cap. 4. Augeri enim debent sententiae, & insurgere: ut optime Cicero. Tu (inquit) istis faucibus, istis lateribus, ista totius corporis gladiatoria firmitate, aliud enim maius alio superuenit. At si coepisset à toto corpore non bene ad latera fauces q; descenderet. Est & aliud prius existendi natura ut animal homine, corpus & uita animali, totũ partibus, causae euentis, subiectu adiacentibus, procemium narratione, narratio disputatione. Est enim id prius natura, quod alio existente necesse est esse: sed

non retrorsum ut existente homine, necesse est animal esse, non autem si animal sit, necesse est utique hominem esse, est igitur animal natura prius homine. Quod est dignatione praestantius.) Priori ad Corinth. cap. 12. sane quam familiaria sunt exempla. Sic prior est consul pratore.) Fuit & hic ordo castrensis, ut miles centurionis, centurio tribuni, tribunus legati, legatus consulis, magister equitum dictatoris pareret imperio ut autor est Liuius lib. 8. ab urbe cond. T. Liuius decad. 1. lib. 8. In prima acie stabant hastati, in secunda principes, robustior aetas: hos sequebantur scutati maxime insignes armis, post hos triarij & rorarij. Sic apud Homerum in fabula de tribus Saturni filijs. Neptunus sortitus est mare, Pluto tenebras, Iupiter uero caelum. Sic in magistratibus quaesturam primam.) Principio enim quaestura peti solebat, hinc aedilitas, tum praetura, postea consulatus, ad extremum dictatura. Conuertimus tamen interim.) Id quod fecit & D. August. li. 2. de doct. Christ. cap. 7. ubi accommodat locum, ex Esaiae cap. 11. de donis spiritus S. quibus recensendis inuertit eum qui est apud prophetam ordinem. Illud hoc loco monere inter necessaria est, autoritate primum deinde ratione disputandum, quandoquidem in libro de moribus ecclesiae censuit Augustinus naturae ordinem ita se habere: ut cum aliquid discutimus rationem praecedat autoritas. Nam potest infirma ratio uideri quae cum reddita fuerit autoritatem postea per quam firmetur assumit.

Quis poëtis ordo, quis historiae, quis tradendis artibus conueniat. Cap. IX.



ORdinis ergo haec sunt discrimina: dicamus iam, quis ordo cui orationis generi conueniat, priusq; de ea quę expositione, deinde quae argumētatione constat. Quę igitur expositionem habet oratio, siquidem rerum gestarum ordinem aliquem decursumq; recenset, naturalem temporum sequitur ordinem. Idq; nedum seuerior & fidem captans lectoris historia, sed laetius etiam liberiusq; poëma, ut quod oblectandis solum auribus sit destinatum. Est tamen differentia poëticae dispositionis ab historica, uel maxima, quòd poëta quantum ad ipsius, hoc est, ad narrantis personam pertinet, in speciem tantum sequitur temporum ordinem: quantum autem est ex rerum gestarum natura, plaerunque perturbat eas, atque à medijs orditur rebus: deinde quae primae fuerant, earum posterius personę colore alicuius aut alio quouis commento infert mentionem. Sic Vergilius (ut notissimo utamur exemplo) à nauigatione Aeneae, qua in Africam tempestatibus delatus est, initium facit, quae fuit circa finem erroris eius. Troiae captiuitatem & labores eos, quibus septimum ad id annum, circum maria iactatus, ipse Aeneas, secundo deinde tertioq; libro narrat. Quibus in rebus si sequamur colorem narrandi

poëtę,

poëtæ, naturalis quidem est ordo: prius enim erat, ut Aeneas tempestate appelleretur in Africam, quàm Troiæ excidium errores'que suos Didoni narraret. Sin uero res ipsas respicimus, non personas, quibus dat orationem poëta, iam uidemus contrarium naturali, id est, artificialem ordinem esse. Prius enim necesse fuit capi Troiam, & Aeneam labores longę nauigationis illius euoluisse, quàm ex Sicilia in Africam ueniret. Proinde quoque artificialem hunc uocamus ordinem. Simile est in comœdia atque tragœdia. Si intuemur enim faciem rerum quæ deducuntur in actum, quæque personarum imitatione exprimuntur, naturalis uidetur ordo. At totum uero fabulæ complexum respicienti, cum persæpe ab his quæ circa finem eius sunt, incipiant scriptores: & quæ priora sunt, personarum uerbis per occasionem explicentur: quæque prima sunt, ea ultimis quandoque iungantur: ut in Andria Terentij, simul naufragium Phanniæ aperitur, & nuptiæ Pamphili Glicerijq; confiunt. Hæc qui uideat, facile est cognitu, arte autoris hunc ordinem, non rerum natura constare. Facillime autem hoc poëmati contingit, in quo actus sunt & personæ quod Δραματικὸν Gręci uocant. Quoniam paratum fere est, quamlibet orationem dare personæ: qua commoditate fit, ut persæpe dialogi quoque lasciuiant, & in quoduis undecunque libuit deflectant: præsertim ij qui paulo lætiores sunt. Cuius rei apud Græcos quidem, cum alios multos, tum in primis apud Lucianum est uidere expressa plurimas in formas exempla. Heroico carmini non est tanta copia huius rei. Ergo & personę quidem ordinem reuocant nonnunquam, iam pictura res exprimuntur: iam uates, manes, oracula, & pręterita commemorant, & longe post uentura pręd icunt. Danda tamen his omnibus in hac libertate est opera, ut si non rerum quomodo eæ gestæ sunt, temporum tamen, quibus, sub alienis personis eas narrant saluus sit ordo. Historiæ, cuius prima laus est ueritas, naturalis tantum ordo conuenerit, ne si figmentis istis aurium gratiam captet, fidem perdat. Ergo si forte historico narrandæ res essent Aeneæ, non ille incipiet, unde Vergilius est orsus. Sed si uolet utique Troiæ excidium narratione sua complecti, ab ea faciet initium. Deinde sequentur errores Aeneæ: hæc'que suis, non Aeneæ uerbis erunt dicenda. Tum denique dicet, quo pa-

cto in Africæ littora sit ui tempestatis eiectus. Iam si qua fiet mentio uerborum Didonis, quibus illa Troiæ Aeneæ'que casus ab ipso percontata sit, satis erit dixisse, omnia Aeneam illi recensuisse, & urbis ultimam noctem, & pericula quibus iactatus sit. Nec solum erit hic ordo seruandus in ratione temporum, sed etiam eo modo prioris, quo diximus causam priorem esse euentis, & reliquis etiam fere modis prioris. Nam & causæ rerum consiliáq; prius explicantur, & sicubi insignium uirorum mentio interuenerit, describuntur naturæ moresq; eorum, quoniam & ipsi sicuti autores gestoresq; rerum, natura præcedunt eas. Iam in locorum regionumq; situ describendo, diligenter positionem eorum sequatur oportet: & orationem uelut per loca circunferenti sibi, ut primum quodq; occurrit, sic aptissime primum docetur. Quod si plures res, & nullo inter se deuinctas ordine tractet historia, ut cum gesta eodē tempore plura describet bella, quæ quamuis simul geruntur, simul tamen narrari nequeunt, in his fere scriptoris arbitrio steterit, quas res priores, quas deinde explicare uolet: (consuletq; pręcipue rerum noticię, & quo pacto poterunt illæ commodissime cognosci, eum tradendarum faciet ordinem. Sic Liuius, quum res secundo bello Punico & in Italia & Hispania, alijsq; etiam locis nonnunquam uno tempore gestas scribat, si quando Hispanienses res sumat scribendas, longiore nonnunquam tractu prosequitur eas: sicubi uisum fuerit, quanquam & interea aliæ fuerint alijs gestæ locis) quo minus concisa interim & interrupta mentio rerum, altera cognitioni alterius obstet. Sic Cornelius Tacitus, egregius in primis (si quid ego intelligo) autor historiæ, longiores in Batauis res gestas, & alio item loco multorum annorum in Britannia bella coniungit: tum rursus ad aliarum rerum, quas abrupit, ordinem reuertitur. In tradendis artibus quæ maxime conueniat dispositio, unus ex omnibus Aristoteles libris suis exactissime uidetur effinxisse, uir cum omni ingenij laude multum, tum nescio an ordine rerum plurimum admirandus. Quoniam autem hoc est propositum cuiusque docentis, ut ex notiorum contemplatione, ignotiora scrutetur, (qui solus est ordo nobis discendi) horum'que & aliorum ad alia collatione constantem quandam faciat de re rebus fidem. Nequit autem fides ulla

de re

de re fieri, nisi si qua contraria sit accepta mētibus persuasio, ea prius euellatur: primum est ergo, ut si quis dixerit aliquid ea de re quam tractamus aliter atq; nobis uidetur, illius expugnemus sententiam: si modo is sit, cuius mentio iure habeatur. Nam temeraria cuiusquam assertione permoueri, ineptum est. Vt autem securitatis hoc est, contemnere leuiora: ita modestiæ præbet speciem, dissimulasse eos, quorum usu est opinioneq; cunctorum recepta autoritas: aut quibus alioqui debetur ea ueneratio, ut contradictione illorum magis simus irritaturi audientium animos, quàm nobis adiuncturi. Sed hæc iudicij sunt magis. Quod ordinis est, hoc sufficiet dixisse, maxime naturale esse, ut antequam nostra confirmemus, amoliamur aduersa. Deinde cum nostra explicabimus, à generalioribus, quoniam notiora sunt, semper ducendus erit ordo. Deinde per species eundum. Et hæ ipsæ species rursus fortasse (si tam late pateant) genera fient, inq; alias erunt species diducendæ. Singula ergo, ut primum quod'que sumimus, sic erunt deinde tractanda: ut dicatur, quæ sit substantia eorum, quod definiendo fit: si tamen eiusmodi res sit, ut sit definieda: notiores enim sunt nonnunquam, quàm ut hac indigeant cura. Tum quæ partes sint rei, dicendum: si sint ea natura, ut possint aliquæ earum fieri partes. Hinc ea, quæ proprie, naturæ cuiusque adiacent, dicentur, hoc est, uis illa, qua agit & patitur, & ea ipsa quæ agit quæque patitur, & quæ reliqua substantiam rei circunstant.

Illud tamen meminerimus, solum de re quaque dicendum, id quod eo loco, quo de re dicimus, intra complexum rei ueniet, ea ratione, qua ipsam tractamus. Nam qui de tuenda sanitate hominis, doctrinam instituet, dicet ille quidem de homine, non tamen utique dicenda sibi sumet omnia, quæ tractari de homine possunt, nec quid sit mens hominis, nec quæ sint officia uitæ ad uirtutem ducentia, nec quo pacto paretur homini eloquentia. Pertinent hæc quidem ad hominem omnia, sed non ea ratione, qua sibi hic eum assumpsit, id est, qua sanitatem tueri potest. Adeoq; fortasse non defuerit Aristoteli, qui cauilletur, quòd in libris quos de physico auditu inscripsit, de loco dixerit & uacuo. Quoniam his libris de eo quod mouetur in commune disseruerit, ad cuius tractatum,

locum & uacuum non uideri pertinere; sed his potius libris debuisse de eo dici, quibus de eo quod ad locum mouetur disserit, qui de cœlo & mundo uocantur. Sed datur fere iusta libertas hæc magnis ingenijs, ut quemadmodum locupletes patresfamilias in domibus suis aliquid licetius citra reprehensionē instituāt, ita & doctissimi uiri indulgeāt quādoq; animis suis, satisq; rationis sit, illis ita placuisse.

IN CAPVT IX.

Naturalem temporum sequetur ordinem.) Non parum momenti adtulerit ad locum hunc explicatius intelligendum, sexta Ticonij regula apud Augustinum in opere de doctrina Christiana lib. 3. sub calcem. Emporeus rhetor de Ethopœia: Est enim secundum naturam, ut prius quæ gesta sunt explicemus, deinde quæ nunc gerantur, ad ultimū quæ gerenda sunt, sit exemplo illud Vergilij: Heu stirpem inuisam. & quæ sequuntur. Idq; nedum seuerior.) Valla lib. 2. elegant. cap. 18. Vult nedum postponi. Plerunq; perturbant eos.) Supra lib. 2. cap. 5. Complexum respicienti.) Datiuus ille referendus est, ad facile est cognitu, qui uersiculis aliquot interpositis sequitur. Quod δραματικὸν Græci uocāt.) Diomedes lib. 3. Poëmatis genera sunt tria &c. Ne si figmentis istis aurium gratiam captat, fidem perdat.) Cor. Tacitus. lib. 17. 18. Vt conquirere fabulosa, & fictis oblectare legentium animos, procul grauitate cœpti operis: ita uulgatis traditis que adimere fidem non ausim. Cuius prima laus est ueritas.) Cice. 2. de orat. Nam & causæ rerum consiliaq; prius.) Cicero. 2 de oratore: Consilia primum, deinde acta, postea euentus expectant. Describuntur naturæ moresq; eorum.) Sic Salustius in bello Iugurth. Syllæ ingenium moresq; describit. Sic Lucanus libro Pharsaliæ 2. mores Catonis. Sic Liuius alijq; item historici in medijs narrationibus rerum, cohibita paulisper instituta oratione, mores illustrium, tanquam in tabula sub oculos ponunt, unnde plurimum lucis sequenti accrescit narrationi. Iam in locorum regionumq; situ.) In hac sane parte Macrobius præfert Homerum Vergilio, quod Vergilius sine ordine, loca, regiones recenset, unde auxilia uenerunt, aut Latijs, aut Troianis. Aphthonius in progymnasmatis de descriptione. Vide circa eum locum nostra commentaria. Erasmus in opere de conscribendis epistolis de demonstratiui generis epistolis. Sicubi uero uisum fuerit.) Fortasse uero dispungendum erit. Egregius in primis autor historiæ.) Tertullianus in apologet. aduersus gentes: At enim idem Cornelius Tacitus, sane ille mendaciorum loquacißimus. Longiores in Batauis res gestas.) Lege Cornelij Taciti historiæ Augustæ lib. 20. Aristoteles libris suis.) Guielmus Budæus in annot. in pandect. Est enim is Aristoteles qui res omnes, ratione & uia scientifice tractare solet, eas etiam quæ sui natura artificiose tractari non posse uidebantur. Vir cum omni ingenij laude. Fab. Quintil. lib. 10. cap. 10. Quid Aristotelem, quem dubito scientia rerum an scriptorum copia, an eloquendi suauitate, an inuentionum acumine, an uarietate operum clariorem putem. Quorum usu est opinioneq; cunctorum recepta autoritas.) Non est contumeliosum à quamlibet probatis autoribus dissentire, si rationibus adductus id facias, hoc interest, sunt quibus hoc reuerentiæ non debetur, & profuerit quosdam aliquot locis taxari quod uideamus solos hos mira fiducia, sed nullo iuditio paßim legi. Sed hæc iuditij sunt magis.) Hoc est prospicere ne quem offendamus refellendis aliorum sententijs. A generalioribus:

quo-

quoniam notiora sunt.) Aristoteles in principio φυσικῶν καὶ ἀναλυτικῶν ὑστέρων. Vt primum quodque sumimus.) Quintilianus lib. 4. cap. ultimo: Turpissimum uero est non eodem ordine exequi, quo quidq; proposueris. Vt dicatur quæ sit substãtia corũ tum quæ partes rei.) Plato in Phædro circa calcem: Nonne ita de natura cuiuscunq; rei aduertendum est; primo utrum simplex, an multiplex sit id, cuius artẽ & ipsi tenere cupimus, & alios artifices facere. Tum si simplex est uis eius considerari debet, quæ nam, ad agendum, patiendum ne sit, & si pluribus speciebus constat quod in uno, idem in singulis inspiciendum, quod ipsum afficere, aut affici possit. Phædrus. Agendum ita uidetur o Socrates & quidem doctrina quæ ijs priuata sit, gressui hominis cæci quàm simillimam arbitror. Hactenus Plato: Porrò hic ordo, singulis explicandis adhibebitur, ut primum, si rem esse constiterit, substantiam eius explicemus: quod finitione præstandum est. Circa substantiam causæ spectantur è quibus res oritur, aut quarum gratia comparata est. Deinde partes ostendantur: quæ diuisione explicandæ erunt. Mox officia: quæ ex adiacentibus rerum uiribus, atq; adeo agendi aut patiendi ui oriuntur. Postremus locus accidentium & comparationis erit, in quo affinia, contraria, maiora, minora, paria, tum alia accidentia quædam, ut locum, tempus, connexa, contingentia tractabimus. Vide Aristotelem in Analiticis posterioribus, ubi artificium inueniendi, disponendi, docendiq; saneq̃ graphice deliniauit. Rodolphus in oratione dicta in studiorum ad hyemem renouatiõe, circa medium hoc utitur ordine. Philippus Melanch. in dialect. & rhetoricorum libris locum hunc sic enodatius explicat. Quid nomen significet, quid res sit, quæ causæ, quæ partes quod officium & quæ sequuntur. Cicero lib. 2. de finibus bo. & malo. Omnis autem inquirendo (quæ uia quadam, & ratione habetur) oratio præscribere primum debet, ut quibusdam in formulis ea res agatur, ut inter quos disseritur, coueniat quid sit id, de quo disseratur. Hoc positum in Phædro à Platone probauit Epicurus, sensitq; in omni disputatione id fieri oportere, sed quod proximum fuit non uidit. Negat enim definiri rem placere, sine quo fieri interdum non potest, ut inter eos, qui ambigunt, conueniat quid sit id de quo agatur, uelut in hoc ipso, de quo nunc dispmamus. Plato in Phædro: Omnibus, inquit, in rebus consilium adolescentule unum illud initio seruandum est ijs qui recte consilium capiunt ut intelligatur quid sit de quo consultetur alioquin aberrent prorsus necesse est. Cicero libro de legibus 2. Videamus igitur priusquam aggrediamur ad leges singulas, uim naturamq; legis ne quum referenda sint ad eam nobis omnia labamur interdum errorem sermonis: ignoremusq; uim sermonis eius quo iura nobis definienda sunt. Quæ quidem hercule est ista recta docendi uia. Idem totius quæstionis eius quæ habetur de N. fons reperiendus, quo inuento omnis ab eo quasi capite disputatio ducitur. Ad cuius tractatum locum.) Locus tamen simul & tempus ad motum pertinent, in altero quidem fit, in altero mensuratur.

Indulgeant quandoq; animis suis.) Quintilianus lib. 10. ca. 1. Neq; id statim legẽti persuasum sit: omnia quæ omnes autores dixerunt, utiq; esse perfecta. Nam & labant aliquando & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum uoluptati, nec semper intendunt animum, nonnunquam fatigantur, cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio etiam Homerus ipse uideatur.

De eis quibus est ordinis instituendi facultas. Cap. X.



T cum uariæ multiplicesq; res in unum quoddam iungẽtur corpus, quale est, qui historiam animalium, aut plantarum, aut totius etiam rerum naturæ (quemadmodum Plinius) complexi sunt, quale qui facta dicta'ue clarorũ uirorum memorabilia, quale qui multiplicem & non unius corporis rerum commemorationem contexunt: his per species rerum dispositio instituitur, redduntur'q; cuncta suis generibus, quemadmodum Plinio à cœlo ordienti, deinde descendenti in terras, eius'q; naturam in commune reddẽti, tum per partes regionesq; omnes prosequenti, deinde animantia & inanima omnia per suas diuisa species explicanti. Sic Valerius Maximus, res memorabiles, per uirtutum officiorumq; humanorum genera dispartiuit. Hoc pacto medici, morborum faciunt ordinem, ex partibus humani corporis, & à capite ad pedes deducunt. Est etiam in quibusdam, non liberum modo uidere (& quem arbitrarium diximus) ordinem, sed ad res plane solutum, & omnis prorsus ordinis expertem. Vt apud Ouidium in Metamorphosi; qui in summa quidem rerum deductione, temporum quandam seruat imaginem: uerum in fabularum ordine, quando diuersissimæ sunt, nec facile in ordinem redigi possunt, libertate illa, & (ut ita dicam) poëtico lusu figurarum omnium utitur, quibuscunq; transitio ad connectendas res fieri potest, quo commissuram quandam rerum nequaquam inter se cohærentiũ assequatur. Dispositionis itaq; loco in istis, est rerũ contextus: nexasq; eas & quidẽ diligẽtissime, ordinatas autẽ dicere nõ possis. Similiter Corn. Tacitus in descriptiõe morũ Germaniæ, cum dixisset non esse Germanis aurum & argentum, tandem subijcit, ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Ex cuius uerbi, hoc est telorum mentione, ad arma institutionemq; rei militaris quæ apud Germanos est delabitur. Deinde cum in fœminarum mentionem uenit quod hæ spectatrices etiam testesq; pugnantibus adhibeantur, postq; dicat uenerationem haberi plerisque earum, non adulatione, nec tanquam faciant deas, hinc continuo subdit, deorum maxime Mercurium colunt: moremq; religionum

hinc sumpta occasione, prosequitur. Abrumpit tamen nonnunquam hanc texturam, ne nimia & proinde leuior affectatio deprehendi possit. Est quidem hoc ordinis genus accommodatissimum historiæ, cuius narrationem uolubilem & nusquam insistentem esse conuenit: quod non fieret, si certis finibus distincta concisaq; esset, & singulæ partes suis essent discretæ spacijs: nunc adeo sunt nexa omnia, ut semel propemodum incipere, semel desinere uideatur. Quod si eadem hæc tractentur, non ab historico, sed uel à laudatore, uel qui alias quomodolibet disputãtis præ se speciem ferat, is ea distinguat, digeratq; per species, dicatq; primum, quæ natura regionis, quæ forma hominum: deinde, quis cultus erga diuina, quales bello, quales pace, cum publice tum priuatim, frugalitate uitę, seueritate matrimoniorum, cultu liberorum, qua erga principes ueneratione, erga populares æquabilitate, erga hospites beneuolentia, erga omnes fide, reliquaq; uel ad hunc modum uel alium quemlibet, dum tamen appareat ordinem certum sequi eum, dicereq; unamquanq; rem non eo loco quo sit oblata, sed quo sit ab initio disposita atq; destinata. Libera tamen & hæc ipsa disponendi ratio est, uel propter hoc: quòd ad nullam unam ordinis legem potest alligari. Quisq; enim ordinem qui sibi uisus est instituit: nec rerum naturam, sed animũ suum sequitur. Libera ferè est etiam oratoria expositio ea, quam diximus alterius rei docendæ gratia parari solere: hactenus tamen libera, ut ordo ejus non ex dicentis uoluptate, sed causæ utilitate nascatur. Quoties tamen res ipsa non obstabit, temporũ ordo fuerit aptissimus. Quod si primæ narrationis partes asperiores fuerint, fauorabiliores reliquæ, non ab re fortasse sit, eis, quæ benignius accipientur, occupare animos, & ad priora deinde figura aliqua reuerti. Aut si forte festinabit auditor, quo languenti adhuc animo eius morem geramus, optimum fuerit ab eis incipere, quibus notitia causæ continetur. At ubi excitatus fuerit, incaluerintq; aures eius oratiõe, tum si qua fuerint altius repetenda, ut sæpe solent, præcedunt enim pleraq; causam longius, quibus præcipuus fauor, maximaq; eius continentur momenta, ea cum quæstiones explicabimus, quibus aptissime iungi poterunt, tum erunt inserẽda. Quam quidem rem utilem esse, facilius est ratione colligere, quàm autorum exemplis: quoniã

rectus ille melior utiq; est ordo, quàm iste necessitate detortus. Qui mandat autem literis actionem, quæ sunt optima, ea scribēdo maxime cupit exprimere, ne si aliter faciat, non auditoris importunitas, quæ ex scriptis cognosci nō potest, defendenda in ea, sed sua ipsius inscitia culpāda uideatur. Iam uero partimur interim narrationem, & id quod alio loco utilius dici poterit, reseruamus: ut in declamatione, quæ (gemini languentes) inscribitur, Quintilianus facit. Cum enim ordo mortis quo alter ex geminis in alterius salutē occisus dicitur, plurimum inuidiæ reo mouere potuisset, ad epilogum maluit deferre eum, quòd uehementiori affectui hic aptior esset locus. Cicero item pro Cluentio, cum prioris causæ narrationi, quæ iudicij corrupti erat, continuo mortem Oppianici, & quæstiones de ea habitas subiungere potuisset, maluit differre ad proprium causæ suæ tractatum, quæ ea de re peragebatur. Contra uero matris odium, quod proprium illius erat causæ, cuiq; nihil negocij cū causa corrupti iudicij erat, id tamen primum putauit narrandum. Eratq; alioqui temporis ordine primum: quod quanquam non fuisset primum, tamen narrandum fuisse contenderim: quoniam matris, qua tota causa maxime premebatur, detrahenda ante omnia fuit autoritas. Itaq; quanquam pars narrationis uideri potest, quemadmodum & est utiq; narratio, usum tamē & affectum propemodum eius partis exordij prebet, qua aduersariorum odio, nobis beneuolentiam conciliamus. Eiusdem etiam prudentiæ consilijq; est, quod non nudum rerum ordinem continua narratione complectitur, sed subinde erumpit affectus: quibusdam uelut digressionibus uel indignationis eam uentis cōturbat. Cuiusmodi est à principio statim: Nam Sassia mater huius Habiti (mater enim à me nominis causa, tametsi in hunc hostili odio & crudelitate est, mater inquam appellabitur) & quæ sequuntur. Deinde nō ita multo post: O mulieris scelus incredibile, & reliqua item. Tum in fine huius partis effusius, Iam initium quod huic cum matre fuerit simultatis audistis. Sic & in Oppianici criminibus recensendis, post nuptias Sassiæ & Oppianici: Sentio, inquit, iudices uos pro uestra humanitate his tantis sceleribus breuiter à me demonstratis uehementer esse commotos. Et paulo post iterum de Auria fratris uxore prægnante sublata. Rursus

maio-

maiore copia post Scamandri Fabritijq́; condemnationem de ratione iudicij corrupti, cum uelut aditum aperit, ut id non à Cluentio sed Oppianico doceat esse corruptum. Videmus itaq; hac narrandi diligentia artificioq́; sic iaci ab eo fundamenta causæ, ut si etiã nullas deinde subijceret probationes, nihil tamen ferè plus iudex desideraturus uideretur. Quod autem ordinis est, temporum rectus hac tota narratiõe seruatus est decursus: quod autem artis hic est in disponendo, id in eo est, quoniam subinde cõtextus eius interrumpitur: quod quidem sæpius, quàm ut temporum ordo turbetur, in hoc genere narrandi contingere solet.

IN CAPVT X.

EX *partibus humani corporis & à capite ad pedes deducunt.*) Plinius lib.11.cap.37. Cicero de natura deorum libro secundo. Lactantius de opificio Dei D. Ambrosius libro ἑξημέρων 6.cap.9. Alexander Benedictus Phisicus περὶ ἀνατομικῆς ἱστορίας τοῦ ἀνθρωπίνου σώματος. *Quibuscunq; transitio ad connectendas res.*) Lib. huius cap. 4. ubi agens de digrediendi ratione, probat utilem esse transitionem. Transitionum formulas uide in rhetoric. ad Herennium lib.4. Posteriore copiæ commentario cap.55.cap. item de partium rhetoricarum multiplicatione & in eiusdem opere de conscribendis epistolis.

Similiter Cornel. Tacitus in descriptione morum Germaniæ.) Extat elegans cum primis libellus Cor. Taciti de situ, moribus & populis Germaniæ per Beatum Rhenanum castigatus & scholijs illustratus. *Est quidem hoc ordinis genus.*) Non quoniam naturalis ordo rerum deceat historicum, uti probat in medio proximi capitis, sed quod huiusmodi occurrentia, sic compendio atq; digreßiuncula quapiam non prorsus inamœna obiter perstringantur. *Quam diximus.*) Lib.2.cap.22. *Hactenus tamen libera.*) Sic porro libera ut & hoc, & illo poßit ordine res omnis exponi, modo nihil detrahatur causæ cognitionis.

Primæ narrationis.) Id est, Expositionis oratoriæ. *Quæ benignius accipientur occupare animos.*) Lib.2.cap.24. circa calcem. *Incaluerintq́; aures eius.*) Ita ut suspensus sit animus ad audiendum. *Qui mandat autem literis actiones.*) Quintilianus putat quoad fieri posset eo modo dicendas esse orationes quo postea scribuntur. *Iam uero partimur interim narrationem.*) Quintilianus lib.4.cap.2. *Itaq; quanquã pars narrationis.*) Istud scilicet matris odium, scelusq́;. Augustin. de Ciuitat. Dei lib.20.cap.4. Prius igitur ipsa causa ponenda est, & postea testes introducendi. Hunc & ipse Iesus Christus ordinẽ seruasse demõstrans: Scriba, inquit, eruditus in regno Dei, similis est uiro patrisfamilias proferenti de thesauro noua & uetera. Non dixit uetera & noua, quod utiq; dixisset nisi maluisset meritorum ordinem seruare quàm temporum.

Qua ratione partium orationis faciendus est ordo. Cap. XI.



Liam diximus ratione esse disponēdæ orationis eius, quæ constat argumentatione, quales sunt scholasticæ contentiones, ciuiliumq; rerum cōtrouersiæ, & quæcunq; demum repugnanti auditori sunt approbandę. In quibus uidendum erit, quis sit ordo quęstionū inter se, quis item in singulis quæstionibus argumentationum, tum quis partium argumentationis cuiusq;. Erit fortasse, qui partium orationis disponēdarum oblitum me putet, credatq; hanc ante alia explicandam fuisse rationem. Nec id sane me latebat, nec præterissem, si ulla huius rei crederem tradenda esse præcepta, aut esset alius ordo earum, quàm quo numerari solent, quiq; ex usu earum colligitur, & quem ipsis pene pręferunt nominibus: hoc est, ut primum sit proœmium, hinc narratio, tum confirmatio, postremus epilogus. Nam quoties id est orationis genus, ut aliquæ partium istarum sint ei superuacuæ, tum cum desint, nihil est quod de earum ordine dicatur. Illud uero necessitatis potius q̄ pręcepti fuerit, quoties uel occupatio auditoris, uel tēporis angustia cogit nos, ut specie festinationis, fastidium audientis fallamus, incipiamusq; à narratione: tum uelut digressione quadam, quę fueramus ante narrationem dicturi, dicamus ante cōfirmationem, subijciamusq; narrationi proœmium.

Vt tamen non inutiliter huius loci tractatū attigerimus, illud interim admoneamus, non solum in initio dictionis, proœmij usum uenire, sed in medio quoq; orationis decursu, sicubi uel noua quæstio tractetur, uel locus asperior, pręmuniri ea, & aliquo quod proœmij uicem habeat solere aures placari: quemadmodum in oratione pro Cluentio, cuius modo sum usus exēplis, Cicero de censoria nota dicturus: & paulo post, cū Cluentiū lege defendere uellet, & ostēdere lege corrupti iudicij tantū iudicem, non etiam eum qui ad currumpendum coisset, teneri. Sic pro Murena Catoni respōsurus, plurimis uerbis contendit à iudicibus, ut Catonis autoritatem aduersus reum pro præiudicio ne accipiant. Scio istud à rhetoribus tum προάληψιν, id est, pręsumptionem, tum pręmunitionē uocari, numerariq; à quibusdam inter figuras sententiarum. Quod siue hoc, siue proœmij nomi-

mihi nomine uocetur, nō magni referre crediderim, dummodo constet tamen eundem esse usum eius, ex eisdem duci rebus, ex quibus procemiū petitur. Quod tamen cur non ita uocent, non uideo quid sit causæ. Nam cū & narrationē præcedere argumentatio possit, cuiusmodi sunt quęstiones quæ pro Milone tractantur ante narrationē: & epilogus in media dictione fiat, ut in Verrem de Philodami supplicio, & de Nauarchorum item, Ciceronē uidemus fecisse: cur non etiam & procemium, & nouum quoddam principium mediæ inseratur dictioni, si præsertim noua tractetur quæstio, uel locus aliquis qui curam eam postulet, & in quo magna causæ momenta uersentur? Id autem quod solet de narratione præcipi, ut ea confirmationē præcedat, sic accipiendum est, ut eius quæstionis cuius narratio est, præcedat confirmationē. Quod si quęstionē eam, alias necesse sit quæstiones pręcedere, nimirū necesse erit priores quoq; cōfirmatiōes earū explicari. Quēadmodum eo in loco de quo iā diximus pro Milone factum uidemus. Cum enim narratio quęstionis eius esset propria, qua insidias struxisse Clodiū probare uoluit, quid attinebat narrari, nisi probatū ante foret, insidiatorem & latronē iuste occidi, & nihil neq; à senatu, neq; à Cn. Pompeio contra Milonē esse pręiudicatum? Similiter pro Cluētio in quæstione ueneficij, nullo usu ea quæ ad exitium pertinebant Oppianici, superiori narrationi subnectebantur, quanq̄ rerū cōtinuus esset ordo, ergo ad proprium quæstionis suę tractatum illa reseruauit orator. Quin etiā in hac ipsa quęstione, cum ex priore orationis parte notę iā essent Oppianici, Cluentij'q; personæ, argumentationes quę ex causis personis'q; ducebantur præposuit narrationi. At cum ex re ipsa & tormētorum ordine, quibus aduersarij contra Cluentium utebantur, confutandi essent: tum demum, quoniam ea continebantur narratione, subiecit illam, simul'q; iudicum consuluit tædio, qui longam iam orationem audiendo defessi, si rursus narrare fuisset orsus, quoniā longius adhuc dicturum credere poterant, offensiores fuissent. At cum in media rerum uelut spacia, ipsos argūmentando rapuisset, quanquam tum narraret, apparebat tamen eum rem paucis (id quod fecit) esse absoluturum. Sed de partibus orationis hæc obiter admonuisse sufficiat, nunc ergo quod instituimus prosequamur.

IN CAPVT XI.

ALiam diximus rationem.) Lib. huius cap. 9. Quis sit ordo quæstionum inter se.) Lege proximum huius lib. caput. Antea alia.) Tria ea quæ exposuimus. Vt primum sit procemium, hinc narratio.) Supra lib. 2. cap. 24. Quam quo numerari solent quiq; ex usu) Cicero lib. de Oratore 2. Nam ut aliquid ante rem dicamus, deinde, ut rem exponamus, post ut eam probemus nostris præsidijs confirmãdis, contrarijs refutandis, deinde ut concludamus atq; ita peroremus hoc dicendi genus natura ipsa præscribit.
Non etiam eum qui ad corrumpendum coisset.) Videtur (ni fallor) uoluisse Rodolphus nõ continuo eum teneri lege corrupti iudicij quisquis coisset nisi is iudex sit: quo nomine intelligit nominatos in lege. Scio istud à rhetoribus tum πρόληψιν, Id est, Præsumptionem.) Aristoteles in præceptis ciuilibus ad Alexandrum cap. de præoccupatione erudite, ut omnia tradit hanc præoccupandi rationem: Quintilianus lib. 9. & lib. 4. cap. 1. Non inutilis est etiam ratio occupandi quæ uidentur obstare, ut Cicero dicit scire se mirari quosdam, quod is qui per tot annos defenderet multos, læserit neminem, ad accusandum Verrem descenderit. Deinde ostendit hanc ipsam sociorum defensionem, quod schema prolepsis dicitur, id cum sit utile aliquando, nunc à declamatoribus quibusdam pene semper assumitur, qui fas non putant nisi à contrario incipere. Cicero pro Archia: Quærit quispiam quid illi ipsi summi uiri quorum uirtutes literis prodita sunt, ista ne doctrina quam tu laudibus effers eruditi fuerũt? Ab hac non multum dissidet ἀντιπόφορα. Quod si quæstionem eam.) Hoc dicit, contingit in eadem causa plures tractari quæstiones ac proinde cũ unaquæq; quæstio suam habeat & narrationem & confirmationem: ideo necesse est ut confirmatio quæstionis prioris sit ante narrationem sequentis quæstionis. Illa reseruauit.) Nempe quæ pertinent ad exitum Oppianici. Offensiores fuissent.) Sit exemplo ille in Adelphis cum diceret: Porro autem non herde, inquit, Syrus nunc est mihi otium.

Quomodo ordinandæ in dicendo quæstiones. Cap. XII.



QVæstiones quæ ueniunt in orationem (quoniam de earum dispositione primum dicere ordo propositus nos admonet) eæ quandoq; sunt prorsus diuersæ, neque ab uno aliquo capite descendunt. Vt omnia in Verrem repetundarum crimina. Singula enim suam capiunt quæstionem: quæ suis tabulis, testimonijs, decretis, argumẽtis confirmantur: nec redigitur alia ad aliam: quandoquidem unaquæuis per se, repetundarum crimen, in quo summa iudicij uersatur, continet. Tale est cum quæritur à philosophis, an materia distinguatur à quantitate, & habeat sine illa partem discretam à parte. Vtrumuis enim horum per se quæri potest, ut alterum aut negetur aut affirmetur. Aliæ sunt quæstiones, multæ quidem, sed ab una descendentes origine, quemadmodum secundo libro demonstra-

uimus

timus multas ab una deduci quæstiones, diximusq́ nasci alias ex uerbis ipsis quęstionis, alias in uerbis inclusas esse, alias ex conditione quadam accipi. Quæ omnia cuiusmodi sint, illic explicata sunt à nobis. Quoties igitur uenient in orationem diuersæ quæstiones, ipsisq́ (ut dicimus) fontibus discretæ, siquidem nihil alteri explicandæ ab altera afferetur, liberum erit utique de qua uolemus primum differere. Nisi sit grauior aliqua, quæ plus ad explicandum poscat laboris, et reliquæ uel ad dicendum tenuiores sint, uel ad probandū faciliores, tum recenti adhuc & nulla audiendi molestia fatigato auditori, rectissime obijcietur ea, cuius difficultas q̄maxime alacres requirat aures, minoribus postea & uelut appendicibus, uel fessus etiā benignius intendet. Deinde quòd pronior erit in ista fides, cum dicentis autoritas maioribus approbandis fuerit confirmata. Cum fuerit enim animis accepta ex oratione priore persuasio, incipiemus deinde non dictioni modo credere, sed homini. At cum quæstionis alterius fides alteri quęstioni innixa quomodolibet est, de ea quę astruendę, uel subuertendę alterius in se continet momenta, prius est dicendum. Vt si quæratur à prisca philosophia, an sit animus humanus immortalis, sitq́ summū hominis bonum uirtus: ei quidem qui ueteris Academiæ uoluisset esse, id quod prius est, prius explicandum fuisset, immortalem esse animum: deinde, quod iam hinc probari aliqua ex parte potest, uirtutem esse summum bonū: quoniam manentibus post mortem animis, multum uideatur nostra interesse, rectè secus'ue uitam peregisse. Contra uero cum dixisset Epicureus, non uirtutem, sed uoluptatem summum esse bonum, permagno ad id sibi fuisset adiumento, docere cum corporibus interire animos. Ideo enim stultissimum esse uideretur, splendida uirtutum nomina sectari: cumq́ mors supra ceruicem immineret, ultro nos præmori, & exiguis his uitæ bonis fraudare nosmetipsos in uita. Huic ergo idem fuisset ordo seruandus. At Stoico, qui cum uirtutem non summum modo bonum, sed solum putaret, attamen credebat interire animam, quandoq; quidem simul cum corpore, quandoque ut post corpus maneret, tandem etiam dissipari tamen atque emori, libera fuisset ei ratio, utram harum quęstionum præponere maluisset: aut si quis eligendus ordo, prius de uirtute dixisset, tum de interitu animi,

ne si de illo prædixisset, sequẽtis de uirtute oratiõis detraheret fidei. Sic & in ciuilibus causis uidemus quæstiones eas, quæ magis ad inuidiã reorum quàm ad summam iudicij pertinebant, quia ab ijs firmari causa, non ex firmari à causa uidebantur, & ab accusatoribus præpositas esse, & à patrono quoq; prius esse confutatas. Vt in Murenæ causa, solutius eum in Asia uersatum esse saltasse'que. Pauciora quidem hæc. At in Cælium tam multa, ut longe maxima pars patrocinij sit de criminibus quæ sunt extra causam. Ergo cum sint adiumenta causæ ista, prius quoq; à Cicerone diluuntur: Pro Cluentio contra, quoniam crimina, defensa corrupti iudicij causa, liquide poterant uideri ab accusatorum odio profecta, ista autem confutata nihil iudicij corrupti causam adiuuissent, idcirco Cicero in finẽ ea coniecit orationis. Cum uero ab una prima quæstione, multas deducimus alias quæstiones, quod pleriq; diuisionem rhetorum uocarunt (quam utilem quidem ante omnia neruis atq; ossibus controuersię inueniendis Quintilianus rectissime simul & eruditissime dixit) tum hæc obseruanda dispositionis erit ratio, ut primas eas ponamus quæstiones, quæ ex ipsis nascuntur uerbis. Proximas, quæ inclusæ sunt in uerbis. Postremas, quæ ex conditionibus accedunt. Quod ita est accipiendum, si rerum de quibus quęritur sit ea natura, ut possint ex ijs omnia hæc quæstionum genera deduci. Quod si res ipsæ aliquod horum generum non admittent, in eis tamen quę suscipient, præscriptus ordo sequendus erit: primum'que quæstiones eas quæ nascuntur ex uerbis, quæcunq; demum erunt, rectissime excutiemus, antequam sequentium generum attingamus quæstiones. Hę sunt enim quæstiones, quibus an sit aliquid, quæritur: quas ueluti in præsumpto necesse est esse, priusquam quicquam ulla de re quærere ulterius possimus. Deinde per singula uerba quæ continentur prima quęstione, ducimus ordinem quęstionum. Primum quidem earum, quæ uerbis inclusæ sunt, ut quæq; maxime generalis est, sic primam facimus. Post sequuntur quæ minus late patent, sic, ut postrema sit, quæ contractissima. Tum conditionales subduntur, quas & ipsas quoq; per generales speciales'q; diuidimus singulatim. Conditionalium uero inter se non facile est dare certam ullam dispositionis legem, nisi sit in eis quæstio, quæ possit alij quęstioni firmamenti alli-

ti aliquid prębere, quemadmodum prędiximus, ea semper prius erit tractāda. Quod si non sit, tum primam facimus quæstionem aliquā, quæ maiore ui mentem auditoris occupet: postremam uero, quę ad probandum plurimum possit: in medium, quod solet in agmine fieri, debiliores recipiuntur. Sumamus exemplum paulo liberius, quo facilius possimus hæc omnia una quæstione complecti. Quæramus sit'ne inter laudes Achillis numerandum, quod Penthesileam ad Troiam occiderit. Primum est, fuerit'ne Achilles, fuerit'ne Troia, fuerit'ne Penthesilea. Nam quæ de Amazonibus Troiáque dicuntur, non defuerunt autores, qui uetustatis hæc commenta potius, quàm ueritatis monumenta putauerint: utq; non omnino, maxima tamen ex parte scriptorum libertate constare. Deinde iam est, an occiderit Achilles Penthesileam, an occiderit ad Troiam. Hinc sequitur iam id quod quæsitum est initio, an sit inter laudes ei ducendum. Certum est, aduersarijs non posse de hoc ullo pacto conuenire, nisi cōuenerit prius de illis quæ priora sunt. Ergo si quid illorum est quod in dubium uocare uelimus, necesse est præcedat id tractatum huius quęstionis de qua summa contentionis est. Et hę quidem quæstiōes in uerbis sunt. Post hęc inclusas uerbis tractamus, in quibus fere obseruatum est apud autores, ut ex ordine unumquodque uerbum, proinde ut primum est, per omnes quæstiones explicent: generales primum, deinde conditionales. Mihi rectissime ordo ex occidēdi uerbo incipere uidebitur: ut, an fuerit cuiusq; offendere aliquē: deinde, an occidere: post, an occidere Penthesileā. Quam per conditiones iam diuidimus, an occidere mulierē, an mulierē armis conspicuam, an nobilitate memorabilem, an auxilium iure ferētem patrię, amico, regi, afflictę fortunę. Iam an fuerint hęc Achillis, cuius generalem quæstionē præposuimus, cum diximus, an fuerit cuiusq;. Ergo & ipsum per conditiones diuidemus: an occidere hanc fœminam fuerit uiri, an uiri fortis, an præstantissimi inter eos, an his maioribus orti, an hoc pacto instituti. Postremo iam sequitur (quia multum interest excusate tātum aliquid facias, & an laudem etiā ex facto uindices) an sit propter ista laudandus. Nec hęc eò pertinent, quo credam has omnes quęstiones, uel etiam alias multo plures, quæ ex quæstione ista possunt deduci, excutiendas esse dicenti: sed ut in eis

quas

quas uisum fuerit, quasq; expediet explicare differentem, ostendamus uberius in copia, quis faciendus sit ordo. Non est quod putemus, solum primarum quæstionum, quæ ex diuisione nascuntur, habendam disponendi rationem, quin & singulæ quæstiones rursus diuisione disponuntur. In declamatione quæ Mathematicus inscribitur apud Quintilianum, quoniam tota prope controuersia ex eo pendet, quod fingitur in themate, mathematicum prædixisse, uirum fortem, deinde parricidam fore, qui nasceretur: quęstio conditionalis est, an satis magna causa uoluntarię mortis sit prædictio mathematici. Quod si doceatur uerum dixisse, satis utiq; magna erit causa, hocq; est in quod probaturus incumbit. Præmittit tamen quæstionem, an etiam si falsum dixerit, ipsa tamen denunciatio tanti sceleris debeat satis esse causæ consciscendæ mortis. Post hanc iam sequitur, an uerum dixerit. Id autem obtineri non potest, nisi ante probetur, artem esse mathematicam. Quod ex duabus pendet quæstionibus: an siderum motu res humanæ regantur: &, an possit is humano deprehendi ingenio. Quę cum utraq; docuisset, tum colligit, & hunc mathematicum uerum dixisse: id'que multis argumentationibus peruincit. Cicero similiter in secunda Philippica, cum respondet Antonio obijcienti sibi ingratitudinem, necesse erat, si debebat conuinci ingratitudinis, ut accepisset aliquid ab Antonio. Deinde, ut quod accepisset, beneficium esset. Postremum, illum gratiam non habuisse Antonio. Hunc itaq; ordinem sequitur. At beneficio (inquit) sum usus tuo. Quo? Negat scilicet. Dicit tamen id semper præ se tulisse. Subijcit deinde. Sed quo beneficio? quòd me Brundusij non occideris? Docet id, quod acceperit, beneficium non esse. Postremo, sed sit beneficium, quandoquidem maius à latrone accipi nullum potuit, in quo potes me dicere ingratum? Sic etiam continuo post de literis suis, quas Antonium recitasse reprehendit, primum coarguit inhumanitatem eius, qui literas ullas recitãdas putet. Deinde, quas si suas esse neget Cicero, probare nequeat illius esse. Demum, quanquam agnoscat eas, sicuti facit, nihil esse in eis quod accusare possit Antonius. Quisquis uiderit ista, diligenterq; perspexerit, facile cognoscet, quo modo cuncta hęc uelut gradibus quibusdam ducãtur: utq; perueniri ad sequẽtia nisi per priora non possit, si modo ea quę priora sunt,

ra sunt, dicenda credamus. Adeóque prioribus adiuuantur sequentia, ut quamuis priora forte satis constanter teneri non possint, sequentium tamen integra plerunque maneat fides. Mutatur tamen hic ordo quæstionum, & eiusdem generis quæstionum alia alijs in causis fit dispositio. Vt pro Murena, de criminibus quæ extra causam erant, primum dixit Cicero, quoniam leuia & inania nulliusque momenti erant, ut subleuatis illis atque contemptis, totius accusationis autoritatem pondúsque primo aditu uideretur subleuasse. Vnde tanquam ex illa fiducia erupit, ut diceret: Bene habet, iacta sunt fundamenta defensionis. Pro Plancio, quoniam in dignitatis comparatione præcipua causæ illius uis, (ut accusator arbitrabatur) nixa erat, inque eam uehementissime (quod ex Ciceronis defensione perspicere licet) incubuerat, tractat ergo Cicero primam hanc partem: à qua cum deiecisset eum, quod difficile non erat, à tota deiecisse causa uideretur. Ante omnia enim curandum est, ut initio firmum aliquid & quod bene sperare auditorem de tota causa faciat, ponatur. Credendúmque, non sine ratione iactari ab omnibus, principium cuiusque rei potissimam esse partem. Euitatur interim perspicuus ille & nimium diligens ordo, quo ars magis in occulto sit, minúsque suspecta sit auditori dictio, quæ non ex dicentis astu, sed ex re nata uideatur. Non quod non optimus sit ad rem quanque docendam ordo exactissimus, quin & decor etiam præcipuus orationi quemadmodum rebus omnibus ex ordine accedit. Sed sicut in uita, qui animorum: sic in oratione, qui aurium gratiam captat, non quæ rectissima sunt, sed quę persuasioni alienæ accommodatissima, necesse est sequatur.

IN CAPVT XII.

Ordo propositus nos admonet.) Lege principium cap. præcedētis. Quemadmodū 2. lib. demonstrauimus.) cap. 4. & 10. An sit animus humanus immortalis.) Vt de ratione deorū, ita de immortalitate animorum dubitatū est, nisi enim dubitatū foret, cur de ea tam multis in locis disputasset. Cice. Cur sibi mortem allaturus Cato librū Platonis tam diligenter legisset, qui est de animi immortalitate, nisi & cunctantem animam ut egrederetur spe immortalitatis inuitaret? Sapientiæ 2. Epicureorum sententia taxatur, qui interitum animæ cum corpore asserunt. In qua sententia Plinius secundus fuit lib. 7. cap. 55. Quem errorem subindicat D. Erasmus in Ecclesiasta siue concionatore euangelico, ut secundo quoque libro demonstratum est. Cicero: Neque enim assentior his, qui hæc nuper disserere

cœperunt, cum corporibus simul animas interire, atque omnia morte deleri. Lactantius libro de diuino præmio 7. capite 12. Cicero in prima Tuscula. Quod semper mouetur &c. Anima nimirum ab ipso rerum parente creata principium habens, fine tamen prorsus carebit, cum immortalis (ut philosophis etiam placuit) existat. Hoc Plato, hoc Porphyrius, hoc Proclus, cæteriq; Platonicæ sectæ philosophi satis superq; probasse uisi sunt. Origenes tamen animas ab initio productas esse memoriæ prodidit, easq; corporibus humanis diuina quadam ordinatione uniri, quòd antea peccasse crediderit. Animæ immortalitas (si quid Scoto fidem tribuamus) in 4. ξατωδιῶν quod sententiarum nuncupant orisnis, id est, argumentis demonstratiuis neutiquam ostendi potest. Cui accedit dictum Augustin. libro 13. trinitatis. Capreolus tamen magni ingenij homo dist. 43. q. li. 4. sent. enixim contendit, & esse & probari posse animæ immortalitatem, cuius sententiæ merito subscribunt scholastici. Missam facio Aristotel. sententiam, qui (ut clare ex eius operibus colligitur) uarius est, nec ubique idem sentire uidetur. Lactantius adserit de anima inter philosophos nondum conuenisse. Ne si de illo prædixisset, sequentis de uirtute orationis detraheret fidei.) In primis opus est cauere ne in eam incurramus reprehensionem, cui Cyprianus insignis & eloquentia & martyrio clarus olim subiacuit. Siquidem Lactantius atque Hieronymus prodiderunt non recte illum fecisse, quòd Demetrianum oblatrantem atq; obstrepentem ueritati diuinis eloquijs confutauerit, quibus non obaudiebat solum sed insultabat Demetrianus, cum ante omnia fuisset agendum & eis, quas non contemnebat rationibus, & ijs quæ recipiebat gentium monumentis. Lactantius libro 3. de falsa sapientia capite 15. Qui ueteris Academiæ uoluisset esse) Vt Chrysippus, uide lib. 2. cap. 7. Et exiguis his uitæ bonis fraudare nosmetipsos in uita.) Esaiæ 22. φάγωμεν καὶ πίωμεν αὔριον ἀποθνήσκομεν. Ecclesiastæ item 2. cap. Saltasseq;.) An saltatio semper sit dedecori, uide Macrobium lib. 2. saturnalium in fine ferme. Lucianum περὶ ὀρχήσεως. Bud. in annot. in pand. de tribus saltationis antiquæ speciebus.

Multas deducimus alias quæstiones.) Deduco pro diduco persæpe usurpatur. Quintilianus libro 5. circa finem: Nec discentem per ambages fatigabit, nec corpus orationis in parua momenta deducet, pro diducet. Cicero in academicis: Situs earum rerum & interualla aut contrahimus aut deducimus, pro diducimus. Est enim diducere distinguere, diuidere. Quintilianus in 11. Argumenta diducet in digitos, & propositionum, & partitionum captabit leporem. Idem de pronunciatione: Stare diductum, uel rigidum, uel supinum, nimirum uitiosum est: diductum, id est, diuaricatis distinctisq; cruribus. In medium quod solet in agmine fieri.) Sic apud Homerum Iliad 4. aciem Nestor instruebat, ut currus quidem in fronte, peditum aut optimos quosq;, ubi esset robur belli, atq; subsidium postremis, imbecilliores uero in medio collocauerat: meminit huius rei & Fabius libro 5. capite 12. Cicero in rhetoricis ad Herennium libro 3. Vegetius itidem libro 3. Demosthenes ὥσπερ οἰκίας οἶμαι καὶ πλοίου καὶ τῶν ἄλλων τοιούτων τὰ κάτωθεν ἰσχυρότατα εἶναι δεῖ: οὕτω καὶ τῶν πράξεων τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ὑποθέσεις ἀληθεῖς καὶ δικαίας. Id est: Quemadmodũ ædiũ nauigijq; bases firmissimas esse conuenit: ita operum initia, ac argumenta ueritati decet æquitatiq; maxime esse confinia.

Sumamus exemplum paulo uberius.) Vt hæc ad plenum intelligas lege lib. 2. cap. 14. Erasmum in Copia libro 2. ubi accuratius expendit: An Tullius conditionem accipiet oblatam ab Antonio, nempe ut uiuat exustis Philippicis. Fuerit'ne Achilles.) Quæstio an est, de qua lib. 2. cap. 9. Nam quæ de Amazonibus Troiaq; dicuntur.) Quidam inter quos est Aristoteles scribunt Troiam nunquam fuisse à Græcis captam. De bello Troiano uide

T. Li-

T. Liuium libro quinto primæ decadis. Vergilius: Penthesilea furens medijs in millibus ardet. De Amazonibus præterea scripta omnia, aut fere omnia plusquàm fabulosa sunt. Ignorantiæ pudore mentiri non piget, haud alio fidei proniore lapsu quàm ubi falsæ rei grauis autor exiſtit, inquit Plinius libro 5. Deinde iam est an occiderit.) Quæstio est an hoc sit illud. An sit inter laudes ei dicendum.) Quæstio est quomodo hoc sit illud, id est, quo pacto hoc de illo dicitur. Sit'ne inter laudes Achillis numerandum.) Erasmus libro 2. ecclesiastæ: Veluti quum quæritur num recte fecerit Abraham, quod peregrinans in Seraris, Saram uxorem suam dixerit sororem, atque hoc sermone quodammodo prostituerit coniugem suam regi Seraræ. Atq; hic obiter incidet status coniecturalis, quo animo id fecerit Abraham. Similiter an filiæ Loth peccauerint, è patre temulento suffuratæ partum. Hic status est qualitatis. Et si peccauerint, an commiserint incestum. Constat enim Adæ posteritatem non potuisse propagari, nisi per coniugium fratris & sororis. Hic est status definitiuus. Hoc genus in numera sunt in literis diuinis. Ex occidendi uerbo.) Nam offendere genus est ad id quod est occidere. An hoc pacto instituti.) Cicero 3. de oratore: Nam uetus quidem illa doctrina eadem uidetur & recte faciendi & bene dicendi magistra: neq; disiuncti doctores, sed ijdem erant uiuēdi præceptores atq; dicendi, ut ille apud Homerum Phœnix, qui se à Pelago patre Achilli iuueni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem uerborumq; actoremq; rerum. Vide Homerum Iliad. θ. Quintilianum lib. 2. cap. 18. & 22. & lib. 11. cap. 1. Cicero similiter in 2. Philippica.) Et Erasmus in cop. ubi tractat an Romanus Pontifex Venetos bello adorietur. Principium cuiusque rei potissimam esse partem.) Vide prouerbium: Principium dimidium totius. Quo ars magis in occulto sit.) Quintilianus lib. 4. cap. 2. Minusq; suspecta sit auditori.) Vide annotatiunculas nostras in lib. 2. cap. 17.

Quo pacto disponendæ argumentationes. Cap. XIII.


Rgumentationum dispositio in eis, quæ ἐπιδεικτικὰ Græci, Cicero demonstratiua uocauit: quæ uidelicet ad ostentationem tantum uoluptatemq; audientium differuntur, ex arbitrio fere pendet eius, qui dicit, abundeq; satis fecit, si decorem, cuius solius est cura sibi, dispositione consequitur. Eiusmodi sunt laudationes, uituperationes, & panegyricorum plerique, qui ex laudatione in suadendi quandam imaginem nonnunquam descendunt. Quoniam autem laudantur bona, uituperantur contraria: in homine quidem primum laudamus animi bona, ut scientias, ut uirtutes. Corporis uero & fortunæ bona laudamus dupliciter, uel quia bonorum animi sunt indicia: ut uires, quia signum continentiæ: opes, quia frugalitatis: uel quia bene sit eis usus, ut opibus ad liberalitatem, uiribus ad fortitudinem. Contraria quoque interpretatione uituperamus hæc ipsa, & horum contraria. Per se enim, nec bona sunt nec mala: sed ex eius

qui habet ingenio accipiunt nomē. In reliquis rebus laudamus utilitatem, quam præbent nobis: & ea præcipue parte bona censemus, qua prosunt. Sic deum, patrem, rectorem rerum nostrarum, custodem, protectorem, datorem uitæ, prosperitatis, quietis, omniumq; quæ felicium expetuntur uotis, fontem originemq; laudamus. Deinde similitudine laudum nostrarum: fortunæ quidem, quod nulli obnoxius sit: corporis, quod malorū omnium quę in nos incurrunt sit expers: animi humanarumq; uirtutū, unde iustum eum, clementē, longanimē, propitiū, sapientem dicimus. Eadem ratione in equis, ex usu nostro, gestandi arandiq; commoda numerantur: quantū bello, quantum pace nobis præstent. Tum quod alacritate ad pericula, fide aduersus ueteres dominos, patientia laborum, mansuetudine, obsequio'que uirtutes nostras referunt. Ita in corporis bonis, robur, uelocitas, decor. Ita in fortuna sunt ornamenta, phaleræ, frena, cultus, & à maxima quaque fortuna, maxima cura eis adhibita. Similiter, non apes modo, sicut copiosissime Vergilius: nec psittaci, ut Ouidius, ut Statius: sed inanima quoque, sicut urbes, portus, regiones, arbores, plantæ, lapidésque laudantur. Sic Plinius terram laudat, quòd propter eximia merita cognomen indidimus ei maternæ uenerationis. Vtilitas hæc eius est. Iam mitem, benignam, indulgentem, & usus mortalium semper ancillam uocat. Iam uenena nostri misertam instituisse putat: imitatio quædam est hæc humanæ probitatis. Nec ego sum nescius, ista figurate dici (proprie enim qui possent?) Ideo & imitationem dicimus. Hoc tamen constat, quod initio proposui, similitudine quadam uirtutis ista laudari, cum sint reuera longissime ab ea remota. Sed de laude, quanquam non nostri negocij nunc ea sit, hæc uelut in transcursu non inutile fuerit attigisse. Late patet enim laus, & omnium ciuilium quæstionum ratio prope ex eo fonte descendit. In iudicijs enim, quid æquum, quid iniquum sit: in consilijs, quid expediat aut noceat, quæ cuncta utilitatis honestatisq; fine quæruntur. Quis autem non uideat hæc omnia cum laudatione esse coniuncta? sed tamen laudatio ex dicentis destinatione in aliud transit nomē. Laudationem uero tunc proprie signamus hoc nomine, cum laudamus rem nullū aliū in usum nisi ut laudemus. In hoc itaq; orationis genere, quoniam pręcipue uolupta-

luptatem admirationemq́ sectamur audientium, quæ non contingit nisi magnis quibusdam recensendis, quæ persæpe cum fidei etiã periculo petuntur, aut minoribus in eum modum extollendis, ut magna uideantur: sic ergo nonnunquam instituitur dispositio, ut argumentationibus alia super aliam increscentibus, uelut gradibus quibusdam augeatur oratio. Qualis est apud Ciceronem laus clementiæ Cæsaris, M. Marcellum restituentis. Et ad Quirites item laus beneficij Pop. Rom. quo ipse est ab exilio reductus. Quæ quomodo fiant, superius diximus. At in earum rerum laudibus recensendis, quarum ipsa sibi sufficit magnitudo: ut in Pompeij laudatione pro lege Manilia, in uituperatione M. Antonij, L. Pisonis, cæterorumq́; item: nihil est necesse seruare hanc extruendarum argumentationũ legem. Sed aut dispertimus bona per sua genera, sic, ut de fortunæ bonis, de corporis, tũ de uirtutibus dicamus, singulasq́ similiter uirtutes ordine prosequimur, ut quicqđ fecit ad unãquanq; pertinẽs uirtutũ, id ad eam redigamus. Quod dicimus autem in bonis, id in uituperatione similiter de malis est accipiẽdum, aut uitam totam, ut natus, ut educatus est, ut sese gessit, per temporum ordinem digerimus: aut ipsi nobis distributionẽ quandam effingimus, quod pro lege Manilia in laudando Pompeio Cicero fecit. Quod fuit quidem faciendum sibi, quoniam pura laus non fuit in eo loco proposita, sed in suasionem uertebatur laudatio, nec Pompeium bonum uirum tunc probare uoluit, sed utilissimum imperatorem, in quo dixit quatuor illa esse oportere, sciẽtiam rei militaris, uirtutem, autoritatẽ, felicitatem. Aut si multa sint argumenta laudis, quorum magna alia, alia leuiora sint, ne uel leuiora in unum cõgesta locum exilitate sua uim orationis infringãt, uel eam maiora supra modum tollant, ordinem quem arbitrarium supra uocauimus, sequimur. Itaque ut maiorum robore, leuiorum fulciatur debilitas: & rursus tenuitate leuiorum, impetus maiorum temperetur: miscemus ea, iungimusq́ incredibilia probabilibus, splẽdida obscuris, insignia ignotis, propria cum his quæ sunt aliorum communia: ut hac mistura cõtinuatio quædam & æquabilitas accedat orationi. In eis uero generibus, quæ fidem solam quærunt: fidei quoq; est ante omnia accommodanda dispositio, id est, quemadmodum de quæstionibus

diximus, si sint argumentationes, quæ non solum prodesse causæ
*Cuius. possint: sed ex * quarum asseueratiõe reliquis argumẽtationibus aliqua parte ueniat fides, ut eas alijs pręponamus. Sic Cicero pro Milone in ea quæstione cuius sæpe iam meminimus, qua disputat, an possit ullus ab altero occidi iure: primũ opponit aduersarijs M. Horatium, qui sororem occidit, absolutusq́; est Pop. Rom. sententia. In quo uelut nascentis rei Romanæ exemplo reliqua quę subijcit exempla legesq́;, & testimonium ex fabulis quæsitum, innixa sunt. Similiter Quintilianus in Mathematico, cum probare uult, mathematicum dixisse uerum, postquam probauit sideribus regi res humanas, & eorũ uim posse ab hoĩbus comprehendi: primũ argumentum ponit ipsam mathematici constantiam in respondendo: qui cũ ea prædiceret, quibus merito credere consulens eum pater non debuerit, tamen nihil texerit, sed omnia sine dissimulatione protulerit, pẽdet utique præcipue quæstionis istius fides ex mathematico. Quemadmodum futurorum omniũ prædictioni, nulla re magis credimus, quàm eius scientia fideq́;, qui prædicit. Recte ergo hoc argumẽtum tanquam firmamentum primum fecit. Præter hæc, si non sit hæc in argumentis ordinis causa, tñ proxima ratio erit, ut aliquid quod apud audientium animos multum habiturum sit uirium, primum locemus: deinde debiliora in medium recipiamus: postremum faciamus id, quod arctissime auditorem teneat: quoniam eorum, ut proxima, sic est efficacissima memoria. Quintilianus itaq; in Milite Mariano, in prima quæstione, quã fecit, an licuerit eũ q uim inferret occidere, primã cõfessionẽ causæ aduersario extorsit. Non (inquit) me hercule possum tenere, q̃ minus in accusatorẽ dolor meus prorũpat. Quid dicis? Tu si tribun⁹ esses, hoc fecisses? si miles, hoc tulisses? Nihil fere potuit efficacius dici pro causa, q̃ quo uel impudẽtissimus etiã aduersarius cogeret secũdũ reũ ꝑnunciare. In fine uero quæstionis id posuit, q̃d ut nõ ad firmandã fidem causæ, tñ quod maius est, apud iudicis aĩm, potentissimũ esse debuit. Itaq; cũ inuasisset in luxuriã nobilitatis, q̃ maxime studebat seueritate uirtutibusq́; premere C. Marius, subiecit in fine: Dij profecto magnitudinẽ tuam curant imperator ac dirigunt, qui tibi super cæteras laudes attulerunt tam honestæ sententiæ occasionem. Quod miles fortiter fecit, si ab-

ſoluis, tuum exẽplum eſt. In affectibus (quod & ante diximus) creſcere ſemper debet oratio, & quẽadmodum inter argumẽtationes, ea quæ affectus eſt capaciſſima, ſic in ipſo affectu quod eſt potentiſſimũ, recte ponitur poſtremum. Cum enim ſua ſponte citiſſime areſcant lachrymæ, turpe eſt eas dicentis frigore ſiccari. Quod ut in lachrymis, ſic in omni affectu neceſſe eſt euenire: quoties is qui dicit, præpoſitis efficacioribus & acrius in animum penetrantibus, ad leuiora deinde uelut deſtituta uiribus oratione deflectit.

IN CAP. XIII.

QVæ ἐπιδεικτικὰ Græci, Cicero demonſtratiua uocauit.) Eraſmus Rot. lib. 2. Eccleſiaſt. Græci genus hoc appellarunt ἐπιδεικτικὸν uidelicet ab oſtentatione &c. & quæ ſequuntur de partibus generis laudatorij. Panegyricorum.) Panegyris apud Græcos dicebatur ſolennis ille populi conuentus, ad ludos feſtos celebrandos, uoce hinc compoſita quod feſtis diebus uniuerſi conuenirent. Eraſ. Rot. lib. Eccleſ. 2. Hæc ſpecies generis laudatorij nunc frequentior eſt in templis, quàm illæ ſuperiores, nec apud ueteres fuit infrequens. Indicant hæc orationes panegyricæ Baſilij, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Ambroſij, & Auguſtini. Hic nõnulla ſunt uſui futura, quæ rhetores literis prodiderunt. Ducuntur enim laudes à tempore præterito, ueluti quum referũtur oracula, miracula aut præſagia, quæ natiuitatem præceſſerunt. Vt Iſaac promiſſus eſt Saræ, cui iam defecerãt muliebria. Oracula, ſicut Rebecca, ſenſit geminos colluctãtes in utero, et ex oraculo diſcit quales eſſent futuri qui naſcerentur. Itidem Zachariæ promiſſus eſt Ioannes Baptiſta & Elizabeta ſenſit fœtum ad Virginis ſalutationem geſtientem in utero. Ac Bernardi mater audiuit: Optimi catuli mater eris. Laudantur bona, uituperãtur contraria.) Ariſtoteles in præceptis ciuilibus, ad Alexandrum cap. de laudandi uituperandiq́; ſpeciebus & cap. de genere demonſtratiuo. Cicero in partitionibus orat. optima atq; utiliſſima habet præcepta, quæ faciant ad laudandi iuxta ac uituperãdi rationem. Fabius lib. 3. cap. 9. Aphthonius in progymnaſmatis cap. de laude.

In homine quidem laudamus primum animi bona.) Cuius rei apud hiſtoricos quidem, cũ alios multos tũ in primis T. Liuium lib. 9. de bello Macedonico & Aſiatico eſt uidere exemplum, ubi M. Portium Catonem laudat, apud D. Hieronymum in quadam ad Oceanum epiſtola, in epitaphio Fabiolæ & in epiſtola ad Chromatiũ, cuius initiũ: Non debet charta diuidere: Bonoſi laudes refert. Corporis uero & fortunæ bona laudamus. Cicero in calce lib. 2. de oratore: Qui laudabit quempiam intelliget exponenda ſibi eſſe fortunæ bona, ea ſunt & reliqua. Cõtraria quoq; interpretatiõe uituperamus.) Hieron. in epiſt. cuius initiũ Samuel quondã. In qua nimirũ epiſt. grauiter obiurgat Sabianũ διάκονον impoſtorẽ: Apparet hoc quoq; thema declamatoria rõe tractatũ ab Hierony. Eraſ. in opere de cõſcribẽdis epiſt. de epiſtola exprobratoria. Aphthonius in ꝓgymnaſmatis de uituperatiõe. Et horũ cõtraria.) Nẽpe imbecillitatẽ & inopiã. L. Piſonis.) Hic erat ille Piſo q cũ loq neſciret tacere nequibat, à D. Hieron. dicit & Iouianus uitio Piſoniano laborare. Aut uitã totã ut natus, ut educatus, ut ſeſe geſſit.) Apud Aphthoniũ ca. de uituperatiõe cũ primis elegãs extat oratiũcula quædã, in Philippũ hoc cõſcripta cõſilio. Per ſe eñ nec bona ſunt nec mala, ſed ex eius ingenio.) Terent. in Heaut. Atq; hæc ꝑinde ſunt ut illius animus qui ea poſſidet, q uti ſcit ei bo

scit, ei bona, illi qui non utitur recte, mala. *Quemadmodum de quæstionibus diximus.) In principio lib. huius cap. 12.* *Citißimè arescant lachrymæ.) Cicero in calce lib. ad Herennium 2. Commiserationem breuem esse oportet, nihil enim lachryma citius arescit.*

De uertendis argumentationum formis, deq; partibus earundem uaria collocatione disponendis.

Cap. XIIII.



Artes argumentationum quam capiāt dispositionem, non est certis ullis comprehendere præceptis. Quæ sint autem partes argumentationis, proximo libro satis multis dictum est. Et naturalis quidem ordo est earum, ut præcedant propositiones, deinde sequatur id, quod ex eis efficitur. In ratiocinatione quoq;, prima sit maior propositio, proxima sit minor, postrema conclusio. Sic in inductione, priores sunt species aut partes, quàm genus aut totum quod colligitur ex eis. Velle tamen hanc legem usquequaq; seruare, frigidę prorsus est & friuolæ cuiusdam nescio an curæ dicam an cauillationis, certe infantiæ & fastidij. Infantiæ quidem, quòd nihil potest aut minus disertum, aut magis puerile uideri, quàm omnia uelut puerum dictata à magistro ad unam certam legem formamq; dicere. Fastidij quoq;, quod necesse est sequi eos, qui aures nulla unquam uarietate delicatissimam nostri partem tentant reficere. Varietas enim, sicut rerum omnium, sic orationis præcipue leuat tædium. Multarū adeo rerum nobis gratia, non ex se, sed uel ex meliorum etiam satietate uenit. Iam etiam plerę q; sunt argumentationes, quarum tota uis aut duabus propositionibus citra conclusionem explicatur, aut altera propositionum pro tota ponitur ratiocinatione. Quæ qualia sint, suo loco demonstrauimus. Feras tamen utcunq; leuioribus in rebus hanc ludicram uerborum iaculationē, in quibus solum os instruitur, & inanes inter disputandum circulorum clamores petuntur. At in eis rebus, quæ non ideo tantum dicuntur, ut dicantur, sed ut animos nostros subintrent & actiones emendent, quęq; uitijs eradendis ex intimis mentium nostrarum sedibus adhibentur, id est, quæ moralis philosophiæ uocamus, si hac leuitate intra primas subsistant aures, inania profecto inania tantum irritaq; uerba fundentur. Maioribus ergo uiribus instructam orationem, & plenioribus

eam fer-

eàm ferri uelis oportet. Auertendus enim est ab eis quę placent, quęq; multo tempore probauit animus, & ipse sibi (ut ita dicam) est auferendus. Nec tam docendus, ut sciat meliora: quàm cogendus, ut uelit. A qua facultate, quantum absit confracta illa & spinosa argumētandi ratio, non est certiore signo colligere, quàm quòd ea posteaquam philosophorum scholas ingressa est, moralis ista quam uere philosophiam dicimus, è scholis prorsus excessit. Veterum certe neminem nisi Stoicorum horridissimum quenq;, sic disseruisse inuenias, neq; id ubiq; tamen. Et si quis huius etiam sectæ paulo lætiore ingenio fuit, uictus est dignitate, & splendidius aliquid dicere concupiuit. Aristoteles certe, Plato, & quorum pręterea in philosophia paribus laudibus eloquentia eruditioq; celebratur, rarissime putauerunt utēdum sibi nudis illis & expressis ratiocinationibus, quod ex libris eorum facile perspectu est. At nostri seculi philosophis, si, quæritur & arguitur primo & secundo, & notandum quarto aut quinto, & consequentia tenet in baroco, & reliquas id genus ineptias demas, destitutos prorsus & nihil quod dicant habituros uidebis. Nec hæc eô dico, quod ea putem esse contemnenda. Disci enim illa ab incipientibus in scholis, & quidem exactissima cura, uelim, & exerceri quoque, sed adeo, ut intra scholam maneant. A grauiorum uero rerum tractatu, doctiorum'que hominum disputatione: ante omnia, cum posteritati erudiendæ res literis mandantur, crediderim maxime hanc leuem ineptam'que dicendi scrupulositatem remotam esse debere. Nunc autem cum sint omnia in leuissimas etiam digesta quæstiones, & cuilibet quæstioni, uelut statutus lege quadam argumentationum & notandorum debeatur numerus, implentur ingentia uolumina librorum, & totis paginis dicuntur, quæ singulis interdum uersibus poterant absolui.

Equidem argumentationem in oratione controuersa censeo necessariam esse, tanquam neruos sine quibus ea subsistere non possit. Sed quemadmodum deforme non modo sit corpus, sed nec corporis quidem speciem habeat, in quo soli sint omni'que carne nudati nerui, sic nec orationis aut faciem aut nomen iure habebunt horridæ istæ & una perpetua specie compositæ argumentationes. Apud Græcos quidem in prouerbio fuit, ut dicerent,

egregia fabula de lente, quoties minor res maiorem in modum tolleretur. Quanto nunc rectius hi notabuntur, cum puerilibus etiã nugis diuina pertractent? Vertendæ sunt igitur formæ argumentationum, & partes earum uaria collocatione disponendæ. Nec tamen adeo uitandus ordo rectus, ut credamus non interdum ratiocinationem totam proferendam: quod & Quintilianus fecit in ea declamatione, quæ inscribitur Ignominiosus contra tres rogationes. Ergo (inquit) si & Lex ignominiosum uult esse eum, qui ter contradixerit nec tenuerit, & hic contradixit ter nec tenuit, quomodo non sit ignominiosus, inueniri profecto non poterit. Sic & Cicero cum multis in locis, tum pro M. Cęlio: Si qua non nupta mulier (inquit) domũ patefaceret omnium cupiditati: & reliqua multa, quæ subijcit in eam sententiam, quorum omniũ hæc uis est: Nemo poterit dici adulter, qui cum muliere omnium cupiditati exposita consueuit. Hoc apertum est maiorem propositionem esse ratiocinationis. Addere deinde debebat minorem: Clodia autem talis mulier est. Variauit id dicendi figura, & in eius locum interrogat eam, fateatur ne talem esse se, an neget. Post ad utranq; partem concludit, si neget se talem esse, ne debere quidem uideri à M. Cælio petulantius quicquam cum ea factum: sin fateatur, non id uideri adulterium ex pręcedentium propositionum probatione. At in eadem oratione paulo ante conuertit prorsus totum ratiocinationis ordinem, primamq́; conclusionem ponit: In M. Cælio nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum æs alienum, nulla conuiuiorum & lustrorum libido, quæq́; sequuntur. Hoc est enim, quod probandum est. Deinde cum subdit: Audistis antea cum accusaret: minorem propositionem facit, quæ est, Cælium summa eloquentiæ studiorumq́; cura teneri. Postremo maiorẽ addit: Atq; scitote iudices, eas cupiditates quæ obijciuntur Cælio, atq; hæc studia de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse. Vt sit ratiocinatio: Non possunt in eo in quo est summus studiorum amor, esse & prauę cupiditates: in Cęlio est summus studiorum amor, non possunt ergo in eo esse prauæ cupiditates. Interim proponitur altera ex propositionibus tantum. Vel maior, ut Quintilia. in Mathematico: Ei (inquit) tantum debet mors negari, de quo non sufficit hoc pœnæ genus, ut se ipse potius occidat. Hanc propositionem

sitionem probat. Deinde quod assumpturus erat, & quod ex eis con clusurus, hæc uidelicet, ego uero talis non sum, non ergo debet mihi mors negari: ea uelut in propositione illa satis intellecta prætermisit. Interim proponitur minor, ut in eadem declamatione: Quid quod me futurum dixit parricidam? Ratiocinatio quidem talis sit oportet. Quisquis prædictus parricida est, debet mori: ego prædictus sum parricida, debeo ergo mori. Est ergo quod proponitur minor propositio: quod sequitur, est cõfirmatio maioris, debere mori eum quisquis parricida prædictus est. Quod quanquã posset uniuersaliter pronunciari, orator singulariter & tanquam de hoc uno pronunciat. Quoniam (ut priore libro dixi) uniuersales propositiones remotiores esse, & minus arcte præmere rem præsentẽ uidẽtur.

IN CAPVT XIIII.

Proximo lib. satis multis dictum est.) Cap. 18. *Velle tamen hanc legem usq; quaq;.*) Quint. lib. 2. ca. 14. *Neq; enim rogationibus plebis, ne scitis, sancta sunt ista præcepta, sed hoc quicquid est: utilitas excogitauit. Propter quæ mihi semper moris fuit, quam minimũ alligare ad præcepta, quæ καθολικὰ uocãt, id est, ut dicamus quomodo possumus uniuersalia uel perpetualia, raro enim reperitur hoc genus, ut non labefactari parte aliqua & subrui possint.* *Qui aures nulla unq̃ uarietate delicatissimã.*) Cic. in Orat. *Quamuis enim suaues, graues'ue sententiæ & tamen si inconditis uerbis efferuntur offendent aures, quarũ est iudicium superbissimum.* *Varietas enim sicut rerum.*) *Nihil diu fieri potest quod non aliqua uarietate commendetur. Quæ res non fefellit cantores, qui organis nunc dant uocem clariorem, nunc suffuscã, nunc subraucam.* Quintil. lib. 11. cap. 3. *Ars porro uariandi, cũ gratiã præbet ac renouat aures &c. Variari autẽ orationẽ magnopere oportebit, nam omnibus in rebus, similitudo est satietatis mater. Tantã ubiq; uim habet uarietas, ut nihil omnino tam nitidũ sit, quod non squalere uideatur citra huius commendationem. Gaudet ipsa natura uel imprimis uarietate, quæ in tam immensa rerum turba nihil usq̃ reliquit, quod non admirabili quodã uarietatis artificio depinxerit. Et sicut oculi diuersarũ aspectu rerũ magis detinentur: ita semper animus circũspectat, in quod se ueluti nouũ intendat. Cui si cũcta sui similia occurrant undiq;, tædio protinus auertitur, atque ita perit totus simul orationis fructus.* Hæc D. Eras. in Chiliad. Aristot. 2. rhetorica. *præceptionum lib. Varietas quoq; uicissitudoq; iucunda. Fit enim iuxta naturam transmutatio. Quod autẽ semper idẽ, stati perpetuiq; habitus parit satietatẽ. Vnde illud dictũ est. Vicissitudo rerũ omniũ iucunda. Fertur & Mimus quidã in hanc sentẽtiam non illepidus. Nihil iucundũ nisi quod cõmendat uarietas. Varietas autẽ tantã in omni re uim habet, ut commendatione nouitatis interdũ & pessima pro optimis placeant.*

Fastidij quoq; quod necesse.) Quintil. lib. 9. cap. 3. *Vna tamen in re maxime utilis, ut quotidiani & semper eodẽ modo formati sermonis fastidiũ leuet, & nos à uulgari dicẽdi genere defendat. Quo si quis parce, & cũ res poscet utetur, uelut asperso quodã condimẽto iucũdior erit. At qui nimium affectauerit, ipsam illã gratiã uarietatis amittet.* Quintil. lib. 9. cap. 2. *Sed uel ex meliorũ etiam satietate.*) Cice. 3. de Orat. *Difficile enim dictu est, quæ nã causa*

 sit,

sit, cur ea quæ maxime sensus nostros impellunt uoluptate & specie prima, acerrime commouent, ab his celerrime fastidio quodam & satietate abalienemur: quanto colorum pulchritudine, &c. ac mox infra. Sic omnibus in rebus uoluptatibus maximis, fastidium finitimum est. Suo loco demonstrauimus.) Lib. 2. ca. 27. Feras tamen utcunq; leuioribus in rebus.) D. Augustinus lib. de doct. Christ. 2. ca. 35. Auertẽdus enim est ab ijs quæ placent, quæq; multo tempore probauit animus.) D. Augustinus lib. 4. de doctrina Christiana cap. 24. Tanquam pium aliquem triumphum, ut reipsa est iactat in Cæsarea Mauritaniæ quotannis recurrentem plusq; ciuilem pugnam eloquentiæ uiribus se sustulisse, in qua oratione usum se dicit genere illo dicendi quod Græci ἁδρὸν uocant Latini robustum siue grande: Egi (inquit) granditer quantum potui. Et ipse sibi ut ita dicam est afferendus.) Lege orationem Iacobi Volcardi Bergensis de usu eloquentiæ. Nec tam docendus ut sciat meliora quàm cogendus ut uelit.) Augustinus in Psalmum 116. super eum locum: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas, &c. Idem in Enchiridio ad Laurent. cap. 8. Ioannes Gerson in sermone habito in ramis palmarum (ut uocant) Oportet sermones fieri (inquit) non solum ut bonum addiscatur, quod prius ignotum delitescebat, sed ad mouendum cor & affectionẽ ut ament & desiderent & compleant, &c. Hæc ille: Nec me porrò suppudet adduxisse testimonium Gersonis Theologi plane pij, quando uideo Rodolphum non semel protulisse Ioannem cognomento Scotum. Vide quæ sunt apud Ciceronem in disputa. Tuscula. de Cyrenaico Hegesia. A qua facultate quantum absit.) Erasmus in Methodo studij theologici. Eras. lib. Ecclesiast. 2. Officiunt autem iudicio qui dialecticam superuacaneis difficultatibus reddidere spinosam & inuolutam, perinde quasi ea ars non sit reperta ad rectè iudicandum de ueris & falsis, sed ad ostentationem ingenij. In his tricis immodicè exercitatis ferè usu uenit, &c. Lege quæ annotauimus in Augustinum lib. 2. de doctri. Christia. cap. 31. in παρασιωπήσεις.
Veterem certè neminem nisi Stoicorum horridissimum quenq; sic disseruisse inuenias.) Quintilian. lib. 12. cap. 2. Peripatetici studio quoq; se quodam oratorio iactant. Nam thesis dicere exercitationis gratia ferè ab his est institutum. Stoici sicut copiam nitoremq; eloquentiæ fere præceptoribus suis defuisse contendant necesse est: ita nullos aut probare acrius aut concludere subtilius contendunt. Et splendidius aliquid dicere.) Lege lib. 2. cap. 5. ubi agit de delectatione. Rarissime putauerunt utendum sibi.) Quintilianus lib. 5. ca. ultimo circa calcem. At nostri seculi philosophis.) Sanequàm graphice depingit morem sui æui, quo hodieq; omnia, peraguitur, & respondetur libris mandantur: Neq; uero hæc eo dixerim, quod damnem ea studia, quæ nunc fere uidemus in publicis scholis solennia, modo sobrie casteq; tractentur, neq; sola tamen. Destitutos prorsus & nihil quod dicant habituros uidebis.) Quintilianus lib. 12. cap. 2. Ita reperias quosdam in disputando mire callidos, cum ab illa uero cauillatione discesserint, non magis sufficere in aliquo grauiore actu, quàm parua quædam animalia, quæ in angustijs mobilia, in campo deprehenduntur. Et Cicero lib. ad Herennium 2. Disci enim illa ab incipientibus in scholis.) Quid? quod Rodolph. ipse perquam adolescens hæc olim didicit idq; Louanij, ac multis deinde annis eadem publicitus ibidẽ in sine laude professus est in gymnasio, cui nomen est Falconi. Tandem ab Aristotele cuius signa à pueris secutus erat, desciuit, Lycæoq; & ambulacris illis in Platonicam transmigrauit familiam. Sed adeo ut intra.) Diogenes aliquando Platoni occurrit caricas edẽs, eiq; offerẽs dixit, licet degustare: cum acceptas edisset: Gustare, inquit, iussi nõ deuorare. Hic iocus ad rem seriam potest accommodari, uidelicet in eos qui principis, præceptoris, aut parentum

parentum permissu abutuntur ad inconcessa. Veluti si quis admonitus non esse inutile degustare dialecticam, totam uitam ei impendat studio, ibiq; ostentet ubi quàm longissime abesse conueniat. Et quidem exactissima cura uelim.) Augustinus libro 2. de doctrina Christiana cap. 31. Rodolphus in procemio lib. 2. Erasmus in methodo studij theologici. In leuissimas etiam digestas quæstiones.) Quarum examina aliquot bene longa recenset Eras. in compendio studij Theologici. Martinus Dorpius in prælectione in epistolas Paulinas, Thomas Morus in epistola ad Martinum Dorpium, pro moria Erasmi. Ioannes Viues Valentinus libro aduersus ψευδοδιαλεκτικούς. Nemo uero sic interpretetur hæc, Rodolphum Agricolam huc tendere, ut in totum damnet eos, qui præter quæstiones nihil nobis reliquerunt: aut certe improbet scholasticas conflictationes, ex quibus sæpenumero non aliter elicitur ueritas, quàm ex collisione silicum ignis excutitur: sed modum in his ac delectum requirit. Modus dabit, ne quæratur de omnibus, delectus ne de quibuslibet. Alioqui multa sunt & in neotericorum libris digna cognitu, sed ea per ætatem medice degustentur sobrie castéq; tractentur. Tanquam neruos sine quibus.) Eadem quoque metaphora dixit & Fabius libro 8. cap. 8. Non ita quodam inani circa uoces studio senescendum, ut amittamus rerum qui nerui sunt à causis diligentiam. Egregia fabula de lente.) Id prouerbij hunc in modũ efferunt τὴν ἐπὶ φακῇ μῦθον, id est, In lenticula fabulam, subaudi narras, ubi quis mentionem inducit uilis cuiuspiam, & nihili hominis, alijs de uiris egregijs uerba facientibus, ad hunc quidem modum legitur in omnibus uulgatis exemplaribus apud Aulum Gellium libro 12. capite 18. Verum placet Hermolai castigationi subscribere, qui locum hunc ita restituit ut legat, τὴν ἐν φακῇ μύρον, id est, in lente unguentum. Rodolpho nostro hac in parte non satis conuenit cum Hermolao suo. D. Erasmus in adagijs: Rodolphus Agricola, uir immortalitate dignus lib. dialectices 3. testatur apud Græcos prouerbio dici solere egregia de lente quoties res humilis & pusilla magnificis laudibus attolleretur, perinde quasi lentem minutum ac uile legumen splendidis encomijs efferas. Opinor Græcis efferri hunc in modum δεινὰ περὶ φακῆς. Hactenus Erasmus. Quanquam non male coniectare uerisimile sit Erasmum si ad hunc legas modum. Cæterum si (ut habet autographum) legamus, alijs opus est coniecturis. Quoties minor res maiorem in modum tolleretur.) Lactantius de falsa sapientia libro 3. cap. 17. de Lucretio loquens. Itaque poeta inanissimis Leonis laudibus murem non ornauit, sed obruit & obtriuit. Cicero 2. de Oratore: Ne aut irrisione aut odio digni putemur, si aut tragœdias agamus in nugis, aut conuellere adoriamur ea quæ non possunt commoueri. Quanto nunc rectius hi notabuntur.) Harum sane nugarum sicut & omnium in scholasticis παραδιατριβῶν assaniarum (ut absit inuidia dicto) acerrimus ubique est reprehensor Erasmus atque adeo (quod dici solet) unguis in ulcere hoc. Qui cum muliere omnium cupiditati exposita consueuit.) Coniecturis aliquot in suspitionem uocor Rodolphum hoc in loco respexisse ad phrasin Plautinam, ac eleganter omisisse coire. Sic enim in Cistellaria Plautina Lena sciscitatur Silenium: Sed tu en unquam cum quiquam uiro consueuisti? R. Nisi quidem cum Alcesimarcho, nemine. Neque pudicitiam meam mihi alius quisquam imminuit. Terentius Phormione: Cum eius consueuit olim matre in Lemno clarculum. Cicero pro domo sua: Cum qua uxore P. consuescebat. Cicero in Verrem actione 7. Mulieres quibus cum iste consueuerat. Vt credamus non interdum ratiocinationem.) Quintilianus libro quinto, capite ultimo in calce. Nanque ego ut in oratione syllogismo quidem aliquando uti nefas non duco, ita constare totam aut certe confertam esse aggressio-

num & enthymematum stipatione minime uelim. Vertendæ sunt igitur formæ argumentationum.) Plato in Alcibiade iusta pulchra, pulchra bona, ergo iusta sunt bona, minus proloquium, ante maius collocauit. Demosthenes in 2. olynthiaca sic colligit: Imperia scelere parta non sunt stabilia, Philippi est scelere partum, ergo stabile non erit. In ea sane argumentatione minus proloquium, nempe Philippum imperium scelere peperisse maiori præposuit. Interim ponitur altera ex.) Libri 2. capite 27. Vt priore libro diximus.) capite undeuicesimo.

Cautiones aliquot inter argumentandum diligenter obseruandæ. Cap. XV.


POssent ista extendi, multiplexq́ horum forma proferri ex autoribus. Sed longum id est, & nisi alioqui multa cura quis, legendis, perspiciendisq; scriptoribus ista cognouerit, frustra docebitur. Nam neq; dici omnia possunt; & ex eorum quæ diximus collatione, facile quis reliqua cognoscet. Illud tamen adiecisse uelim. Quod si qua sit propositio, uel aliquid propositionis simile, in quo maius quæstionis momentum sit positum, id rectissime aliquando anteaquam aggredimur quod eo conficere uolemus, in antecessum apud auditores est deponendum, & tanquam aliud agamus explicandum. Minus enim suspectum tunc erit, cum quare dicatur non apparebit: credeturq́ facilius, & securos animos blandius subibit. Sicut minus timentur arma, quorum non intelligitur usus. Inde cum possederit mentem, paratamq́ semel fidem tunc quoque perferet, cum utendum erit eo. Fauet enim quisque persuasioni suæ, nemoq́ uel sibi ipse libenter errorem suum fatetur. Credimusq; multa, non quia uera uideantur, sed quia credimus. Huiusmodi est apud Ciceronem illa principio expositionis matris Cluentij inuidia: quæ quanq̃ præcipue ueneficij crimini defendendo conueniat, tamen si, cum illud defendendum erat, primum poneretur, poterat tam dubia sicut crimen uideri. Huc pertinent altius repetitæ narrationum præparationes. Et in altercationibus quidem præcipuus est obseruationis istius usus. Ideoq́; siqua sunt, quæ plus sint allatura confirmandæ intentioni nostræ, non sunt utiq; protinus cum ea coniungenda. Tergiuersabitur enim & effugia quæret aduersarius, inuitusq; pedẽ in laqueum quem prospexerit dabit. Ergo dimouenda sunt hæc ab eo quod efficere uolumus, & altius repetenda, & multitudine similium

lium propositionum, quas sine periculo daturus sit aduersarius, obruenda. Quæ cuiusmodi sint, ex Platonis dialogis non est difficile perspicere. Sed nos interim aliquo exemplo quod dicimus indicemus. Demus Academicũ probare uolẽtem Epicureo: quisquis sine uirtute sit, eum esse infelicem. Non sumet ille cõtinuo uirtutem esse summum bonum: id enim nihilo probabilius est, quàm id quod intendebatur: nec id etiam unde istud deducitur, uirtutis curam maxime naturalem esse homini. Altius igitur ordietur. Quæret ecquid fateatur animam corpore meliorem esse? Sed et hoc quoq; muniendũ est Socratica inductione. Quęrendum est, an aurigam curru, & naue gubernatorem, & dominum domo, & principem popularibus, & in uniuersum quod imperet præstantius esse putet eo quod paret, an & animi imperio putet corpus regi. Quæ si concedat, necesse erit concedat, animum corpore potiorem esse. Quod ubi constare cœpit, sequatur hinc necesse est, actiones & quæcunq; animi corporis rebus esse potiora. Quod si docuerimus hinc, propriam animi uirtutem, propriam corporis uoluptatem esse: constabit uirtutem esse meliorem uoluptate. Quod ipsum erit fortasse quærendum. Ex longinquo rogabit itaque, putet ne eisdem omnibus gaudere corpus & animum? quod nimirum negabit. Nam & multa poscit corpus, quæ nec indulgenda illi credit Epicurus. Ergo horum aduersis animus, qui negat ea corpori, gaudet. Sic & animo multa placent, quæ corpus auersatur. Cum gaudeãt autem diuersis, uoluptas corporis erit: quod autem uoluptati contrariũ sit, nihil inueniemus, nisi uirtutem. Ea pertinebit igitur ad animum. Hæc ergo bona utriusq; erũt. Quod si est proprium animi bonum uirtus, erit & summum bonum: cum demonstratum sit ante, meliora esse quæ ad animum, quàm quæ ad corpus pertineant. Cunq; non sint alia propria hominis, quàm animi & corporis bona. (Nam fortunę bona solum dicuntur, quia istis deseruiunt) ergo animi bona, quoniam meliora sunt, summa sint oportet. Et hæc quidem cum sint uirtutes, necesse est qui sine eis sit, esse cum summo malo, quod uitium erit. Atqui quisquis cum summo malo est, infelix est: ergo iam efficitur quod intendimus, quisquis est sine uirtute, infelix est. Quod si à proximis cœpissemus, & inde digrederemur ad longius posita, insolentior aduersarius nega-

ret omnia, neq; peruenire nos ad aliquid sineret unq̃, quod ipse cõfiteretur. At cum ea proponimus, quę distant multum, neq; fere quicquam negocij uidentur habere cum eo quod proponimus, facilius dat aduersarius tanquam nihil ad se pertinens. Vnde datur confessum nobis aliquid arripere, in quo pedem (quod dici solet) figamus, ad quod si alio perueniremus ordine, negaret idipsum aduersarius, ne uinculis argumentationum teneri uideretur, & aliquid confiteri, ex quo contra ipsum regredi possemus. Sed quemadmodum à summo quodam cacumine petito initio, ad id postremũ, quod probare destinamus delabimur: sic licebit ecõtrario, & hoc ipsum quod intendimus primum facere, & id adhibita argumentatione confirmare, hancq; ipsam argumẽtationem rursus alia astruere, donec ueniamus ad aliquid tandem, quod inficiari aduersarius non possit.

Similiter etiã poterimus, cum negauerit intẽtionem aduersarius, proponere aliquid, quod etiã diuersum uideatur à proposito, quod det aduersarius. Idq; cum fecerit, tum ductu eo quem obliquũ priore libro diximus, ex contradicente intentionis, contradicens eius quod aduersarius dedit, colligere. Quod quomodo fiat, suo loco nobis est dictum. Huius tamen admonitum altercatorem uelim, ut sciat quam potissimum ex istis disponendi rationẽ sequatur, duas fere in altercatione figuras esse orationis. Aut enim interrogãtes, & aduersarij sententiã percontãdo elicientes, disserimus: aut asseueramus, & nostrarũ argumentationũ constãtia, in nostrã sententiã eum transire cogimus. Primũ genus est, ut cum quærimus, sit'ne uirtus propriũ animi opus. Quod si dederit aduersarius, rursus quærimus, est'ne opus cuiusq; bonũ ipsius? Deinde si id quoq; detur, tum quæritur, sit'ne animus optima pars nostri? Post hęc, sit'ne optimũ quod optimo bonũ est? Hęc etiã cũ data fuerint, tũ relinquetur, utiq; optimũ, id est, summũ bonũ esse uirtutem. Secundũ genus est, cum dicimus: Virtus est summum bonũ, idq; probamus, est enim bonũ animi nostri, qui est pręstantissimũ quod in nobis est. Quod sit autẽ animi bonũ uirtus, id rursus docemus, quoniã propriũ opus est ipsius: reliquaq; ad hunc modum asseueramus, donec ueniamus ad postremum aliquid, quod probatione non habeat opus. Cum possit autem duci ordo ille propositionũ, aut à primis atq; confessis ad intentionem,

nem, aut ab intentione ad prima & confessa, per utramque figuram: apta tamen est interrogatio priori ordini, estq; genus ipsum disserendi tutius atque modestius, & plurium laqueorum aduersus aduersarium capax. Nam si interroganti aliquid non det aduersarius, potest inde sine dedecore referre pedem, quod asseueranti turpe fuisset, repulsum se & frustra conatum fatenti. Asseueratio uero grauior est atq; instantior, & ordini ab intentione ad confessa ducendo aptior. Vrget enim aduersarium, & non illius consensu, sed uiribus quæ uoluit extorquet. Sed rem subesse oportet eiusmodi, quam ab inuito nos aduersario confidamus exprimere posse. Quæ si non sit, satius erit interrogationes experiri. Socrates itaque apud Platonem, ut qui nihil scire se affirmaret, nihilq; habere, quod tanquã pro sua sententia diceret: interrogatione semper est usus, omnemq; omnibus in locis disputationem ex aduersariorum dictis instituit. Et sicut maximorum omnis æui uirorum in philosophia consensu, primæ tribuũtur Platoni, sic omnem altercationum rationem artemq; summo ingenio pariq; cura & acumine in dialogis expressit. Quanquam non destiterit eum Aristoteles incessere, tanquam copia effusum, nouitatis cupidum, eloquendo tumidum, orationis ostentatorem. Fama tamen pro Platone stetit, & sicut multorum fauore Aristoteles æquauit primum: sic maximorũ iudicio Plato hunc proximum quidem, sed infra se tamen, sicut omnes reliquit. Quintilianus autem, sicut declamationes, sic altercationum quoq; proprium condidit uolumen, quod & in nostras peruenit manus, egregium quidem, sicut sunt illius uiri omnia. Plato tamen (quamuis sint etiam insignes uirorum utriusque linguæ dialogi) in quamuis uarios usus mihi sufficere uidetur exemplo. Vt ergo quæ ad dispositionem pertinent, in summam quandam redigamus, opus est in primis, quisquis bene disponere uolet: ut totam inuentionis suę syluam, hoc est, omnia quæcunque dicturus est, uelut conspectui suo subijciat. Tum quid in animo auditoris efficere uelit, diligenter expendat Deinde res ipsas, rerumq; partes, & uim naturamq; singularum, omniumq;, & inter se conferat, et cum præceptis omnia. Tum non difficulter uidebit, ubi temporum sequenda ratio, ubi per species res digerenda, & quibusdam uelut limitibus singula discernẽda: ubi aliud

ex alio, ut quicq; proximū aptissimū'ue fuerit, ducendū. Tū quid tribuendū uoluptati, quomodo uictoriç certaminíq; seruiendū, qs quęstionū ordo, qs argumentationū, qs propositionū seruãdus. Est aūt diligenti multáq; cura tractãda dispositio, quãdo uerã hæc pars ingenij laudē meret. Sicut eīm opes, fortunę munere imprudētibus persępe cōtingunt: recte aūt administrare eas, circūspecti cōsultíq; uiri est propriū: sic inuentionis copia indomitis & insanis prope nonnunq̃ datur ingenijs, decor dispositionis & ordo arte iudicióq; formatur. Quorum ut illud naturæ felicioris, sic hoc cultioris doctrinæ signū est: optanda quidem utraq;, istud tamen iustius laudes.

IN CAPVT XV.

Nam neq; dici omnia possunt.) Quintil. lib. 7. cap. ultimo: *Tradi enim omnia quæ ars efficit non possunt. Vt uere dictum est caput esse artis decere quod facias: Ita id nec sine arte nec totū arte tradi potest.* Quintil. lib. 11. cap. de pronuntiatione. *Quod si qua sit propositio.*) Aristo. lib. Top. 8. *Cum possederit mentē.*) *Siue q̃ semel in animum induxerimus, id tenerrime hæreat, siue q̃ semel nobis persuaserimus, id ægerrimè ex animis euellitur.* *Fauet enim quisq; persuasioni suæ.*) Cice. ad Atti. lib. epistol. 14. *Quod me hortaris ut scriptã concionē mittã, accipe à me mi Attice* καθολικὸν θεώρημα *earum rerū in quibus exercitati sumus satis, nemo unq̃ neq; poëta, neq; orator fuit, qui quenq̃ meliorē q̃ se arbitraretur. Hoc etiam malis contigit. Quid tu Bruto putas & ingenioso & erudito, de quo etiã experti sumus nuper in edicto scripserã rogatu tuo, meū mihi placebat, illi suū.* Martial. lib. 8. *Aurum & opes, & rura frequens donabit amicus. Qui uelit ingenio cedere rarus erit.*

Nemo uel sibi ipsi libenter errorē suū fatetur.) Cice. lib. de orato. 3. *Quod qualis sit, non est meū dicere. Propterea quod minimè sibi quisq; notus est, & difficillime de se quisq; sentit.*

Credimus q̃ multa.) Lib. 2. cap. 5. *Virtutē esse summū bonum.*) Exemplum hoc fusius aliquãto explicatur apud Cice. in lib. de finibus. *Quod nimirū negabit.*) *Nempe eadē esse quibus & animus & corpus delectetur.* *A summo quodã carmine.*) *Hoc est principio q̃ longißime posito.* *Sic licebit econtrario & hoc ipsum.*) *Istud fere contingit, quotiēs sursum uersum ascendimus, altius altiusq; semper repetentes tantisper dū id sumpserimus in argumentū, quod negare non potest aduersarius. Id quod ferè fit cum collectionē atq; intentionē nō negat, sed assumptū siue antecedēs argumētationis nobis probandū est, quia scilicet id negat.*

Cū negauerit intentionē aduersarius.) *Exactius istud licebit expendas apud Aristotelē in elēchis, ubi agit de fallacia quæ est secundū nō causam ut causam. Multa præceperunt Rhetores de translatione, quã uocãt, quū causæ diffidētes à proposito seu à statu digredimur in locū uberiorē & commodiorē. Idē monet hæc fallacia, ut obseruemus ne offundantur nobis nebulæ, aliunde accersito loco, qui cum nihil faciat* πρὸς ἔπος *(ut aiunt) tamē patrocinari aduersario uideatur. Et Aristoteles hoc artificiū uocat transferre metã seu scopū. Aeschines autē male metuens, ne quod accidit postea, Demosthenes hac arte superaret, hortatur iudices, ne permittãt ei ut à causa digrediatur, sed ut pugiles de loco inter se decertãt, ita dimicent ipsi cū Demosthene de orationis serie.* *Quē obliquū priore lib. diximus.*) Lib. 2. cap. 20.

Per utranq; figurã.) *Quippe & interrogationē et asseuerationē.* *Vt qui nihil scire.*) Vide

quæ

quantum datur effingendis. Quorum illud est ad artis perceptionem commodius, istud ad efficiendi facultatem efficatius. Sunt autem euoluendi autores, non in hoc solum, ut inuentionis acumen, dispositionis decorem, in omni rerum orationisq; genere noscamus: sed communis rerum humanarū sensus peritiaq; ex eis accipitur, & copia quædam rationum ad omnem usum paratur: unde semper uelut ex thesauro, uel proferamus ea quæ disposuimus, uel eorum similia effingamus. Prętcr hæc quoq;, exempla, sententiæ, diuerbia, & generalis quædam rerum omnium degustatio sumitur, & ad omnem orationis usum apta quędam supellex. Quibus fit, ut iucunda, faceta, grauis, erudita dicatur, oratio. Vnde apud Platonem, Aristotelem, Ciceronem, Quintilianum, reliquosq; quorum in illustri nomen est, omnium artium, omnisq; humanitatis peritia quędā elucet. Quam quidem eis qui in populo maioreq; ciuilium negociorum turba uersantur, usus utcunq; & crebra audiendi experiendiq; consuetudo suppeditat. Qui uero tecto & umbra gaudentes, intra studiorum secreta se condiderunt, nisi ab ijs qui in literas ista miserunt deprompserint, non uideo unde ea consequi possint. Legendum est ergo autorum omne genus, cum propter hęc quæ diximus, tum propter ea quæ propria nostri sunt negocij, ut collatis cum illorum obseruatione præceptis, & ista explicatius intelligamus, & illorum uirtutibus ex præceptionis ratione cognitis, incipiamus & nos ducibus illis proferre pedem, eorū quoq; sequi uestigia, quos quantūlibet de longinquo posse sequi, in hac seculi nostri desidia, uel pręcipuam arbitror laudem. Initio itaque satis habebit, tractatas ab alijs quos imitari uolet quæstiones etiam ipse tractare, eademq; ferme dicet quæ illi. Interim tamen ne nihil agat, ordinem mutabit (si poterit) quæstionum, argumentationum, partiumq; argumentationis cuiusq;, uel omnium horum, uel quatenus res permittet: ita tamen, ut speciem ordinis aliquam & ipse assequatur. Tum uidebit, si qua quæstio aut argumentatio possit à se adijci eis, quas ille, cuius ductū sequitur, sibi sumpsit. Hinc paucis collectam argumentationibus quęstionem pluribus explicet. Quæ strictim breuiterq; dicta sunt ab alio, ipse copiose: quæ ubertim alius, ipse angustius dicat: non quia sua meliora putet, sed ut hoc pacto, sicut pueri solent, proximis qui-

busq́; apprehensis, ponere gradum discat. Post hæc quæstionem aliquam quàm simillimam propositæ accipiat, inq́; ea omnem inuentionis dispositionisq́; rationem quam obseruatam in exemplo uidet, quatenus potest, consequatur. hinc eis quæ dicta sunt ab aliis, contradicere incipiet, aduersariiq́; tueri partes. Quod quidem liberius iam est. Multum tamen iuuabitur inuentione partis diuersæ, cum propositis illius argumentis, facilius admonebitur, quid & ipse pro se dicere debeat. Liberrimum id & consummati roboris, cum relicto (ut dicitur) nido uolare suo arbitratu cœperit: & quacunq; libuit, arripit iter: ipse suo ductu inuenit, quæ dicenda sunt, ipse disponit quæ inuenta, ipse iam suo iure sine exemplo facit, ea quæ collata exempla probent, non emendent. Quod ubi quatenus potest contigerit, tum danda uentis uela, & non solum id ut bene, sed ut celeriter & sine cunctatione ista faciamus, conandum. Id assequemur, si primum locos omnes & omnia præcepta firmiter affixa memoriæ habeamus, ut quotiescunque libuerit, cuncta uelut uno intuitu sine cunctatione perspicere possimus. Deinde, si multo usu assuefecerimus animum, intentos semper & apertos (ut sic dixerim) habere oculos, ut statim possit ex rebus per locorum ordinem descriptis, consentientia discrepantiaq́; eruere. Quibus rebus, si ullis alioqui, consequemur, ut expedite, copiose, subito, de omni re proposita dicere possimus. Difficile id quidem & arduum, non tamen maius quàm ut fieri possit. Ingens enim, immensa, incredibilis est uis mentis humanæ, & cui nihil propemodum difficile sit, nisi quod non uult. Qua in re ut miracula transeam, quæ uidi, surdum à primis uitæ annis, & (quod consequens est) mutum, didicisse tamē, ut quæcunq; scriberet aliquis, intelligeret, & ipse quoq; tanquàm loqui sciret, omnia mentis suæ cogitata perscribere posset: cæcos item per ingentia urbium spacia, non modo uicorum omnium flexus ambagesq́;, sed domuum singularum aditus & ostia sine errore permeare solitos: ea potius quæ quotidie fiunt uideamus, è quibus unū hoc suffecerit è multis, quod in eis qui musicis organis canunt, tantum potest animi uis præstare, ut manus pedesq́; membra rationis expertia, & sequentia alieni imperii nutum, non uisos antea canendi modos propositos ex tempore psallant, & cum suum quodq;, & ab

alterius

alterius parte diuersum officium motumq; faciat, omnia tamen in unum iungantur concentum: cum interea ipsa mens præter hæc libro intenta sit, in quo quod canit scriptum est, unde ministris illis mēbris, quod sequi debeant, depromit. Quod si potuit animus istud obsequium alia docere membra, repugnantia etiam & non nisi longo usu domanda: quanto facilius erit ei suum agere opus, & huius rei facultatē non modo imperare sibi, cum sit ei conatus expeditior, sed & perficere quanto est uis sua corporis membrorum efficatior.

ISta ferè sunt, quæ de parte illa dialectices (quā inueniendi uocant) arbitror potuisse dici. Nec me latet, hæc omnia, ut in breuem admodum præceptorum summam arctarentur, perfacile fuisse. Sed ego (si quid poterunt ista prodesse) malui spaciosius ea dicere, & legentium utilitati consulere (si qui erunt, qui legendis istis fructum aliquem consecuturos se credent) quàm si per capita tantum rerum irem, uidererq; doctos potius, quid didicissent, admonere, quā docendis quid discere, & qua uia deberent præscribere. Rectius itaque credidi, cum possem quidem breuiori ducere itinere, sed eo aspero, difficili & impedito, longo potius flexu, sed læto magis, & molliore, minusq; spinis obsito circuire. Nec ista dico, quia laudem huius meæ rationis captem, quam quidem cum ex omni ingenio meo, tum ex hoc præsertim labore minime ausim sperare: sed quo mihi lectoris æquanimitatem conciliem, si sciuerit nō mei facti hac in re, sed utilitatis profectusq; sui sequutum esse rationem. Quam si consequimur, boni consultum erit: sin minus, uoluimus tamē, conatumq; præstitimus, qui sicut plerisq; in rebus uel solus laudi sufficit, ita mihi non arroganter eum ad ueniam sperauerim suffecturum, Finis.

Anno LXXX. III. Non. FB.

IN CAPVT XVI.

IAm uero præterquam quod.) Vel hinc apparet perquam modestum fuisse Rodolphum. *Quo minus sola præceptione & artis ratione.)* Quintilianus lib. 7. cap. ultimo. *Nam & pictor quamuis multa.)* Probat exemplis uarijs atq; ijs appositis per ἐπαγωγὴν, artem sine exercitatione parum proficere. *De figurarum ratione, & quo linearum ductu.)* Lege Pomponium Gauricum Neopolitanum de sculptura seu statuaria. *Quæ omnium inter se commensio.)* Alij interpretantur commensurationem. *συμμετρίαν.)* Plinius alicubi. Non quiuis, inquit, autor quauis in parte artis ualet, alius in uultibus reddendis, alius in lineis excelluit, alius in colorū mixtura, alius in symmetria. Basilius sermone in uerba: In principio

erat

erat uerbum. Nam & solem hunc sensibilem nemo est qui non laudet, & ipsius magnitudinem, simulq; pulchritudinem, & radiorum symmetriam & lucis splendorem admirans. Idem de uita in solitudine agẽda μήτε ὀφθαλμῶν ἐν χροιὰς σωμάτων καὶ συμμετρίας περισκοπούντων. Nec oculi colorum nitores circumspiciunt in corporibus, nec cõcinne accommodatas membrorũ proportiones. Quam multiplex in corporibus.) Idem Pōponius Gauricus de συμμετρία. Si non omnia diligens meditatio.) Cicero lib. off. pri. Sed ut nec medici, nec imperatores, nec oratores quamuis artis præcepta perceperunt, quidquam magna laude dignum sine usu & exercitatione consequi possunt, sic officij conuersandi præcepta traduntur, illa quidem ut faciamus ipsi, sed rei magnitudo usum quoq; & exercitationem desiderat. Vt nisi fuerint longa consuetudine & exercitatione.) Quintil. lib. 2. ca. 14. Multo labore, aßiduo studio, uaria exercitatione, pluribus experimentis firmata altißima prudentia, præstantißimo consilio constat ars dicendi. Quam non fuerit industria discentis.) Quintil. lib. 7. ca. ultimo circa calcem. Quã ut sæpe faciamus.) Martialis: Omnia cũ facias miraris cur facias nil, Posthume rem solam, qui facit ille facit. Marsilius Ficinus tertio epistolarũ lib. Persuasit mihi Plato ita demũ me q̃ plurimum perfecturum, si semper idem fecero, neq; id quidem iniuria, nempe qui sequitur omnia nihil assequitur. Nisi usus accesserit.) Quemadmodum agricola postquam totius uineæ uindemiam peregerit nõ prius desistit, quàm minutos etiam acinos decerpserit: ita nec Agricola non desistit nisi candidus impertiatur omnia quæ scit profutura lectoribus inuentionisq; dialecticæ studiosis. Vsus rei peritiam potißimum suppeditat. Erasmus adagio: Dicendo dicere discunt. Hermippus in fatis, ῥάμμα ἐπίνωσας, πρὸς δ' ἤν καὶ ῥαφίδ@, id est, filum neuisti, & acu opus, didicisti artem, superest exercitatio. Vt claudus pilam retinet, Sic Aristotelem habent in manibus isti, qui ad eius lectionem non adhibent usum scribendi aut tractandi iudicandiq; graues & subtiles controuersias. D. Eras. Rot. lib. Ecclesiastæ 2. Rursus artis præcepta non ita multum iuuant, nisi per frequentem usum transierint in habitum, quasi in naturam. Vt quemadmodum musices perito præsto est, quo recte moduletur etiam si de modis & harmonijs non cogitet. Ita Cicero pro Cornelio Balbo. Aßiduus usus uni rei deditus, & ingenium & artem sæpe uincit. πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατ@ ἐνδελεχείη. Stillula mollis aquæ lapidem aßiduo cauat ictu. Atq; hoc est q̃ uolebat Afranius cum fingeret usu patre sapientiam prognatam esse. Reliquit & hanc quoq; sententiam Anaxagoras, τὴν χεῖρα σοφίας αἰτίαν εἶναι, quod uidebat artes omnes usu comparari. Plinius lib. 26. cap. 2. naturalis historiæ usum uocat efficacißimum rerum omnium magistrum. Plinius iunior epistola 20. lib. 1. Adijciam quod me docuit usus magister egregius Plinius in epist. 29. lib. 6. Nec me præterit usum esse & haberi optimum dicendi magistrum Quintilia. lib. 10. Vt laboris, sic utilitatis etiam plurimũ affert stilus. Nec immerito M. Tullius hunc optimum effectorem ac magistrum dicendi uocat Plinius in epistola 29. li. 6. Multum lege, scribe, meditare, ut poßis cum uoles dicere. Quintili. lib. 2. In omnibus fere minus ualent præcepta quàm experimenta. Idem lib. 10. Consuetudo & exercitatio facilitatem maxime parit. Idem Ibidẽ, Stilus quoq; intermißione paulum admodũ de celeritate perdit. Idẽ lib. 12. Vires cito facit consuetudo. Lactantius lib. 5. cap. 8. Artes ideo discuntur ut exerceantur. Nisi de arte fiat usus.) Ouidius 2. artis. Adde quod est senibus rerum experientia maior. Solus & artifices qui facit usus adest. Hinc uetus poëta Afranius: Sophiã me Graij uocant, Latini sapientiam. Vsus me genuit pater, mater peperit memoria. Deinde Cicero li. epistolarum 9. ad Papyrium Petum: Deinde ipsa illa si qua fuit in me facultas orationis nisi

me

me ad has exercitationes retulissem exaruisset. Vsum quandoq; pro consuetudine accipimus. Ouidius in primo de arte: Vsus opus monet hoc Vati parete perito. Quandoq; pro commoda facultate administrandarum rerum. Horatius: Pauper enim non est cui rerum suppetit usus, id est, administratio. Quandoq; pro utilitate. Verg. in Bucol. Quin tu aliquid saltem potius quorum indiget usus. Scriptis autorum cuiusq; generis.) Augustinus de uera religione cap. 8. Vtamur igitur etiam hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam aduersus eorum insidias asserentes, uigilantiores & cautiores simus, etiam si eos ad salutem reuocare non possumus. Cicero in oratore perfecto: Omnium bonarum artium scriptores ac doctores & legendi & peruolutandi, & exercitationis causa laudandi interpretandi, corrigendi, uituperandi, refellendi. Fabius lib. 1. cap. 10. Rodolp. in epistola de formandis studijs. Sunt aũt euoluendi.) Quandoquidẽ in tanta librorum multitudine & in tanta ætatis fugacitate non uacat euoluere omnia, superest, ut primum legamus optima. Cũctarum enim artium si minus uersanda penetralia, uestibulum certe introspiciẽdum. Atq; ut apes non quiduis ex omnibus colligunt, sed aliunde aliud. Ita non omnia petenda ex eodem autore, sed ex unoquoq; sumẽdum quod habet utilissimum. Ex poëtis & oratoribus uerborum splẽdor. E dialecticis inueniẽdi et iudicãdi ratio. E philosophis cognitio naturæ. E Theologis præcepta uiuendi. Scientiæ, inquit, quidam sunt concathenatæ. Vt enim membrum membrũ: Ita scientia scientiã iuuat. Plato quoq; præcipit omnes scientias ediscendas. Sunt qui putent facilius esse multas experiri quàm unam secundum omnes suas rationes perdiscere. Quamob rem cum singulis artificibus de singulis artibus debemus philosophari, hoc est: Cum Orpheo tenere plectrum, cum Aesculapio matellam, Cum Archimede circinum, cum Vitruuio perpendiculum, cum Ptolomæo astrolabium, cum Alphonso tabulas, cum Athlante sydera, cum Talete pondera, cum Halysio specula, cum Zenone tẽpora, cum Pomponio climata, cũ Cryssippo numeros, cum Euclide mensuras, cum Aristotele Elenchos, cum Didimo literas, cum Vergilio poëmata, cum Tullio oratoriam, cum Dionysio Hierarchiam. Vitruuius: Neq; uero, inquit debet, nec potest architectus esse grammaticus, ut fuit Aristarchus, nec musicus, ut Aristoxenus, sed nec ἄμουσος. Nec pictor ut Apelles, sed graphidos non imperitus, nec plastes quemadmodum Myron seu Polycletus, sed rationis plasticæ non ignarus, nec denuo medicus ut Hippocrates, sed non amatrolezetos, id est, rationis medicæ imperitus, nec in cæteris doctrinis singulariter excellens, sed in his non imperitus. Sunt autem euoluendi.) Cæterum sine delectu sine ordine eos legere inscitia est. Socrates apud Platonem in dialogo de honesto: O amice, inquit, Hippia, tu quidem beatus es qui nosti quibus studere hominem deceat, & ipse abunde ut asseris studuisti. Me uero mira quædam fortuna detinet quippe qui aberro semper, atq; mẽdico. Plato in litigioso: Risu quiddam dignum nobis accidit. Etenim puerorum more qui galeritas siue alaudas insequuntur uehementi quodam affectu singulas scientias persequebamur, & illa semper quam capturos nos è uestigio putabamus fallebat & repente subterfugiebat. Ac mòx. Sed uelut in labyrinthum delapsi dum prope finem esse iam sperabamus retrogradi rursus ad principium reuertebamur eodem modo affecti quo in quæstionis initio fueramus. Leguntur quidem hodie ab omnibus ferè, omnis generis autores sed quo iudicio, quo delectu, quo deniq; fructu cæteris diuinandum relinquo. Vt plures urbes prælernauigasse pulchrum est, sed expedit unam incolere optimam: Ita quam plurima sunt cognoscenda, sequenda retinendaque optima Cuidam iactanti se quod esset πολυμαθὴς, hoc est multiplicis eruditionis, quasi nihil non didicisset, quemadmodum, inquit Ari-

stippus non hi qui plurimũ edunt excernuntq; melius ualent his qui sumunt quãtum opus est, ita non qui plurima, sed qui utilia legerunt studiosi & eruditi sunt habendi. Grauiter taxauit eos qui tumultuaria immodicaq; lectione semet ingurgitant, nec ea quæ legunt trayciunt in animum, sed tãtum reponunt in memoria, quare nec doctiores euadũt, nec meliores. Quẽadmodum enim non inscite dixit quidam cum eruditum appellandum esse, non qui didicerit plurima, sed qui optima maximeq; necessaria, ita non est necesse ut futurus inuentionis dialecticæ alumnus in quibuslibet consumat operam atq; ætatem quæ fugax est ac breuis, etiam si contingat senectus quæ non ita multis cõcessa est, sed ea primum ac potissimum discat quæ ad inueniẽdi munus sunt accommodatissima. Verum quidẽ dictum est, nullum librum esse tã malum, qui non prosit aliqua ex parte, sed quoniam nec ætas nec ingenium hominis ad omnia sufficit, consultum ab optimis exemplũ petere. Vide Richardum Paceium de fructu qui ex doctrina percipitur. Omnium artium omnisq; humanitatis.) Cicero 3. de oratore: Est etiam illa Platonis uera, & tibi Catule certè non inaudita uox, omnem doctrinam harum ingenuarum, & humanarum artium, uno quodam societatis uinculo contineri, ubi enim perspecta uis est rationis eius, quæ causæ rerum atq; exitus cognoscuntur, mirus quidem omnium, quasi consensus doctrinarum concentusq; reperitur. Cicero pro Archia: Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habẽt quoddam commune uinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur Fabius li. 1. cap. 16. Budæus in pãdectas de ἐγκυκλοπαιδεία.

Initio itaq;.) Vetus est omniumq; communis sententia, si quis ea quæ magna sunt recte transigere uelit, in paruis quibusdam iisdemq; facilioribus eum debere periculum facere. Plato in dialogo de Ente: Vt qui primo musicen discũt citharas aliquot perdunt & obterũt: Ita qui rudis accedit & imperitus ad inuentionem dialecticam. Qui uero tecto.) Dictu mirũ quam optauit 3 Rodolphus umbratili uita delitescere id quod satis cõstat ex quadã ad fratrem Io. Agricolam epistola. Incipiamus & nos ducibus illis.) Cicero de claris oratoribus nulla res tantum ad dicendum proficit quantum scriptio. Hieronymus: Lectio sine stylo somnus est. Quos quantumlibet de longinquo.) Rodolp. in epistola ad Alexandrum Hegiũ Quintilia. lib. 10. Eum nemo potest æquare cuius uestigijs sibi quisq; insistendum putat, necesse est enim semper sit posterior qui sequitur. Si qua quæstio aut argumentatio.) Fab. lib. 10. cap. 5. Nam neq; semper est desperandum, aliquid illis quæ dicta sunt, melius posse reperiri, neq; adeo ieiunam ac pauperem natura eloquentiam facit, ut una de re benedici nisi semel non possit. Ingens enim, immensa, incredibilis.) Seneca lib. 2. de ira: Atq; nihil est, inquit, tam difficile & arduum quod non humana mens uincat & in familiaritatem perducat assidua meditatio. Cui nihil propemodum difficile.) Vide adagium: exercitatio potest omnia. Qui musicis organis canunt.) Istuc ipsum exemplum est apud Georgium Trapezontium lib. rhetoricorum 5. paulo ante formas elocutonis, & apud Fab. lib. 5. cap. 10. circa calcem. Quam inueniendi uocant.) Nam altera est quæ iudicandi dicitur. Porro si quis uelit de his copiosius cognoscere, legat quæ annotauimus in lib. 1. ca. 2. Perfacile fuisse) Idem quoq; testatur lib. 1. cap. 3. Si primum locos omnes & omnia præcepta.) Cicero 1. de oratore lib. Sed profecto studia nihil prosunt perueniendi aliquo, nisi illud quod eo quo intendas ferat deducatq; cognoris. Arbitror potuisse dici.) An non uel hinc luce clarius ostendi poterit, non plures tribus scriptos fuisse, & quos scripsit istos ipsos esse quos ad fidem autographi exemplaris emendatos & omneis & integros nostro sumptu & labore curamus ædendos. Eant nunc puti furi sycophantæ quos nihil puduit impudentissimis suis illis

dan

clancularijs susurris mendacijsq; Coloniensium Typographis persuadere, non αὐτόγραφον, sed suppositicium, nō integrum, sed plane mutilum exemplar, Alardum ceu noctuam Athenas pertulisse Coloniam. Quorum Sycophātijs acceptū refero, quod bis ue ter ue amplius menses sex, non credendis impendijs hæres Coloniæ, æditione reiecta in aliud tempus non sine meo luculento dāno indidem discessi tandē. Nec hoc quicquid est iacturæ cōquererer, tametsi plus centū solidis aureis in Rodolphū fideliter restituendum simul & ædendū Dauētriæ primū deinde Louanij, postremo Coloniæ liberaliter insumpserim ac proinde (ut autor est Paulus) laborantem agricolam oportuit primum de fructibus percepisse, nisi me puderet, & uehementer quidem puderet quorundam magni alioqui nominis apud Coloniā, qui isthuc nos amplißimis euocarunt pollicitationibus. Quanquam illa ipsa quæ falso polliciti sint beneficia, semper præ me tuli. Malui me illis debere confiteri, quàm cuiquam minus prudenti nō satis gratus uideri. In breuem admodum præceptionum summam.) Id quod non minore sedulitate, quàm iuditio præstitit ut si quis alius Bartholomeus Latomus Arlunēsis uir haud segnius in bonis literis uersatus, ac omni genere philosophiæ, in cuius adeo gratiam non sum grauatus, uel Coloniam usq; per confertißimos Geldriorum sicarios, feruentißimo æstu proficisci, quo communicato illi à nobis autographo, instructior ei prodiret Epitome, quam non ita pridē audieram cū meditari, eratq; in aīo non parū multa cū hoīe in inuentione dialectica multo exercitatißimo ultro citroq; conferre. Id nisi cū primis spectassem, quosuis potius alios Coloniēses sollicitassem. Sed is mihi conatus, nihilo minus inauspicatus accidit quam priores. Malui spaciosius ea dicere.) Si diuinare licet qd scriptū uoluerit Rodolphus potius, q̄ quid scriptū sit, ausim cōtendere sic legendū hunc locū: malui spaciosius ea dicere ut legentiū utilitati cōsulerē (si q erūt qui legēdis istis fructū aliquē cōsecuturos se credent) q̄ si per capita tantū rerū irē uidererq; doctos potius quid. Sed eo aspero, difficili & impedito.) Quintil. fallit uoluptas & minus longa quæ delectāt uident, ut amœnū molle iter, etiā si est spacij amplioris minus fatigat, q̄ durū arduūq; compendium. Hæc ille: Non minima negotij pars est adeūdi negotij uiam nosse, & satis festinat qui nusq̄ aberrat à uia, sæpe & sumptū duplicat & laborem qui crebris erroribus & longis ambagibus eò peruenit quo destinarit, si tamen peruenire contingat. Porrò qui lætam magis & molliorem minusq; spinis obsitam uiā indicat is gemino beneficio iuuat uiatorem, primū ut alacris quo tendit pergat, deinde ut minore labore sumptuq; quod sequitur & assequatur. Tum ex hoc præsertim labore.) Nam præterquam quod stilum exercui plane, inquit, Rodolphus ipse uideor mihi operam perdidisse. Qui sicut plerisq; in rebus uel solus laudi sufficit.) Maiora uiribus conatus sum, & si prouinciæ susceptæ magnitudini non fecerim satis, tamen hoc ipso nomine excusabimur quod rem pulcherrimam tentauerim ἀρκεῖ δὴ ἐν μεγάλοις καὶ τὸ θέλημα μόνον. Quod si deficient uires, audacia certe Laus erit, in magnis, & uoluisse sat est. Modis omnibus & nos quoque adnisi sumus, ea quæ non satis exposita uiderentur esse ijs, qui primam inuentioni dialecticæ afferunt manum, quiq; parum exercitati sunt, uel in dialecticorum uocabulis, uel ueterū historijs, uel rhetorum præceptionibus compendio perstringere, iuxta ac loca non parū multa, unde ea poßint peti testimonia, tribus interdum uerbis subindicare. Ne minimum quidē uerbum (quod equidem sciam) aut attingens aut refellens eorum, quæ non minus copiose quàm elegāter explanauit Ioānes Phrissemius uir ingeniosißimus ac perinde eruditißimus. Etenim cum amico tam docto libenter sentimus, & tanta est hominis in literis autoritas, ut si quid ille dissentiret, nō dubitarem calculum (quod aiunt) reducere & recantato suffragio no

stro, in eius sententiam pedibus descendere. Non enim quemadmodum conuenit amantibus diuersas amicas, in eandem deperientibus male conuenit: Ita & nos quoq; dissidemus, quanquã fortasse uideamur eadem ex re quam nescio gloriolæ sumũ affectasse. Vincimur quidem, sed à uictore tam insigni, ut honestius & optabilius uideatur, sic uinci, quàm alios quosdam uicisse. Permulta prætermisi sciens ne morosiore diligentia molestus essem lectori, neue bullatis mihi nugis pagina turgeret. Iam uero tametsi hosce libros Dauentria allatos primi omnium edidimus, editosq; mox publicitus Louanij prælegimus, & has quales quales congessimus annotationes, priusquam Ioannes Phrissemius sua in apertum proferret scholia, tũ cũ uiderẽ pleraq; ab eo copiosius annotata, quæ & nos quoq; sed paucis annotaueramus, ea omnia passi sumus in spongiam incumbere, quod uererer ne lectorem oneraremus & hæc nostratia multa nimium uiderẽtur præsertim occupatis, & in inuẽtione dialectica parũ exercitatis. Erant alia quidem permulta quæ in inuentionẽ dialecticã annotarentur, nisi quo minus annotaremus omnia, præceptionũ nobis obstaret multitudo. Quod si hæ nostræ κακογράφιαι crassioribus (nequaquam enim eruditis ista paramus, sed rudibus ac plebeis uenæq; inferioris ingenijs nostra qualicunq; industria nitimur subuenire, quibus hic noster desudauit labor) utcũq; adiumento fuerint, & quanquam exiguus, tamen aliquis inde fructus illis prouenerit, bene nobis erit opera hæc posita, pulchreq; nobis fœneratã istam aratione̅ deprædicabimus. Agricola enim cũ non sine labore semina deposuit, uidens terram feracẽ segetemq; prouentu exuberantẽ, superiorum obliuiscitur laborũ & ad reliquũ operæ conseruationẽq;, lucri expectatione excitatur. Sin minus aliã sementẽ faciemus, quiescere enim non possumus nec fortasse debemus. Si agricola ubi semel aut iterũ aut sæpius semen aruo commisit, nec uotis respondet prouentus, rursus eãdem exercet segetẽ. Neq; raro fit ut totius temporis iacturã uno sarciat anno. At hæc si diligentis sit agricolæ post iacta semina, rursus omnia repetere emendãdi gratia, quæ præter spem omissa sunt. Quis nobis id uitio uerterit, ut hanc imitemur industriam? Ad hæc si agricolæ omnẽ adhibẽt diligẽtiã, ubi cõmiserint semina terræ, ne qd obsit, ut felicius proueniant oĩa, quã me tandẽ decet esse sedulitate, ne sustineã rus istud Phrisiũ lõge uberrimũ quod primi oĩm aratro proscidimus excolẽdumq; suscepimus, sterilescere. Sed iã sentio me esse lõgius prouectũ, extraq; oleas (qđ aiũt excurrisse) tñ uel nolẽtes paucula adijciemus quo nobis eruditulũ placemꝰ lectorẽ Plinianũ illud nobis haud dubie obiectrurũ. Nihil sero faciẽdũ in agricultura. Iterũq; suo quæq; tpe faciẽda & tertio ꝑtermissa frustra reuocari.

Hæc sunt lector optime, quæ partim inter restituendum, partimq; prælegendum hosce cõmentarios occurrerũt, quibus locos aliquot impeditiores explanaremus. Quod si rursus per ocium aliquando tandẽ de inuentione dialectica agere contingat, retractatius singula persequemur. Sunt sane (ut fateor ingenue) pleraq; omnia nostratia plusq̃ tumultuario studio hinc atq; hinc uellicãti cõfarcinata, planeq; αὐτοσχεδιασὶ cumulata. Nec me clã est dum promiscue uel cum puluisculo quiduis conuerrimus quædam parũ cõgruentia congessisse. Vetus est illud χαριεντικὸν χωρὶς τοῦ εἰπεῖν πολλὰ καὶ τὰ καίρια. Sed tamẽ qualiacunq; hæc sunt, hoc tãtum habeo polliceri, te nihil quicq̃ in totũ in hisce nostris annotaciũculis inuẽturũ, quod ante nos à quoq̃ (ni fallor) sit proditũ. Quod si quædã in his quæ ex diuersis in unũ locũ coactis autoribus adducimus, nõ satis fideliter, nec satis apposite adduxisse uidebimur (homo enim sum, humani nihil à me alienũ puto) & haud dubie, multa fefellerunt, neq; cũ iustũ satis ociũ ad operis difficillimi inquisitionẽ mihi sumere potui, sed succisiuis tñ horis hasce κακοσυνθεσίας πάντη χείρους οὖσα ὀνείρατα λέγοντες cõgessimus: docti ab aliquo libẽter sentẽtiã cõmutabimus, atq; palinodiam

sinodiā cātabimus. Non em̄ parū cognosse, sed in parū cognito stulte, & diu perseuerasse turpe est. Propterea q̄d alterū cōmune hoīm infirmitati, alterū singulari uniuscuiusq; uitio attributū est. Iā uero si locis aliquot nō prorsus ex omni parte cū quibusdā consentiā, hactenus cōsentio tn̄, ut intelligas (opinor) quid uelit ipse Rodolphus. Annotatoris em̄ officiū est, nō qd ipse uelit, sed quid sentiat ille quem interpretatur, exponere. Proinde hic mihi unicus fuit scopus, ut principio mendas plusquam prodigiosissimas tollerem, deinde germanam lectionem exhiberem. Ad postremum anfractus ὑπερβάτων explicarem, & locos aliquot non cuilibet obuios enodatius explanarem, idq; breuissime simul ac apertissime. Neq; erat consilij minutias omneis expendere, sed eas duntaxat quæ ingenijs remoram facerent. Permulta alia potuissem paßim hisce annotatiōibus infulcire, quo magis uolumē uelut allia cresceret in caput, si ambitiose testimonia conquirere studuissem, si uiderer potius habuisse studio, quid ego q̄ quem restituendum, paucisq; enarrandum suscepissem uellet, conatus essem ostendere. Annotatoris enim munus est, non quo ipse disertus appareat, sed quo eum qui lecturus est, sic faciet intelligere, quomodo ipse qui scripsit intellexit. Hoc est, debet ea quæ obscura sunt perspicere, aperteq; dilucidare, & non tam disertitudinem suam ostendere, q̄ sensum eius quem explanat edisserere. Deniq; ut semel finiam, si hoc spectassem ut annotationes nostræ alio interprete indigerent, quod plerisq; nimium disertis accidere solet, ut maior sit difficultas in eorum explanationibus, q̄ in his quæ explanare conantur. Peruasit quidē iam multos ista persuasio, ut id demum eleganter atq; exquisite dictum putent, quod interpretandū sit. Hanc adijcere coronidem superuacaneum erat, nisi hoc seculo nihil non arroderet calumnia.

τέλος.

SCHOLIA IN ORATIONEM PRO LEGE MANILIA. QVIBVS EA POTISSIMVM, quæ ad dialecticen, hoc est, inueniendi iudicandiq; rationem attinere uidentur, breuiter explicantur.

Argumentum orationis Ciceronis pro lege Manilia.



QVum populus Romanus multos iam annos aduersus Mithridatem regē Ponti bellum geßisset, isq; à Romanis ducibus subinde uictus esset, & nihilominus pulsus regnaret, tandem legem tulit Manilius, qua Pompeius ei bello imperator præficeretur, quæ lex cum magnis uiris in primis Hortensio, & Catulo displiceret, Cicero tamen hac oratione ita eam suasit, ut & persuaserit.

Tamen hoc aditu laudis qui semper.

Duæ fuerunt ciuitates, in quibus maxime floruit eloquētia. Athenæ & Roma. Apud Romanos & Athenienses nulla erat uia facilior ad consequendos honores, q̄ frequenter in concionibus uersari, & quam quisq; dicendo erat promptißimus, tam facillime honores ei demandabantur. (Industria) quam Græci φιλοπονίαν, id est, studium quoddam laboris, aut laborandi, hinc industrius, qui est propensus ad laborem. Cicero tempora in numero multitudinis sæpenumero pro periculis ponit, ut temporibus meis semper forti animo fuit. Tēporibus tuis nunq̄ defui neq; decro. Priuatus apud Latinos est quod apud Græcos idiota, qui scilicet nullū publicum magistratū gerit. Cicero fere semper defendit, neminē unq̄ accusauit extra unū Verrē, quo factū est, ut populo gratißimus semper fuerit, defensores nāq; acceptiores erant accusatoribus, Comitia dicebantur, quibus populus coibat ad ferenda suffragia in rem quampiā, iubēdo uidelicet aut uetādo, dicta comitia quasi coitia, sed uocalita

tis causa interponitur m. hæc autem comitia duplicia erant, Curiata & centuriata, ad quod intelligendum nosse oportet populum Rom. à Seruio Tullo rege, in classes distributum fuisse, & singulis claßibus aliquot fuisse centurias subiectas. Porro centuriæ unius centum homines iustus erat numerus, dicebantur ergo centuriata comitia, quibus singulæ centuriæ singula suffragia ferebant. Curiata autem quoties à populo uniuerso uiritim suffragia ferebantur, magistratus autem solebat creari centuriatis comitijs qua de re Plinius lib. 33. capite 2. & lib. 8. capite 3. & Gellius. Legionis iustus numerus erant milia. Competitores sunt riuales. Autoritas est opinio quædam qua fit ut facile subscribant. Honores pluraliter sunt magistratus & dignitates. Facultas in rebus est id quod facilitas in moribus. Estq; facilitas uirtus illa qua fit ut alios facile ad colloquium nostrum admittamus. Po. Ro. tribus hominum generibus constat patricio, equestri, plebeio ordine. Cice. de 2. ordine fuit. Suscipere pœnam non ita frequens loquẽdi genus, dare pœnam frequentißimum. Belli Achaici, quo est deleta Corinthus, Critolaum quendam fuisse causam scribit Lucius Florus, is enim libertate ab Romanis data aduersus ipsos abusus est, legatosq; eorum dubium an & manu, certe oratione uulnerauit, quæ res in causa fuit ut deleretur Corinthus. Hunc legatum Manium Attilium fuisse, autor est Oppianus, quem cum Mithridates redegisset in manus suas, in asino uinctum circumduci iußit præcedenti tibicine, qui uidentibus hunc Manium esse annunciaret, deinde in Pergano os eius liquefacto auro oppleri iußit, auaritiam Romanis exprobrans atque his modis uirum excruciatum interfecit. Ius legatorum erat, ut impune essent, irent atq; redirent, legati enim sacrosancti erant. Tarentinum bellum opinor significari, hi enim cum classem Romanam contumeliose tractassent, ac deinde legatos quinque ob id missos non minore iniuria affecissent, indictum est bellum. Calamitatem, autore Donato, rustici prope grandinem uocant, eo quòd calamos comminuat, accipitur tamen per translationem pro quouis dispendio, & sterilitate: in summa, calamitas apud Latinos fere idem est, quod ærũna apud Græcos. Publicani sunt qui rebus ad populum spectantibus utuntur, atque omnes qui à fisco aliquid conductum habent, recte publicani nominantur. Hæc sumpta ex Vlpiano iurecconsulto. Salinæ fossæ sunt quibus sal fit. Sunt qui dubitant num fructuosum sit uox latinis auribus recepta. Sunt qui putant utiq; Latine dici, quod hoc in loco Cicero eo utatur. Secundum ius ciuile non sunt prohibitæ, & hoc meminisse hic oportet: hinc habebant olim trapezitas suos. Cicero in officijs: Fides inde dicta quòd fiat id quod diximus. Autore Plutarcho Mithridates in aduentum Luculli coegerat centum uiginti milia peditum, decem & sex milia equitum. Quum Lucullus Mithridatem Media debellare statuisset, ille prima uigilia noctis castra egressus, Ciricium Asiæ urbem obsidere cœpit, à qua illum obsidione desistere non tam armis quàm fame & inedia coëgit Lucullus. hanc rem ad longum Plutarchus in uita Luculli. Scribit Plutarchus 13. quinqueremium classem à Lucullo deletam fuisse occiso duce claßis Isidoro. Porro Appianus autor est uiginti hominum milia quinquaginta nauibus imposita fuisse, eam'que classem fuisse commissam Varo duci Sertoriano. Quum Mithridates partem exercitus sui in Bithyniam misisset, Lucullus eos adsecutus apud Rindacium fluuium multos occidit, atque cum sex milibus equorum, quindecim uirorum milia cepit, deinde apud Granicum fluuium captis rursum quàm plurimis, uiginti hominum milia trucidauit. Oppianus scribit Ponti ciuitates primo statim aduentu Luculli ceßisse præter Sinopen, quam Lucullus cepit ac liberam esse iußit, deinde eodem Oppiano autore ad Amisum supra Sinopen castra posuit, eam'que captam suis legibus uiuere permisit. Alexander ille magnus dice-

Legati quod erant appellati supbius.

Qui legatũ P.R. consularem.

Sæpe nauiculatoribus.

Dico eius aduentu maximas Mithri. copias. Vrbemq; Asiæ clarißimam. Magnas hostiũ præterea copias.

Sinopen, atq; Amisum.

dicere solebat, se urbes capere, non ut homines occideret, aedificia exureret, sed ut eis meliores leges praescriberet, ut iam non hostis, sed deus aliquis uideretur aduenisse. Templum religiosum est quod uenerationis plenum est. Nam Sextilius Luculli legatus Ariobarzanē à Tigrane missum tumultuario certamine uicerat, deinde Lucullus ipse maximū Tigranis exercitum minimo negocio profligauit, ac magna ex parte deleuit, adeo ut autor sit Plutarchus plusq̄ centum milia peditum in eo praelio concidisse, equitum porro paucos effugisse. Monet Fab. Quintilia. Ciceronem saepe uti hac clausula & quidem in fine, quod uel ex hac oratione animaduertere est. Sanctum id dicitur quod uiolari non debet. Hanc cladem de qua Cicero loquitur Triario duce Romani acceperunt. Tacitus in uita Neronis scribit Pompeium fuisse ducem exercitus anno aetatis suae 18. Extremam pueritiam uocat extremam pueritiae partem. Certare concertare ad uerba. Confligere ad factum proprie spectat. Hoc est quod ipse Pompeius aliquando apud censores gloriatus fuit. Romae mos erat, ut equites qui legitimum tempus militassent, equum in forum deducerent, ad duumuiros quos censores appellant, & commemoratis expeditionibus ac ducibus sub quibus meruissent, pro meritis aut collaudarentur, aut uituperarentur. Itaq; Pompeius quum esset consul, ipse equum ad censores Gallium ac Lentulum deduxit. Quibus ex more percontantibus, an omnia militaria munia obisset, omnia, inquit, sub me ipso imperatore. Significans se sic gessisse ducem, ut nihilo secius omnes militis partes gnauiter praestaret. Idem & imperator bonus, & miles strennuus, qua laude nulla principi maior potest contingere: autor Plutar. in uita Pompei. Fortitudo proprie uirtus ea, qua habita ratione, pericula, ac mortem contemnimus, aut sic: periculorum cum ratione contemptus. Quum Pompeius Syllanis partibus se adiungere decreuisset, maximū ipse exercitum ex Picenis comparauit. Neq; prius ad Syllam uenit, quàm multis praelijs diuersos duces aduersariorum deuicisset. Quamobrem ut primum in Syllae conspectum uenit, imperator ab eo salutatus est. Sylla porro pacata Italia eo usq; demiratus est uirtutem Pompei, ut affinitate quoq; eum sibi adiungendum putaret ac proinde priuignam suam illi in matrimoniū locauit. Pompeius posteaquam Aemiliam Syllae priuignam duxisset, declaratus fuit dux contra Perpennam qui occuparat Siciliam, uerum ille non expectato aduentu Pompei ex ea insula excessit. Vix pacata erat Sicilia, cum Pompeio à senatu literae adferuntur ut in Asiam traijceret, ibi bellum gesturus aduersus Domicium, quam rem tam prospere confecit, ut inde reuersus à Sylla ipso primum magnus salutaretur, ac praeter consuetudinem iuuenis uix pubescens triumpharet. Imperatores non dicebantur ab exercitu, nisi egregium facinus, aut stratagemata confecissent. Noueris orientem solem à pluribus honorari quàm occidentem, uerbum Pompei & quidem audax ad Syllam. Triumphet ergo Sylla, inquit, Vide Plutarchum in uita Pompei. Oppianus scribit Pompeium per Galliam in Hispaniam profectum fuisse. Caeterum de praelio cum Gallis commisso non meminit, quemadmodū ne Plutarchus quidē, quo fit ut credā solū Ciceronē hoc loco eius praelij autorē esse. In Hispania Pōpeius uicit Sertoriū, contra quem diu iam bellū gesserat Metellus. Quum Crassus bellum gereret aduersus Spartacum latronem, diuq; id bellum traheretur, & quotidie horribilius fieret, fuerunt apud Romanos quibus placeret accersi Pompeium, & quanquam Crassus egregie uicisset, tamen Pompeius ex Hispania reuersus reliquias eius belli de medio sustulit, quo factum est ut non minor gloria eius belli ad Pompeium, quàm ad Crassum redierit. Haec Plutarchus in uita Crassi & Pompei. De bello Piratico loquitur quo omnia maris loca tam infesta erant, ut nemini prorsus tuto usquam nauigare liceret, quod bellum bre-

Et praelijs usi erat secūdis.

Quae tanta fuit ut eam ad aures.

Ineunte adolescentia.

Non alienis praeceptis sed suis imperijs.

Testis est Italia quam ipse uictor.

Testis est Sicilia quam.

Testis est Gallia per quā.

Testis est Hispania quae.

Testis iterū & saepius Italia. Deniq; maria omnia

Quam multas existimatis nisi.

Cum exercitus nostri.

Cum 12. secures in prædo.

Nam quod ego Hostiēsi.

lum breuißimo tēpore confecit Pōpeius ut infra audiemus. Autore Plutarcho Piratæ quadringentas sibi urbes subegerāt, Oppianus de piratis loquens, nam neq;, inquit, appropinquādo Murenæ ad eos, neq; Seruilij Isaurici aduentus post illū quicq̄ profecerat, sed iam Italiæ maritimā oram circa Brundusiū, & Tyremā audacter inuaserāt, & mulieres nobiliū hinc inde transeuntes, simulq́; duos exercitus cum signis interceperant, Scribit Plutar. duos prætores à piratis captos fuisse, quod & Cicero hic innuit, quū dicit 12. secures in illorū uenisse potestatem, quandoquidem singulis prætoribus seni fasces præferri solebāt, ut cōsulibus duodeni Misenū promontoriū est ab Aeneæ tibicine sic appellatū, autor est Pompeius Sextus. Hostia urbis nomen est, ubi & tempore Ciceronis portū fuisse ex hoc loco apparet. Postea certe Claudius imperator portū ibi faciendū curauit. Obsides ij homines qui uicti in manum uictoris tradi solent, hac lege ut si pax conuenta à uictis non seruetur, tum uictori ius sit sæuiendi in corpus ac uitam istorū obsidū. Deprecatores sunt qui precibus student culpam diluere, ueniā culpæ impetrare. Cēturiatus aliud non est, q̄ cēturionis officiū. Efferre calamitatem rarū loquendi genus. Accipere calamitatem frequens. Per hyberna intellige tempus illud quo milites frigoris uitandi causa in urbes sociorū secedere solebant, aut locū, aut tempus in quo hybernabāt aut hyemabāt milites. Excellere cæteros frequentius, excellere cæteris rarius, & Ciceronianū. Annona est annuus cibus. Referre ad senatū, est rem in senatu proponere, ita ut singulorū senatorū audiantur sententiæ. Intercedere est sese opponere, ne quid decernatur aut fiat. Nam consuetudo habebat ut ordo quidam in adipiscendis honoribus seruaretur, ita ut primū fierent quæstores, deinde ædiles, hinc prætores, tum deinde consules. Pompeio autem mandatus fuit consulatus, anteq̄ aliorū magistratuū aliquem per ætatem gerere posset. Vulgatum uerbū est, contraria iuxta se collata magis elucescere, quale quiddam & in Pompeio fuisse hic innuit Cicero, qui tametsi suis uirtutibus magnus erat, tamen maior esse uidebatur cum ipsius uirtutes, cum aliorū uitijs cōferrentur. Docent Grāmatici extare idem esse quod eminere, & recte quidem docent, uerū si quis non præterea aliud significare dixerit, errabit nimirū quando pro fui, fuisti quoq; capitur.

An hybernis sociorum ciuitates esse delectas.

De quo legādo Coss. Spero ad senatū.

Quasi uero Cne. Pom. nō cū suis uirtu.

Initio quum hanc orationem auspicaremur, duo polliciti sumus, principio nos in hac oratione functuros munere grammatici, deinde sub oculos, id quod ad dialecticū pertinet, posituros. Defuncti itaq; grammatici munere utcūq;, reliquū esse uidetur ut aggrediamur, id quod ad dialecticū attinere uidetur, idq́; maxime iuxta inuentionis dialecticæ præcepta. Neq; hoc prorsus alienū à rhetore esse uidebitur. Tria sunt genera causarum, demonstratiuum, est quo laudamus aut reprehendimus: deliberatiuum, est quo suademus aut dissuademus. Iudiciale quo accusamus aut defendimus. Hæc ergo oratio tota uersatur in genere deliberatiuo. Suadet enim Cicero, ut Pōpeius præficiatur bello Mithridatico. Neq; mirū uideri debet, si in media oratione, nonnihil ad genus demonstratiuū deflectat, quū hæc tria genera usq; adeo diuersa non sint, quin demōstratiuū reliquis duobus sæpenumero admisceatur, ut est uidere, cum in multis Ciceronis orationibus, tū uero maxime simul & apertißime in oratione eius pro Archia poëta, quæ uersatur in genere dicendi Iudiciali, quod cōstat & accusatione & defensione, obiter tamen in genere quoque demonstratiuo uersatur, quo Archias, & cæteri poëtæ in cœlū usq; laudibus uehuntur. Constat oratio hæc, quemadmodū & ceteræ fere, 4. partibus: Exordio, Narratione, Confirmatione, & Epilogo. Quamq̄ aūt tria fieri consueuerūt in exordio, ut auditor reddatur beneuolus, attentus, docilis, in hoc tamen exordio solū illud agit ut comparet sibi auditorum beneuolentiam, propterea quòd sciret per se satis attentos fore, neque de docilitate curandum

Quanq̄ noster semper frequens.

dum

dum erat cum res seu causa nullam in se habeat obscuritatem. Omnis autem beneuolentia ducitur ex persona, uel nostra, uel alterius &c. Porro beneuolentiam auditorum dupliciter hic captat. Principio oblique ac indirecte remouendo ea quæ obstare sibi uidebantur, deinde directe atq; aperte spondens Pop. Rom. officium suum quibus in fine subiungit personam Pompei, sciens nihil tam placere populo, quàm audire de laudibus uiri illius. Narratio est eius rei de qua agitur expositio: porro ea quæ ad causas pertinet debet in primis esse breuis, debet esse perspicua, debet & probabilis esse. Omnia hæc sunt diligentißime à Cicerone obseruata, non autē satis est narrationem per se esse probabilem, nisi etiam rei propositæ ita sit accommodata, ut firmamenta totius causæ hinc duci poßint. Id quod diligentißime in hac oratione præstitit Cicero, hisce de rebus uide Fabium libro 4. capite de narratione. Partitio pars quædam & uelut ingressus, ac principium est confirmationis, solet ea duo habere capita, quorum altero explicari consueuit, quid nobis cum aduersario conuenit, & quid in controuersia relinquatur. Altero proponi solet, quid nos in præsenti controuersia acturi sumus. Cicero hoc loco 2. tantum capite utitur, cum proponit sibi explicanda hic esse &c. Quæstio principalis quam tota hac confirmatione tractat Cicero, est: An Cn. Pompeius sit à Populo Romano ad Mithridaticum bellum deligendus. Verum hæc quæstio multas in se inclusas habet quæstiones, quasi subsidiarias, quæ quomodo ex ea poßunt educi docemus libro secundo capite 14. Cicero tamen ex omnibus illis, solas duas sibi disputandas sumpsit, quæ ex earum genere sunt quæstionum, quæ per conditionem quandam inferuntur, quarum tamen duarum quæstionum hic mire utilis explicatio erat, nisi enim constitisset bellum hoc esse necessarium, nihil causæ futurum erat, cur ad id bellum ullus deligeretur imperator, & rursum nisi magnum fuisset ac proinde periculosum, tum necesse non fuisset Pompeium huic bello ducem creari, quum alius quiuis ei bello sufficere potuisset. Ac proinde dum singula diligentius inspicio, putem priorem illam ex his duabus quæstionibus non de earum esse quæstionum numero, quæ per conditionem inferuntur, sed potius de genere illarum, quæ ex his quæ necessario in uerbis latent.

QVID SI BELLVM SIT,
Magnum. Necessarium.

Ponitur assumptio, id est, minor propositio loco totius argumentationis, quam Cicero ipse paulopost explicat, poteståq; tota ratiocinatio in hunc modum absolui: Illud bellum necessario uobis gerendum est, in quo agitur salus sociorum: At in hoc bello Mithridatico salus sociorum agitur, proinde hoc bellum necessario uobis suscipiendum atque gerendum est. Huius argumentationis medium est, salus sociorum, quod si conferatur cum hoc bello, spectabit ad locum causæ finalis. Bellum enim hoc ideo gerendum, ut conseruetur salus sociorum, atqui si idem hoc medium cum Romanis conferas, argumentum erit ex loco connexorum, nam socij seu societas è nominum grege est quæ ad connexa pertinent. His uerbis probatur maior ratiocinationis iam dictæ. Poteståq; enthymema perfici hoc modo. Maiores nostri, sociorum causa, multa & magna bella gesserunt, proinde ea nobis suscipienda, in quibus salus sociorum. Argumentatio ducta est à comparatis. At negauerit aliquis huius enthymematis propositionem, quod ne fiat Cicero probat argumentatione ducta à speciebus belli, eo quod gestū fuit cum Philippo, item quod cum Aetolis, Item quod cū Cartha: Primæ ac principalis argumētionis assumptio hæc fuit: in hoc bello agi salutem sociorū, quam si quis neget Cicero eā probat, argumētatione ducta à speciebus, socij enim generale nomē est, species autē sunt hi, & illi

Agitur salus sociorū atq;.

Pro qua multa maiores nostri.

Quid q; sociorum salus in summum.

Aguntur certissima P.R. uectigalia.
Quibus omissis & pacis orna.

& illi socij, nempe Ariobarzanes, & ciuitates Asiæ, & Græcorum. Hæc est secunda argumentatio principalis, quam hoc modo explices licet. In quocunque bello aguntur maxima & certissima uectigalia Pop. Rom. id bellum uobis suscipiendum: Atqui in hoc bello aguntur maxima ac certissima populi Romani uectigalia, proinde hoc bellum uobis suscipiendum atque gerendum. His uerbis probat maiorem propositionem iam dictæ argumentationis, quasi hoc dicat: Quæcunque res sunt eiusmodi, ut eis amissis & ornamenta pacis & belli subsidia sitis requisituri, eæ res uobis armis ac bello tutandæ sunt. Atqui uectigalibus amissis, ornamenta pacis & belli subsidia requiretis, proinde uectigalia uobis armis ac bello defendenda sunt. Argumentatio ducta ex fine ipsorum uectigalium. Apud Ciceronem ferè semper minor propositio ponitur loco totius argumentationis, quod cum fit frequenter, probat maiorem, quam non explicauit. Quod facile animaduertit quisquis Ciceronem non oscitanter excusserit. Rursum suo more Cicero loco maioris omissæ, probationem eius subiungit. Fit argumentatio hoc modo: Quorumcunq; utilitati uos & imperatores uestri consulere debetis, propter eorum etiam bona defendenda bellum est uobis suscipiendum. Atqui ciuium utilitati uos & imperatores consulere debetis, proinde ad defendenda bona multorum ciuium, bellum est uobis suscipiendum. Probatio hæc est minoris tertiæ argumentationis principalis, ducta à specie. Ciuiũ enim nomen generale est, sub quo continentur publicani, cæteri ciues, quasi species quædam. Quarta argumentatio principalis: In quocunque bello gloria uobis quærenda est, & ignominia delenda id bellum omnino suscipere debetis. Atqui in hoc bello & paranda est uobis gloria, & ignominia delenda, proinde hoc bellum uobis suscipiendum. Habet hæc argumentatio plus in specie quàm re ipsa. Huius argumentationis medium, nempe gloria & ignominia, si cum Romanis conferas ducta ex hoc loco comparatorum. His uerbis probat maiorem propositionem iam dictæ argumentationis quasi hoc dicat: Ob quascunque causas maiores uestri bella susceperunt, ac gesserunt, ob easdem & uos bellum & suscipere & gerere debetis. Atqui maiores uestri plurima bella gesserunt ad parandam gloriam, & ignominiam abolendam, proinde uos quoque gloriæ parandæ & ignominiæ abolendæ causa, bellum suscipere ac gerere debetis. Porro medium huius probationis est, maiores uestri, quod si conferas cum Romanis certum erit totam hanc ratiocinationem duci ex loco comparatorum. Hisce uerbis probatur minor quartæ argumentatiocis. Videturq; argumentatio à specie ducta si diligentius inspiciatur, nam ignominiæ uocabulum generale est, ignominia autem à Mithridate accepta, species quædam ignominiæ esse uidetur. Tacita obiectio est, per quam uideri poterat bellum hoc non esse magnum aut periculosum, argumentatio ducta à remotione causæ efficientis. Magnitudinem belli una ratione ostendit ducta argumentatione à causis efficientibus. Quod enim bellum duo magni reges gerunt, quod multæ ac bellicosæ gentes suscipiunt, id magnum ac periculosum sit oportet. Atqui hoc bellum duo potentissimi reges Mithridates & Tigranes gerunt, similiter & bellicosissimæ gentes eis sese adiungunt, proinde hoc bellum magnum sit necesse est. Duplici argumentatione est opus, ut ex his Ciceronis uerbis intelligatur id quo hæc tendit oratio, quarum priorem uelut notam iam accipit Cicero, potestq; ea formari hoc modo: Ad bellum necessarium ac periculosum deligendus est imperator optimus, hoc autem bellum, & necessarium & periculosum est, proinde ad hoc bellum optimus imperator deligendus est. Altera est: Is demum huic bello præficiendus est, qui imperator sit optimus. Atqui Pompeius optimus nostro hoc æuo est imperator, proinde solus Pompeius huic bello præficiendus est.

Aguntur bona multorum ciuium.
Nã & publicani homines honest.
Et quoniam semper appetẽtes gloriæ.
Sed pro uestri imperij dignitate.
Ex hisq; una tota Asia.
Requiretur fortasse nũc.
Nunc de magnitudine belli.
Ego enim sic existimo in summo.

Quod

Quod autem Pompeius sit optimus imperator, id ostendit Cicero eiusmodi syllogismo. Ille demum optimus imperator censeri debet, in quo hæc quatuor potissimum insunt rei militaris scientia, uirtus, felicitas, autoritas. Atqui hæc quatuor potissimum insunt Pompeio, ergo Cn. Pomp. optimus censeri debet imperator. Hæc argumentatio ducta ab adiacentibus Pompei, nam scientia, uirtus, felicitas, autoritas, &c. quædam Pompei sunt adiacentia, quæ si ad imperatorem referas iam aut destinata aut secundaria quædam efficientia sunt. Hæc profectio in militiam si Pompeio comparetur actus est, at si ad scientiam referas, iam destinatum est. Hoc fuisse militem, si comparetur ad scientiam iterum destinatum est, at si ad Pompeium referatur, tum mihi potissimum inter actus connumerandum uidetur, etiamsi me minime lateat nomen militis de genere esse connexorum. Non sine causa adijcit summi imperatoris. Imperator enim comparatus scientiæ militis, causa efficiens est, quemadmodum præceptor efficiens est eius eruditionis, quæ est in discipulo. Hoc fuisse imperatorem, si Pompeio comparetur potest referri ad numerum connexorum: est enim imperator connexum, at si comparetur ad scientiam militarem, iam trifariam considerari potest, principio quasi effectus quidam scientiæ, nam scientia optimum imperatorem solet efficere, & hac ratione pertinebit ad locum effectorum, potest deinde considerari, quatenus Pompeius ideo id ætatis exercitum duxerit, quo rei militaris peritus fieret, & secundum hunc modum destinatum esse uidebitur, potest tertio considerari tanquam certum signum scientiæ, atque hoc respectu non immerito referretur ad locum contingentium. Iam illa, cum hoste conflixisse, bella gessisse, prouincias confecisse, omnia actus quidem Pompei sunt, sed scientiæ indicia & signa quæ plerunque pertinent ad contingentia.

Atq; in militiæ disciplinā Miles fuit.

Imperatores summi.

Maxime exercitus ipse imperator.

Probat idem quod supra, nempe præcipuam quandam rei militaris scientiam inesse Pompeio. Ratiocinatio effingi potest hoc modo: Quisquis in omnibus pene bellis exercitatus atque uersatus est, huic præcipua quædam rei militaris scientia inest. Atqui Cn. Pompeius in omnibus pene bellis exercitatus atque uersatus est. Proinde Cn. Pompeio necesse est præcipuam quandam rei militaris scientiam inesse. Huius argumentationis extremum minus est Pompeius, maius autem, scientem esse rei militaris, medium autem, in omnibus reip. bellis exercitatum esse, quod mediū si conferas cum Pompeio actus est, sin uero cum rei militaris scientia iam trifariā considerari potest, primū quasi inditiū ac signū quoddā scientiæ atq; hoc modo pertinebit ad locū contingentiū, at si mediū idem spectetur quasi ideo Pompeius sese exercuerit, ut rei militiæ scientiam assequeretur ex loco erit destinatorū, potest tertio idē hoc mediū accipi tanq̄ causa quædā secundaria, quod cum fit haud dubie ad locū spectabit efficientium. His uerbis probat assumptionē, argumentatione ducta à speciebus belli. Fuit paulo ante à Cicerone dictū, ideo Cn. Pompeium esse summū imperatorem, quod in eo inesset scientia, uirtus, felicitas, autoritasq;. Posteaquam ergo probatum est, scientiam rei militaris minime ei deesse, reliquum est ut demonstret & uirtutem eidem inesse, quod facit argumentatione ducta à speciebus uirtutis, cum dicit, in Cn. Pompeio inest labor in negocijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, in prouidendo consilium. Item, in eodem est innocentia, temperantia, comitas, fides, humanitas: Proinde omnes uirtutes in Cn. Pompeio imperatore inueniuntur. Omnia quæ sequuntur per uersus aliquot actus sunt Pompei, at si cum uirtutibus prædictis conferantur earum uideri possunt indicia, ac proinde ad contingentium locum referenda, quanquam etiam accipi possunt, tanquam effecta quædam dictarum uirtutum, quod si fiat ad euentorum locum pertinebunt.

Quod deniq; genus belli.

Ciuile Africa.

Iā uero Cn. Pom. uirtut.

Testis est Italia, Gallia, Hispa. &c.

Quem enim possumus imperato. Ostendendum est in Pompeio summam inesse innocentiam quod commodißime se factu-rum putat Cicero, si cum alijs conferat, & si paulo intimius rem totam intueamur, argumentatio erit ducta ex oppositis. Cum dicit in quorum imperatorum exercitu cẽturiatus uendun tur, qui pecuniam magistratibus diuidunt uel Romæ in quæstum relinquunt, item socijs plura damna quàm hostibus inferunt, hi sunt nocentes, ergo Pompeius in quo nihil tale esse uidimus est innocens: eodem modo argumentetur: Anima quæ peccat morietur, ergo quæ non peccat uiuet. Si amicis benefaciendum, ergo inimicis male, uerum hoc uetat Christus.

Vnde illã tãtã celeritatẽ. Temperantiam in Pompeio esse ostendit ex contingentibus, nam celeritas illa belli conficiendi relata ad temperantiam contingens est, & indicium quoddam temperantiæ. Argumentatio figurari potest hoc modo: In quocunq; est summa quædam bellorum conficiendorum celeritas, in eo & summam temperantiam inesse necesse est. Atqui in Cn. Pompeio summa quædam bellorum conficiendorũ inest celeritas, proinde in eodem Pompeio summam inesse tẽperantiam necesse est.

Non enim illum eximia quædam uis. Hisce uerbis id agit, ut ex remotione causarum ostendat hanc celeritatem Pompei non fuisse aliud quàm temperantiam, nam remiges & ars nauigandi, & uenti noui poterant uideri in causa fuisse, cur Pompeius celerius nauigaret quàm cæteri, ergo hisce causis remotis illud superest, ut temperantiam eius huiusce celeritatis causam fuisse dicamus. Quanquam si uim argumenti attendamus, ductum uidebitur ex loco differentium, potestque effingi hoc modo. Hanc celeritatem aut à temperantia, aut ab eximia quadam arte nauigandi, aut à nouis uentis quibusdam profectam esse oportet, apud philosophos nostri seculi esset ductum ex loco diuisionis, uerum illum locum comprehendimus sub differentium loco.

Nõ auaritia ab instituto cursu. Confirmat idem ex remotione earum causarum, quæ in reliquis imperatoribus inducere solent tarditatem, cum dicit cæteris intemperantia sua esse solet causa tarditatis, proinde Cn. Pompeio sua temperantia fuit causa celeritatis, argumentum ab oppositis.

Iam uero ita facilis aditus ad cũ priua. Facilitatem in eodem Pompeio inesse ostendit ex proprio ipsius facilitatis effectu, nam facilitas quæ & comitas dici potest est uirtus illa qua neminem facile à colloquio nostro arcemus, sed pauperes æque atq; diuites ad colloquium nostrum admittimus.

Et quisq̃ dubitabit quin huic. Mos est oratorum ut quanquam in præsentia aliud agant, hoc est, minus principalem aliquam quæstionem tractent, tamen subinde respectent ad causam principalem, id quod hoc loco diligenter obseruat Cicero. Nam ostendendum erat in Pompeio inesse omnes uirtutes eas, quæ in summo imperatore requirantur, quod quũ satis probasset, deinde uelut impetu quodam orationis huc delatus, addit id quod tota oratione docere instituit, nempe Pompeiũ huic bello præficiendũ esse.

Vehementer autẽ pertinere ad. Ostendit in imperatore autoritatem requiri, idq; argumento ducto ex effectu autoritatis, siquidem autoritas imperatoris id efficit ne imperator contemnatur ab hostibus.

Quod igitur Ostendit in Pompeio autoritatem inesse, ratiocinatio concinnari potest hoc modo: Cuiuscunq; hominis illustre nomen, & magnæ res gestæ, & de quo uos magna ac præclara iudicia fecistis, in eo homine summa nimirum inest autoritas: nomen Pomp. multo est illustrißimum, res autem gestæ maximæ & de eodem uos magna ac præclara iudicia fecistis, ergo in Pompeio summa nimirum inest autoritas. Huius argumentationis extremum maius est autoritas, minus Pompeius, medium uero est, illustre nomen, & res gestæ & iudicia Populi Romani, quæ omnia si conferantur autoritati, procul dubio spectabunt ad locum causarum.

Itaq; ut plura non dicã. Si quis hæc diligentius paulo rimetur, uidebit ea ad duo accommodari posse, nam principio hinc confirmatur maior illa, quã proposuimus in summo imperatore inesse debere autoritatem, quod his uerbis ostendit Cicero, argumentatione ducta à specie,

ac si

ac si dicat: Pompei autoritas plurimum in bello potuit, Ergo uniuscuiusq; imperatoris autoritas multum in bello potuerit si adsit. Possunt eadem uerba applicari ad probandam minorem, qua diximus in Pompeio summam inesse autoritatem, quod cum sit, argumentatio ducta uidetur ex effectis autoritatis, nam uilitas ista annonæ, & repressus Mithridates, & deditio hostium, & Cretensium ad Pompeium profectio, & legatus missus à Mithridate, hæc inquam omnia uelut effecta quædam sunt maximæ cuiusdam autoritatis in Pompe. etiamsi me non latet, hæc eadem tanquam inditia quædam accipi posse, quod si fiat pertinebunt ad locum contingentium. Duo hac parte uult ostendere Cice. primum felicitatis rationem habendam esse in deligendo imperatore, secundum in Pomp. felicitatem inesse, primum illud ostendit hoc modo: in Fabio Maximo, in Marcello, in Scipione, in Mario habita fuit ratio felicitatis, proinde in omni imperatore deligendo felicitatis ratio habenda est, hic constat argumentationem duci ex loco specierum, nam imperator genus est, cuius species sunt, Fabius, Scipio &c. Hanc probationē si quis accuratius intueatur, ductam uidebit ex finitione felicitatis, & eiusdem proprijs, nam felicitas hoc quidem loco aliud non est quàm optatus quidam in rebus gerendis successus. Hic autem successus in eo consistit, si cui ciues assentiant, socij obtemperent, hostes obediant & uenti obsecūdent. Hoc dicit, multi alij sunt haud quaquam tam felices q̃ est Pompeius, & tamen hos felices iudicamus, proinde nobis esse dubium non debet, quin in Pompeio summa quædam felicitas insit. In omni confirmatione duo exiguntur, ut nostra confirmemus, & ut ea quæ ex aduerso dicta sunt aut dici possunt diluamus. Cice. ergo posteaq̃ sibi uisus est suas partes satis idoneis argumentis confirmasse, digreditur iam ad refellenda ea quæ huic suæ orationi aduersari uidebantur. Ac prima quidem obiectio ducitur ex loco pronūciatorum. Nam opponitur huic legi autoritas Q. Ca- Q. Hortensij, quam obiectionem bifariam refellit Cice. Principio docet in hac causa magis obtemperandum esse rationi, quàm autoritatibus, deinde, quasi clauo clauum pellens, multorum aliorū autoritates Hortensij & Catuli autoritati ex aduerso opponit. Quasi dicat tunc demum recurrendum est ad autoritates, quum nulla ratio satis efficax in hāc uel illam partē adduci potest, at in hac causa satis aperta ratio res ipsa, proinde hic uidēdum nō est quid multi dicant, sed quid res ipsa postulet. Hæc argumentatio supponit, non fuisse monarchiam aut aristocratiam, sed democratiam. Porro democratia est cum populus imperat, & multitudinis iussu omnia fiunt, ac geruntur, hoc posito, Hortensij argumētatio figurari potest hoc modo: Vbicunq; populi imperiū est, ibi ad unū oīa referri non debent, iā oīa deferre ad unū aliud non est, q̃ monarchiā quandā constituere, monarchia autem & populare imperiū differunt specie, quo fit si mediū argumentationis cum maiori extremo conferas tum ex loco differentiū ducta sit argumentatio. Si uero conferas ad Romanos iam ad locum connexorum fortasse pertinebit. Hanc obiectionem diluit Cice. docens minorē illam nō semper ueram esse, quin uero etiam in populari imperio omnia ad unum deferenda esse, si id exigat utilitas Reip. docens id nunc quoq; faciendum esse, eo quòd sæpius factitatum iam fuisset. Arguta interrogatio Catuli, qua uult ostendere non satis prudenter facere pop. Ro. qui omnia ita deferat ad unū Pompeium, quasi in uno illo omnem spem suam habeat. propterea q̃ is semper uiuere non posset & tamen pop. Rom. habere oporteat, etiam post mortem eius in quo spem suam ponat. Tota uis huius interrogationis pēdet ex causa finiū, uult enim ostendere Catulus ideo non esse omnem spem. pop. Rom. ponendam in uno Pompeio, ne idem pop. Rom. post mortem Pomp. neminem habere uideatur in quo possit spem suam ponere.

Ego enim existimo.

Non modo ciues assense.

Hoc breuissime dicā nemi nē unquam.

At enim uir clariß. reip.

Sed in hac causa.

Quid igitur ait Hortēsius.

Obsoleuit iā prima oratio.

Quæ cū ex uobis quæreret.

Huic interrogationi bifariam occurritur primum ex responsione ipsius pop. Rom. dicentis se in Catulo spem habiturum, si aliquid accidisset Pompeio, quum dicit non se ita omnia ponere in Pomp. quasi nemo praeterea sit, in quo spes sit habenda, sed quod huius uirtus tanta esset, ut quam diu is uiueret tum in eo potissimum omnia ponenda essent.

At esse, inquit, noui nihil.

Ductum uideri potest ex comparatis, ac si dicat: maiores nostri non sunt soliti omnia deferre ad unum, proinde ne nos quidem omnia ad unum deferre debemus. Vt autē appareat qua ratione Cicero hanc argumentationem refellat constringamus in formam syllogismi, idq; hoc modo: Nihil à nobis fieri decet quod sit contra instituta maiorum nostrorum: Atqui unum omnibus bellis praefici, est contra instituta maiorū, proinde unum aliquē à nobis omnibus bellis praefici non decet. Huius ratiocinationis Cicero ostendit utranq; propositionē esse falsam, ac minoris quidem falsitatem ex eo probat quod maiores semper in primis spectandam putarunt utilitatem Reip. ac proinde necessitate compulsi, saepe à recepta iam consuetudine recesserunt, quo fit ut non faciat is contra exempla & instituta maiorum: si quis nunc quoq; utilitatis publicae causa, à ueteri illa obseruatione ac cōsuetudine recedat. Ostendit deinde & maiorem propositionem esse falsam, qua dicebatur, nihil esse faciendum contra exempla & instituta maiorū, docens iā cōtra exempla & instituta illa saepe factum esse & proinde nunc quoq; cōtra fieri posse exigēte id utilitate publica.

Quare nolite dubitare.

Conclusio est omniū eorum quae dixit contra autoritatē Catuli & Horten. Antea monuimus à Cice. bifariā Catuli & Hortensij autoritatibus occurri, nam principio docet hic rem ipsam potius inspiciendam esse quam maximorū etiam uirorum autoritates. Nunc secūdo loco, uelut clauo clauum pellens, multorum autoritates istorum duorum autoritati opponit: quod genus solutionis libro secundo cap. uigesimo primo, regestionē uoco.

Quod si autoritatibus hanc causam Quiri.

Quae cū ita sint C. Manilij.

Peroratio est artificiosa conclusio, ea duabus partibus constat enumeratione, & affectu. Enumeratio est breuis ac summaria eorum quae tota oratione sparsim dicta sunt repetitio. Affectus est uehemēs animi cōmotio. Nemo tamen credat hisce duabus partibus semper esse utendū. Nam oratores ita demum uti utrisq; solent, cum ea res de qua uerba fiunt id postulat, quae etiam causa fuit Ciceroni, ut in hac peroratione, enumerationem plane omitteret, neq; multū operae insumeret mouendis affectibus, nam solum hoc agit ut animum C. Manilio addat ad legem hanc perferendam, deinde ut populi beneuolentiam, etiam ante in prooemio captatam, erga se confirmet, reddatq; constantiorem. Quanquam autem haec tota peroratio constet expositione, tamen argumentis non caret, etiam duas quaestiones hic tractat Cicero, quarum prior est: An C. Manilius debeat perstare in lege hac ferenda neq; uim, aut minas cuiusquam pertimescere. quod illi esse faciendum triplici argumentatione ostendit Cicero, Primum quod in ipso Manilio satis est animi, & consilij, deinde quod Pop. Rom. hunc eius conatum summopere adiuturus, postremo quod ipse etiam Cicero nunquam eidem sit defuturus. Horum argumentorum primum ducitur ex adiacentibus Manilij, reliqua duo ducuntur ex causis secundarijs ipsius legis ferendae. Altera quaestio quā tractat est: debeat'ne P. Rom. ob suasionem huius legis erga Cice. esse beneuolus, quod docet, argumentum ex fine ducens. Ideo se hanc legem suasisse ut per hoc cōsuleret utilitati pub. Quod autē publicae utilitatis causa id fecerit, probat eiusmodi complexione, Quod, inquit, hanc legem suasi, id feci aut propterea quod aliquis precibus me ad eam sollicitarit, aut ut gratiam demerear, aut ut praesidia in periculis quaererem, aut honores ambirem, aut deniq; ut publicae utilitati consulerem, atqui neq; cuiusquam rogatu hoc feci, neq; quod gratiam mihi conciliarem, neq; ut pericula euitem, neq; ut honores facilius consequar, ergo necessum est pub. utilitatis causa

causa hoc à me factum. Tecta hæc argumentationum ratio: neq; mirum, quandoquidem longe obscuriora, atq; tectiora sunt argumēta quoties amores exponunt quam cū aperto Marte rem agunt, hoc est, cum aperte argumentantur.

AVCTARIVM IN ORATIONEM CICERONIS PRO LEGE MANILIA PER ALARDUM AEMSTELREDAMUM.

CICERO in Oratore: Is erit eloquens (ut illud idem iteremus) qui poterit parua summisse, modica temperate, magna grauiter dicere. Tota mihi causa pro Cecinna de uerbis interdicti fuit, res inuolutas definiendo explicauimus, ius ciuile laudauimus, uerba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius, temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Ius omne retinendæ maiestatis Rabirij causa cōtinebatur. Ergo in omni genere amplificationis exarsimus. Dicendum est enim de Cn. Pompei singulari eximiaq; uirtute.) Rodolphus Agri. libro de Inuētione dialectica tertio cap. 12. Sed pro uestri imperij dignitate.) Rodolphus Agricola libro 2. de inuētione dialectica cap. 18. Quid pro lege Manilia? &c. Quare uidete num dubitādum uobis sit omni studio ad id bellum incumbere.) Vide Erasmum in posteriore copiæ commentario de partium rhetoricarum multiplicatione. Neq; ex scriptura uectigal conseruari potest.) Scriptura (ut arbitror) ea erat, præter alia significata, quam exercebant qui agris pascuis aut pecoribus præerant: & tam ij quam qui portus, aut portoria curabant, uectigalia describentes, aut colligentes, magistri scripturæ & portus dicebantur. Plautus in Truculento: Ob meam scripturam pecudem accipit. Deinde respondet Astaphium ancilla: Pleriq; idem quod tu facis faciunt, rem male gerentes: ubi non est scripturæ unde dent, incusant publicanos. Collatas habent.) Fortasse emendatior esset lectio collocatas. Dico eius aduentu maximas Mithridatis.) Rodolphus Agricola libro de Inuentione dial. 2. cap. 16. Contra, inter argumētandum expositio est ut pro lege Manilia rerum à Lucullo contra Mithridatem gestarum. Vt ex eodem Ponto illa Medœa quondam profugisse dicitur.) Rodol. Agri. libro 1. de Inuentione dialectica cap. 25. Antecedentia uero similia sunt, ut apud Ciceronem pro lege Manilia. Ego enim sic existimo in summo imperatore quatuor has res esse oportere.) Rodolphus Agrico. libro 2. de Inuentione dialec. cap. 13. circa medium. Aut in earum rerum laudibus recensendis quarum ipsa sibi sufficit magnitudo, ut in Pompei laudatione pro lege Manilia & quæ sequuntur. Non terrore belli sed celeritate consilij explicauit.) Aulus Gellius lib. 1. cap. 7. Sicuti est hercle quod explicauit dicere maluit quā explicuit &c. In prædonū potestatē peruenerint.) Gell. ibidē: Idē autē ille amicus noster in eiusdē M. Tul. Ciceronis oratione, quæ est de imperio Cn. Pompei ita scriptum esse à Cicerone dicebat, atq; ipse ita lectitabat: Quum nostros portus, atq; eos portus quibus uitam ac spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis &c. Legati quod essent.) Scholiastes in Iliados quartum refert hoc prouerbium: πρέσβυς οὔ τύπτεται οὐδ᾽ ὑβρίζεται. Id est, Legatus nec percutitur nec uiolatur.

FINIS.

Agricolæ sequens Epitaphium Viglius Zuichemus, Vir celeberrimus, posuit Heidelbergæ.

Epitaphium Hermolai Barbari Veneti
Patriarchæ Aquilegiensis in obitum
Rodolphi Agricolæ Frisij.

Invida clauserunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Frisij spemque decusque soli.
Scilicet hoc vivo meruit Germania laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Tollenti anathema.

Rodolphi Agricolæ Phrÿsÿ
memoriæ posuit Viglius
Zuichemus.
obÿt ánno M.CCCC.LXXXV.
Die XXVIIj. octob.

Vixit annos XLÿ. menses ÿ.

Relinquenti benedictio.

RODOLPHI AGRICOLAE PHRISII LVCVBRATIONES ALIQVOT LECTV DIGNIßIMAE, in hãc usq; diem nusquam prius æditæ, cæteraq; eiusdem uiri planè diuini omnia, quæ extare creduntur opuscula, plusquàm deprauatißime ubiq; iam olim excusa, nunc demum ad autographorum exemplarium fidem per Alardum Aemstelredamum emendata, & additis scholijs illustrata.



Epistola Ioannis Phrissemij.

ERVDITA cum primis Philippi Melanthonis epistola, mores, eruditionem, uitamq; Rodolphi compendio perstringens.

Cum alijs cognitu perquàm necessarijs, quæ uersa deprehendes pagina.

COLONIAE
apud Ioannem Gymnicum.

TOMI POSTERIORIS INDEX.

ORATIONES RODOLPHI.

EPISTOLAE RODOLPHI.

DIALOGI RODOLP. INTERP.

Hermolai Barbari, Veneti oratoris, Patriarchæ Aquileiensis, in Rodolphum Agricolam Epitaphion elegantiſſimum, & de quo dubites utro ſit dignius, ipſo'ne qui ſcripſit, an hoc quem eo exornauit.

Inuida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
  Agricolam, Phriſij ſpemq́; decusq́; ſoli.
Scilicet hoc uiuo, meruit Germania laudis
  Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Adolphus Occo Phriſius Medicus, Rodolpho Agricolæ Friſio conterraneo ſodali chariſſ. epitaphia hæc pientiſſ. ædidit.

D. I M. S.

Pietati & memoriæ Rodolphi
Agricolæ Friſij Germanorum
Suæ ætatis omnium facile doctiſsimi.
  Vixit Annos 42. menſes 2.

Ioannes Camerarius Dalburgius Vormacienſis epiſcopus, præceptori incomparabili ac bene merenti Saxum, ſignumq́; ſolenne collocauit.

Δύστιχα ἑλληνικά.

Τύμβος ἔχει Ῥώδολφον ὅδ' Ἀγρίκολαν περὶ πολλῶν
  εὔλογον ἠδὲ σοφόν, πνεῦμα πάρεστι θεῷ.

ἄλλο.

Λείψανα χθὼν κατέχει, ἡβάσκει δ' οὔνομα φήμη
  ἀλλὰ θεοῦ ἔλεος πνεῦμ' ἔχει ἀθάνατον.

ἄλλο.

Μὴ κλαύσῃς τεθνεῶτα καλῶς πάλιν ἔσομαι αὐτός
  Οἰκιῷ εἰν τούτῳ πνεῦμα πάλιν ῥέθει.

Friſia me genuit, Rodolphus ego Agricola. At nunc
  Heidelberga tenet, meq́; eadem rapuit.
Oſſa tenet tellus genitrix, delapſaq́; cœlo
  Pars melior ſupereſt, ſpiritus æthereus.

ALIUD EIUSDEM.

Quiſquis adis magni templum uenerabile patris,
  Ad noua ne pigeat ſiſtere buſta pedem.
Friſorum quondam Rodolphus ego Agricola oris
  Natus, Heidelbergæ triſtia fata tuli

Corpus terra tegit, parta est studijs mihi fama
Non totus perij. Spiritus astra colit.

ALIVD EIVSDEM.

Agricola hic iaceo Rodolphus, Frisia tellus
Aedidit, atq; Heidelberga ferox rapuit.
Terra parens fouet ossa sinu, cœloq; profecta
Pars melior superest: morte carens anima.
Terra parens hominum patria est, eademq; sepulchrum est.
Cui culta est uirtus, non nisi faustus obit. Aut aliter.
Cui culta est uirtus uixit & ille satis.

ELOGIVM RODOLPHI AGRICOLAE.

Agricolæ lector lapis hic tegit ossa Rodolphi
Quoi genuit nullum Frisia terra parem.
Nanq; per ingenuas late caput extulit artes,
Ingenijq; dedit lumina magna sui.
Scrutatus penitus naturæ arcana potentis
Astrorum cursus, consiliumq; poli.
Deq; Deo quæcunq; sacris sunt scripta libellis
Et uera Christi religione IESV.
Idem etiam Rehtor clarus, summusq; poëta
Et Graio, & Latio nobilis eloquio.
Nec Solymi ignarus, linguas sed promptus ad omnes
Germanam, Gallam, atq; Italicam tenuit.
Tum fidibus curas doctus lenire canoris
Artificiq; manu pingere quæ libuit.
Nec tantas summis labris gustauerat artes
Qualibet ast magnus eximiusq; fuit.

SIGISMVNDVS FVLGINAS SECRETARIVS, aut scriba Innocentij Pontifi. Octaui.

Rodolphus Agricola, uixit annos 42. Hic natione Friso, philosophiæ, theologiæ cæterisq; liberalibus disciplinis in patria primum, mox cultioribus studijs Latinæ Grecæq; linguæ in Italia operā summā dedit. Hebrææ postremo etiam cognitionē habuit, musicæ quoq; et picturæ apprime studiosus fuit, in singulis quoq; disciplinis supra quàm credibile est profecit. Obijt dum ex urbe patriam repetit. Anno Christi M.CCCC.LXXXV. quinto Calen. Nouembris.

Elogium

ELOGIVM ALIVD.

INuidet ingenijs terras mors lurida summis,
An deus ad superos optima quæq; trahit?
Vicerat agricolæ nomen uirtute Rodolphus,
Seq; suis titulis fecerat astricolam.
Cecropiæ & Latiæ cultor, Solymæq; Mineruæ,
Pieridum, Phœbi, Mercurijq; decus.
Non una in lingua, non dogmate clarus in uno.
Certabant pariter uox, manus, ingenium.
Quid dignum his umbris fas est optare uiator?
Quæ nequeunt homines præmia, dent superi.

CELTIS PROTVCII.
poetæ laureati.

TRibus poetis Frisia nobilis
Claret, Rodolphus primus Agricola,
Qui Græca miscebat Latinis
Et cithara cecinit canora
Rheni per urbes atq; per Italas.
Notusq; Gallis atq; Britannicis :
Et qua tumescit fluctuosus
Danubius bibulis harenis.
Adolphus alter qui medicus fuit,
Clarus per oram nostram Alemanicam.
Doctus Pelasgis disciplinis
Et latijs pariter Camœnis.
Vlsenius sed carmine maximus
In tertio nunc ordine fulgidus
Morbos fugat, blandusq; tristes
Carminibus releuare mentes.
Qui uarijs mundum experientijs,
Artem medendi dans peragrauerat.
Et Maximilianum sequutus
Indice numine uel Iodoci.

IOALARDVS AEMSTELREDAMVS NICOLAO CLENARDO S. D.



SVbinde ad intermissa Rhetorices studia, nolim, uelim cogor ὡς ἐκ παρόδου respicere. Siue qd' ita futurũ mihi persuaserim, ut si nihil in eis lucri, nihil item accessionis (quod uel in primis optabamus) certe quod proximum est, nihil iacturæ faciamus, siquidem non minore studio retinetur hæc facultas, quàm paratur. Siue quod compertum habeam, neminem quenq̃ in eo disertum esse posse, quod nesciat, neq; si optime sciat, ignarus tamen sit facundiæ, diserte idipsum posse quod sciat dicere: Siue quod D. Augustino autore, didicerim, citra Rhetoricen, Ecclesiasticum concionatorem, uerba ueritatis annunciare non satis cõmode posse, modo ita docere, delectare, & mouere uelit ut amice, ut intelligenter, ut attente audiatur, & sic quidem audiatur quo aculeus in auditorũ animis relinquatur. Proinde cum proximis hisce uacatiõibus paululum aliquid rhetoricari statuißem, multumq; & diu mecũ reputassem (in omnibus enim negotijs, priusquam aggrediare aliquid, adhibenda est præparatio diligens) qua nam potißimum compẽdiaria uia id quod sequerer, utcunq; assequerer. Quemadmodũ enim Neoptolemus apud Enniũ philosophari sibi ait necesse esse, sed paucis, nam omnino haud placuit: Ita & nobis quidem rhetoricari. Neq; tamen uel de fece haurire uel riuulos uellem sectari, sed fontes unde omnia manant uidere, iuxtaq; à capite quod optarem arcessere. Nulla certior occurrebat μεθοδικὴ, quam si Aphthonij Sophistæ progymnasmata Rhetorica, in quibus uertendis, primum ingenij sui specimen ædidit Rodolphus Agricola uir plane diuinus primũ diligẽter excuterem, ut hisce quasi gradum aditumue facerem ad recõditiora rhetorices præcepta. Deinde absolutißimos Rhodolphi Agricolæ de inuentione dialectica libros acuratius expenderem, & ob id expenderem quod in eo uiro nullius non artis aut perfecta aut certe non dubia uestigia reperiantur, quodq; nihil eo in inueniendo diligentius, nihil in iudicando acrius, aut exactius, nihil in tradẽdo plenius aut uberius, nihil in explicando castius aut politius, ut prorsus alterum ab aureo illo Ciceronis seculo proferre non possimus, qui omnes iustæ eruditionis numeros impleuerit, quiq; (ut de Vatinio oratore pronunciauit Octauius Augustus) ingenium in numerato habuerit nisi Rodolphum. Erat etiã in animo, ut ante complures annos, primum prodita a nobis ea dialectica mox prælegimus Louanij: ita rursus & eadẽ publicitus, auspicari Coloniæ: Id quo minus effecerim, in causa fuit sudor ille letalis, imo fatalis, ita acriter de repente sæuiens, perinde quasi internitio-

nitionē humano generi minitaretur. Qui nos ex hac nassa exire coēgit non ad fugam, sed ad spem mortis melioris, hoc potissimū nomine, quòd semper mihi, si quid aliud certe hoc longe desideratissimum fuerit, ut libros eos omnes, & integros & quam emendatissimos haberet posteritas. Quippe quos annos ab hinc amplius duodecim per confertissimos hostium cuneos reptans, quum luculento rei familiaris dispendio, tum præsentissimo corporis periculo Dauentria allatos, sed plane mutilos, sed prodigiosis mendis undecumq; perscatentes. Vt ut erant tamen, cum aliusmodi non darentur, & quales quales essent ab omnibus desiderarentur, Theodorico Alustensi uiro bono iuxta ac perhumano Louanij primi omnium gratis exhibuimus excudendos, testatiq; sumus, si quid desideraretur, ut id tēporis sane q̃ multum desiderabatur etiā tum, posterioribus (ut habet prouerbium) melioribus esse sarturos. Interea οὐδ᾽ ἀλαοσκοπιὴν εἴχομεν, hoc est undecunq; omni qua licuit circunspectiōe uenati sumus quod ad hanc sarturam facere uideretur. Neq; quicq̃ multis iam annis æquè animum meum discrutiauit, ac ἡ ἀποκαραδοκία τοῦ ἀρχετύπου exemplaris, non ita multo ante q̃ Dauentriam usq; proficisceremur, per quē nescio Danorum Satrapam, ex instructissimo Pompei nostri Occonis armario, nobis Aemstelredami amplissimis pollicitationibus intercepti Romamq; uersus delati. Itaq; cum persæpe librum abijcientes, ac tam insignē αὐτογράφου iacturam deplorantes tantum non animum desponderemus, ecce tibi ὁ ἀπὸ μηχανῆς θεὸς apparuit. Ecquis ille dices? dicam nimirum, Pompeius Occo quem multis nominibus Phrisiæ decus optimo iure possumus appellare, quam ingenio, doctrinaq; & ciuilitate mirum in modum illustrat. Qui honestissimis progenitus maioribus, domesticum splendorem magna ex parte iuuandis, prouehendis, ornādisq; literis impendit, & sic impendit, ut quemadmodū in alijs omnibus, ita in hoc quoq; pulcherrimo beneficiorum genere neminem post se non longo interuallo reliquerit. Is inquam Pompeius per literas me submonuit, non quod pueri clamitant in faba se reperisse, sed sibi restitutum esse tandem αὐτόγραφον illud inuentionis dilecticæ annos minimum duodecim non sine multis & magnis periculis per multorum barbarorum manus sursum deorsum uersus iactitatum, priusquam esset exhibitū. Quod olim semel atq; iterum utcunq; contrectatum, mox eius amore correptus non secus ac Daphnem Apollo πᾶσιν ἰχνέσι ζητῶν sum semper insecutus. Quiduis periculi subire nō grauatus hactenus et, ut uerbis utar Aristophanis, κἂν μὲ χρῇ διὰ τοῦ πυρός, ἐθέλω βαδίζειν. Nec opinor Proserpinam à Plutone abductam ad campos Elysios, à Cerere matre toto orbe diligentius quæsitam esse. Porro autem cum exemplar à Iacobo Fabro Dauentriensi uiro pio ac docto Louaniū usq;

allatum

allatum accuratius una cum D. Martino Dorpio expendissem, deprehendi omnia aut fere omnia perturbatius esse descripta. Alia enim uelut obeliscis confossa erãt, alia rursus ceu asterisci quidam in margine notata. Quædam bis terue paucis interim commutatis uerbis repetebantur, quædã sic erant immutata, ut uix agnosceres. Quoties aũt capita tota uel expuncta omnino, uel in aliũ erãt locũ traducta? quoties pagellæ aliquot desiderabãtur? quoties interlitis medijs margo sic erat occupatus, ut extrema uerba legi nõ possent? quoties ita confusa atq; permista oĩa, ut nec caput, nec pes usq̃ existeret? Proinde dici nõ potest, imo ne cogitari quidẽ, quo mihi animus gaudio gestierit, simul (ut adagio dictũ est) ἅμαια τὴν ἀλησίαν μετῆλθεν hoc est, qđ eæ lucubratiões cognitu dignißimæ redijssent tandem in manus amici τὰ εἰλικρινέως, tãq; gloriæ Rodolphi sitiẽtis, quã q potest esse sitientißimus. Deũ immortalẽ q̃ sæpe forte temere eueniũt, quæ nõ audeas optare. Ne tantã igitur εὐκαιρίαν amitterẽ, præcipitoq; moras omneis, opa oĩa rũpo, quo q̃ possemus ocyßime, aduolaremus Aemstelredamũ, Rodolphoq; iã olim uehemẽter cõcupito potiremur. Adeo etiã celeritas in desiderio mora est. Adeoq; cupienti animo nihil satis festinatur. Ac ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ δόρποιο λιλαίεται ὅτε πανῆμαρ νειὸν ἀνέλκητον βόε οἴνοπε πηκτὸν ἄροτρον, ἀσπασίως δ' ἄρα τῷ κατέδυ φάος ἠελίοιο, δόρπυ ἐποίχεσθαι βλέτε γοῦνατ' ἰόντι. Sic ego quoq; maximo tenebar desiderio, quo post tot impendia facta, post tot labores gnauiter exantlatos, post tot deniq; lõga mihi exilia & uastũ maris æquor aratũ, tã recõditas opes tãq; incõparabile margaritũ, uel per transennã semel modo daretur nobis intuendi potestas. Vt possem dicere, me oĩno nõ ignorare ecquid lucubrationũ Rodolphi Agricolæ Põpeiana poßideat bibliotheca, neq; tamẽ plane nosse, ac uidisse tanq̃ si in aliquam locupletem ac refertã domũ ĩuenias, nõ explicata ueste, neq; proposito argẽto, neq; tabulis & signis propalã collocatis, sed his oĩbus multis magnificisq; rebus cõstructis, ac recõditis. Quid multa? Posteaquam ergo Põpeius ille noster ualde spectandi Rodol. Agricolæ cupidũ me deprehẽdisset, ac etiã atq; etiã ab eodẽ ualde cõtenderẽ, ut ἐπισημότατον καὶ ποθεινότατον κειμήλιον illud semel iterumq; liceret exosculari, liceret & exosculato ex hymnis Homericis Mercurio succinere: σύμβολον ἤδη μοι μέγ' ὀνήσιμον οὐκ ὀνοτάζω χαῖρε φυὴν ἐρόεσσα χοροιτύπε δαιτὸς ἑταίρη ἀσπασίη προφανεῖσα πόθεν ἐμοὶ εὕρεσις ἥδε. Et illud eiusdẽ ex Odyssea: νῦν δ' ἤδη τόδε μακρὸν ἐέλδωρ ἐκτετέλεσθ' ἦλθε μ' αὐτὸς ζωὸς ἐφέστιος. Vide inq̃ mi Occo q̃ iniquus sum, præ studio, dũ efficiã id qđ cupio, neq; modum honestatis, neq; qđ te orẽ cogito, nam si cogitẽ, remittã iam te onerare molestijs. Tum Occo: Quæ Pallas σοὶ δ' ἐνὶ θυμῷ θῆκε μένος καὶ θάρσος. Quod ego inquã, ut abs te

me im-

me impetraturũ ſperarẽ, tua iſtæc toties iã cognita mihi ſpẽ fecit humanitas, quæ ſola hos nobis animos fecit, ut quo affectus uocabat, & quo uolũtas inclinabat, ab eo ne nos pudor aliquis reuocaret. Scis enim illud αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι. Tum ſubridens. Quin tu ceſſas inquit οὐδέ μοι αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσι σιδήρεος ἀλλ' ἐλεήμων. Neq; hoc te orãdo impetrare à me oportet qui amicorũ ſciam cõmunia eſſe oĩa, præſertim cũ id in cõmune ſtudioſorũ cõmodum tãtopere te uelle intelligã. Habe tibi habe inquã τὴν ἀποκαραδοκίαν σοῦ, habe quicquid eſt huius ornamẽti mihiq; meisq; unice chari. Quanq; copiã inſtructam uno in loco, quaſi per tranſennã atq; cancellos præteriens ſtrictim aſpexiſti, fac in lucẽ proferas, euoluas aperiasq; ac totam omnibus omnium oculis exponas. ἔρδον ὅπως ἐθέλεις καί τοι φίλον ἔπλετο θυμῷ. Vide penſum tuũ lepide accures, & opus qđ olim primus omniũ partim mutilũ, partim deprauatum dediſti excudendum, iã nunc recõcinnatum emendatius multo, multoq; locupletius dato, perinde atq; priã ſtatim æditiõe pollicitus es. Poſteaq̃ ergo nactus ſis ἀρχέτυπον ſi qđ forte adhuc ex uaria exẽplariorũ inter ipſa collatiõe, adhibito ſobrio iudicio, excluſaq; cõtentiõe mutãdũ putabis, erit adiumẽto tibi uir oĩno acris iudicij oĩq; rerũ copia inſtructiß. Iacobus Volcardus Bergẽſis. Erit D. Hermãnus à Gauda uir ſumma eruditiõe, uerũ morũ integritate neutiq̃ inferior ſe. Erit et Corn. ille tuus Crocus, q literas æquauit, cũ uitæ ſanctimonia præcipuus iuuẽtutis inſtituẽdæ artifex τί μακρὰ δεῖ λέγειν; ὅλως αὐτὴν ὁρᾶν τὴν ἀκαδημίαν δοκῶ. Alius aliter inquit fortaſſe, ego ita ſentio. Quod ſi principio hũc ad modũ prodijſſet, nihil addubitarim, quin iã olim uel ipſum Ariſtotelem è medijs illis ſuis λυκείοις profligaſſent, & Rodolphũ Agric. ueterẽ Louaniẽſis academiæ alũnum obuijs (ꝙ aiũt) ulnis ſuſcepiſſent. Ac nõ iniuria cũ Ariſtophane dixiſſent πρότον μὲν οὖν ἐψηλαφῶμεν ἐν σκότῳ τὰ πράγματα νῦν δ' ἅπαντα πρὸς λύχνον βουλεύσομεν. Nec opinor tã læta ſimili prole puerpera eſt, quã ut de Rodolpho Agric. prole, matri multo ſimillima, uniuerſa noſtra geſtiat florẽtiſsima Academia Louaniẽſis, cui dialectices, ſtudijq; theologici primitias debet, ꝙ illi tã eſt honeſtamẽto uiciſſim, quã illa illi nõ eſt pœnitenda. Deinde recluſis κιβωτίοις ſcrinijsq; aliquot minime uulgaria nobis indidẽ promit auctaria, nempe faſciculos literarũ Rodolphi Agric. hoc mihi noĩe chariora, ꝙ tranſmiſſa illi eſſent à fratre germano Haionis, ſoceri ſui Guielmo Vbbino oriẽtalis Phriſiæ cancellario uiro nõ ſolum domeſtica fortuna, ac maiorũ ſuorũ imaginibus, uerum etiã religiõis ueræ Chriſtianæ ac morum integritate Phriſiam ſuã illuſtrante ſimul & cõmẽdante. Ad extremũ Pompeius quum me ſemper alias φιλοφρόνως δεξενίσεν, tum certe potiſsimum con

 timuo

tinuo (quæ est liberalitate) quicquid habuit Rodolphi Agricolæ ab auunculo suo Adolpho Occone Sigismundi Archiducis Austriæ medico celebratissimo, non tam legitimo Rodolphi Agric. hærede, quã assiduo eiusdẽ studij collega (neq; enim est sanctius sanguinis uinculo cõiungi q̃ studijs sacrisq; ijsdẽ initiari) relictũ candidius impertitus est. Quibus equidẽ opibus tã recõditis mihi quidẽ gratis haud illiberaliter exhibitis, alijsq; eiusdẽ uiri lucubratiõibus hinc inde iam olim meo studio ἀυκ ἀμισθὶ comquisitis, tum promiscue studiosos oẽs, tum in primis te libens uel hoc nomine donauerimus, qđ coniecturis aliquot in spem adducar, nullũ tibi deinceps relictum iri prætextũ, iam libris omnibus, ægre quidẽ, sed tamen undecunq; à nobis restitutis, quo cõmentarios illos tuos, in libros de inuentione dialectica multis ab hinc annis meditatos diutius supprimas. Annotatiões aliquot inter castigandũ interq; prælegendum paucis admodũ mensibus, multis & magnis distentissimi negotijs, tumultuarie adiecimus, adiecturi autem multo plures, easq; limatiores, nisi certo scirem infinitis partibus, explicatiora abs te homine ingeniosissimo inuẽtionisq; dialecticæ callentissimo breui proditura omnia. Semper enim unum te pluris quã multos multarũ disciplinarum professores putaui, tuoq; unius iudicio multo stare malim quam omniũ reliquorũ. Proinde nõ dubito quin qđ me ualde uelle cognoscas, in ea tu meipsum cupiditate uincas. Itaque confido fore ut quod autore te uelle cœpimus, adiutore assequamur tandẽ. Exẽpla aliquãto plura inseruimus, ut usum locorũ imperiti cernerent. Nã olim ita tradebatur ars, ut præceptorum nullus omnino neq; modus, neq; finis esset, de usu præceptorũ altissimum erat silentiũ. Atqui nihil aliud agere mihi uidetur is, qui nõ addit exẽpla præceptis, q̃ qui in tenebris egregiã picturam collocat. Nos igitur ut magis perspicua præcepta fierent alicubi plura etiam q̃ oportuit ascripsimus exempla. Bene ualebis amiciss. D. Nicolae. Aemstelredami Calendis Maijs. 1528.

ALARDVS AEMSTELREDAMVS
Sibrando Pompeio Occoni S. D.

QVærenti mihi, multũq; & diu cogitãti amicissime Sibrande, qua nã re studijs tuis possem prodesse q̃ plurimũ, nulla certior occurrebat μεθοδικὴ q̃ si absolutissimũ Aphthonij libellũ per Rodol. Agricolã accuratius translatum nostrisq; cõmentarijs illustratũ & ante annos cõplures à patre tuo charissimo, uiro in omni genere officiorũ diligẽtissimo mihi usurariũ acceptũ, nõ sine fœnore ad te tandẽ muneri trãsmitterẽ. Quod enim munus tibi (cuius prima statim ætas manifestum iter ad eloquẽtiæ lumẽ ostendit) afferre maius meliusúe possimus, q̃ si eum exhibeamus libellũ unde uelut uno fasce cõplexa scitoq; cõpendio perstricta præ-

velut

cipua

cipua progymnasmatū ornamēta, breui, idq; nullo aut ferè nullo negocio poteris pdiscere, his præsertim tēporibus, quibus ita ea prolapsa sunt, ut omnibus oīm opibus adiutanda sint. Nunc enim ut honores, ut omnis dignitatis gradus: sic & harū quoq; ornationū splendor & usus antiquatus est. Aut hæc porro uia cōpendiaria est, aut nulla omnino per quā assequare, ut methodo hac quasi gradū quendā aditumq; facias ad inuentionē dialecticam. Omnia mihi summa de te promitto. Illud totis uiribus adnititor, ut & parentum expectatiōi facias satis, facies aūt cū alijs in rebus tum hac uel maxime id tēporis, si te non temere (ut ferè fit) præcipites in matrimonium, uerū pergas in hæc Rhetorices studia, in quibus es (ut esse iure debes) totus, annos adhuc aliquot perpetuos incūbere. Talis tibi iā nunc datur occasio in celeberrimo apud Louaniū collegio trilingui, qualis haud scio an unq̄ postea dabitur. Proinde uide ut ne cōmittas, cū omnia abunde satis suppetāt, tute tibi defuisse uideare, audio & non sine ingenti animi lætitia audio, Conra. Goclenium utriusq; linguæ facile principem, necnon & Rutgerum Rescium professorē Græcum æquo suam utrunq; industriam huc destinasse, ut id tibi sint quod Achilli fuit Phœnix ille Homericus. Bene ualebis. Coloniæ.

ALARDVS LECTORI.

Habes optime lector exercitationis modos quatuordecim ad parādam orationis facultatē, ad augendāq; itē eloquentiā cū primis necessarios: ut quos & primos habuit, & diu solos prima Rhetorices institutio. In quibus si te diligenter exerceas, nimirū cōperies nihil esse qd' ad ulla dicēdi præexercitamēta pertineat, qd' in hisce nō sit traditū, discussum, & absolutum. Fruere lector & faue.

ALARDI AEMSTELREDAMI TRIMETRON.

Vis eloquenter, apposite, concinniter.
Accommodate, splendide, lepide, probe,
Et apte, & ornate, atq; consentanee,
Probabiliter, magnifice, ciuiliter,
Scite, diserte, perspicue, dilucide,
Graphice, polite, grauiterq;, & granditer,
Vis copiose, breuiterq; dicere.
Vis & paratum, & obuium semper tibi
Habere nullo & consequi negotio:
Quid quaq; de re quolibet dicas loco.
Hæc absoluta Rhetorices primordia
Paucis sed aptis scripta propedeumatis.

Fac lectites, rumines, exerceas.
Ad tot paranda eloquij compendia
Aphthonius unus ἀφθόνως sufficerit.

IOANNES PHRISSEMIVS ALARdo Aemstelredamo uiro doctiss. ac amico integerimo S. D.

CVM nemo hactenus de re literaria ad me scripsit Alarde suauissime, cuius mihi literae inter summas etiã occupatiões meas nõ singularẽ aliquã attulerint uoluptatem, tum uero tuae istae, tanto me gaudio, tanta laeticia perfuderunt, ut haud sciam, ecqua mihi unquã in uita res acciderit aeque grata: certe gratior iucũdiorq; nõ accidit. Et quid mihi per deũ immortalẽ gratius, quid iucũdius monumẽtis Rodolphi? quẽ ego uirũ facio tanti, ita admiror, ita suspicio, ita ueneror, ut quoties ea de re sermo incidit Latinũ eum Plutarchũ, hoc est, ciuilẽ quendã & philosophicũ oratorẽ soleã appellare. Atq; hũc tu autorẽ, nõ corruptũ, nõ mendosum, ut hactenus, sed elimatum, sed integrũ, planeq; talem, ut germanũ ac γνήσιον esse exẽplar istud nõ dubites, ante dies paucos in manus tuas uenisse scribis, & ut q̃primum diligenter emendateq; in rem oĩm studiosorum aedatur, te cupere. Qua in re felicitatẽ an candorẽ ac liberalitatem istã tuã magis praedicem ac demirer, equidem nescio, cũ & summae cuiusdã felicitatis loco mihi ponendũ esse uideatur, quod tibi uni à propitio nimirum numine aliquo datũ sit, monumẽta uiri tanti ab interitu uindicare, quodq; thesaurũ talẽ ac tantũ, uni Alardo acceptũ referrẽt studiosi oẽs. Sed nõ candidum ac liberale minus qđ rem adeo charã, & quae ad farinã quoq;, si huc tu spectasses, facere poterat, nõ ut Aspẽdius quispiã Citharista uni tibi seruãdam, sed in cõmunem oĩm studiosorũ utilitatẽ publicandã putaris. Quod institutum tuũ utinã imitarentur hodie multi, qui perpetuo latere, ac à blattis tineisq; corrodi malint autores bonos, q̃ sine cõpendio aliquo suo in lucẽ prodire. Superest unũ, ut matures id qđ coepisti, ut q̃primũ huc aduoles, ut ne diu tãti beneficij expectatiõe suspensos teneas animos studiosorũ ut hi non prius benefacere te uoluisse, q̃ & benefecisse intelligãt. Id si facies, nemo maiorẽ unquã gratiã inierit apud studiosos q̃ tu, nemo maiori illos beneficio sibi deuinxerit. Quãdo nõ minima beneficij pars est, nõ diu rem distulisse. Neq; dubito ego, quin si nõ splendida ac te digna at tolerabili certe cõditione hic tibi futurus sit locus apud chalcographum aliquem. Quod ut obtineri non possit, mihi sane curae id erit, ne cum iactura ac dispendio tuo huc te contuleris. Matura modo, & quidem recta ad me, si non diuitem ac magnificum, at beneuolum certe ac liberalem hospitem habiturus. Vale Coloniae sexto calendas Aprilis. Anno M. D. XXIX.

EXIMIA VIRTVTE ET DOCTRINA PRAEDITO D. ALARDO Aemstelredamo Philippus Melanthon S. D.





Abeo tibi gratiam doctiß. Alarde, quòd occasionem mihi offers de Rodolpho Agricola, ea mandandi literis, quæ mihi adolescenti & quadam puerili cupiditate sæpè interroganti duo grauißimi uiri narrarunt: quibus cum Rodolpho non modo familiaritas, sed etiam quædam studiorum societas fuit Capnio & Pallas Heidelbergensis, qui (ut eius quædam scripta testantur) diligentius ac purius loqui solebat, & de artibus multo grauius iudicabat, quàm cæteri ipsius collegæ, qui tūc sacras literas enarrabant. Erat enim me puero recens Heidelbergæ memoria Rodolphi. Nam Dalburgius Vangionum Episcopus, apud quem uixit Rodolphus, proximo anno ante bellum Bauaricum florenti adhuc ætate è uita decessit, usus perpetua quadam felicitate, qua etiam euocatū puto, ne spectator esset illarum calamitatum, quæ posteà secutæ sunt. Porrò non modo Dalburgij autoritas, sed (ut animaduerti) etiam Plinij amicitia Rodolphum Heidelbergam pertraxit, quo cū Ferrariæ coniunctißime uixerat. Sic autem uocabat ipse Pleningerum uirum equestri natum loco, & præstanti ingenio præditum. Vix enim ullæ sunt dulciores amicitiæ, quam hæ scholasticæ, societate studiorum contractæ, quæ etiam posteà allatæ ad Remp. nonnihil momenti adferunt in multis grauiß. negotijs, ut Solonis & Pisistrati amicitiam puerilem profuisse tranquillitati Atticæ ciuitatis arbitrantur, & Eudemum cum Dione, schola Platonis coniunxit. Sed omitto exempla. Memini autem me audire ex Pallante fuisse mores Rodolphi castißimos, & omnibus bonis uiris probatos: adeò ut non modo propter famam doctrinæ, sed multo magis propter uitæ & morum grauitatem, & (ut ipse referebat) singularem prudentiam & moderationem omnium actionum, consuetudo eius à præstantiß. uiris expeteretur. Consulebatur ab omnium artium professorib. si quis inciderat nodus, ad cuius explicationem opus erat aut historiarum, aut Latinæ linguæ, aut Græcorum autorum cognitione. Itaq; ingeniosi ab ipso admoniti multa in Aristotele dexterius ac simplicius tractabant. Audierat enim Ferrariæ Theodorum Gazam, qui in Aristotelis doctrina excelluit. Cumq; Heidelbergæ consuetudo fuerit (ut mihi uidetur plena humanitatis) ut in publicis disputationibus, professores si quando hærebat disputator, interfarentur: audio sæpè difficiles nodos publicè à Rodolpho, de fato, de causis, de Endelechia & similes explicatos esse. Quare & disputationum

coetus propter ipsum erant frequentiores, & ad eos confluebant nõ tantum scholastici, sed multo etiam studiosius grandiores natu, qui Academiæ præerant. Nec defuit eius officium iurisconsultis: amabat enim leges, & propter ipsarum dignitatem, & quia continere eas, doctrinam, historias, & bonam philosophiæ partem affirmabat, deniq; mores & humanitatem utriusq; ciuitatis, uidelicet Atticæ & Romanæ conspici magna ex parte in legib. dicebat: quare plerasq; sine notitia antiquitatis intelligi posse negabat. Ostendebat & in Canonibus germanum sensum sæpè ex historijs & Ecclesiæ moribus petendum esse. Nam quum ortum esset certamen de hoc dicto: Frustra seruat Euangelium, qui non seruat Canones, & imperiti quidam disputarent, quàm dura uox esset, si ad omnes ritus Ecclesiasticos trãsferatur, admonuit Rodolphus Canones initio uocatos esse sententias Synodorum de dogmatib. ut in Synodo Nicæna damnati sunt errores Samosateni, Catharorum & Arij: De talib. decretis recte & proprie dici affirmabat, frustra seruari Euangelium, si illi Canones non seruentur, qui ueram & firmam sententiam scripturæ explicant, de illis controuersijs. Hanc se interpretationem à Rodolpho accepisse Pallas sæpè prædicabat, nunq̃ non adijciẽs honorificam cõmemorationem de moribus, & de eruditione Rodolphi. De Theologia uero solitus est accuratius disputare, ut satis adpareret eum tota mente, totoq; animo amplecti & uenerari Christianam religionem, & abhorrere ab impietate, fuerat enim aliquandiu familiaris ciui suo Basilio Groningo Theologo Parisiensi, quem reuersum ex Gallia, Basileæ Capnio etiam se audiuisse dicebat: qui quidem Basilium narrabat Græcam & Hebraicam linguam mediocriter calluisse, in Theologia uerò & medicina, ac reliqua philosophia facile omnibus illius ætatis professoribus antecelluisse. Accensus igitur Rodolphus Basilij doctrina, cumq; etiam in Italia Theologos audisset, & ipse scriptores Ecclesiasticos Græcos & Latinos excuteret, & si probabat uoluntatem in recentioribus, qui summas rerum uidissent in unum corpus ac methodũ cõtrahendas esse, hanc enim docendi rationem necessariam esse in omni genere fatebatur, tamen iudicium, modum & puritatẽ non obscure desiderabat, ostendebatq; qui mores, quæ opiniones recentium temporum conueniant cum ueteri Ecclesia, quæ non conueniant. Nihil fingo: nam mihi sermones quidam ipsius recitati sunt à uiro optimo, καὶ ὅτι μάλιστα ἀξιοπίστῳ. Sæpè etiam adiuuabat theologos in reddẽdis Græcis sentẽtijs sacrorum librorũ: ut in hoc dicto. Et DEVS erat uerbum, monebat λόγον subiectum esse, ut uocant Dialectici, propter articulũ iuxta Græci sermonis consuetudinem. Et huiusmodi alia multa. Hæc, ut studiosos iuuaret, comiter inter eruditos & graues uiros disputabat, non rixabatur cum indoctis.

Cum

Cum igitur proceres aliquoties eius doctrinam & mores Philippo principi Palatino prædicassent, Princeps cupiens eum audire (magnopere enim delectabatur eruditis sermonibus) complecti eum familiariter cœpit. Cumq; primū de Græcis, Latinis & Ecclesiasticis historijs multa sciscitatus esset, petiuit Epitomen historiarum sibi componi. In hac audiui Rodolphum complexum esse ordine seriem imperiorum, initia, incrementa, & inclinationes religionum & morum mutationes, collata etiam esse tempora Græcæ historiæ cum sacra. In id Compendium contraxit electas materias maxime utiles, cum ex poëtis, tum ex historicis Græcis, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Gemisto. Aspersit & inter narrandū sententias ad admonendum principem de multis partibus Reip. Id scriptum ualde auxit principis & procerum studia erga ipsum, cum non modo eruditionem ipsius, sed etiam singularem prudentiam, quæ lucebat in illis narrationibus de causis mutationum, quæ in imperijs acciderūt, admirarentur. Quare postea sæpè in cōsilium de Rep. adhibitus est. Hæc memini nō rarò prædicare Capnionē & Pallantem, quæ multis de causis libenter recensui. Etsi enim eruditio Rodolphi iudicari ex scriptis ipsius potest, tamē mores & uitæ cōsuetudinē & testimonia magnorū uirorum de ipso nosse adolescentib. prodest. Sæpè enim eruditorum exempla aliquid de studijs monent, ut quò dirigenda sit manus (ut ita dicam) rectius prospiciant. Fortaßis etiam magis admirabuntur & amabunt Rodolphum, si cogitabunt Gazæ & aliorum doctorum uirorum consuetudine usum esse. Cum autem eius monumenta plurimum conducant adolescentiæ studijs, præclarè te de studijs mereri iudico mi Alarde, quod sumptu & labore tuo ædi curas, cū cætera Rodolphi scripta, tum libros eius Dialecticos integros, qui hactenus mutili circumferuntur. Porrò cū Aristoteles uocet Dialecticos libros ὄργανον, satis admonet hanc artē maxime necessariā esse. Lumen est enim, omnium non modo artium, sed etiam disputationum ciuilium & Ecclesiasticarum. Quare plurimum refert adolescentiam in ea recte & prudenter institui. Nec uerò ulla extant recentia scripta de locis & usu Dialectices meliora & locupletiora Rodolphi libris. Proinde optime te mereri de Rep. iudico quod integros & emendatos ædi curas, quos quidem uelim omnes adolescentes, qui solidam eruditionem expetunt, aßidue & (ut Horatij uerbis utar) Nocturna uersare manu, uersare diurna. Bene uale. Francoforti 28. die Martij, Anno M. D. XXXIX.

VITA RODOLPHI EX TRITEMIO.

Rodolphus Agricola Groningēsis, natione Friso, uir in secularibus literis eruditißimus, & diuinarum scripturarum non ignarus, philosophus, rhetor & poëta

poëta omnium ſui temporis celeberrimus, Græci & Latini ſermonis peritus, & Hebraicæ linguæ non ignarus, ingenio excellens, ſermone diſertus, Ioannes Camerarij de Dalburg Vormatienſis epiſcopi, uiri æque doctiſſimi quõdam præceptor, in gymnaſio Heidelbergenſi docendo & ſcribendo principatum facile obtinuit inter omnes etiam cuiuſcunq; facultatis doctores, ſcripſit quædam ingenij ſui excellentiſſima opuſcula, quibus nomen ſuum immortalitati conſecrauit, & poſteritati reliquit, De quibus extant ſubiecta: Vita Franciſci Petrarchæ, liber unus. Carmen de ſancta Anna, lib. unus: Anna parens ſummæ ge. Dialectica ſubtiliſſima, libri tres. Epiſtolæ & orationes uariæ, liber unus.

Varia inſuper & elegantiſſima carmina edidit, quibus ingenium ſuum prope diuinum oſtendit. Tranſtulit ex Hebraico pſalterium, ex Græco quædam opera Platonis. Dionyſij Areopagitæ uolumina traducere incipiens, morte immatura præuentus, imperfecta reliquit. Scripſit etiam alia. Moritur Heidelbergæ mente in Deum porrectiſſima, ſub Friderico imperatore tertio, & Innocẽtio papa octauo, Anno domini M.CCCC.LXXXV. Indictione tertia. Sepultus eſt Heidelbergæ apud fratres Minores, non ſine iactura Latinarum literarum.

ERRATA QVORVM PRIMVS NVMERVS PAGINAM, ſecundus autem uerſum ſiue lineam, tertius uero ueram ſubindicat lectionem.

PAgina 4. uerſu 4. illecebris. Ibi. 15. Luſcinia 9. u. a. f. 4. reſperſa 12. ἱδρῶτα & κάρπους 15. Demoſthenes 16. κραδίῃ 17. dicũtur. ibidẽ, uerba ſunt. ibidem, rex unicus 19. à f. 20. obſcœnis 21. 6. cohærente 23. 20 in poëticen. ibidem procul 31. naturæ conueniunt 34. 10. laudum. ibid. potiſſimum 35. plantę 36. in medio quia iſtis 39. Ioannis 40. 7. quæ quidem 42. ἀθάνατον. ibidem ἀγορήτης & mox ῥῆν αὐδὴ 44. in m. uituperandis 48. 6. coturnices 53. 13. Quid ſi reuiuiſcãt. ibidem Cataneus 57. batramyomachiæ 58. 11. Græcis ibidem 37. infindunt 61. 8. coſmographi 62. in m. ſummã rerũ 66. ad fi. ſint tanq̃ 67. in medio circiter ſupercilium 68. 2. demonſtramus 75. in epilogo, omnia 76. 3. unũ 122. labe. 123. u à fi. 3. & pleriq; qui 129. paterna, ibidẽ teſtis & oriente. 126. in m. μειλιτῶν. ibidem tamen 128. 1 aduentus. ibidem 3. utrocunq; 129. u. à. fi. 10. ſeruare. ibidem u. ult. muneribus. ibidẽ. Quæ 130. 8. delendos ibidem in m. appareat 131. 14. integra. 132. λήψεται 133. 1 progenituram ibidem, emanuel ibidem ἀπάτωρ 145 11. indicio. 147. abundat cognitione 150. 3. dilutum 156. 3. Erythræi. ibidem in m. crederet 157. 10. onere 158. 12. multiplici 103. 12. meteorologicis 165. 11. Sc. tuam 170. in m. quibuſcunq;. ibidem mox nemini 171. 12. cuius. ibidem Aeſchinis. 173. 15. propuliſtis. 176. maxime. ibidem parium, ibidem in fine & quæ in eo 179. 2. à. f. animi 80. in m. deſiderentur. 182. 1. ridere. 187. u. à. f. 3. negligentiã 199. u. à. f. 12. ulla 202. 9. meo coactu 203. 11. optima 204. u. à. f. dicendum. 206. u. à. f. 9. quãquàm. 208. ult. deſiderijs 209. 8. malle. ibidem in m. poſſes. 212. in m. fere grato ſchola, ibid. in f. ῥήτωρ' 213. 9. tãtum uerba & præterea nihil fuere. ibi. mox excidiſſe. ibid. u a. f. 9. cõmouere 215. 4. polliceret 220. u. a. f. 10. diſpungi, id aũt erit. 230. 4. patris tui 254. 14. Cuiuſmodi res, & mox, quas res efficiat. 255. in m. quiſquis honoratus eſt, ibidẽ u. a. f. 2. filis 256. u. a. f. 12. canora. 260. u. a. f. 11. concilio. ibidem mox, inquam 261. in m. in noctem 262. 3. Triptolemo. ibidem in m. ad exitium f. 265. in m. Græce enim. 266. 7. Hegium. ibidẽ τοιαῦτα. 275. 3. aut aliud. ibidem. 12. cur te in. ibid. obſtrepero. 276. 14. Quiſq; fere. f. 269 5. pruritum. f. 190. u. a. f. 10. omni. 314. 4. magis 315. 13. crinem.

ALAR.

ALARDVS AEMSTELREDAMVS PETRO NANNIO S. D.



QVOD petis ut studiosis omnibus, maxime tamen nostratibus, tuum commendem auditorium, deligamq́ꝫ q̃d auditoribus tuis (ut hoc seculo à literis prorsus abhorrent) sic satis frequentibus, prius auspicere quàm dialecticam prælegas inuentionem: Vtrunqꝫ si non petisses, etiam facturus eram. Ecquid ni facturus uero? Nam si Basilius ille Magnus, uir integerrimus, ἑλληνικῆς ματαιοτεχνίας ἀναπλέων, omniumq́ꝫ rerum copia instructissimus, non sat habebat, τῆς ἔξωθεν καλουμένης παιδεύσεως ἐπὶ πλεῖστον progressum esse, atque adeo eloquentiæ fastigium attigisse: cæterum ex Cappadocia omni iuuentutem hinc inde cõquirebat, ut eam Libanio Sophistę traderet in rhetorum studijs exercendã: Ac si quando unum aut alterum felici ingenio præditum nactus esset, Deus bone, quàm gestiente lætitia calamo scribebat: ἰδοὺ ἐπὶ τῷ ἥκει ὁ καππαδόκης. Qua me tandem decet esse sedulitate erga iuuentutem cum omnẽ, tum præsertim Hollandicam, ut primum inflãmemus eam, per amplificationem ostẽdentes quanta sit progymnasmatum dignitas, à quibus uiris exculta, quid magni promittant, quantam adferant utilitatem. Deinde ut ei sub oculos ponamus non parũ multos maxime cognitos, qui studijs suis summas opes, amplissimos honores, libertatem, autoritatem, dignitatemq́ꝫ cõsequuti sunt: deinde splendidis pollicitationibus, iuxta ac exoticis, alijsq́ꝫ id genus illecebris captem? Nosti enim puerorum animos quibusdam falsis falsæ gloriolę choragijs atqꝫ blandimẽtis ad amorem studiorum inescandos. Scis etiam illud Horatij:

> Vt pueris olim dant crustula blandi
> Doctores, elementa uelint ut discere prima.

Ad extremum, in transennam scholarum nassamq́ꝫ docte ducam, atqꝫ pedicis irretiam, ut à teneris usque annis fideliter instituantur. Iuuenum enim in primis rationem habere cõuenit, ut in optimos uiros adolescant, & κεφάλαιον δὴ παιδείας λέγομεν τὴν ὀρθὴν τροφήν, inquit Plato. Alioqui haud temere ad frugem peruenient: nam ut indulgentia parentum: sic & uoluptates lususq́ꝫ ferè non sinunt spectatam satis alioqui indolem maturescere, uel iam maturam tandem ad exquisitam eruditionem peruenire, quod nusquam gentiũ minor sit honos bonis literis & eloquentiæ. Id si per ætatem pueri, quibus adhuc odiosæ sunt literæ, resciscant, impẽdio plus oderint & præceptiones, quæ in omni disciplina nescio quid natura subamarum habẽt. Nec enim dulcis ulli disciplina infantiæ est, ut inquit Prudentius. Verum hoc molestię comes pensat utilitas: iuxtaq́ꝫ quicquid sit illud tædij, nondum illecebris deliniti facilius concoquunt atqꝫ deuorant. Ad hæc decet & hoc quoqꝫ prospicere me, ne peius quàm hactenus fecerim, faciam. Equidem cum id semper

nobis à multis usq; annis studio fuerit, & omnis mea cura soleat in hoc uersari, ut boni aliquid efficiam in bene instituenda iuuentute, si id minus (quē admodum iam nunc mihi id non est integrum per βαρηκοΐαν) ut certe literas proueham: tum id ætatis iam sumus, ut si quid aliud, hoc certe potissimum nostræ debeat esse functionis: quandoquidem (ut id dicam uerbis Homeri) μητιᾶσθαι βουλῇ καὶ μύθοισι, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων. Debeo igitur quantumcunq; possum in eo quoq; laborare, ut sint opera, cōsilio, labore nostro rhetorices studiosiores adolescentuli nostrates. Quod si semper aliàs, nunc uero non iniuria multo maxime necessariū esse crediderim: siue quod & rhetorices & eloquentiæ studium à plerisq; desertum, prorsus antiquari ac uelut obsolescere uideamus: idq; eo tempore, quo multo uehementius erat retinendum & studiosius adaugendum. Nam quo indignius rem honestissimam atq; utilissimam uiolat, profanat atq; fastidit barbarorum & improborum temeritas audaciaq;, summo cum rei literariæ detrimento: eo studiosius & illis resistendum erit, & rei literariæ consulendum. Siue quòd passim plures propemodum reperiantur παιδοτρίβαι quàm ἰατρίβαι. Et uereor ne breui uentura sit ætas, adeoq; iam sole clarius cœpta sit exoriri, qua bonæ literæ tam turpiter explodantur, quàm paucis abhinc annis sese fortiter exeruerūt. Deum immortalem, quot hodieq; uulgo obambulant beluę plus quàm importunissimæ, quæ quasi fatali malo se deuouisse uidentur dijs manibus, nisi bonas literas, hoc est, omnes quas ipsi non didicerunt, iam propemodum extinctas funditus extinxerint, & πεύκης τρόπον exciderint, atq; in his cum primis rhetoricen. Nam ut huius neglectus omnium bonarum disciplinarum, omniumq; elegantiorum authorum πανωλεθρίαν inuexit, ita metuunt futurum, ut hac renata & illæ reflorescant. Et iam dudum nobis extinxissent, nisi manibus & pedibus quotquot sunt nostræ homines turbæ, gnauiter obstitissent, atq; adeo collatis signis fortiter depugnassent. Accedit ad hoc mali etiam illud incommodi, quod artem rhetoricam doceant quidam, sed sic, ut si quis obmutescere concupiat, nihil aliud discere debeat. Tantumq; illi absunt à perfectione consummatorum rhetorum, ut fundamenta eorum quę cogitāt, nondum iecerint. Qui uidentur mihi copiosius de arte, quàm ex arte dicere posse, præcipereq;. Minimum est enim de arte loqui, quod & hi faciunt: sed multo maximum ex arte dicere, quod eos minime potuisse uidemus omnes. Quiq; (ut hoc ὡς ἐν παραδρομῇ percurram) ὄντως παρακμοί εἰσι ῥήτορες. In quos non male fortassis quadrabit illud:

εἰκὼν ἡ Σέξτου μελετᾷ, Σέξτος δὲ σιωπᾷ·
ῥήτορος ἡ εἰκών. ὁ δὲ ῥήτωρ ῥήτορος εἰκών. & Ausonianum illud:

Hæc Ruffi tabula est. quid uerius? ipse ubi Ruffus?
In cathedra. quid agit? hoc quod & in tabula.

Quid quod ab alijs præpostero dicendi ordine, prius ad Ciceronis, aliorumq; item Ciceronianorum imitationem inuiti suspensisq; manibus adolescentes protruduntur, quàm prima artis rhetoricæ præcepta uel primoribus labris degustarint? Alij & si fortasse non male tradiderint, non tamen

satis

satis exercent, nec item periculum faciunt, ut auditores specimē aliquod de clamandi aliquoties tandem exhibeant, cum tamen (ut Fabius est autor, & idem quoq; nulli non notissimum sit) in omnibus minus soleant ualere præcepta quàm experimenta. Nec exigunt progymnasmata eorum quæ tradita sunt, quod à plerisq; teste Galeno dicitur, ad calculum uocare, hoc est, instare ei qui exercetur, & in hoc animaduertere ubi labatur, eaq; sola corrigere. Nec instant ijs quos exercent, donec in singulis præexercitamētis eò prouexerint, ut iam non errent. Deinde conueniebat, doctores rhetoricos ludo præfectos uarijs modis exercere discipulos, multis propositis exemplis. Sunt qui tantum præcepta tradunt, nec exercent multis propositis exemplis: qui perinde facere uidentur, ac si faber præcipiat discipulo, ut & metiatur, ut æquet, ut dirigat & circum describat, nec interim det illi cubitum quo metiatur, nec xyston quo poliat, neq; regulam ad quam dirigat, neque circinum quomodo circunducat. Quid hic commemorem, quòd nec adsint commonstratores artificij, ueluti solent pictores discipulis, qui non docent solum, sed quod est efficacissimum, in tabula quapiam insigni demonstrant, quid ex arte factum sit, quid contra. Apud alios deniq; longiore circa prima rudimenta mora nō tantum χρονοτρίβειν coguntur, sed inani quadā profluentia loquendi imbuuntur. In quod uitium fere incidunt, qui dialecticorum ac rhetorum præceptis, declamatorijsq; palæstris linguam potius armant uerbis, quàm pectus honestis rationibus. Et tamen res sic habet, ut nisi quod quisq; cito potuerit, nunquam omnino possit perdiscere. Sunt & in rhetorum rudimentis non pauca magis ad ostentationem, quàm ad usum ac commoda. Neq; mediocris est turba cum apud Latinos, tum apud Græcos eorum qui de progymnasmatis dicendi conscripserunt, ac de suo quisq; conatus est aliquid aliorum inuentis addere. Cæterū meo quidem iudicio, nemo id felicius præstat uno Aphthonio, ut qui præceptionum multitudinem in compendiū contraxit, moxq; ad usum uocauit lectorem, in ipso interim argumento commonstrans, quid ex arte dictum sit, quid secus. Iam uero ut ad pauca redeam & mittam aliorum ineptias, afferamq; in medium id quod huius proprie est instituti: Non potest dici quàm sit insignis artifex Aphthonius Sophista, ut qui lectorem alliciat, inescetq; commoda breuitate, luce, ordine, alijsq; id genus epitomis: quiq; non minore diligentia, quàm fide discentis agit negotium, non id statim captans, ut ipse doctus appareat, sed ut lectorem doctum reddat. In hisce progymnasmatis, quàm scito compēdio, quàm miro ordine, qua simplicitate rhetorices summam cōplexus est, ceu simulacro quodam nobis deliniato? Porrò autem si eos qui præceptiones scribunt, tum demum optime scripsisse putant omnes, quum parcissime ac luculentissime eas tradiderint: sanè non minimā hac in re laudē Aphthonium meruisse contenderim. Adeò unus hic ad paranda rhetorices rudimēta ἀφθόνως suffecerit. Habes qualis sit artifex Aphthonius: accipe nunc qualē is quoq; sit nactus interpretem. Quòd si iuxta diuum Hieronymū optimus sit interpres, qui linguas & rem optime teneat, opinòr Rodolphum Agri-

Argumētum progymnasmatum Aphthonij.

cõlam(in quo nullius non artis aut perfecta, aut certe non dubia uestigia rẽperiuntur) utraq; in re haud in postremis habendũ, meritoq; omnibus Aphthonij interpretibus præferendum, quippe qui id præstiterit quod(semper in primis spectandum est interpreti) ut sententiam bona fide uerbis quàm aptissimis afferat. Hactenus ad ineptos rhetorculos, ad Aphthonium, ad interpretem: nunc ad id quod tuæ erat caput epistolæ. Audio equidẽ, & iampridem istuc lætus audio, scholas Alcmarianas, in quibus & nos admodum adolescentes te aliquoties in Herennianis rhetoricis exercuimus, frequentare iuuenes aliquot omnis generis, optimæ spei, & abs te pulcherrima uitæ præcepta, ueramq; dicendi uiam uelut ex oraculo petere. Sed hoc quoq; nomine impensius mihi tuum arridet gymnasium, quòd non riuulos consecteris, sed fontes, & à capite quod optes arcessas, unde manãt omnia. Ne uiuã, nisi huiusmodi sint Aphthonij quoq; progymnasmata. Quamobrẽ ut gratũ faciamus iuuentuti tuæ, mittimus tibi Aphthonium, hoc est, absolutissima dicendi primordia, quibus ueteres illi Sophistę iuxta ac Grammatici nondum rhetoricen capientes instruebãt, ne scilicet sicci omnino atq; aridi pueri rhetoribus traderentur, assumpta tamen interim à dialecticis argumentãdi ratione. Quæ quidem prorsus omitti iam nunc uideo desidia quorundam & infantia, non enim fastidio putem. Mitto itidem adolescentes treis subactissimi ingenij. Tu uide probã nactus materiam, probum te adhibeas artificem: hoc est, reddas eos σώφρονας, μετρίους, εὐγνώμονας καὶ δυνατοὺς εἰπεῖν. Quando porrò ex hac πονηροπόλει rusticitatis uernacula, ubi Deus uenter est & in diem uiuitur, & doctior adeoq; sanctior est ille qui ditior, cui nimirum oppido iure cognomen est Epidamno, κωμῶ, non Musis addicto, plures ad te discipulos possem transmittere: nisi alia rerum facies appareat, ne suspicari quidem possum. Est mihi ex sorore nepotulus, ὅς μοι πολύχετος τρέφεται θαλέι ἐνὶ πολλῇ: ἀλλ᾽ ὅταν ἡβήσειε καὶ ἥβης μέτρον ἵκοιτο, & eum in tum collegium cooptari uelim, aliosq; complures ei comites (si qua licebit) adiungam. Tu fac quod nihil ambigo te facturum, ut de te olim tui deprædicent auditores, quod est apud Homerum de Phœnice: διδασκέμεναι τάδε πάντα, μύθων τε ῥητῆρ᾽ ἔμμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων. Vale apud πονηρόπολιν. 1529.

Aphthonij

APHTHONII SOPHISTAE PROGYMNASMATA, RODOLPHO Agricola Phrisio interprete.

FABVLA I.



Abula initio poëtarum fuit. Postea uero quòd erudiẽdis pueris apta erat, à rhetoribus est etiam usurpata. Est autem fabula oratio falsa, similitudinem exprimens ueritatis: Dictaq; Sybaritica & Cilix & Cypria, ex inuentoribus nomen permutans. Euicit tamẽ ut magis Aesopica uocaretur, quòd omnium optimas Aesopus fabulas conscripsit. * *Et sunt fabularum aliæ quidem rationales, morales aliæ, aliæ mixtæ. Rationales sunt, quibus aliquid facientem hominem effingimus. Morales, quæ ratione carentium morem imitantur. Mixta est, in qua utrunq;, rationale & irrationale iunguntur. Id autem cuius uel docendi causa, uel admonendi fabula recensetur, si proponas, προμύθιον, id est (ut ita dixerim) præfabulare: si subijcias fabulæ, ἐπιμύθιον, id est, subfabulare appellatur.* * Fabulæ diuisio.

IN APHTHONII SOPHISTAE PROGYmnasmata, Rodolpho Agricola Phrisio interprete, commentaria per Alardum Aemstelredamum.

APHthonij sophistæ progymnasmata.) Quandoquidem libellus iste Progymnasmata inscribitur, ob id optimum fuerit initio paucis subindicare quid sit progymnasma. Igitur temporibus eis quo primum res Atheniensium, deinde populi Romani magnæ & potentes fuêre, fuit & in Græcia, & Romę eloquẽtia in summo pretio & ueneratione. Itaq; pueri protinus instituebantur ad benedicẽdum, ut quum adoleuissent, possent in iudicijs, & consilijs publicis & priuatis proferre facundiam, quod præexercitamentorum genus uocabant προγυμνάσματα. Ergo qui apud Grammaticos ea percepissent, quæ præexercitamenta uocabantur, quæ apud Græcos Hermogenes, & ad huius æmulationem Aphthonius, apud nos Priscianus scripta reliquit: tum ad Rhetoris scholam adducebantur, proponebanturq; eis themata, qualia in libris declamationum Senecæ descripta sunt, quorum alia ficta erant, alia ex historijs & poëtis sumebãtur, qualia hodie apud Græcos sophistas pleraq; extant, ad quæ themata in scholis pueri exercebant se stilo, scribendo in utranque partem, pro modo ingenij, & eruditionis, quisq; quàm optime poterat. Deinde qui profectu processerant, & commodius iam poterant scribere, hi ea ipsa quæ scripserant, ediscebant, & tum dicebant: nonnulli (qui summus iam profectus erat) statim proposito themate sine scriptura dicebant. Hoc ergo erat declamare, in scholis exercitationis causa dicere. Itaq; declamatio non aliud est, quàm oratio scholastica ad similitudinem forensis orationis dicta. Vide Rodolphum Agricolam lib. inuentionis dialect. 2, ca. 25. Sophistæ.) Sane q̃ elegãter Sophistam definit Plato in Dia

logo de ente. Isocrates in Encomio Helenes. Idem in oratione aduersus sophistas. Cicero lib. 4. Acade. quæst. Lege Prouerb. μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐκ αὐτῷ σοφός, id est, Sapientem ego odi, qui sibi sapit nihil. Rodolphus Agricola in commentario in prologũ Senecæ: Rhetor, inquit, dicitur Græce, quod Latine orator, qui causas in foro agit. Qui docet autem, Græce Sophistes uocatur, quod nos possumus interpretari doctorem: apud Latinos uerò ferè obtinuit consuetudo, ut Rhetor qui docet, Orator, qui dicit uocaretur. Hæc ille. M. Cicero: Eorum erat iste mos, qui tunc sophistæ nominabantur, quorum è numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conuentu poscere quæstionem, id est, iubere dicere qua de re quis uellet audire. Libanius quum ei Iulianus præfecturam offerret, respuit, dicens pulchrius esse sophistã agere, quàm principem, huius gloriam cito perire, illius esse perpetuam. Suidas. Erudiendis pueris apta) Sic ferè Fab. Quintil. primo Orat. institu. lib. cap. 15. A rhetoribus est etiã usurpata. Tametsi non minus Herodotus, quàm alij complures fabulis usi sunt, tamẽ ijs multo priores fuerunt poetæ, qui uoluptatis gratia fabulis utuntur, Rhetores uero admonendi causa. Quum Alexander pacem hac lege deferret Atheniensibus, si ciues octo sibi dederent, inter quos erat Demosthenes: Demosthenes apologum retulit de lupo, qui pacem obtulit ouibus, si canes dederent. Lupi nomine signans Alexandrum: canum, eos qui tum populi rem curabant: ouium, plebem Atheniensium. Aristote. lib. Rhetorices 2. cap. 22. Cicero primo de inuentione lib. cap. de narratione. T. Liuius primæ decadis lib. 2. Macrobius lib. 1. cap. 2. Vsus est fabula & Cicero in oratione pro Sex. Roscio: Videtis ne quos nobis poetæ. & quæ sequuntur. Idem pro Milone, in ea quæstione qua disputat: an possit ullus ab altero occidi iure. Primum præter reliqua quæ subijcit exempla, opponit aduersarijs etiam testimonium ex fabulis quæsitum. Idem 3. Verrina. Rodolphus Agricola lib. de inuentione dialecti. 3. cap. 12. Venusta admodum fabula est & apud Galenum in exhortatione ad bonas artes. Est autem fabula oratio) Id ita post Fab. Quintil. lib. 2. cap. 4. explanatius poterit efferri: Fabula (ut huius est instituti) est sermo fictus, delectatiõis, utilitatisq; gratia, imaginem quandam morum exhibens. Quam ideo primam pueris tradi rhetorum scholæ præceperunt, quòd non modo ad linguam expoliendam, uerumetiam ad formandos, morumq; institutis imbuendos cum audiendi quadam illecebra, molles adhuc animos, tracturosq; altius quicquid rudibus annis perceperint, haud parũ conducere arbitrati sunt. Nam & delectant uehementius, & efficatius persuadent, dum capti uoluptate qui audiunt, facile ijs quibus delectantur, assentiunt. Siquidem tantum ualuit notus ille Menenij Agrippæ, de corporis humani membris à uentre dissidentibus, sermo, ut grauiter irritatã plebem, à periculosissima seditione reuocarit, & cum patribus in concordiam redegerit. Et Aesopus Samijs persuasit ne nouarẽt magistratus, conficto in id apologo de uulpe muscis obsita, quod ipsum & de Themistocle, & Atheniensibus proditum est. Stesichorus quoq; poeta, Hymerenses Phalaridem tyrannum ducẽ exercitus sui eligere uolentes, fabula equi admisso freno ceruũ profligantis deterruit. Accedat his oratorum longe princeps Demosthenes, qui uulgatissima de lupis & agnis fabula, de asini umbra, Atheniensium seruauit & magistratum & urbẽ. At ne uetustissimi quidem ac nobilissimi poetæ, Homerus, Hesiodus, Archilochus, Horatius, nec Liuius in historia, nec grauissimi quiq; philosophi, inter quos & diuinus ille Plato, humilem huius generis usum putauerunt. Quin oratores harum usu, & fastidium leuant, & attentionem conciliant nonnunquam. Certè non rarò inter exẽpla ad ornamentum eloquẽtiæ assumunt, summa non utilitatis modo gratia, sed etiam iucunditatis, nec rarò in medijs incedunt colloquijs. Difficile uerò dictu est, quantũ hoc exercitationis genus puerorũ conferat studijs, propter argumẽti mirã suauitatem: nihil audiunt libentius, nihil capiunt facilius: nihil meminère firmius. Scribendæ aũt fabellæ, autore Fabio, sermone puro, & nihil se supra modum extollente. Porrò ut delectent, multum adiuuabit si eis uerba ita accommodabimus, ut tanquam præsentes uideantur: id quod cum alijs modis, tum in primis uerborum

præsentis temporis usurpatione fiet commodissime: Cæterum quin præteriti temporis uerba primum ponas, nihil uetat, sed ad præsentia sensim obrepas. Exempla in promptu sunt. Præterea si faceta quadam mutatione, quod est in hominum uita, ut uulgares hominum affectus, sermones, sententias, dictaq; fabulæ affingemus. Exemplum aptissimũ est in Satyris Horatij de mure rustico & urbano. Profuerit & illud, si circumstantiarũ nonnihil aspergamus, locũ, tempus, modum, instrumentum, causam, & huiusmodi, modo ne quid nimis. Poterit autem & fusius & contractius exponi fabula: utcunq; uid. bitur, aut res postulabit. Id fiet, si nunc simplici narratione utemur, nunc dilatabimus præfatione commendationis. Commendamus tum autorem ipsum, tum apologorum genus, ita ut fecit A. Gellius in cassitæ fabula. Deinde ipsius apologi paulò uberiori explicatione, sermone etiam inductis tributo personis. Vtriusq; exemplum multò optimum, est illa apud Gellium & Goudanum fabula, de cassita auicula, ab hoc pure & succinctè: ab illo splendidius aliquanto copiosiusq; narrata. Hic uerò refert personarum naturam ac decorum sedulo obseruare, quæ res & ad ἐπιμύθιον affingendum peculiariter cõducit, ut, exempli gratia. Leo regium quiddam & tyrannicũ præ se fert. Forma superbit pauo. Lupus prædo est, garrula hirundo, ciconia pia, formica laboriosa, stolidus asinus, uulpes uafra, qua utitur fabula, ut Dauo comœdia. Notantur sæpe uerbo apologi, maxime si noti sit, ueluti si dicas: Si tua scripta damnant imperiti, noli laborare: quid enim mirum si gemmam aspernatur gallus Aesopicus? Aut hoc pacto: Qui se maiorum splẽdore ac uirtutibus uenditant, ipsi ignaui atq; inglorij haud secus atq; Aesopi cornicula ridiculi sunt. Posteaquam Romani traiecerant in Asiam aduersus Antiochum regem, isq; legatos ad Scipionem de pace misisset: id, inquit Scipio, prius factũ oportuit, non nũc, quum & frenum & sessorem recepisti. Allusit ad apologum de equo & sessore, notiorem quàm ut hic sit commemorandus. Sunt etiam adagia nonnulla huc spectantia, quod genus sunt: Leonis uestigia quæris. Quid attinet undas præteritas numerare? Et quod uulgo dici solet, puero præfocato clauditur puteus. Cæterum quod ἐπιμύθιον Græci, Latinorum quidam affabulationem uocãt, hoc est, apologi interpretationẽ, initio ponas an in fine, non magni refert. Quin & ab hac incipere, & in hanc desinere concessum est, absit modo tautologia, quæ est indecora eiusdem uerbi aut sermonis iteratio, uitium cum fœdum, tum odiosum. Similitudinem exprimens ueritatis.) Hoc loco succurrit & illud obiter admonere, quos Aristoteles 2. rhetoricorũ libro, cap. de exemplo λόγους siue ἀπολόγους appellat, hos Hesiodus αἴνους uidetur uocasse, in opere quod inscribitur ἔργα καὶ ἡμέραι. Aphthonius uerò simpliciter μύθους, fabulas nominat. Seneca in libro de consolatione ad Polybium: Non audes, inquit, te usq; eò producere, ut fabellas quoque & Aesopeos logos intentatum Romanis ingenijs opus, solita uenustate connectas. Sunt qui eos μυθικοὺς λογοὺς uocent. Plautus in Sticho utitur apologo pro fabula, rei similitudinem afferente: Præsente te huic, inquit, apologum agere unum uolo. Ac mox ibidẽ: Miror quò euasurus apologus. Plutarchus Chero. in consolato. ad Appollonium: Quemadmodum iris nihil aliud est quàm relucentia solis refracti in nubibus: Ita fabula quædam est ueri repræsentatio. Plutarchus de poëmatis audiendis: Quemadmodum in picturis plus mouet color, quàm lineæ, propterea quòd propius hominis formam repræsentet ille magisq; fallat: Ita mendacium admixta ueri similitudine, magis allicit mouetq;, quàm simplex oratio, quæ nihil habeat fuci. Vt Democritus medicus Considiæ mulieri omnem curationẽ austerã recusanti, lac caprarũ dedit, quas lentisco pascebat: Sic ijs qui prorsus à tetricis philosophiæ præceptis abhorrẽt, fabellæ quædã amœniores proponẽdæ, sed quæ philosophiã resipiant. Lege Lamiam Angeli Politiani. Vide adagium: Ollas ostentare. Basilius Magnus: βιαίως γὰρ μάθημα οὐ πέφυκεν παραμένειν, τὸ δὲ μετὰ τέρψεως καὶ χάριτος εἰς δόμενον μονιμώτερον πως ταῖς ψυχαῖς ἐνιζάνει, id est, Disciplina uiolenter inculcata, ferè non admodum feliciter coalescit, aut diu subsistit: id autem quod festiuis aliquod oblectamentis, & cum gratia quapiam in animo sensim inseritur, radices illic

res illic agit, & fixius insidet, adhærescitq; diutius. Cicero in partionib. oratoriis: Maximam autem facit fidem ad similitudinem ueri, primum exemplum, deinde introducta rei similitudo, fabula etiam nonnunquam & si sit incredibilis, tamen homines commouet. Sybaritica) Sybaritæ omnigenis deliniti illecebris, ex solis rationalibus animantibus fabulas commenti sunt. Angelus Politianus in miscellaniis cap. 15 Lege in Chiliadibus Erasmi prouerbium: Sybaritica oratio. Et Cilix) Cilices uero pariter & Cyprii strenue foris negociantes, & quoquouersum uagantes, quia animalia aliquot alia atq; alia forma conspicati essent, iccirco cœperunt & ex rationis expertibus fabulas cōminisci. Vide adagium: Cilix haud facile uerum dicit. Quod omnium optimas Aesopus) Quintil. libro 5. cap 11. Illæ quoq; fabulæ, quæ etiā, &c. Aul. Gellius certè lib. 2. cap. 29 magna cum laude fabulas Aesopo tribuit. At Quintil. eo quē modo citauimus libro refert ad Hesiodum, quòd in Hesiodi Georgicis subinde eædem fabulæ narrentur, ac etiam ad allegoriam trahantur. Porrò Plutarchus in Symposio septem sapientum, commemorat Aesopum accepisse scribendarum occasionem fabularum, ex eo qui est apud Hesio. ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις apologo de accipitre & lucinia. Hæc ad hunc locum intelligendum suffecerint: qui plura uolet cognoscere, legat is Philostratum in imaginibus, Ludouicum Cælium libro antiquarum lectionum 8 cap. 47. Et Antonium Codrum sermone 9. Aliæ quidem rationales) Locum hunc & quæ sequuntur in calcem usq; omnia, paulò diuersius reddidit Ludouicus Cælius lib. 10. antiquarum lectionum cap. 7. Vt ita dixerim.) Iam illud tametsi minutulum humiliusq; uideatur, tamen non grauabimur propter imperitiores, admonere: uidelicet, quòd in usurpandis uerbis nouatis, aut durius translatis, autore Quintiliano, nos oporteat προεπιπλήττειν, hoc est, præcastigare & uelut occurrere uocabulo, siquando uel obscurius, uel alioqui durius uidebitur. Id autem cuius uel docendi causa, uel admonendi fabula recensetur.) Ab hac sententia non ita longe uidentur distare ea quę in ipso statim adagiorum frontispicio disserit D. Erasmus Rotero. Quomodo parœmia differat ab iis, quę uidentur illi confinia. Vide Quintilianum lib. 8. cap. 4.

EXEMPLVM.


Edia feruebat æstas, atq; læto inter arbusta cicadæ carmine strepebant. Laborabant uero formicæ, colligebantq; frumentum, quo futuræ hyemis inopiam tolerarent. Veniente deinde hyeme, formicæ laboribus suis pascebantur, cicadis uero ignaua illa uoluptas est uersa in famem. Hoc pacto ij qui in iuuenta defugiunt laborem, in senecta egestate tabescunt.

Sub fabulare.

IN EXEMPLVM.

INter arbusta.) Nihil tale quiddam in Aphthonio, mutuatus est autem interpres id quod est apud Verg. in Bucolicis: At mecum raucis tua dum uestigia lustro, Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis. Et in 3. Georgicôn: Et cantu querulę rumpent arbusta cicadæ. Non ita dissimilis. fabula est apud Platonem de cicadis in Phædro, quam uertit Philippus Melanchthon in rhetoricis cap. de allegoria. Extat & apud Plutarchū Che. in symposio septem sapiētum eiusdem prorsus argumenti, cum superiore Aphthonij exemplo apologus sanè quàm festiuus de cane ignauo, quem mira uerborum parsimonia perstringit. Nos eundem aliquantò fusius explicatum, ac exercendi stili gratia utcunq; παραφραστικῶς uersum non grauabimur huc ascribere. Apologus.

Acris sæuiebat hyems, ubi uerò immodico præ gelu canis dies plusculos alsisset, totusq́; diriguisset, atq; adeo ei iam pilis tergum inhorruisset, ut uix ægreq́; in pedes cōsisteret: queribunda uoce, circumq́; supraq́; cursitans, terram scalpurit, tandem fatiscens residet in clunes, caudamq́; remulcens subiecit pauitantem utero, subinde respectat ecquo sese abderet latibulo. Cæterum cum nihil perfugij (ita ut ferè fit in miseria) usq̃ offerretur, quàm potuit arctissimè sese contrahebat, consilijq́; erat sub æstatem proximam, ex uepretulis extractis atq; tabellulis aliquot hinc inde collectis, humile aliquod extruere cubiculum. Nec id magni admodum credidit esse negocij: quādoquidem contracto rictu, pedibusq́; ac parte omni inferiore in sphæræ formam conuolutus, huc illuc circumrotaretur. Iam uerò cum media ferueret æstas, & flagrātioribus radijs excanderet dies, meridiana porrectus in umbra, quantus quātus esset aliquādiu suauiter apricaretur, ac quoquo uersus identidem circumuolutaretur, deterritus umbræ magnitudine, maioremq́; & proceriorem opinione sua sese cōtemplatus, spem omnem ædificandi semel abiecit, siue quòd maioris uideretur esse molis, operę, sudoris'ue, quàm quæ uerno calore possent exantlari, siue quòd pluscula opus esset supellectile, ut & laxe & magnifice posset habitare. Indignum etiam clamitans, id scilicet curare canem, qui qua est indagine, quamlibet abstrusos specus uenaretur atque offenderet. ἐπιμύθιον. Ad eundem ferè modū ignaui homines, quibus semper sunt feriæ, inedia laborantes, ubi iam satagunt rerum suarum, tum demum statuunt sibi prospicere, ut suppetat in numeratoq́; sit, unde se suosq́; tueantur. Porrò ubi primū felicior aliquis dies affulserit, lautiusq́; inciderit epulū, ne cogitāt quidem, tantū abest, ut cōmodum sese instruant, cōmuniant sibiq́; prospiciant, quo futuræ paupertatis inopiā tolerent, & id malū quod desideret φῶτα μεγάλων ἐπίσορα ἔργων, modice aut etiā intra modum ferant. Iam uerò ad reliqua properabimus, si prius illud unum monuerimus, extare inter alias Græcorum epistolas, lepidam quandam ad Lysistratum epistolam autore Theophilacto, sub Sostrati nomine conscriptam, quæ nimirum mira quadam hypotyposi sub oculos ponit eandem de cicadis fabulam, quā uel hoc nomine potissimum putem hic non silentio prætereundam: siue quòd eiusdem sit argumenti, siue quòd non dissimile ueri sit, ad huius exemplar & respexisse Theophilactum.

Σώστρατος Λυσιστράτῳ.

Ἐπειδή σοι πολλὰ καὶ θαυμαστὰ παραινέσαντες τὴν Πηνελόπης ἐδόξαμεν ὑφαίνειν ἱστόν, φέρε δῆτα φέρε καὶ μυθικῶν ἀπαρξώμεθα λόγων. ἴσως γὰρ τῆς σῆς διανοίας ἐφίκοιτο δὴ τὰ λεγόμενα. ἐν τοῖς νεοβλάστοις τῶν δένδρων ὁ τέττιξ ὀχούμενος, ὥρᾳ καύματος ἐκελάδει. καὶ τῆς ἑαυτοῦ ἁρμονίας αἰσθανόμενος ἐπετέρπετο. ὁ δὲ μύρμηξ παρῆν τοῖς θερίζουσι καὶ περὶ τὴν ἅλω τὰς διατριβὰς ἐπεποίητο. καὶ τοῖς κόλποις τῆς γῆς τὴν ἑαυτοῦ τροφὴν ἐθησαύριζεν, ἵνα προμηθέστερος ὢν ὁ μύρμηξ τοῦ τέττιγος. παρῴχηκε τοίνυν ἐκ τῶν βορείων ὁ ἥλιος: ἀπῆνε μετόπωρον. καὶ ὁ χειμὼν ἅπαντα τῇ γῇ. ἡ δὲ θάλαττα τὰς γαληναίας σπονδὰς διελύσατο. οἱ πλωτῆρες τοὺς λιμένας ὡς σωτῆρας ὄντας ἠσπάζοντο. καὶ ὁ γεωργὸς ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ ἑστίαν κατέφευγε. καὶ ὁ μύρμηξ ἐν ταῖς λαγόσι τῆς γῆς καὶ τοὺς πόνους εἶχεν ἑστίασιν πολυτέλειον. ἱκέτευε δὴ ὁ τέττιξ τὸν φιλόπονον μύρμηκα τῶν θεσαυρῶν μεταιχεῖν. ὁ δὲ τὸν μελῳδόντων ἑαυτοῦ θυρῶν ἀπεπέμπετο πολὺν αὐτῷ τῆς ἀργίας καταχέων τὸν γέλωτα. καὶ τῶν θερινῶν ᾀσμάτων αὐτὸν ἀνεμίμνησκε. διόπερ ὁ μὲν εἶχε λιμὸν τὴν ᾠδήν. ὁ δὲ τοὺς πόνους τρυφήν, ἁρμόττει σοι ὁ μῦθος Λυσίστρατε. ἀεργὸς γὰρ ὢν ἀθλιώτερος εἶ τοῦ πυρέσσοντος: ἐσθίων μὲν τὴν διπλάσια ἅπαξ δῆτα τῆς ἀεργεσίας ὦ βέλτιστε. τὰ τῆς φύσεως γὰρ δῶρα κατήσχυνας. τηλικαύτην ῥώμην καὶ εὐρωστίαν τοῦ σώματος ἀκόσμητον παριὼν ἐπιστήμῃ πόνων ἀσκεῖν μὴ βουλόμενος.

Sostratus Lysistrato.

Quandoquidem plurimis iuxta ac admirandis erga te exhortationibus, nihil

aliud quàm Penelopes telam retexere uisi sumus, age uerò age & fabulosis sermoni bus de integro aggrediamur. Ita fiet fortassis, ut quæ dicuntur, adlubescere animo incipiant tuo. Cicada olim tempore anni flagrantissimo, inter recentes saltabunda plantulas perstrepebat, suoq; sese cantu uoluptati indulgens oblectabat. Formica cō trà messoribus sese adiungens, cōmeatus in cauernulas recondendi solicita, in area se exercebat, tantò cicada prudentior. Progresso iam à septentrionibus sole, autumnus præterierat, hyemsq; terræ incubuit. Mare autem tranquillitatem soluit. Nautæ salutares amplexi portus. Agricola uerò foculo se admouit. Formica interim cauis abdita, suos sibi labores oportunum habuit famis solatium. Adit itaque industriam formicam cicada supplex, ut se reposito impertiret penu rogitans. At illa cantillatri cem ab ostio ablegans suo, ignauiam eius largo risu prosequuta est, simul & æstiuas cantiones in memoriam reduxit. Itaq; huic quidem breuis canendi uoluptas in famē abijt, illi uerò sudores suauissimum peperêre obsonium. Hæc in te quadrat Lysistrate fabula, qui per ignauiam istam tuam quouis es febricitante miserior, duplum ocio se deuorans. Apagesis cum istac inertia ô præclare, pudeatq; te isto robore istaq; corporis firmitate, nulla tamen rerum peritia ob inertiam exculta præditum, tantum infamiæ naturæ dotibus conciliare. Hæc in eos quadrat fabula, qui iuuentutem ocio ac desidia transigunt, quos tandem grandiores factos, tum egestas misera, tum grauis contemptus excipit, quòd neq; habeant, neq; sciant. Prou. 6. Abi piger ad formicam, cuius contemplare morem ut sapiēs fias. Illa tametsi nec principem, nec præfectum, nec ducem habeat, tamen æstate cibum parat, & colligit in messe alimentum. Quamdiu piger dormies? Ecquādo à somno surges? Paulū modo, inquis, dormitabo, paulū modo somno uacabo, paulum modo conseram manus, & componā me ad recumbendū. At interea ceu uiator ueniet inopia, & obruet te paupertas ceu latro. Prouerb. 10. Egestatem adfert manus ociosa, sed manus sedulorum ditat. Qui colligit in æstate, prudens est: qui dormit in messe, confunditur. Prouerb. 30. Quatuor minuta sunt in terra, quæ prudentia uincunt etiā sapientes. Formicæ imbecille genus, & tamē in messe cibum sibi parant. Cuniculi infirmum genus, qui in rupibus habitant. Locustæ, quæ quanquā non habeāt regem, tamen agminatim prodeunt. Illud quoq; quando in formicarum mentionem incidimus, non grauabor adscribere, quod est apud D. Hieronymū in uita Malchi monachi: Post grande, inquit, interuallum dum solus in eremo sedeo: & præter cœlum terramq; nihil uideo: cœpi mecum tacitus uoluere: & inter multa cōtubernij quoq; monachorum recordari, maximeq; uultum patris mei, qui me erudierat, tenuerat, perdideratq;. Sicq; cogitans, aspicio formicarum gregem angusto calle feruere, ferre onera maiora, quàm corpora. Aliæ herbarum quædam semina forcipe oris trahebant, aliæ egerebant humum de foueis, & aquarum meatus aggeribus excludebant. Illæ uenturæ hyemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea uerteret, illata semina præcidebant. Hæ luctu celebri corpora defuncta deportabant. Quodq; magis mirum est, in tanto agmine egrediens non obstabat intranti: quin potius si quam uidissent sub fasce & onere concidisse, suppositis humeris adiuuabant. Quid multa? pulchrum mihi spectaculum dies illa tribuit. Vnde recordatus Salomonis ad formicarum solertiam nos mittentis, & pigras mentes tali exemplo suscitantis, cœpi tædere captiuitatis, & monasterij cellulas quærere, ac formicarum illarū similitudinem desiderare, ubi laboratur in mediū, cumq; nihil cuiusq; propriū sit, omnium omnia sunt. Ambrosius 6. lib. Hexameron cap. 4. Est tum etiam in natura quadrupedū, quod imitari nos sermo adhortatur propheticus. Quo exemplo caueamus desidiā exiguitate uel infirmitate corporis, à uirtutis studio non reflectamur, neq; reuocemur ab ullius propositi magnitudine. Exigua est enim formica, quæ maiora suis audet uiribus, neq; seruitio ad operādum cogitur, sed spōtaneæ proposito prospiciētiæ futura alimētorum subsidia sibi præstruit. Cuius ut imiteris industriā, scriptura cōmonet te dicens: Confer te ad formicā ô piger, & æmulare uias eius, & esto illa sapientior. Illa enim nullam culturam possidet, neq; eam quæ se cogat ha

bens, neq; sub domino agens, quemadmodum præparat escam: quæ de tuis laboribus sibi messem recondit, & cum tu plerunq; egeas, illa non indiget. Nulla sunt ei clausa horrea, nullæ impenetrabiles custodiæ, nulli inmobiles acerui. Spectat custos, furtaq; prohibere non audet. Aspicit sua damna possessor, nec uindicat. Nigro conuectatur agmine præda, per campos feruens semite comitatu uiantum: & quæ cōprehendi angusto ore non possunt, humeris grandia frumenta truduntur. Spectat hęc dominus messis, & erubescit tam parca piæ industriæ negare compendia. Chrysostomus Hom. in Matth. 70. Quemadmodum formicæ duntaxat corporis curam habent, pariter & nos, imò uerò multò peius, nō enim pro rebus solum necessariis laboramus, ut illæ, sed pro superfluis. Vitam illæ nullo crimine agunt, nos auaritię seruientes, nō illas, sed lupos atq; leones imitamur. Augustinus: Quemadmodum formica æstate colligit, unde in hyeme pascatur: sic unusquisque Christianus in rerum tranquillitate, quam significat æstas, colligat uerbū Dei, ut in aduersitate & tribulationibus, quę hyemis nomine significātur, habeat unde spiritualiter uiuat. Vergilius lib. Aenei. 4.

Ac ueluti ingentem formicæ farris aceruum
Cum populant, hyemis memores, tectoq; reponunt:
It nigrum agmen campis, prædamq; per herbas
Conuectant calle angusto, pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt,
Castigantq; moras: opere omnis semita feruet.

Iuuenalis: Prospiciunt aliquando uiri frigusq; famemq;,
Formica tandem quidam expauēre magistra.

Ludouicus Bigus lib. 2. ad Szozam:

Cuncta Cleonæo flagrabant sidere, meq;
Vrbe grauem ruris sollicitabat amor.
Haud procul egressus sole inclinante sub ulmo
Longo formicas agmine conspicio.
E foueis pars haurit humum, pars claudit aquarum
Ostia, constructis firmiter aggeribus.
Multæ oris maiora trahunt se forcipe grana,
Auersæ multæ posteriore pede.
Pars humeris molitur opus, pars educat ægras,
Pars effert celebri corpora functa rogo.
Pars hyemis memor instantis, ne rursus in herbam
Humida succrescant semina, dente premit.
Quodq; magis mirum est, inter tot millia nunquam
Impedit egrediens introeuntis iter.
Quin potius si quam uideat sub pondere uictam,
Erigit elapsam, sæpeq; fasce leuat.
Cætera quid memorem? quæ concursatio? quanta
Sedulitas? studium quale? quis ordo foret?
Sic mecum, me ne è somno miserabilis unquam
Eruero? nunquam cura salutis erit?
Tantillæ ut seruent animantes frigore uitam,
Vnanimes agitat quàm grauis ecce labor.
Ast ego diuinæ munitus acumine mentis,
Nesciero uitæ consuluisse meæ? &c.

De ingenio, industria, politiaq; formicarum plusquàm mira narrāt autores, nec minus comperta tamen leges apud Plinium lib. 11. cap. 30. Vide declamationem, quæ Formica inscribitur, autore Phil. Melanch. Lege posteriorem Copiæ commētarium ad calcem de exemplo fabuloso. D. Erasmus in parabolis: Formicę triticum arrodūt ea parte, qua germinare incipit, ne sibi reddatur inutile; Sic potentes quo ministris

perpetuo utantur premunt, ne si emerserint, tædio seruitutis relinquant aulam. Industrium animal formica, sed non laborat nisi sibi: Ita nonnulli mortales sibi duntaxat consulunt, & suum modo negocium agunt. Vt Indicæ formicæ aurum è cauernis erutum seruant tantum, non fruuntur: Ita diues auarus nec fruitur ipse suis opibus, & aliis inuidet illarum usum. Quemadmodum formicæ si semel antro, & apes si semel aluearibus eiici contingat, peregrinantur: Ita quidam si semel patriam exeant, exules se putant. Erasmus lib. Ecclesiastæ 2. Porrò quod exemplum sumptum est ab animante bruto, sic mitigari potest, si dicat hoc non esse alienum à consuetudine scripturarum, quum Solomon nos mittat ad formicam, ut ab ea discamus industriā. Et dominus in Euangelio reuocat discipulos suos ad exemplum passerum, liliorum, & grani synapis. Fidem uerò poterit hoc pacto conciliare, si dicat hanc non esse anilem fabulam, sed à uetustis, grauibus & pluribus autoribus literis proditam historiam, quæ nulli uideri debet incredibilis, quum etiam quotidianis experimentis uideamus animantia natura fera, beneficiis hominum cicurari & ad obsequium redigi. Idem eodem loco: Rursus quum Solomon hortatur nos ad exemplum formicæ, ut illius exemplo pascamus in iuuentute, quo alamur in senectute, non inutilis est admonitio, sed qualē ethnicus ingereret filio suo. Multò autem uberior est fructus, si totam hāc uitam interpretemur æstatem nostram, in qua datum est bene agere. Hanc oportunitatē qui negligit, post mortem hyems est, in qua non licet bene operari, sed quisq; mercedem accipit, prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum.

NARRATIO II.

Diuisio narratiōis



Arratio est rei factæ uel tanquam factæ expositio. Diuiditur autem in poëticam, historicam & ciuilem. Poëtica est quæ habet expositionem fictam. Historica, quæ uetustam rerum commemorationem. Ciuilis est, qua rhetores utuntur in causis. Insunt autē narrationi sex: Persona faciens, res facta, tempus circa quod, locus in quo, modus quo pacto, causa propter quam. Quatuor uero sunt uirtutes ipsius, perspicuitas, breuitas, probabilitas, & uerborum proprietas.

Narrationis uirtutes.

IN NARRATIONEM II.

NArratio est rei factæ.) Cicero de inuentione lib. 1. Quintilianus lib. 2. ca. 4. Idem lib. 4. cap. 2. Aristoteles lib. rhetorices 3. cap. 16. Illorum quoq; peruetusta licet, attamen hic obiter coarguenda est sententia, qui plures quatuor orationis partes recenseant, quanquam haud nesciam duas duntaxat ponere Aristotelem. Exordium, est oratio animum auditoris idoneè cōparans ad reliquam dictionem. Narratio, est rerum gestarum, seu ut gestarum expositio. Confirmatio, est qua nostræ parti fidem, firmamentumq; argumentando adiungimus, & aduersariorum argumenta, obiectionesq; diluimus. Partitio, uelut initium est confirmationis. Confutatio seu repræhensio, eiusdem confirmationis pars est. Ac proinde non est, ut has distinctas esse partes credamus: autor est Quintilianus. Peroratio siue Epilogus, cōpendio renouat auditori, quod fusius dissertum est. Latini quidam appellant enumerationem, Græci ἀνακεφαλαίωσιν. Ex hisce orationis partibus duæ ad rem docendam pertinent: narratio & confirmatio. Reliquæ duæ in hoc adhibentur, ut commoueatur auditor, quæ sunt principium & peroratio. De quibus multa. F. Quintilian. lib. 4. & 6. Cicero de orato. ad Q. Fratrem, & Rodolp. Agricola lib. 2. de inuentione dialecti. cap. 24. Vel tanquam factæ.) Illud indicandum paucis, hoc in loco abesse non

nulla

nulla ab autographo. Post hæc enim uerba (uel tanquam factæ expositio) hæc sequi fortasse conueniebat, ut Græcis Latina responderent: Differt autem enarramen (ut ita dicā) ab enarratione, siue narratio ab expositione, ut poëma à poësi. Poësis enim tota Ilias est, Poëma uerò armorum Achillis apparatus. Tum deinde pòst subnectendum: Diuiditur autem) Has narationis species optime (ut alia omnia) explicat Rodulphus Agricola lib. secundo de inuentione dialect. ca. 22. Poëticæ autem narrationis tria sunt genera: ἐξηγηματικὸν, δραματικὸν, καὶ μικτόν. Diomedes lib. secundo, Quintilianus lib. primo cap. 15. Narratiunculas à poëtis celebratas notitiæ causa, non eloquentiæ tractandas puto. Cicero primo de oratore: Est enim finitimus oratori Poëta, numeris astrictior paulò, uerborum autem licentia liberior. Huc adde Ouidianum illud: Exit in immensum fœcunda licentia uatum, Obligat historica nec sua uerba fide. Seneca lib. de beneficijs 1. cap. 3. Quemadmodum nomenclatori memoriæ loco audacia, & cuicunque nomen non potest reddere, imponit: Ita poëtæ non putant ad rem pertinere uerum dicere, sed aut necessitate coacti, aut decore corrupti, id quenq; uocari iubent, quod belle facit ad uersum. Historica.) Cicero lib. de oratore 2. Fab. Quintilianus lib. 2. cap. 4. Apud rhetorem initium sit historia. Rodolph. Agrico. lib. 2. de inuent. dialect. cap. 16. Ciuilis est.) Quintil. lib. 2. cap. 1. Si rhetor prima officia operis sui non recusat, primo à narrationibus statim, & laudandi uituperandiq; opusculis cura eius desideratur. Insunt autem narrationi.) Ad ea in primis adiutare poterint circūstantiæ, quas Græci περιστάσεις appellant. Eæ partim sunt rerum, ut causa, locus, tempus, occasio, casus, facultas, instrumētum, modus, atq; id genus aliæ. Partim personarum: ut genus, natio, patria, sexus, ætas, educatio siue disciplina, habitus corporis, fortuna, conditio, animi natura, affectio, studium, antedicta, commotio, nomen. Quas pensiculatè simul & enucleatè scriptas reliquerunt, Quintilia. lib. 5. cap. 10. Idem lib. 6. cap. 1. Cicero lib. de inuentione 2. de coniecturali constitutione. Consultus Chirius Fortunatianus artis rhetoricæ scholicæ lib. 2. in ipso statim exordio. Idem lib. 3. ubi agit de Thesi. Sulpitius Victor ad Marcum Silonem, Georgius Trapezuntius lib. rhetori. 3. & 5. D. Erasm. in commentario de Copia rerum, in undecima locupletandi ratione. Idem lib. 2. & 3. Ecclesiastæ. Rodol. Agrico. lib. 2. de inuent. dialect. cap. 25. Vide attributa personarum iuxta ac rerum ad locos Rodol. Agri. per nos redacta, simul & adiectis exemplis enodatius explicata. Perspicuitas.) Cicero 2. de oratore: Iam uerò narrationem quod iubet uerisimilem esse, apertam & breuem, rectè nos admonent. Hæc est eloquendi obseruatio. Nam rerum perspicuitas, quomodo præstāda sit, diximus in præceptis narrationis, similis autem ratio est in omnibus. Nam si neq; pauciora, quàm oportet, neq; plura, neq; inordinata, aut indistincta dixerimus, erunt dilucida, & negligenter quoq; audientibus aperta. Quintilianus lib. 1. ca. 11. Oratio cuius uerò summa uirtus est perspicuitas, quàm sit uitiosa, si eget interprete. Idem lib. 2. cap. 3. Nam & prima est eloquentiæ uirtus, perspicuitas. Idem lib. 8. ca. 2. Oratio simplex, & inaffectata habet quendam purum, qualis etiam in fœminis amatur, ornatum. Rodolphus Agricola lib. 2. de inuentione dialectica ca. 3. Illud non erit ignorandum nobis, perspicuitatem orationis, uerbis constare & rebus: & quæ sequuntur, sunt enim cognitu dignissima, proinde accuratius expendenda. D. Erasmus priore copiæ commentario cap. 11. Breuitas.) Breuis narratio est, in qua nihil superuacaneum est. Estq; tolerabilius aliquid esse superuacaneum, quàm eam esse nimis concisam. Nam ut ait Quintilianus, superuacua cū tædio dicuntur, necessaria cum periculo subtrahuntur. Hæc autem breuitas reliquarum quoq; orationis partium uirtus est. Aperta erit itemq; breuis, si fuerit tantū ipsa narratio, hoc est, si ordini rei gestæ nihil extrinsecus fuerit adiectum. Probabilis, si argumentorum & quæstionum semina quædam fuerint utiq; responsa modo, nec argumentandi genera ponantur, ut omnibus quæ facta esse dicimus, adsit & causa cur facta sint, & persona quæ fecit, & facultas quare facere potuisse credatur, & locus ubi facta est. Nec satis est narrationē per se probabilem esse, nisi etiā rei propositæ ita sit

accommodata, ut firmamenta totius causæ hinc duci possint. Hisce de rebus lege F. Quintil. lib. 4. cap. de narratione. Multum conducit adiecta ueris credibilis rerum imago, quæ uelut in rem præsentem perducere audientes uidetur. Plurimũ adiumenti attulerit ad hæc exactius intelligenda, Cicero in parti. orat. in narrationis præceptis, & Rodolp. Agric. libr. 2. de inuent. dialect. cap. 3. ubi ista fusius edisserit. Quintilianus: Aperta, inquit, & dilucida erit oratio, si fuerit primũ exposita proprijs uerbis, & significãtibus, & non sordidis quidem, non tamen exquisitis, & ab usu remotis: tum distincta rebus, personis, temporibus, locis, causis, ipsa etiam pronuntiatione in hoc accõmodata, ut Iudex, quæ dicuntur, quàm facilime accipiat. Neq; uerò mediocriter profuerit expositio consequens, cuius meminit Rod. li. 2. ca. 22. in qua alia ex alijs ultro consequi uidentur, hoc est, si pendebunt ex priori sequentia, & ad commemorationem eorum quodammodo expectabũtur. Talis est tota illa pro Milone narratio, quæ perpetuo ceu uinculo quodam ita connexa est, ut res non iungi inuicẽ, sed à natura cohærere uideantur. In 4. accusationis Verrinæ, est narratio de Ennẽsi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ. Apud Vergilium lib. Aenei. pri. in ipsa statim fronte, est narratio quæ à loci descriptiõe sumpta, ducitur per causas propter quas Iuno remorata est Troianos. Erasmus Roteroda. lib. Ecclesiastæ 2. Vehementius autem afficit narratio, si sit probabilis, hoc est, si naturæ ac mori respõdeat, si ordine texatur, si sit euidens, rem ueluti depictam oculis subijciens, si decorum seruet in personis & in sermocinationibus ac dialogismis, hoc est, in affingendo suum cuique sermonem, uelut in historia cæci nati, &c.

EXEMPLVM.



I quisquam est qui rosæ decorem miratur, is animo mihi Veneris reputet uulnus. Amabat enim dea Adonidem, contrà Mars ipse deam amabat, pariq; dea Adonidis amore, quo Mars Veneris tenebatur. Flagrabat deæ desiderio deus: dea sequebatur hominem, similis utrorumq; ardor, tametsi natura inter se ut dij homoq; differret. Inuidens Mars Adonidi, perimere ipsum decreuit, unicum abolendi amoris remedium, mortem ipsius arbitratus. Percußo demum Adonide, quum rem dea accepisset, ut succurreret festinabat: raptoq; properanter inter rosaria cursu, spinis incidit, calcemq; pedis perstrinxit. defluens autem ex uulnere sanguis, rosæ colorem in nouam faciẽ mutauit. Sicq; rosa quæ initio fuerat alba, in hunc quo nunc aspicitur trãsijt colorẽ.

Persona faciens. Res facta. Modus q̃ pacto. Causa propter quã. Locus in quo. Tẽpus circa quod.

IN EXEMPLVM.

SI quisquam est qui rosæ.) Fabulam hanc non insuauem uertit & Angelus Politianus Miscellaniorum centuria. 1. cap. 11. Cæterum meo quidem iuditio (si quid ego possim iudicare) ut absit inuidia uerbo, ἐμφατικώτερον florulentius & (ut ita dixerim) picturatius multo est quod reddidit Agricola. Subscribam Politiani uerba, quo lector uersionem conferat uersioni. Qui rosæ, inquit, pulchritudinem demiratur, plagam Veneris consideret. Amabat Adonim dea, Mars ipsam. Quodq; dea foret Adonidi, Veneri Mars erat. Deus Deam adamabat, deaq; hominem sequebatur. Par cupido, tametsi genus dispar. Perimere Adonim Mars zelotypus tendebat, finem putans amoris Adonidis necem. Ferit Adonim Mars: Adcurrit auxilio Venus festinans, in rosas incidit ac spinis implicuit. Ita pedem perforauit, qui uulnere manarat

cruor,

cruor, de se rosam colorauit. Sic rosa quæ prius candida, quod nunc cernitur, facta. Ouidius 10. Meta. fabulæ huius meminit. Forsitan audieras alique. Fuit autem Adonis Cynaræ Cypriorum regis, & Myrrhæ filius, à Venere ob elegantem formã unicè adamatus, quem in Idalia monte uenantem primo ætatis flore aper occidisse fertur, mortuum uerò amasium multis defleuit lachrymis, quibus cum nihil proficeret ad doloris lenimen, pueri cruorem commutauit in florem. Veneris reputet uulnus.) Elegans in primis est quod Theocritus ait in Adonidis epitaphio:

ἄγριον ἄγριον ἕλκος ἔχει κατὰ μηρὸν ἄδωνις
μεῖζον δ' ἁ κυθέρεια φέρει πότι κάρδιον ἕλκος.

Calcéq; pedis perstrinxit.) Nihil est quod hoc cuiq; mirũ debeat uideri, quãdoquidẽ Theocritus in eo quod modo citauimus Idyllio, eam dicat ἀσάνδαλον cucurrisse:

ἁδ' ἀφροδίτα λυσαμένα πλοκαμῖδας ἀνὰ δρυμὼς ἀλάληται
πενθάλεα, νήπλεκτος ἀσάνδαλος, ἁι δὲ βάτοι νιν
ἐρχομέναν τείροντι καὶ ἱερὸν ἅμα δρέποντοι.

Illud magis mirum fortasse fuerit, quòd Homerus Iliados 5. memoriæ prodiderit deos nec edere, nec bibere, sanguinisq; prorsus expertes esse. Exemplum autem narrationis est apud Terentium in Andria: Interea mulier quædã ab hinc trienniũ, &c. cuius artificiũ minime uulgare subaperit Rodolp. Agricola lib. de inuent. dialect. 2. ca. 23. Idem li. 2. de inuent. dialect. cap. 15. de expositione & narratiõe Vergilij: Vrbs antiqua fuit. Et apud Ciceronẽ pro Milone: P. Clodius cum statuisset omi scelere in prætura. Vide Rodolphum lib. 2. cap. 22. Est etiã mire elegans uenustaq; narratiuncula in oratione Annibalis ad Scipionẽ decad. 3. libro 4. In nouam faciem mutauit.) Sensus autem ad hunc habet modum in Græcis, sanguinẽ suo colore rosam imbuisse. Id ita fortasse reddi poterit explanatius: Sanguis autẽ qui à uulnere profluebat, rosæ colorem in suam mutauit faciem.

CHRIA SIVE VSVS. III.



Hria, id est usus, est ex persona alicuius dicti factiue breuis cõmemoratio. Vocata uero est usus, quòd utilis in primis sit. Est aũt usuum alius rationalis, actiuus alius, alius mixtus. Rationalis est, qui oratiõe sola utile aliquid demõstrat. Quale est: Plato inquit, uirtutis ramos sudore & laboribus enasci. Actiuus, qui factũ solũ aliquod recenset, ut: Pythagoras interrogatus quãta esset hoĩm uita, parumper uidendũ se præbens, subitò abscõdit, uitæ humanæ mensurã, cõspectus breuitate indicans. Mixtus est, qui ex utroq;, & oratiõe & facto constat. Quale est Diogenis illud: qui quũ uidisset adolescentulũ immodestius agentẽ, pædagogũ uerberauit, subijciens: Quid ita talia doces? Hæc uero diuisio est usus. Dispones uero ipsum his capitibus: Laudabis primum personam, deinde explicabis usum: postea confirmabis, primum causa aliqua, hinc ex contrario, deinceps similitudine, exemplo, testimonio ueterum, postremo epilogo breui concludes. Diuisio usus.

IN CHRIAM SIVE VSVM.

CHria, id est, usus, est ex persona.) Breuis simul & docta chriæ definitio, quando omnem disputationẽ ab ea incipiendam esse rectissime docet Cicero. Dicti factiue breuis.) Hinc est quod triplicis differentiæ chriæ sint: aut enim dictum solum

solum continent, aut factum aut utrunque: ut infra. Vocata uerò est usus.) Methodico quodam ordine, post definitionem chriæ seu usus, uocis quoque inquirit interpretationem: quare nimirum chria, usus rectè dicatur, quòd uidelicet utilis sit. Est autem usuum alius rationalis.) Diuisio usus. Quintilianus tamen lib. primo, cap. 14. paulò diuersius: Chriarum (inquit) plura genera traduntur: Vnum simile sententię, quod est positum in uoce simplici, dixit ille, aut dicere solebat: Alterum quod est in respondendo, interrogatus ille, uel cum ei dictum esset, respondit: Tertium huic nō dissimile, cum quis non dixisset, sed aliquid uel fecisset, etiam in ipsorum factis chriam esse putant. Hęc ille. Plato inquit, uirtutis ramos sudore.) Eandem sententiā pulchre quoque & Hermolaus habet: Sine labore (inquiens) sine uigilijs peruenire nemo potest ad ea quæ nos à uulgo separant & à populo. Et Hesiodus ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις

τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν.
Id est: Virtutem posuere dei sudore parandam:
Arduus est ad eam, longusque per ardua callis.

Silius denique Italicus: Ardua (inquit) uirtutem profert uia. Plato inquit.) Rectè Platonem nominat: nam ex definitione chriæ constat, nomen autoris citari oportere. Hinc & alij Chriam sic definiūt: quòd sit breuissima expositio alicuius facti uel dicti, cum autoris nomine citato. Pythagoras interrogatus.) Cum multi multa dicerent de breuitate uitæ humanæ, hic bullam esse, ille fœnum & florem uernalem: Pythagoras, conspectus breuitate, eiusdem mensuram indicauit. Rodolph. Agri. li. primo cap. 25. talia, pronunciata re esse edocet, quo loco & eiusdem exempli meminit. Quale est Diogenis illud.) Simile de Crate refert Fabius lib. pri. cap. 24. Vt Crates (inquiens) cum indoctum puerum uidisset, pædagogum eius percussit. Elegantissimum quoque cum primis huius loci exemplum esse potest, quod de C. Furnio Crasino memoriæ proditum est. Is enim manumissus, cū multo plures fructus in paruo agello, quàm ex amplissimis agris uicinitas perciperet, in magnā inuidiam deuenit, ceu fruges alienas pelliceret ueneficijs. Quamobrem à Sp. Albino Curuli die dicta, metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticū omne in forum attulit, & adduxit filiam ualidam, atque (ut ait Piso) bene curatam ac uestitam, ferramenta egregie facta, graues ligones, uomeres ponderosos, boues saturos. Postea dixit: Veneficia mea Quirites hæc sunt, nec possum uobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes uigiliasque & sudores. Omnium sententijs itaque est liberatus. Dispones uerò ipsum his capitibus.) Quæ in præexercitamētis Hermogenis à Prisciano translatis per quàm appositis explanantur exemplis. Postremo epilogo breui concludes.) In epilogo, quæ præcipua sunt in toto argumēto, infigun tur auditorum animis. Eras. Roterod. lib. Eccle. 2. Epilogus compendio renouat auditori, quod fusius dissertum est: Latini quidam appellant enumerationē, Græci ἀνακεφαλαίωσιν. Ea res triplicem adfert utilitatem. Prima est, quòd renouat auditoris memoriam. Altera, quod totam causam simul oculis subijcit. Tertia, quòd quædam argumenta per se tractata uidentur imbecilliora, ea tamen ualent in turba, solidioribus admixta. Hic obseruandum, ut epilogus quàm paucissimis uerbis absoluatur, ne non tam uideatur epilogus, quàm noua oratio. Eoque Græcis dicitur ἀνακεφαλαίωσις, quòd capita modo rerum repetantur.

EXEMPLVM.

Encomiū personæ.



** Audari iustum est propter egregiā doctrinā Isocratem, qui nomē ipsis profecto studijs clarißimū dedit, quātaque uis esset ipsorū, experiendo exercendoque ostendit. Eò sanè gloriæ proceßit, ut potius dedisse nomen studijs suis, quàm laudem ab ipsis accepisse uideatur.*

Quibus

Quibus autem uel reges admonens, uel instituens priuatos, bene de hominum meruit uita, longum esset recensere. Verum quod de eruditione tradidit, haud ab re fuerit cōmemorare.* Amator, inquit, eruditiōis, à laboribus auspicatur, sed laboribus desinentibus in utilitatē. Quod quàm uere ab eo recteq; dictum sit, uel hinc erit perspicere.* Amantes enim eruditionis, à ducibus eruditionis conquiruntur primum: ad quos accedere, uersariq; apud ipsos, ut formidolosum est, ita relinquere stultissimum. Et pueri quidem nunquam metu uacant, & quum adsunt praeceptores, & quum uenturos expectant. Succedunt praeceptoribus pædagogi duri aspectu, castigantes uerò cædētesq;, duriores. Itaq; & pœna antè metu ipso est grauis, & metum grauius subsequitur experimentum: errataq; omnia puerorum seuerissime uindicantur, recte facta uero uelut ad ea demum nati sint, exactissime exiguntur. Iam uero pædagogis ipsis etiam patres sunt molestiores, in deambulationes inquirentes, & uetantes egredi in publicum, forumq; ipsum suspectum habentes: quod si animaduertere oportuerit, grauius & uelut naturæ ætatisq; obliti coërcent. Veruntamen per ista quum ad uirilem ætatem peruenerit puer, cumulatur uirtutibus.* Qui uero ueritus ista, fugerit magistros, deseruerit patres, pædagogos auersetur, prorsus expers eruditionis manebit. fugiensq; metum, simul cum ipso doctrinam relinquet. Hæc nimirum Isocrati animum induxerunt, ut eruditionis acerbam uocaret radicem. Quemadmodum enim qui terram colunt, in ipsam multis antè laboribus subactam semina deijciunt, fructus uero maiori comportant uoluptate: sic qui ad studia accinguntur, multa cura sequentem demū gloriam comprehendunt. Aspice autem mihi Demosthenis uitam, qui oratorum omnium laboriosissimus, omnium quoq; clarissimus euasit. Tantum enim illi studij superabat, ut comam natiuum capitis ornamentum detonderet, multo optimum ornamentum putans uirtutem, & laboribus consumpsit, quæ ad uoluptates reliqui profundunt. Idcirco præclare hoc (ut omnia) Hesiodus ait, asperam esse ad uirtutem uiam, cacumen uero molle: eādem uero quam Isocrates sententiā. Hesiodus enim uiam uocauit, Isocrates autem dixit radicem differentibus nominibus eandē uterq; sentētiam explicantes.* Respicientes ergo ad ista, laudabimus merito Isocratem, pulcherrime hæc de eruditione tradentem.

* Vsus explicatio.
* Primum confirmat à causa.
* Hinc ex cōtrario.
Deinceps similitudine.
Exemplo.
Testimonio ueteris
* Postremo epilogo breui.

IN EXEMPLVM.

Laudari iustum est) Effusissime laudatur Isocrates à Cicerone, cum sæpe alias, tum maxime in Bruto de claris oratoribus: Eius enim domus, inquit, cunctæ Græciæ ludus, &c. à Quintiliano lib. 10. ca. 1. à Plutarcho, Philostrato & Dionysio Halicarnasæo in uita eius. Quin & ipse Isocrates in Panathenaico recenset, quanta bona corporis, fortunæ simul & animi fuerit consequutus. Qui nomē ipsis

profecto studijs clarissimum dedit.) Cicero pro Marco Cælio: An uos aliam causam esse ullam putatis, cur in tantis præmijs eloquentiæ, tanta uoluptate dicendi, tanta laude, tanta gloria, tanto honore, tam sint pauci, semperque fuerint, qui in hoc labore uersentur? Omittendæ sunt omnes uoluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, sermo etiam pene omnium familiarium deserendus, quæ res in hoc genere homines à labore, studioque dicendi deterret, non quo aut ingenia deficiãt aut doctrina puerilis. Vel reges admonens.) Isocrates in oratione de retributione. Cicero lib. de orato. 3. Alijs'ne artibus hunc Dionem instituit Plato? alijs Isocrates clarissimum uirum Timotheum Cononis præstãtissimi imperatoris filium, sed enim ipsum imperatorem, hominemque doctissimum. Cicero: Ecce tibi exortus est Isocrates magister istorum omnium. Cuius è ludo tanquam ex equo Troiano, innumeri principes exierunt, sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse uoluerunt. Vide libellum Isocratis de regno, ad Nicoclem Cypri regem, Rodol. Agric. Erasmo Rote. Stephano Nigro alijsque item interpretibus. Vel instituens priuatos.) Cicero de oratore perfecto: An non clarissimus ille præceptor Isocrates, quem non magis libri bene dixisse, quàm discipuli bene docuisse testãtur, cum de Ephoro atque Theopompo sic iudicaret, ut alteri frenis, alteri calcaribus opus esse diceret. Quintilianus libro 3. cap. 1. Aristoteles cum florere Isocratem nobilitate discipulorum uideret, &c. Vide adagium: αἰσχρὸν σιωπᾶν, &c. id est: Turpe silere. Et Macrobium libro 7. Saturnalium cap. 1. Amator inquit eruditionis.) In calce paræneseos Isocraticæ ad Dæmonicum, simile quiddam habetur. A ducibus eruditionis conquiruntur.) τοῖς τῆς παιδείας ἡγεμόσι συνεξετάζονται. Ioannes Cataræus sic reddidit: Qui enim bonis artibus capiuntur, hi sanè cum professoribus conuersantur. Nunquam metu uacant.) Quid si sic legamus? Pueri quidem nunquam metu uacant, siue apud præceptorem sint, siue adituri sint, ante sensum mali timor præuenit, timorem uerò excipit punitio. Lege Platonem in Axiocho. Pædagogi duri.) Qualis est Lydus ille pædagogus in Bacchidibus Plautinis, optimus formandæ pueritiæ magister atque grauissimus uitiorum censor. Castigantes uerò cædentesque.) Cicero in 3. de orato. Dicebat Isocrates doctor singularis, se calcaribus in Ephoro, contrà autem in Theopompo frenis uti solere: alterum enim exultantem uerborum audacia, alterum cunctantem & quasi uerecundantem incitabat. Idem refert Quint. lib. 2. cap. 9. Seuerissime uindicantur.) Cice lib. 4 ad Herennium cap. de sententia: Qui adolescentiū peccatis, & quæ sequuntur. Vetantes egredi.) προελθεῖν ἀναγκάζοντες: alter interpres uidetur legisse προσελθεῖν, mihi magis arridet Rodolphi uersio. Naturæ ætatisque obliti.) Terentius in Heauton. Quàm iniqui sunt patres in omnes adolescentes iudices, Qui æquum esse censent nos iam à pueris ilico nasci senes, Neque illarum affines esse rerum quas fert adolescentia: Ex sua libidine moderantur quæ nunc est, non quæ olim fuit. Plinius lib. epistolarum nono. ad Iuniorem: Cogita & illum puerum esse, & te fuisse, atque ita hoc quod es pater utere, ut memineris hominem te esse, & hominis patrem. Vide adagium: Ne sis patruus mihi. Vt eruditionis acerbam uocaret radicem.) Democritus τὴν μὲν ῥίζαν τῆς παιδείας ἔφη εἶναι πικρὰν τοὺς δὲ καρποὺς γλυκεῖς, id est, Democritus quidem radicem eruditionis amaram esse dixit, fructus uerò dulces. Vide adagium: Ignauis semper feriæ sunt, &: Qui è nuce nuclium esse uult, frangit nucem. Hieronymus in primum Heremiæ caput: Et quomodo nux siue amygdalum amarissimum habet corticem, & testa durissima cingitur, ut detractis austerioribus & duris, fructus dulcissimus reperiatur: Sic omnis correptio, & labor continentiæ, amara quidem uidetur ad præsens, sed fructus parit dulcissimos. Vnde & uetus illa sententia est: literarum radices amaræ, fructus dulces. Chrysosto. in epistolam ad Hebræos Homil. 10. Et si uirtus amara sit, tamen fructus profert dulciores, ut in arboribus cortex pene semper amarus & asper est, fructus autem ipsi suauitate iucundi sunt. Iul. Rufinianus de figuris sententiarum: ἀποφώνημα sententia responsiua apud

Tullium: Literarũ radices amaras, fructus dulces. Hieronymus aduersus Rufinum: Literæ marsupium non sequuntur, sudoris comites sunt & laboris, sociæ ieiuniorũ, non saturitatis: continentiæ, non luxuriæ. Demosthenes plus olei, quàm uini expendisse dicitur, & omnes opifices nocturnis semper uigiliis præuenisse. Qui terram colunt.) Huic finitima sunt, quæ leguntur in canonica Iacobi ca. 5. Esdræ 4. ca. 8. Et apud Chrysostomum homelia in Genesim 20. sub calcem. Vide adagiũ: Semper agricola in nouum annum diues. Omnium laboriosissimus.) Cicero in 4. Tuscula. Cui non sunt auditæ Demosthenis uigiliæ, qui dolere se aiebat, si quando opificum antelucana uictus esset industria. Idem in calce libri primi de oratore miris laudibus Demosthenis diligentiam denobilitauit. Notissimum est & illud: Interrogatus Demosthenes, quenam pacto factus esset orator, respondit: plus uino oleum impendens. Vide & Eras. Rotero. lib. Ecclesi. 3. Superabat.) Illud non indignum relatu, quod super hac uoce annotarit Aulus Gellius libri primi cap. 22. Verg. lib. 2. Georg. Superat tener omnibus humor. Laboribus consumpsit.) Hoc est, id laboribus impendit, quod alii uoluptatibus. Capitis ornamentum.) In priore ad Corinthios cap. 11. Detonderet.) Plutarchus in uita Demosthenis. Hæc leuicula non tam subinde inculcarem, nisi perspicerem hanc diligentiam, uel illud præstaturam, ut his adminiculis à iuuentute possent teneri hæc aureola dicendi primordia. Hesiodus ait.) Versus porrò ipsius poëtæ super hac re, in Chria adduximus. Citat idem quoq; testimoniũ ex Hesiodo Lactantius lib. 6. de uero cultu cap. 3. & 4. ac interpretatur Rod. Agric. lib. primo de inuentione dialectica ca. de fine. Vide adagium: Difficilia quæ pulchra. Cicero: Virtuti sudorem dii immortales anteposuerunt, longa autem est & ardua uia ipsa & aspera primum, ubi in cacumen uentum est, facilis est quæ dura extiterat. Basilius de exhortatione ad baptismum: Quis dormiẽs tropheum fixit? Quis in deliciis ac tibiis corona fortibus uiris debita ornabitur? nullus minime currens brauiũ assequetur. Labores gloriam pariunt, & angustiæ periculaq; coronas promerentur.

SENTENTIA. IIII.



Sententia est oratio breui complexu aliquid quod adhortandum, dehortandum'ue pertinet, explicãs. Sententiarum uero alia exhortãs, alia dehortans, alia enunciãs. Est item alia simplex, alia composita. Præterea, alia probabilis est, alia uera, superlata alia. Exhortans sententia est, ut: Oportet amicum præsentem amare, uolentem uero, mittere. *Dehortans, ut:* — IIII. Sententiarũ diuisio.

Turpe, quiete ducem totas deperdere noctes.

Enuncians, ut: Pecuniis opus est, sine quibus nihil eorum quæ necessaria sunt, recte fiet. Simplex autem, ut:

Optimum id augurium est, patriam tutarier armis.

Composita, ut:

Multos esse malum reges, rex unicus esto.

Probabilis, ut:

Qualeis amicos quisq; habet, talem scias.

Vera, ut:

Expers malorum uita nulli contigit.

Superlata, ut: Infirmius nihil homine. Hoc ergo pacto sententia diuiditur. Tractabis uero ipsam eisdem capitibus, quæ in usus explicatione diximus. Laudabis primum, deinde explicabis, tum confirmabis ex causa, ex contrario, similitudine, exemplo, testimonio ueterum, demum breui epilogo concludes. Differt autem sententia ab usu, eo quòd usus persæpe actiuus est, sententia uero semper rationalis: deinde quòd usus semper habet additam personam, sententia & sine persona effertur. Theognis:

Exhortãs sententia.

In mare fluctiuagum, ne te premat aspera egestas,
Desili, & à celsis corrue Cyrne iugis.

IN SENTENTIAM IIII.

SEntentia est oratio.) Rodolp. Agricola commentario in prolog. declama. Senecæ: Sententia est, ut uult Aristot. commune aliquod pronunciatum, quod ad partem aliquam morum uitæq; pertinet: quisquis ergo de simili re dicit, potest eas in orationem suam transferre. Itaq; si dicat Hector: Pulchrum est mihi pater laudari abs te laudato uiro, non est proprie id quod uocamus sententiam: sed si dicat detractis personis: Pulchrum est laudari à laudato uiro, iam dicitur sententia. Hæc ille. Seneca in Prologo declamationum: Aliquo die nil præter has translatitias, quas proprie sententias dicimus, quæ nihil habent cum ipsa controuersia implicitum, sed satis apte & aliò transferuntur, tanquam quæ de fortuna, de crudelitate, de seculo, de delitijs dicuntur, hoc genus sententiarum supellectilē uocabat. Ac paulò ante: Cum uos sententias audire uelitis, &c. Hoc fuit (inquit Rodolphus ibidem) uitiū, quòd posterior ætas & seueriores eloquentiæ censores præcipue obiecerunt Senecæ, nimius scilicet amor sententiarum, quibus & minutis sæpe pondera rerum eleuabat, & crebris & condensatis cursum orationis & impetum confringebat. Erasmus Rot. lib. 3 ecclesiastæ de generibus sententiarum: Superest sententia, Græcis γνώμη, quæ commoda breuitate demonstrat quid in uita sit agendum, aut quid fieri soleat. & quæ sequuntur. Gnomæ ab Aphthonio secus tractantur atq; ab Aristotele, propterea quod Aphthonius progymnasmati loco eam tradat, Aristoteles uerò ut speciem argumenti quod orationi inseratur. Est igitur ueluti orationis αἰτιολογία sententia, quale est illud apud Ciceronem pro Deiotaro: Pereant amici, dum inimici unà intercidant. Et apud Terentium: Obsequium amicos, ueritas odium parit. Aristoteles lib. rhetor. 2. cap. 22. Idem in præceptis ciuilibus ad Alexandrum cap. de sententia. Fabius Quintilia. lib. 8 cap. 5. de generibus sentētiarum. Idem lib. 12. cap. 10. Seneca epistola 33. Erasmus Rot. in commentario de Copia rerum cap. de sententijs. Plato: Statim à teneris rectè consuefieri oportet. Vergilius lib. 10. Breue & irreparabile tempus Omnibus est uitæ, sed famam extendere factis: Hoc uirtutis opus. Hieronymus in epistola ad Theophilum: Oportet enim (ut nosti) iuxta ueterem sententiam, non esse tristē eloquentiam. Probabilis.) Hieronymus in epistola ad Gauden. Aegre repræhendas, quod sinas consuescere. Cicero fami. epist. lib. 7. Qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit. Exhortans.) Sic Odysseæ lib. 1. Pallas in speciem Mentoris exhortatur Telemachum ad uirtutem, exemplo aliorum illustrium heroum: ἄλκιμος ἔσσ' ἵνα τίς καὶ ὀψιγόνων ἐὺ εἴπῃ. id est, Strennuus esto uti tete & postera prædicet ætas. Idem Odysseæ υ. τέτλαθι δὴ κραδίη καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης, id est, Obdure anima, & quædam grauiora tulisti. Seneca in Oedipo: Latēre semper patere quod latuit

diu

diu: Sæpe cruentis ueritas patuit malo. Oportet amicum præsentem amare.) Hospitis aduētus tibi gratus, sitq; recessus. Fortasse τὸ φιλεῖν nō male redderetur, comiter accipere, aut amicè habere, quomodo Græci dicūt φιλοφρόνως ἐξενίζειν τὸ φιλεῖν id est, amice habere, pro tractare: quemadmodum bene habiti dicantur. Plautus mercatore: Magnifice uolo summos uiros accipere, ut mihi rem esse reantur. Terē. in Eunuc. Accipit hominem nemo melius prorsus neq; prolixius. Accipere etiam est in conuiuium ducere, & pascere, ut Vergi. Omnes porticibus rex accipiebat in amplis. Turpe quiete.) Versus est Homericus ex 2. Iliad. libro. Vide adagium: Non decet principem solidam dormire noctem. Pecuniis opus est.) Versa sunt Demosthenis in prima Olynthiaca. Huic confine est illud ex epigrammatis Græcanicis, χρήματ' ἀνὴρ πενιχρὸς δ' οὐδέ ποτ' ἐσθλός. χρήματ' ἀνὴρ ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι καὶ τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα καὶ τὸ γνῶθι σαυτόν. Suidas: τ' ἀργύριον ἐστὶν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς ὅστις δὲ μὴ ἔχει τοῦτο μηδὲ κτήσατο οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ. Simplex autem.) Solon: γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος, id est, Assidue discens plurima, fio senex. Cicero: Honestum illud Solonis est, quod ait uersiculo quodam, senescere se multa indies addiscentem. Optimum id augurium.) Iliad. 12. Citatur ab Aristotele lib. rheto. 2. cap. de sententiis, & à Cicerone quoq; de senectute. Composita.) Hoc est, quum una cum altera confertur, notat docetq; hoc artificium Philip. Melanch. lib. rheto. 1. cap. de partium comparatione. Multos esse malum.) Iliad. β. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔστω. Suetonius in Calig. Non opus ut multi, sed princeps imperet unus. D. Erasmus sic uertit: Multos imperitare malum est, res unicus esto. Vide adagium: Imperatorum multitudo Cariam perdidit. Aristoteles 12. lib. metaphysicæ, hunc Homeri uersum adducit ad primi, uniusq; mentis confirmationem: Rex sit, duxq; unus numero, haud iuuat esse tyrānos. Bessarion sic conuertit: Res mala multiplici terras ditione teneri: Esto unus princeps, populos in pace regendos Iustitiaq;, dedit magni regnator olympi. Quales amicos.) Senarius est. Expers malorum.) Et hic quoq; Trimeter est iambicus, cuius generis est illud Homeri: πολὺ φέρτερόν ἐστιν τεθνάμεν ἢ ζώοντας ἁμαρτεῖν. Vera.) Aristoteles lib. 2. rhetoricorum inter exempla hunc senarium citat: οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ, id est, Felix per omnia nullus est mortalium. Idem Aristoteles: ἄρχων φύλαξ τῶν νόμων. Cicero: Magistratus est uiua lex. Pindarus: πολλὰ δ' ἀνθρώποις παρὰ γνώμαν ἔπεσεν, id est, Mortalibus autem multa præter spem siue sententiā eueniunt. Herodotus de Cambyse uerissime dixit, insanire eos, q sacros ritus derident. Infirmius nihil homine.) Versus est Homericus ita redditus ab Erasmo: Nil homine enutrit tellus infirmius alma. Lege adagium: Homo bulla. Rodolp. Agri. in Axiocho Platonica sic: E cunctis hominum generi sors pessima uitæ, Stant quæcunq; super terram spirantq; meantq;.

EXEMPLVM.



Ndignum Theognidi uisum est, Poeticam uelut rem ineptam accusari: itaq; relictis fabularū cōmentis, ipse ad formādos mores uitamq; instituendā, ipsam traduxit. Quū uideret enim poetas cōpositis fabulis uelut præclaro aliquo inuento gaudētes, ipse satius duxit, quo modo recte uiuatur, carmine cōplecti. * *Laudandus certe ob utrūq;, & qd' metri gratiā, & quod meliorum admonens, institutionis attulit fructū. Sed huius ut alia omnia, ita hoc in primis merito quis laudauerit, qd' de paupertate dixit.* Et quod *inquit? Viuens in paupertate, præcipitem mittere se quo ipsam uitet, non dubitet:* * Laudat. Explicatio.

C 3 *tanquam*

tanquam melius sit præmature uitam relinquere, quàm solem dedecoris sui habe- re testem. Dixit quidem ille hæc, quæ rectißime ab eo dicta esse constabit, si quis uerum uolet intueri. * *Degens enim in paupertate, quum adhuc minor natu est, nequit exerceri ad uirtutem: ut uero ad uirilem peruenerit ætatem, improbißima faciet, legatus enim pro patria, pecunia corrumpetur, concionaturus quò spes lu- cri duxerit, cò flectet orationem. Ius uero dicturus, pro largiente pronunciabit.* * *Vacui autem paupertatis curis & pueri, ad spem protinus honestißimam uirtu tis attolluntur: & uiri facti, cuncta splendide administrant, iam in pace sumptum edendis publice muneribus, faciendisq; ludis præbentes, iam in bello impensas in toleranda militiæ onera conferentes.* * *At uero quemadmodum grauibus astricti uinculis, quo minus liberum ipsis sit quod uelint agere, uinculis prohibentur: sic in paupertate degentibus, obstat, quominus exercere libertatem poßint, ipsa pauper- tas.* * *Irum uides, qui quum Ithacensium unus esset, non tamen id iuris sibi, quod reliquis ciuibus erat. Verum tam molesta sibi fuit paupertas, ut nomen quoq; ino- pia permutaret, neq; quum uero nomine uocaretur, respondens Irus dicebatur, cognomenq; ex professione capiebat. Et quid oportet Irum dicere? Ipse qui Itha ca quoq; potiebatur Vlysses, postquam domum rediens paupertatem simulabat, ipsius etiam sensit mala, delusus enim & ab ancillis* * *inebriatus est. Adeo etiam species est paupertatis molesta.* * *Præclare ergo, recteq; Euripides inquit, Ma- lum esse nihil habere, neq; paupertatem nobilitate leuare.* * *Quomodo ergo quis satis & pro dignitate laudabit Theognidem, talia tamq; grauiter de paupertate monentem?*

[Margin: • Confirmat ex causa. • Ex contrario. • Similitudine. • Exẽplis. ὑπερμνώμενον. • Testimonio ueterũ • Epilogo]

IN EXEMPLVM.

IN mare fluctiuagum.) Inter alia terricula, quæ de paupertate prodiderunt poëtæ, in primis memoratur hæc Theognidis carmina, ad quæ alludit & Lucianus in Timone siue Mysantropo: Ex his equidem nõ paucos noui qui sic perdite te amarint, ut sese aëreo è scopulo piscosi in æquoris alta Præcipites abiecerint. Idem in dialogo de mercede conductis: Ac forsitan tibi hoc uolebas Theogni, cum diceres eam in altum mare ac præruptis de scopulis præcipitem dari oportere. Theodoretus de curatione Græcarum affectionum lib. 11. adducit locum hũc quem Zenobius Acciaolus ita uertit: Pauperiem fugitare decet, pelagiq; sub undas, Vertice uel montis mittere præcipitem. Alius hunc ad modũ: Paupertatis enim duræ terraq; mariq;, Quærere Cyrnæ aliquod conuenit effugiũ. Ac satius multò est inopem succumbere morti, Quàm dura pressum uiuere pauperie. Contrà Horatius nõ pauperiem siue paupertatem, sed ipsas opes procul abiiciendas esse iubet in Odis lib. 3. oda. 14. Vel nos in capitolium Quò clamor uocat, & turba fauentum, uel nos in mare proximum Gemmas, & lapides, aurum & inutile, Summi materiam mali Mittamus, scelerum si bene pœnitet. Terent. Phor. Nunquam æque, inquit, ac modo paupertas mihi onus uisum & miserum & graue. Horatius: Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes, Impiger extremos currit mercator ad Indos. Lucanus lib. Pharsi. 1. Paupertas fugitur totoq; ar

cessitur

ceßitur orbe. Ex hoc opinor fonte promanauit etiam illa Plauti in Trinummo nimis quàm detestanda sententia: De mendico male meretur, qui ei dat quod edat aut bibat. Nam & illud quod dat, perdit, & illi producit uitam ad miseriam. Vide Lactantium de uero cultu lib. 6. cap. 11. Cic. 5. lib. de finibus: Paupertas si malum est, mendicus non malus esse non potest. Et Plato lib. 11. de legibus, mendicos uetat esse in urbe. Prouerb. 19. Omnes fratres pauperis oderint eum, & propinqui eius procul discedunt ab eo. Prouer. 17. Qui ridet pauperem, conuitium facit factori eius, & cui calamitas alterius uoluptati est, non feret impune. Prouerb. 28. Qui pauperi dat, is non egebit: maledicitur autem auertenti oculos suos. Demosthenes: δίκαιον ἐςὶν ἐλεεῖν οὐ τοὺς ἀδίκως τῶν ἀνθρώπων ἀλλὰ τοὺς παρὰ λόγον δυςυχοῦντας. Lege orationem Gregorij Nazianzeni de cura pauperũ, siue de amãdis pauperibus. Proinde consultissimum fuerit cum Solomone in Prouerbijs cap. 30. dicere: Duo abs te rogaui, quæ antequam moriar quæso largiare, procul à me moue uanitatem, & mendacium, inopiam & diuitias ne dederis mihi: Demensum suppedita mihi, ne ubi satur fuero, mentiar, ac dicam: Quis est Deus, ne'ue per inopiam furtum committam, & polluam nomen Dei mei. Legatus enim pro patria, pecunia corrumpetur.) Quemadmodum autem fures solent obiecta esca canibus uocem adimere, ita quibus charius est priuatum emolumentum, quàm reipublicę publicum, ij oratoribus latrare incipientibus pecuniam uelut offam in fauces inijciunt, ut sileant & furibus prodant rempublicam. Notus sane in Demosthenem iocus eius qui dicebat non ἀνάγχην esse quod pateretur Demosthenes, sed ἀργυράγχην, quo minus dicere posset contra legatos Milesiorum. Demosthenes à legatis Milesiorum pecunia corruptus, ut in curia postridie contra horum postulata nihil diceret, prodijt in concionem fingens se laborare anginæ morbo, atque ideo loqui non posse. Quam rem quo patribus ac populo facilius persuaderet, multa lana collum inuoluerat, tum è turba & fece illa populari quispiam cui simulatio morbi subolebat, exclamasse fertur eum non anginam, sed argentanginam pati.

Velut rem ineptam accusari.) Fabius Quintil. lib. 5. Sententijs quidem poëtarum nõ orationes modo sunt refertæ, sed libri etiam philosophorum, qui quanquàm inferiora omnia præceptis suis ac literis credunt, repetere tamen autoritatẽ à pluribus uersibus non fastidierũt. Ouid. 3. artis: Nunc hederę sine honore iacent, operata'que doctis Cura uigil musis nomen inertis habet. Ad formandos mores.) Horatius lib. 2. epistol. 1. Os tenerum pueri, balbum'que poëta figurat. Torquet ab obstrusis iam nunc sermonibus aurem. Mox etiam pectus præceptis format amicis, Asperitatis & inuidiæ corrector, & iræ: & quæ sequuntur. Ipse satius duxit.) Testatur hoc ipsum & Plato cum sæpe aliàs: tum potissimum in Menone, & libro de legibus 1. Ob utrunque) Horatius in arte, Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci. Merito quis laudauerit.) Ethnicus, at non ita uere Christianus. Videatur hoc inepte à me dictum, nisi Iuuenalis quoque satyra 6. idem prorsus asseueret: Nullum crimen abest, facinus'que libidinis, ex quo paupertas Romana perit. Aristides dicere solet se multo iustius paupertate gloriari posse, quàm Calliam Atheniensium ditissimum amplissimis opibus, nulli eam indecoram esse dictitans, nisi qui inuiti pauperiem ferrent. Prouerb. 14. Qui pauperem calumniatur, conuicium facit eius factori. Et honorat Deum quisquis miseretur pauperis. Hæc diximus breuius equidẽ quàm res petat, sed ad id quod agimus non fuit dicendum pluribus. Quod de paupertate dixit.) Nempe in elegiacis suis ad Cyrnum sententijs, ijs'que prorsus aureis. Exerceri ad uirtutem.) Horatius lib. 3. carmi. ode. 24. Magnum pauperies obprobrium, iubet Quiduis & facere & pati, uirtutis'que uiam deserit arduæ. Mantuanus in bucolicis: Pauperies inimica bonis est moribus, omne Labitur in uitium, culpę scelerum'que ministra est. Democritus: τὰ μέγιςα τῶν κακῶν οἱ πένητες ἐκπεφεύγασιν ἐπίβουλην, φθόνον, καὶ μῖσος οἷς πλούσια καθ' ἡμέραν σινοικέσιν, id est, malorum omnium colluuiẽ summam'que pauperes longe à finibus suis propulsarunt. Nempe insidias, odium, liuorem, quibus de rebus quotidianum negocium iuge'que

iugéq; commercium diuitibus est. Pecunia corrumpitur.) Est autem Græcis δωρο-δοκεῖσθαι muneribus corrumpi, ut in gratiam alicuius dicas sententiam, id quod Pythagoras appellat κυάμους ἐσθίειν, id est, fabas edere. Nam antiquitus fabis suffragia ferebantur. Itaq; συμβολικῶς fabas edebant qui quæstum ex ea re faciebant. Herodotus itē principes corrupte iudicantes δωροβόρους appellat, id est, doniuoros. Olim in Demosthenem hunc Homeri uersiculum δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο, id est, Forsan & innocuum culpet uir sæuus & acer: uulgo iactatum fuisse multorum testimonijs constat. Propterea quod accepta pecunia nonnunquam & malos defenderet, & oppugnaret bonos. Idem ut Plutar. ait, sex milibus nummûm unius diei reticētiam uendidit, aut secundum Aul. Gellium aureo accepto calice ab Harpalo cum uiginti talentis. Eo flectit orationem quo.) Lege adagium: Argentanginam patitur. Pro largiente.) Ibi fas ubi maxima merces. Quemadmodum grauibus.) Similis est parabola siue collatio in medio primæ Tusculanæ disputationis. Cognomenq; ex professione capiebat.) Cum prius esset ei nomen Arnæo, tamen iuuentus omnis Irū appellabat, propterea quod quoquouersus quoties quispiam moneret, nuncius iret. Fabula est libro odysseas 18. Omisit autem Agricola ἀρναῖος γὰρ τὴν ἀρχὴν προκληθεὶς, id est, Arnæus enim ab initio uocatus. Ouidius in Ibim: Qualis erat nec non fortuna binominis Iri. Plautus in Sticho: Gelasino nomē mihi indidit paruo pater: Propter paupertatem hoc adeo nomē reperi. Quia iam inde à pusillo puero ridiculus fui. Eo q̄a paupertas fecit, ridiculus forē. Nam illa omnes artes perdocet, ubi quem attigit. Crocociū ancilla hunc sic alloquens: Gelasine salue. Gelasinus: Non est id nomen mihi. Croco. Certo me castor id fuit nomen tibi. Gela. Fuit, uerum id usu perdidi, crotogus nomine ex uero uocor μικροτρῶγος, id est, micas comedens. Qui Ithaca quoq; patiebatur.) Videtur mihi & hic locus unus esse ex illis, quos nihil ambigo emendaturum fuisse Rodolphum, si modo opus uel è primis repurgasset schedulis. Quippe ubi nos reposuimus: qui Ithaca quoq; potiebatur, ibi etiam exemplar manu Rodolphi scriptū, non Ithaca quoq; potiebatur: Sed Ithacæ quoq; patiebatur, habebat. Græce sic est: ἰθάκης κρατῶν. Cicero in calce libri primi de oratore: Vt Ithacā illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam sapiētissimus uir immortalitati anteponeret. Ab ancillis inebriatus est.) Locus hic mihi uidetur non omnino carere mēdo, sic, ut adduximus, scriptū erat in autographo. Cæterum opinor Agricolam uel aliud habuisse exemplar, uel quod magis crediderim, deprauatum iuxta ac mutilum. Ex his enim quæ annotauit D. Eras. in priorem ad Timotheum epistolam ca. 3. Non uiolentum πάροινον Chrysostomus, inquit, cumq; hoc Theophilactus negat accipiendū de uinoso, sed de feroci & de elato, & ad uim parato, quales sunt qui uino temulenti debacchantur. Hæc ille. Amphis apud Atheneum lib. 10. δεῖπνου γὰρ εὐτελὲς οὐ ποιεῖ παροινίαν, id est, ubi cœna frugi, nulla debacchatio. Ex his inquam adducor ut credam παροινούμενος potuisse uerti, uiolenter agitatus est, aut iniuria lacessitus est, aut indignis modis in eum debacchatę sunt ancillę, aut delusus est ab ancillis inebriatis. Hæc lectio quam ostendimus, mihi uidetur simplicior magisq; germana. Quòd si cui diuersa placent, per me suo quisq; iudicio fruatur. Nos admonemus, non præimus: & ita nostra conferimus in medium, ut nullius omnino sententiæ præiudicemus. Fabula est apud Homerum lib. Odyss. 17. Adeo etiam species.) Forte sic non pessime: Adeo paupertatis uel opinio, aut imago molesta est. Euripides.) Inter senarios poëtarum legitur & illud: πενία δ' ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ, id est, Clarumq; reddit pauperies inglorium.

RESTRVCTIO SIVE SVBVERSIO. V.

V.



Estructio uel subuersio, quod ἀνασκευὴν Graeci uocant, est propositæ alicuius rei reprehensio. Subuertenda uero neq; manifesta ualde, neq; prorsus incredibilia, sed ea quæ uelut mediæ sunt conditionis. Oportet autem quum subuertere aliquid uoles, primum eos reprehendere qui dixerunt, deinde subijcere rei expositionem, postea ipsam subuertere his partibus, obscuro uidelicet, incredibili, impoßibili, non cohærentes, indecoro, inutili. Hoc autem præexercitamentum omnem propemodum uim artis in se complectitur.

IN RESTRVCTIONEM SIVE SVBVERSIONEM. V.

Restructio uel subuersio est.) Aristoteles lib. rhetorices primo, cap. de excusatione & defensione. Quintil lib. 2. cap. 4. Narrationibus non inutiliter subiungitur opus destruendi, confirmandiq; eas, quod ἀνασκευὴ καὶ κατασκευὴ uocatur. Sunt qui uocant improbationem siue refutationem. Lege Quintilian. lib. 5. cap. 13.

Neq; manifesta ualde, neq; prorsus incredibilia.) Quint. lib. 12. cap. primo: Pertractare enim quomodo aut pro falsis, aut pro iniustis aliquando dicatur, non est inutile, uel propter hoc solum, ut ea facilius & deprahendamus & refellamus, quemadmodum remedia melius adhibebit, cui nota quæ nocent fuerint. Reprahendere primum eos.) In hoc exordij partem explebis. Subijcere rei expositionem.) In isto narrationem. Postea ipsam subuertere.) In alijs confutationem. Aristoteles ad Alexandrum definit quid sit iustum, legitimum, utile, honestum, iucundum, facile, possibile, necessarium. His partibus, obscuro uidelicet, incredibili, impossibili, non cohærente, indecoro, inutili.) Has suasorij generis partes: nempe utile, honestū, rectum, decorum, laudabile, legitimum, æquum, consuetum, tutum, iucundum, necessarium, possibile, facile, & horum contraria, adiectis sanè quàm appositis exemplis, luculenter explicat D. Eras. Roteroda. lib. 2. de ratione concionandi circa genus suasorium. Teren. Adelphis: Ego nouus maritus anno demum quinto & sexagesimo fiā, atque anum decrepitam ducam: id'ne estis autores mihi? Et si hoc mihi prauum, ineptum, absurdum atq; alienum à uita mea uideatur: Si uos tantopere uultis, fiat. D. Augustinus libro primo de ciuitate Dei cap. 31. Nasica ille Scipio, uir optimus, cauēā theatri senatum constituere molientem, ab hac dispositione, & cupiditate compescuit, persuasitq; oratione grauissima, ne Græcam luxuriam uirilibus patrię moribus paterentur obrepere. Exempla in singulas partes ex Hermogenis pręexercitamentis petas licebit. Sanè quàm appositum subuersionis exemplum est apud Erasmum Roterodamum libro secundo de ratione concionandi ubi subuertit, ne mater infantem mandet alteri lactandum, sed proprijs uberibus alat quod genuit: Quòd matres infantes suos elocant alendos, pugnare docebo cum lege naturæ, & quæ præcedunt. Cū multa etiam sint exempla in Epito. Phi. moral. Phi. Melanch. tum hoc è multis est appositissimum, quod hic explicetur: An sponsalia sine consensu parentum facta, debeant esse rata.

EXEMPLVM.

Primũ eos reprehendit qui dixerunt.



Oëtarum coarguere ineptiam, absurdum mihi uidetur, quum uel ipsi fidem sibi detrahant, hisq; maxime præter alia, quæ de dijs tam impudenter fabulantur. Prorsus enim superuacuum uidetur, poëtarum ullam nos habere rationem, qui deorum, quorum cura omnia gubernantur, nullam ipsi habeant curam. Et graue quidem uideretur, quisquis ab ipsis deorum in fabulam missus esset. Apollinem uero quem artis suæ ducem uideri uolunt, impudentiæ suæ materiam esse, quis esset qui æquo animo perpeti posset? Libet ergo audire qualia de Apolline & Daphne confingant. * Daphne, inquiũt, ex terra Ladoneq; fluuio procreata est. Hanc ob egregiam speciem eximiumq; oris decorem, Phœbus adamauit: cupiensq; deus restinguere desiderium suum, aspernantem fugientemq; sequutus est, sed comprehendere nequit. Verum terra mater, absumpta filia, florem eo quo puella nomine, pro ipsa exhibuit: ipsam uero in arbustum uertit, cuius rami propter desiderium puellæ in coronam Pythio Tripodi dicati sunt. Flos uero in mercedem cessit diuinationis. Huiusmodi quidẽ sunt quæ illi fabulantur, quæ quàm sit in promptu cõfutare, hinc facile liquebit. * Daphne ex Ladone & terra procreata est. Quis oro tam demens, ut ex his quenquã nasci posse credat? Ipsa homo fuit: illi autem diuersam, & suam uterq; habebant naturam. Quomodo uero Ladon terræ coniunctus est? an quòd aquis ipsam inundat? Quin omnes ergo fluuij, terræ mariti dicantur, quum nullus ipsam non aquis suis irriget? Quòd si ex fluuio homo nata est, quid ni ex homine fluuium quoque nasci posse credemus? Quî minus enim tales ex filijs poterunt gigni, quàm ex qualibus ipsi prodierũt? Iam quo pacto nuptias fluuij terræq; nominant? Sentientium enim coniugium: terra autem fluuiusq;, sensus sunt prorsus expertes. Ipsa uero Daphne utrum paternum sequuta genus, inter fluuios numeranda est, an pater filiæ homo putandus? * Verum esto, concedatur poëtis nasci Daphnem ex terra & Ladone. Nata ergo puella, apud utrum enutrita est? Vt demus enim nasci ita potuisse, ut educaretur fieri tamen non potuit. Vbi enim uersata est puella? Hercule apud eum qui genuit: ecquis ergo hominũ uitã in fluuio ducit? Obliuiscetur enim naturæ suæ pater, citiusq; submerget fluctibus quàm alet. Verum sub terra apud matrem habitauit. Latebat ergo, nulliusq; aspectui in occulto posita patebat. Cuius autem latebat decor, nullius animam mouere desiderio potuit. * Vis & hoc assentiamur poëtis? Quomodo tandem amauit Deus, & impotenti affectu à natura sua degenerauit? Amor enim omnium quæ humanas solicitant mentes, molestissimus

Deinde subijcit rei expositionem.

Subuertit obscuro.

Incredibili.

Impossibili.

Indecoro

stissimus est. Impium autem uidetur, grauissima naturæ nostræ dijs quoq; attribuere. Nam si omni ex parte nostris teneantur incommodis, qui in re mortalibus præstabunt? Nihil autem malorum esse quod non experiamur, certum erit, si amore (quod omnium pessimum est) torqueantur. Sed neq; diuina natura hanc ægritudinem capit, neq; credibile est Phœbum adamasse. * Insequens uero puellam Phœbus, quomodo ab ea uictus est cursu, Deus ab homine? Viri enim mulieribus præstant, & deum fœmina superauit? & quæ reliquis hominibus par esse non potest, ei deus cessisse credetur? Quamobrem autem fugientem puellam mater excepit? An quia malas nuptias putauit? Quomodo ergo ipsa facta est mater? An uero bonas credidit? Quur ergo bonum id filiæ inuidit? Aut ergo mater non fuit, aut malam fuisse matrem constabit. * Quid ita uero terra secum suis ipsa operibus dissensit? offenditq; Phœbum, filiam auferens: rursumq; reddita, eiusdem nominis arbore ipsum oblectans. Non debebat gratificari illi, si offendere ipsum uolebat. Quare demum deus arbore illa tripodas coronauit? arbor enim desiderij fuit merces, diuinatio uero uirtutis est indicium. Quomodo ergo Deus coniunxit ea, quæ natura repugnant? Quid autem ita mortalis causa fuit, finis uero immortalis? * Sed finis sit: neq; enim plura de poëtis dicam, ne ipsorum ineptiam longius insectando, in eandem quam in illis reprehendo uanitatem, uidear incidisse.

* Non cohærente.
* Inutili.
* Epilogo.

IN EXEMPLVM.

COarguere ineptiam.) Quidam ita insulse scripserunt poëticen, ut eam sua infantia cõmendarunt potius q̃ infamarunt. Vide adagiũ: Peius Babijs tibia canit. Neq; uero me clam est, quãto supercilio quidã cõtemnant poëticã, seu rem plusquã puerilẽ, quanto Rhetoricen, attamẽ hæc quãlibet fastidita, insignes illos dedere Theologos, quos nunc procliuius est negligere, q̃ uel intelligere uel imitari. Vel hic locus ut impendio placebit crassis quibusdã ἀμούσοις, qui sibi in cœlo uidentur esse, quòd procul absint à poëtica, cũ tamen interim nihil q̃ potaticã somnient, inhientq; crepentq;. Vt autem equum (quod aiunt) in campum prouocemus, atq; ranis aquam propinemus, nostraq; ipsi uineta cædamus: Visum est tribus uersiculis annotare, unde barbari isti, quibus iam olim odio est poëtica, mutuati sint πανοπλίαν eorum, qui poëticen uidentur traducere. Atq; in his est Plato 7. lib. de legibus & ur decimo. Augustinus in calce libri confess. primi: Gregorius Nazianzenus in sermone εἰς τὰ ἅγια φῶτα τῶν ἐπιφανίων D. Hieronymus in epistola ad Damasum, cuius initium: Beatitudinis tuæ. Cicero in principio secundæ quæstionis Tusculanæ. Idẽ in calce quartæ quæstionis Tuscula. Hermolaus Barbarus in orationibus duabus contra poëtas. Ioannes Campanus in epistola cuius est initium: Suades tu pro pietate tua. Maximus Tirius sermone 7. Vtrum recte Plato de ciuitate sua expulerit Homerum. Impudenter fabulantur.) Quid impudentius quàm quòd Homerus equis Achillis & nauibus quibusdam sermonem attribuit? Augustinus ad Memorium epistola 31. Non ergo illæ innumerabiles & impiæ fabulæ, quibus uanorum plena sunt carmina poëtarum, ullo modo consonant libertati. Gregorius Nazianzenus in libris de theologia, hæc nõ minus libere, quàm salse passim suggillat, & Augustinus quoq; passim in libris de

ciuitate Dei, nominatim lib. 2. de ciuitate, cap. 22. & de consensu euangelistarum li. 1 cap. 22. & 23. Sed quid attinet hæc uno aut altero constabilire exemplo, cum Lucianus ille in dialogis suis nusquam non aduersus istos destomachetur atque incessat, nec id sanè prorsus ab re. Id exemplis quoque docere, nisi per se clarum esset. Quod genus est (ut alia permulta multò prodigiosissima prætereamus) Iuppiter inquiunt, conuersus in cygnū, cum Læda Tindari uxore concubuit, quæ peperit ouum, unde nati sunt Castor, Pollux, & Helene. Nullam ipsi habeant curam.) Quippe qui Iouem poëti corum deorum facile principem, mulierosum, adulterum, emasculatorem, & quidem famosissimum iuxta ac spurcissimum φωνῇ μιᾷ denobilitant. Constat enim Iouem deum fuisse longe m ilierosissimum, salacissimumque: qui nō una tantum corporis parte gignat, sed è fœmore Bacchum, è cerebro Palladem produxerit. Qui deorū, quorum cura omnia gubernantur, nullam ipsi habeant curam.) Seneca lib. de uita beata: Quis iste furor, quæ ista inimica dijs hominibusque natura, infamare uirtutes. & malignis sermonibus sancta uiolare? Si potestis, bonos laudate: si minus, transite. Quod si uobis exercere tetram istam licētiam placet, alter in alterum incursate. Nā cum in cœlum insanitis, non dico sacrilegium facitis, sed operam perditis. & quæ sequuntur de poëtarum cum Ioue lusu. Plato lib. de rep. 3. ex Homero Iouem usque adeo libidine incensum narrat, ut omniū rerum, quas optimo consilio agendas statuerat, oblitus, cum primum Iunonem uidit, ita arserit, ut ne tantisper quidem potuerit differre, quoad domicilium ingrederentur, sed humi ubi forte erat, uxorem amplexus, desiderium explere uoluerit, fassus se amore ardentius concitatum etiam eo tempore, quo primum mutuo amplexu clàm ne quid parentes sentirent, coniuncti fuerant. Proinde non iniuria Plato poëtas censuit urbe depellēdos esse, nec iuuentuti permittendum, ut eorum libros lectitarent, ne teneræ adhuc mentes deorum autoritate permotæ, his corrumperentur, quæ abolere postea ualidior ætas non posset. Et graue quidem uidere.) Argumentum est à minori. Artis suæ ducem.) Fulgentius Placiades in Mythologijs lib. primo. Daphni inquiunt.) Daphne Thessala uirgūcula, Penei fluminis filia fuisse fertur: hæc cum fugeret Apollinem, à quo efflictim adamabatur, deorum commiseratione mutata est in Laurum arborem, quam eam ob causam poëtæ sacram faciunt Apollini. Fulgentius in fabula de lauro. Ouid. primo metamor. Phœbus amat, uisæque cupit connubia Daphnes. Idem in eodem: Primus amor Phœbi Daphne Penæia nympha, Nympha precor Penæia mane nō insequor, Hostis. Martialis lib. 11. Torquebat Phœbum Daphne fugitiua. Oui. Multi illā petiere, illa auersata petentes, Impatiens expersque uiri. Franciscus Petrarcha in æcloga 3. quæ inscribitur Daphne, siue pastoricius amor: Omnia Thessalidem sequeris per confraga Daphnem. Ladon, fluuius est Arcadiæ Apollini sacer. Claud. Plurima Parrhasius tunc inter corpora Ladon Hæsit. Ouid. metamor. Donec arenosi placidum Ladonis ad amnem. Seneca lib. 6. naturalium quæst. Ladon flumen inter Helim & Megaleupolin medius est, quem terrarum motus effudit, &c. Aspernantem fugientemque.) Ouid. primo Fastorum: Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam: Et risum uultu despicit illa suo. In coronam Pythio.) Plinius libri decimiquinti ca. 30. Idem lib. 12. cap. primo. In mercedem cessit.) Ioannes Boccacius lib. genealogiæ 7. ca. 29

Amor enim omnium quæ humanas.) Documento poterit esse Alcesimarchus adolescens apud Plautum in Cistellaria: Credo ego amorem, &c. Et apud eundem in trinummo Lysiteles adolescens in scēna cuius hoc est initij: Multas res simul. Ad extremum Seneca in Hyppolito. Si amore quod omnium pessimum est.) Decantatissima est μοιχεία ἄρεως, καὶ ἀφροδίτης, quam graphice depingit Homerus odyssea θ. & Ouid. lib. metamor. 3. Offenditque Phœbū filiam afferens.) Politianus in Daphnen: Complexus uirides frondosæ uirginis artus,

Sic quoque mutata dixit, Apollo fruar:
Vtque nouas gustu bacchas tentauit, candem

Hei

Hei mihi seruat ait, nunc quoque amariciem.

Tripodas coronauit.) Græce tripos tripodis, dicitur trium pediũ instrumẽtum, quod ob auxilium tertij pedis fortius se sustentat quasi bipes esset, & propter hoc Græcia uiros fortes tripodibus donabat. Ipsi enim non facile succumbunt, nec calamitatibus cedunt, imò ita se gerunt, quasi adminiculum habuerint maius quàm cæteri, ita ut quasi tertio pede suffulti alios uicerint. Tripodes teste Seruio in Vergilium li. Aeneid. 4. erant mensæ in templo Apollinis Delphici, quibus superpositæ Phœbades uaticinabantur, hinc illud: Ad tripodas quem non spreuisset Apollo. Plinius li. 34. ca. 3 Et Ioannes Boccacius lib. genealogiæ 7. cap. cap. 29. Vide Prouerbium: Ex tripode.

Mortalis causa.) πρόφασις. Ioannes Catanæus Maria uertit amica, & πάθος amator, quod ut apertius sit, ita non temere ausim præire Rodolphi Agricolæ uersioni: maneat incolume suum cuiq; iuditium. Ne ipsorum ineptiam.) Frequentius utuntur oratores hac uoce in plurali numero. Cicero lib. 13. epistolarum: In qua si peccat, magis ineptijs, quàm improbitate peccat. Terentius tamen in Adelphis utitur in singulari numero: Ita me dij ament, ut uideo ego tuam ineptiam. Antidotus.) Aristoteles lib. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ primo: ἀλλὰ κατὰ τὴν παροιμίαν πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί, id est, Sed iuxta Prouerbium: Multa mentiuntur poëtæ. Est autem, ni me fallit memoria, hemistichium Homericum de citharœdis solitis in conuiuio canere. At hoc dictũ quosdam usq; adeo mouet, ut prorsus ab omnibus omnium poëtarum scriptis abstineant, non minima portione eruditionis. Plutarchus in libello cui titulus: quomodo sint adolescentibus audiendi poëtæ: Quemadmodum polypi caput esu quidem suauissimum, & esculentum, cæterum somnia parit tristia ac prodigiosa: Ita poëtice in qua sicuti sunt permulta cognitu tum iucunda, tum frugifera: Ita sunt nonnulla, nisi caueas, pestilentia: Porrò ex huiusmodi rebus id quod inest commoditatis, conueniet excerpere: quod noxium, uitare. Iuxta Simonidis doctrinã apiculas imitari, quæ præteritis reliquis, ad ea duntaxat aduolant, unde possunt aliquid ad mellificium idoneũ excerpere, nec aliud colligunt, quàm quod sit usui futurum. Quemadmodum aranei ex sese texunt telas: Ita & poëtæ ex seipsis comminiscuntur mendacia. Sic enim Plutarchus in libello cui titulus de Osiride: οἱ ποιηταὶ καὶ λογογράφοι καθάπερ οἱ ἀράχναι γεννῶντες ἀφ' ἑαυτῶν ἀπαρχὰς ἀνυποθέτους ὑφαίνουσι καὶ ἀποτείνουσι, id est, Qualia poëtæ & oratores ueluti aranei gignentes ex seipsis à nullis suggesta exordia texunt producuntq;. Comœdias & tragœdias non audiebant Lacones, ut nec serio, nec ioco quicquam audirent repugnans legibus. Leges enim prohibent stupra, incestum & adulteria: prohibent dolos, iniurias, furta cæteraq; flagitia, at in fabulis talia poëtæ dijs affingunt. Nec placuit illis quorundam excusatio, fabulas ad uoluptatem fingi, nõ ad fidem ueri. Voluptas ea corrumpit imbecillium animos. Plutarchus πῶς δεῖ τὸν νέον ποιήματα ἀκούειν: Quidam amethistum adhibent in compotationibus aduersus ebrietatem. Multò magis in audiendis poëtis præcepta sunt adhibenda, ne quid inficiant animum. Quæ de dijs pie, honesteq; dixerunt poëtæ, hæc Plato recipi iubet & obseruari: quæ uerò minus rectè illi finxerũt, hæc detestari, & perinde ac pestẽ uitare, quin imò ipsos qui ita carmen exerceant, pellendos ciuitate censet ac præcipit. Quod & D. Augustinus testatur, cum in secundo libro de ciuitate Dei, sic dicat: Theologiam poëticam Plato penitus repudiauit, & poëtas duxit esse pellendos ex urbe, quam instituit. Homerum etiam ipsum, ut in eius politica patet, propter inhonesta quædam de dijs figmenta, reprehendit. Vide Lactantium lib. quinto de iustitia cap. primo, Et eundem de uero cultu lib. sexti cap. uicesimo.

CONFIRMATIO SIVE ASSEVERATIO. VI.



Atasceue, hoc est, cõfirmatio uel asseueratio, est propositæ rei comprobatio. Asseueranda uero, quæ neque prorsus manifesta sunt, neque omnino fidem ut fieri poßint, habent: sed quæ medij quodammodo sunt generis. Oportet autem aßeuerantem cõtrarijs uti eorum, quibus restruentes utuntur. Primum enim laudet eum qui dixit quod asseuerandũ est, deinde rẽ exponat, postea contrarijs eorũ quæ diximus supra, cõprobet ipsam: pro obscuro quidẽ manifesto, pro incredibili probabili, & poßibili pro impoßibili, & cohærente pro repugnante, & decente pro indecoro, & conferente pro inutili. Sane hæc quoq; exercitatio omnem uim artis intra se complexa est.

IN CONFIRMATIONEM VEL ASSEVERATIONEM. VI.

CAtasceue, hoc est.) Dictu mirum, quid sequutus Agricola, legit: Parasceue, hoc est, cõfirmatio, uel asseueratio, est propositæ rei comprobatio. Cum apud Aphthonium sit κατασκευή. Cuius errati, si forte in mendosum incidisset exemplar, ut certe uidetur incidisse, uel unus Fabius Quintilia. poterat commonefecisse, qui sic habet libro 2. cap. 4. Narrationibus non inutiliter subiungitur opus destruendi confirmandiq; eas, quod ἀνασκευὴ καὶ κατασκευὴ uocatur: legendum est ergo catasceue, non parasceue, ut erat in autographo. Neq; omnino fidem.) Ingeniose hoc ut omnia Rodolphus Agricola lib. 2. de inuentione cap. 22. & 23. non ita procul ab initio disseruit. Aristoteles in præceptis ciuilibus cap. de confirmatione: Primum quidem dicētis opinio, sin id minus poterimus, rerum consuetudines ordinabimus, demonstrabimusq;, & hæc quæ dicimus, uel & his similia hoc modo fieri consueſſe: deinde uerò exempla afferemus, si qua est, cum his quæ à nobis dicuntur similitudinem adducemus, ea autem exempla capiamus oportet, quæ tum rei congruant, tum ipsis auditoribus, uel loco, uel tempore sint proxima. Sin autem secus sint, debemus ex alijs quæ maxima & notissima sunt accipere, post hæc uerò sententijs utendum. Idem Aristoteles libro 1. rhetorices cap. 17. Restruentes.) Vt restructio prius pro improbatione siue confutatione, sic & nunc quoq; restruentes pro improbantes eleganter usurpat.

Eorum quæ diximus suprà.) Cap. de restructione, sub finem. Omnem uim artis.) Quod sane in parte uerum est, non in totum. Proinde necesse est subaudias ferè aut simile quiddam.

EXEMPLVM.

Primũ laudat eos, qui dixerunt id asseuerãdum est.

Deinde rẽ exponit.

POëtas quisquis uituperat, ipsas mihi uituperare Musas uidetur. Si enim quæcunq; canunt poëtæ, Musis instincti profundunt, quid ni plane Musis bellum indicit, qui poëtarum repræhendere conatur inuenta? Ego quidem quicquid poëtæ dicũt, maiorem in modum laudo: potißimum uero quod aiunt Daphnen à Phœbo esse amatam. Quid rogo*

tandem tam procul à fide abhorrens istud habet? Daphne, inquiunt, è terra nata est & Ladone. *An hoc ergo tam prorsus incredibile? Nõne rebus omnibus aqua & terra sunt origo? nõne semina rerum omnium elementa præbent? Si uero quicquid gignitur, procedit ex terra & aqua, nimirum Daphne eisdem orta est, quibus omnia, principijs Ladone & terra, genita scilicet inde, unde cuncta procreantur. Superabat autem Daphne facie reliquas omnes. Recte quidem. Quæcunq; enim ex terra se proferunt, primo uelut natiuo proprioq; conspicua decore pulcherrima uidentur. Multa enim imitatio decoris pulcherrimis quoq; rebus tempore accedit: quæ uero nata, primum uidenda se præbent, ea ueluti quæ nullum adhuc decoris sui damnum fecere, blandißime oculos nostros morantur. Recte igitur Daphne forma præstabat, primum ex terra procreata. * Phœbus igitur quũ decore superantem omnes uideret, amore ipsius est captus: non iniuria. Quicquid enim in terris est, quo res ullæ sunt conspicuæ atq; admirandæ, id est omne à dijs ipsis tributum. Si uero bonorum omnium amabilis in primis est pulchritudo, quid mirum si iucundißimum deorum munus, Deum quoq; habuit amatorẽ? Quæ enim dij donant, ea desiderant omnes. * Conabatur autem amans Deus desiderio sui mederi: sic enim res habet: uirtutes non sine conatu maiore comparantur, & labore opus est quisquis eas assequi uelit. Hinc ergo conabatur desiderans, nec tamẽ desiderans comprehendit. Ingens enim est uirtus, nec ad extremam ipsius metã quisquam potest peruenire. Aiunt igitur amare Phœbum, non terram scilicet, nec deorum maiestatem uanis commentis dehonestantes, sed uirtutis ostendentes naturã. Norat enim persequens Phœbus id quod sequebatur. * Fugiente autem puella, mater ipsam excepit. Cuncta enim quæcunq; sunt mortalem sortita naturam, qualis & ipsa fuerat Daphne, unde orta sunt, eôdem reuertuntur: idcirco in terram cecidit Daphne, ex terra prognata. Accipiens autem puellam terra, pro ipsa reddidit arbustum. Vtraq; enim terræ sunt opus, & in ipsam homines reconduntur, & ex ipsa arbores nascuntur. * Procreatum autem arbustum Apollinis honori dicatum est: dij enim extra complexum prouidentiæ suæ ne arbusta quidem reliquerunt. Sed coronantur è natis, & primitiæ prodeuntium è terris, ipsis sacrantur. Sed & arbor diuinationis facta est merces. * Conueniens & hoc puto. Puellare enim nomen continentiæ tribuitur, & dare responsa, ex continentia procedit. Quoniam enim uoluptatum expers puella est, uirtutibus consecratur. Neque enim posset capax futurorum esse, fœdis contaminatum uoluptatibus pectus. * Propter hæc ergo poëtas ego admiror & laudo, ipsumq; ueneror carmen.

*Postea cõprobat manifesto.
*Probabili
*Poßibili
*Cohærẽs
*Decens.
*Cõferẽs
*Epilogo.

IN EXEMPLVM.

POëtas quisquis.) Hic demum dignus est campus tractandis poëtarum allegoriis. Habemus nimirum hoc loco artificium enarrandi fabulam nequaquā uulgare. Vide Erasmum in Copia, & de conscribendis epistolis, ac Philippum Melanch. in rhetoricis cap. de allegoriis. In his quæ omnino fide carent, nisi iocabimur, præfari conueniet, à uiris priscis ac sapientissimis ista non sine causa fuisse confictа, neq; temere tot iam seculis magno mortalium cōsensu fuisse celebrata. Deinde quid sibi uoluerint, interpretabimur. Vide Eras. in poster. Copiæ commenta. de exēplo fabuloso. Item & lib. Eccle. 2. Vituperare musas uidentur.) Plutarchus in Symposio sic musarum etymon tradit: ἃς ὁμοῦ διʼ ἔννοιαν ἀεὶ καὶ φιλαδελφίαν οὔσας οὕτως ὠνόμαζον.

Musis instincti profundunt.) Vt Cicero: Sæpe enim audiui poëtam bonum neminem, id quod à Democrito & Platone in scriptis relictum esse dicunt, sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam afflatu quasi furoris. Ouidius Fast. 6. Est Deus in nobis, agitante calescimus illo, Impetus hic sacræ semina mentis habet. Isocrates in Panathenaico: Etiam si nihil aliud boni poëticæ disciplinæ aliaq́; conficere possunt, plerosq; tamē adolescentium non à paucis auertunt erroribus, quibus nūquam meliora studia inueniri puto, nec magis decora. Senioribus uerò iamq́; probatis uiris non porrò huiusmodi exercitia congruere aio. Aeschines in Demosthe. διὰ τοῦτο γὰρ οἶμαι ἡμᾶς παῖδας ὄντας, τὰς τῶν ποιητῶν γνώμας ἐκμανθάνειν ἵν᾽ ἄνδρες ὄντες αὐταῖς χρώμεθα. id est, Ob hoc reor uos in pueritia constitutos poëtas ediscere, ut uiri facti eorum sententiis fruamini. Quintilianus: Plurimū dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poëtarum, multiq́; eius iudiciū sequuntur. Vt tigrides si quis tympanis circumsonet, in rabiem agi dicuntur, adeo ut seipsas deniq; discerpant: ita quosdam offendit quod aliis addit animum, puta musica, eloquentia, poëtica. Plutarchus πῶς δεῖ τὸν νέον ποιήματα ἀκούειν: Vt apicula ex flosculis succum mellis colligit, cum alii non delectentur nisi colore & odore, sic philosophiæ studiosus & ex poëtis inuenit, quod ad bene uiuendum conducat, cum alii tantum uoluptate deliniantur. Plutarchus quomodo iuuenes debent audire poëmata: Quemadmodum qui ea quæ sunt per se pulcherrima, contaminat, admixtis iis quæ sunt turpissima: Ita si quis poëticæ administrat obscœnitatem, suo utiq; uitio. Nam ars per se syncera est. Vt aromatum, florum, similiumq́; odor gratior sentitur è longinquo, quàm è proximo (offendunt enim nonnunquam naribus admota, quæ procul delectabant) Ita sunt quæ si leniter attingas, placeant: sin excutias accuratius, & propius inspicias, gratiam amittunt: quod genus sunt poëtarum fabulæ, aut gentium historiæ. Vtitur interdum & Plato fabulis, sed non more poëtarum, quos apte improbat, & è sua Rep. prorsus expellit: uerum id fabularum genus probare uidetur, quod ad honestatem spectat, & ad uirtutem hortatur, ac diuinæ naturæ rationem figmentis quibusdam non ineptis modestissime inducat, plerunq; etiam quæ palam pronunciare non decet, quasi subtilioribus quibusdam uelis obtecta ostendit. Quintil. lib. 12. cap. 4. ostendit oratorem non debere negligere fabulas poëtarū. Eusebius de præparatione euangelica lib. 12. ca. 2 de fabulis. D. Ambrosius in præfatione lib. in euangelium Lucæ 4. fabulam de Vlysse ad malum ligato, laudi sanctæ crucis eleganter admodum accommodauit. Non fine causa ridet Hieronymus eos, qui poëtarum fabulas ad Christum detorquent, nisi si qd ad mores commode deflectetur, ueluti fabula Protei in inconstantes, Phaëtontis in temerarios, Tantali in auaros & parcos, Midæ in diuites stolidos, Danaës in ius pecunia corruptum, Ixionis & Danaidum in frustra laborātes. Quandoquidem dubium non est, quin ueteres in hunc usum pleraq; commenti sunt Musis instincti. Cicero pro Archia: Atqui sic à summis hominibus, eruditissimisq; accepimus, cæterarum rerum studia, & doctrina, & præceptis, & arte constare, poëtam natura ipsa ualere, & mentis uiribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari. Quare suo iure noster ille

Ennius

Ennius sanctos appellat poëtas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse uideantur. Sit igitur iudices sanctum apud uos humanissimos homines hoc poëtæ nomen, quod nulla unquam barbaria uiolauit. Saxa & solitudines uoce respondent: bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atq; consistunt: nos instituti rebus optimis non poëtarum uoce moueamur? Cui hæc non satis arrideant, is legat licebit Ludouicum Cælium libro antiquarum lectionum 4. primo & 2. capitibus, ubi adducit in medium singulare poëtices encomium, & Quintil. lib. 10. cap. 1. Horatium lib. 1. sermonum satyra 4. Eundem lib. 2. epistolarum 1. epistol. Et lib. 4. carminum, ode 8 Iuuenalem 7. satyra, Apologiam Hermolai pro poëtis, Budeum in pandectis, Politianum in Miscellaniis cap. 4. Erasmum in opere de epistolis conscribendis ca. de fabulosis exemplis. Et Augustinũ de utilitate credendi cap. 4. Nonne semina rerũ omniũ elementa præbent.) Plutarchus in cõmentario: Aqua'ne an ignis sit utilior.

Quæcunq; enim ex terra se proferunt.) Vt enim exoriẽs sol, fulgorẽ antè præmittit, qui cacumina montiũ illustrans, intuentiũ oculos maxime oblectat, uberioris lucis afferens spem: ita splendescenti animo pręfulget in superficie corporis decor. qui quod spem afferat melioris multò decoris, Philosophorum exhilarat aspectũ. Hæc Maximus Tirius de amore Socratis, sermone 8. qui non parũ lucis attulerit huic fabulæ. Amabilis in primis est pulchritudo.) Isocrates in Encomio Helenes: At uerò qui non mente captus iudicare debeat, si deas de pulchritudine certare uideat, ipse pulchritudinẽ despiciat, nec maximũ putaret esse donũ, cui & illas potissimũ intẽtas cerneret. Hæc ille. Apollo præter alia epitheta dictus ἀγλαόμορφος, hoc est, splẽdide formosus formoseq; splendidus, ac pulchre uenustus. Decor quem tãtopere Socrates ille Platonicus exoptauit, certè non alius quàm qui bonorũ studiorum ac honestissimarum disciplinarum puritate nobis obuenit. Annotarunt & illud eximij philosophi, quòd corporis harmonia plerunq; est concors cum animi uitijs iuxta ac uirtutibus. Tum ipsam mentem facies indicat. In hunc modum Homerus Iliados C. Thersitem depinxit, & Cicero in oratione pro Quinto Roscio Comœdo, scribit hominibus afferre coniecturam tacitam corporis figuram. Velleius Paterculus inquit, in Vatinio deformitatem cum ingenij turpitudine certasse, adeo ut animus eius dignissimo domicilio inclusus uideretur. Ad hæc Marcus Cælius ingenium Galbæ male habitare dicebat, quòd hunc eloquentia clarum habitus corporis deturparet atq; destitueret, ut omnino uerum esse liquido liqueat, quod aiunt protrito uersiculo: Gratior est pulchro ueniẽs è corpore uirtus. Vide Platonem in Phædro: Fieri nõ potest, ut Aspasius inquit, q omnino deformis sit, bonus sit. Martialis li. 12. Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læsus: Rem magnam præstas Zoile, si bonus es. Id est omne à dijs ipsis tributum.) Memoriæ proditum est à Physiologis augustissimam quanque hominis speciem plurimum è cœlo trahere, siue enim mundi ipse æternus rector nobilissimum animum missurus in corpus, speciosum prius atq; illo dignum metitur hospicium: Siue animus ipse cum uenerit, diuinitatis suæ cõscius, pro habitu suo sibi fingat, & exornet habitaculum: Certum est alterum alterius officio crescere, & cum se mutuo quasi fœdere iunxerint, utraq; maiora consurgere, ut eos qui tali naturę sunt habitu, iam non natos, sed à Deo ipso factos formatosq; esse scribat Cicero. Lege Marcilium Ficinum de uita cœlitus pararda. Reconduntur & nascuntur.) ὁμοιοτέλευτον est. Ne arbusta quidem reliquerunt.) Hoc Aphthonij dictum, pulchre conuenit cum eo quod dicit Christus Matthęi 10. cap. Nonne duo passerculi minuto asse ueneunt, & unus ex illis non cadit in terram sine patre uestro? Et dare responsa ex continentia.) Basilius in Esaiam prophetam: Quemadmodum prophetarunt puræ ac pellucidæ animæ ueluti specula factæ diuinæ operationis imaginem integram, & inconfusam, nullaq; ex parte turbatam affectibus repræsentabant. Orige. decima & 4. in Leuiticum ho. & secunda in Genesim. Lysis Pithagoreus in epistola ad Hippargum. Fœdis contaminatum uoluptatibus.) Plato in dialogo de scientia. Angelus

Politianus in præfatione Charmidis Platonis. Ad hunc igitur modum docent intelligenda esse poëtarum inuolucra. Primum Plutarchus in commentario, quomodo iuuenis debet audire poëmata: Deinde Maximus Tirius passim in sermonibus. Ad extremum D. Erasmus in opere de conscribendis epistolis cap. de fabulosis exemplis.

LOCVS COMMVNIS. VII.



Communis locus est oratio, bona aut mala quæ alicui insunt augmentans. Dictus autem est communis, quoniam communiter omnibus eis conuenit, quibus ea res de qua agitur, inest. Oratio enim in proditorem, omnibus in commune proditioni obnoxijs aptatur. Videtur autem uelut secundæ orationi & conclusioni similis: ideoq; procemium communis locus non habet. Fingimus autem aliquid procemij simile, exercendorum iuniorum causa, positoq; eo, subijcies primum caput ex contrario, hinc rei expositionem: nō quidem tanquam doceas, nota enim res est, sed ut exasperes. Post hanc afferes cōparationem, qua ex collatione id de quo agitur in maius extollas, hinc sententiam uel mentem, caput uidelicet quod ita uocatur, exprobrans facti intentionem: dein de digreßione coniecturali antecedentem uitam in criminum suspicionem deuocabis, post id uelut misericordiæ occurrendum est: tum uelut postremis exercitamēti huius locis, legitimo, iusto, utili, poßibili, honesto, euenturo concludendum.

IN COMMVNEM LOCVM VII.

Communis locus est.) Eras. Rote. lib. Ecclesi. 2. Loci dicuntur communes, quod ab utraq; parte tractentur, licet non in eadē causa. Veluti qui testimonijs grauatur, suadet non esse fidendum testimonijs. Contrà qui iuuatur, dicit pro testimonijs: atq; item de cæteris, quæ suprà retulimus, quum de inartificialibus ageremus. Eras. lib. Ecclesiastes 3. Locos communes hic appello sententias frequenter incidentes, quę si per amplificationem adhibeātur, siue in laudem, siue in uituperium, adiuuant ad persuadendū id quod destinauimus. Frequentius tamen incidunt in genere demonstratiuo. Cicero in paradoxis: Ego autem illa ipsa, quæ uix in gymnasijs, & in ocio Stoici probant, ludens conieci in communes locos. Hieronymus in epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi: Volo in chartulis meis quaslibet ineptias scribere, commentari de scripturis, remordere lædentes, digerere stomachū, in locis me exercere communibus, & quasi lunatas ad expugnandum sagittas reponere. Cicero lib. de inuentione secundo, sub calcem de constitutione coniecturali, scito compendio perstringit quid in locis communibus sit obseruandum, & quonam pacto sit eis utendum. Omnia enim ornamenta eloquutionis, in quibus & suauitatis, & grauitatis plurimum consistit, & omnia quæ in inuentione uerborū, & sententiarum aliquid habēt dignitatis, in communes locos conferuntur. Locos communes nemo felicius tractat quàm D. Ioannes Chrysostomus. Quintilianus lib. 2. & 4. Idem lib. 10. cap. 5. Emporus rhetor de loco communi. Dictus est autem communis.) Cicero li. 3. de oratore: Consequuntur etiam illi loci, qui quanquam proprij causarum, & inhærentes in eorum neruis esse debent, tamen quia de uniuersa re tractari solent, communes à ueteribus nominati sunt, ut in depeculatorem, in proditorem, in parricidiā.

Georgius Trapezontius libro rhetoricorum 2. cap. 1. Communis est locus, qui ab his quæ aut antecedunt, aut consequuntur rem, aut quæ in gestione negocij sunt, uel auget peccati atrocitatem, uel conquestione misericordiam captat, qui communis ideo appellatus est, quia quamuis contra hunc aut illum dici uideatur, tamen ad uniuersos eiusdem criminis reos efferatur necesse est. Omnibus in commune.) Vt contra tyrannum locus est, quisquis reip. leges uiolauit, capite plectendus esto, hac enim oratione in omnes qui legibus non obtemperant, commode utaris licebit. Videtur autem uelut secundæ orationi, & conclusioni similis.) δευτερολογία δὲ ἔοικε κ' ἐπιλόγῳ. Porro totus hic locus, ut prima fronte nonnihil uidetur obscurus: ita lucidissimus erit, si huc adhibeantur ea, quæ commemorat Philippus Melanch. lib. rhetoricorum 2. ca. de dispositione, & Rodolphus Agricola lib. de inuentione 2. cap. 19. Loci quidē communes, inquit, ut rhetores uocant, non sunt aliud, quàm maiores ratiocinationum propositiones, ut quæ in proditorē, adulterum, sicariū dicuntur. Cum uolumus enim probare Cælium damnandum, ostendimus ueneficum esse, quod ubi explicatum est, quid restat aliud quod ratiocinationi desit, nisi maior, omnis ueneficus est damnandus, & quæ sequūtur. Nota enim res est.) Ea est ratio locorum communium, ut cū persuasi uulgo sint, qui illis nititur, facile quoq; persuasurus uideatur. Vt nemini faciendam esse iniuriam, nemini uim inferēdam esse, qui ratum habet, permouebitur, ut uindicando modum faciat, non omnia etiam hosti in hostem permissa esse. Sententiam uel mentem.) Bifariam explicat uocem hanc γνώμην. Lege Quintilianum lib. 8. cap. 5. in principio. Cicer. in rhetoricis lib. primo. Eras. lib. 3. Ecclesiastæ de generibus sententiarum. Misericordiæ occurrendum est.) Cicer. lib. de inuentio. 2. cap. de deprecatiōe. Legitimo, iusto, utili, possibili, honesto.) Hæc optime, ut omnia, definit Aristoteles cap. de genere deliberatiuo, in præceptis ciuilibus ad Alexandrum. Bonorum tria sunt genera, honestum, utile, suaue. Honestum est bonum humanarum actionum, & significat actiones consentientes iudicio rationis. Vtile, significat res, quæ expetuntur, non propter sese, sed quia naturæ conueniunt ad eam conseruandam. Suaue, cognatum est utili. Significat enim id, quod ideo expetitur, quia animo aut sensu motus iucundos facit.

EXEMPLVM.



*Vemadmodum legibus constitutum est, ipsaq; apud nos iudicia cen sucrunt, pendat legibus pœnas is, cuius scelere nec leges fuerant amplius permansuræ. Quòd si præsenti absolutus iudicio æquabiliorem populo sese foret præbiturus, esset forte quòd quis sibi remitteret pœnam. Quum uero elapsus in præsentia sit longe uiolentior futurus, iniustum certe fuerit futuræ tyrannidis initium præsenti delicto condonari. * In reliquis autem fortasse non magnum iudicum periculum fuerit, si quamuis nocentem impunitum patiantur elabi. Tyrannidis uero affectatæ si absoluatur, certum est ad iudices præcipuum pertinere discrimen, quos cum ipsis iudicijs sublatum iri constat, potiente rerum tyranno. * Videmini autem mihi iudices in eius solum, quod in præsentia est, contemplatione mentem habere defixam, uirtutis seueritatisq; maiorum nostrorum obliti: quorum iustius erat reputare animoq; proponere sententiam, qui nobis uelut maximum incomparabileq; munus rempub. omni domina*

Prius proœmium.

* Proœmium posterius.

* Ex contrario.

tione solutam reliquerunt. Optime quidem illi atq; rectißime. Quando enim fortuna ipsa uarietate sua inconstantem se diuersamq; hominibus præbet, proinde mentes quoq; hominum ad recte secusq; agendum multiplici flexu trahuntur. Hinc inæqualitati fortunæ, legum æqualitatem opposuerũt, instituerunt'q; rem publicam, uelut unam ciuium omnium sententiam facientes, ut fortunam nunc prementem res cuiusq;, nunc extollentem, legum constantia æquaret. * Cuius iste aut immemor, aut contemptor potius, scelestißimo secum consilio instituit, ut rempublicam deleret, taliaq; secum disserebat: Quorsum hoc ergo per deos immortales? supra omnes positus, omnibus me patiar æquari? Frustraq; permitto cumulare opes mihi fortunam, si eadem quæ reliqui faciam, eadem feram: & collecti pauperes iudicant quod pauperibus uidetur. Lex est, mihiq; præfertur: quousq; ergo hæc? aut quis erit his modus? Occupabo arcem, & peßime perituras longe abigam leges, eroq; reliquis ego lex potius, quàm reliqui mihi. Hæc secum ipse cogitabat, nondum uero uotorum suorum finem assequutus est: obstitit enim beneuolentia deorum. Quid ergo non iniquißimum est, si propter ea quæ frustra conatus est, summam dijs gratiam debemus, propter eadem hæc hunc hodie conseruari? * Sceleratus est homicida, sceleratior tamen multo tyrannus. Ille enim unum quisquis is fuerit, perimit, hic uero totas conuellit ciuitatis fortunas. Quanto ergo minus est parum offendere, quàm occidere omnes: tanto contrà eo qui hominem occidit, grauior est tyrannus. * In alijs autẽ reis euenit plerunq;, ut tametsi grauißima admiserint, mentem eximant delicto, animoq; defendantur. Solus autem tyrannus fiduciam non habet, ut inuitum se dicere queat tantum scelus suscepisse. Nanq; si inuitus tyrannidem aggrederetur, esset fortasse ratio aliqua, huius ipsum conatus absoluere. Verum quum ante attentatam rem, multum secum diuq; deliberauerit, quomodo iustum cuiquam uidebitur culpa carere ipsum, qui ante opera mente quoq; factus est tyrannus? * Alij ergo quicunq; in ius uocantur, præsentis solum criminis rationem reposcuntur: & propter prioris uitæ recte facta, plerunque præsentibus ignoscitur. Solus uero iste utriusq; temporis iudicium subeat oportet. Liquet enim immoderata præterita tulisse ipsum, quibus ad tantum flagitij peruenit. Et præsentia certe præteritis longe sunt molestiora. Itaq; utrorunque det poenas, & eorum quæ ante, & eorum quæ præsenti sceleris conatu deliquit. * Libet autem uidere, cuius preces præsenti ipsum discrimini sint exempturæ. Liberi nempe? Verum quum supplicantes uobis, flentesq; illos uidebitis, putate aßistere uobis leges, quarum uos respectu moueri multo rectius est, quàm liberorum ipsius. Illos enim speratæ dominationis fuerat relicturus hæredes, leges uero quòd

Expositio rei.

Comparatio.

Sententia uel mens exprobrãs facti intentionem.

Digreßio coniecturalis.

Misericordiæ occursus.

indicandi

iudicandi decernendiq; de ipso potestatem habetis, præstant. Itaq; per quas quod iudices estis, uobis datur, pro eis iustius fuerit uos sententiam ferre. * *Si enim re- cte leges iubent eos qui patriam liberant, honoribus prosequendos esse, relinqui- tur necessario, ut qui in seruitutem deducere ipsam conantur, puniatis.* * *Iustum autem est, ut tantum uobis det pœnarum, quantum ipse sceleris admisit.* * *Prode ritq; corruens tyrannus: Statũ enim legum cõfirmabit.* * *Expeditũ autem, de ipso sumere supplicium. Neq; enim quemadmodũ ipse ad asserẽdam tyrannidẽ satelliti bus, ita uos ad depellendum ipsum auxilijs opus habetis. Sed sufficiet iudices sola uestra sententia, cuius quum à republica ius potestatemq; acceperitis,* * *pulcher rimum quoq; erit pro reipublicæ salute ipsam experiri: faciliq; cognitione totam hanc præsentem tyrannidis potestatem auferetis.*

*Legiti- mum.
*Iustum.
*Vtile.
*Possibile
*Honestũ.
*Euentu- rum.

IN EXEMPLVM.

IPsaq; apud nos iudicia censuerũt.) Cicero 3. off. Nam quod ad Phalarim attinet, perfacile iudicium est: Nulla est enim societas cum tyrannis, sed potius summa di stractio est, neq; est contra naturam, spoliare eum si possis, quem honeste est nota re, atq; hoc omne genus pestiferum atq; impium ex hominum communitate extermi nandum est, etenim ut membra quædam amputantur, si & ipsa sanguine, & tanquam spiritu carere cœperint, & nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura homi- nis feritas, & immanitas beluæ, à communi tanquam humanitate corporis segregan da est. Si quamuis nocentem.) Quamuis pro quamlibet eleganter usurpat. Hiero nymus ad Pamachium super obitu Paulinæ uxoris: Quamuis clarus honor uilescit in turba, & apud uiros bonos indignior fit ipsa dignitas, quam multi indigni possi- dent. Pendat legibus pœnas is.) Sapientiæ 10. & 6. cap. ἔδει γὰρ ἐκείνοις μὲν ἀπαραίτητον ἔνδειαν ἐπελθεῖν τυραννοῦσιν, hoc est, ut uerbum uerbo reddatur: Oportebat enim illis quidem inexcusabilem inopiã superuenire exercentibus tyrannidem. Potienti re rum tyranno.) Documento sunt apud Athenienses Pisistratus, Dionysius apud Syra cusanos, Phalaris apud Agrigentinos. Fortuna ipsa uarietate sua.) Plinius lib. 2. natura. histo. ca. 7. Marcus T. in calce orationis pro Publio Sylla ad iudices. Idem in procemio lib. 3 de orato. Ausonius: Fortuna nũquam sistit in eodem statu: Semper mouetur, uariat, & mutat uices. Et summa in altum uertit, ac uersa erigit. Taliaq; secum disserebat.) Nonnihil faciet ad huius exempli artificiũ, id quod est apud Eras. Rot. in Copia rerum, decima locupletandi ratione ex Luciano in tyrannicidam. Et apud Ciceronem in calce libri primi de inuentione. Quorsum hoc ergo per deos.) διαλογισμός, siue παθοποιΐα est, hoc est, schema quod uocatur sermocinacio. Scelera tus est homicida.) Cicero pro Sexto Roscio Amerino: Supplicium in parricidas singulare excogitauerunt, ut quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ma- gnitudine pœnæ maleficio summouerentur, insui uoluerunt in culleum uiuos, atque ita in flumen deijci. Plato de rep. lib. 9. Chrysostomus homilia in Genesim 10. & 9. & 20. Iuuenalis Satyra 6. 8 & 13. Grauior est tyrannus.) Plato in 8. de rep. Idem in dialogo de scientia. Aristoteles primo rhetorices cap. 10. & 4. de maiore & mino- re iniuria. Cicero Tusculan. quæst. libro quinto de Dionysio. Ratio aliqua huius ipsum conatus absoluere.) Græcanica est phrasis. Sic Horatius alicubi: Tempus abi- re tibi.

LAVS. VIII.



*Aus est oratio, bona alicuius enumerans. Laudandæ uero sunt personæ, res, tempora, loci, ratione carentia animalia & plantæ. Personæ, ut Thucydides aut Demosthenes: res, ut iustitia aut temperantia: tempora, ut uer, æstas: loci, ut portus, horti: bruta animalia, ut equus, bos: plantæ, ut uites, olea. Laudamus uero et cõmuniter et * singulatim: Cõmuniter, ut omnes simul Athenienses: priuatim, ut Atheniensem unum aliquem. * Hæc uero diuisio est laudis. Dispones autem ipsam hoc pacto: primum procemium pro qualitate rei pones. Inde subijcies genus, quod diuiditur in gentem, patriam, maiores & patres. Post id educationem explicabis, quæ institutione, arte & legibus continetur. Hinc præcipuum laudem omnium caput subdes, res gestas, quas diuides in ea quæ sunt animi, & quæ corporis sunt, & quæ fortunæ. Animi, ut quæ fortitudinis sunt, quæ prudentiæ. Corporis, ut decorem, uelocitatem, robur. Fortunæ, potentiam, amicos, opes. Addes deinde comparationem, qua id quod laudatur, alteri collatum tollatur in manus. Postremò epilogo qui precationi similior sit, concludes.*

* Ali. & singulos communiter.
* Diuisio laudis.

IN LAVDEM.

RODolphus Agricola lib. 3. de inuent. cap. 13. Laudationem uerò tunc proprie significamus hoc nomine, cũ laudamus rem nullũ alium in usum nisi ut laudemus. In hoc itaq; orationis genere, quoniam præcipue uoluptatẽ admirationemq; sectamur audientium, quæ non contingit nisi magnis quibusdam recensendis, quæ persæpe cum fidei etiam periculo petuntur, aut minoribus in eum modum extollendis, ut magna uideantur. Laus & laudatio quomodo differant, qui uelint scire, legant Senecam lib. epistola. 17. epistol. 103. Equidem nihil arbitror æque necessarium esse, ac illud diligenter expẽdere, quod D. Erasmus in adagio: Ne bos quidem pereat, prodidit. Primum quæ potissimum sunt laudanda: Deinde qua arte pro dignitate tractãda. Primum, inquit, quod affers ad Encomium, sit uerum. Deinde quod uerum est, sic tractetur, ut fiat etiam uerisimile. & quæ sequuntur. Agesilaus quoties audiebat aliquos ab alijs laudari aut uituperari, existimabat non minus esse discendos eorũ mores qui loquebantur, quàm eorum de quibus loquebantur. Erasm. Rote. lib. Ecclesia. 2. Aeschines laudauit Philippum Macedonum regem, triplici nomine, quòd esset formoso corpore, quòd eloquens, quod ferret multum uini. Has partes sic elusit Demosthenes, ut diceret primam laudem esse fœminarum non regis, alteram esse sophistarum, tertiam spongiarum, in quibus pro optima habetur, quę est bibacissima. Prou. 27. Prædicans amicum suum, magnis clamoribus, mane consurgens, maledicere ei iudicabitur. In defunctorum autem laudes uberius effundẽda est uis eloquentiæ, quum iam mitior est inuidia, & minor adulandi suspicio. Quæ autem laudatio uiuis potissimam sit tribuẽda, perpulchre docet Eras. Rote. in eo quod modo citauimus, adagio. Cice. 2. de oratore: Summa laus est, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentẽ in pecunia, non se prætulisse alijs propter abundantiam fortunæ, ut opes & copiæ, nõ

superbiæ

superbiæ uideantur, ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem & materiam dedisse. Laus est oratio.) Tradunt rhetorum præceptiones tria esse genera causarum: Demonstratiuum, quo laudamus aut uituperamus. Deliberatiuum: quod in suadendo ac dissuadendo consistit. Iudiciale: quo accusatur quis, aut defenditur. Quint. lib. 3. cap. 4. & 9. Aristoteles lib. rhetorices 1. cap. 9. Lactantius lib. 1. de falsa religione cap. 15. Extant apud Ciceronem in partitionibus oratorijs in demonstratiuo genere optima utilissimaq; præcepta, quæ maxime faciunt ad laudandi uituperandiq; rationes. Et apud Aristotelem in præceptis ciuilibus ad Alexandrum cap. de genere demonstratiuo. Et ad eundem in eisdem ca. de laudandi uituperandiq; speciebus. Ad extremū nihil ad æque profuerit ad hunc locū exactius intelligēdum, ac id quod habet Rod. Agri. li. 3. de inuentione dialectica ca. 12. circa medium, ubi doctissime rationē laudandi prosequitur. Ex præceptionibus generis demonstratiui, Chrysostomus celebrat Babylā, Basilius quadraginta martyres. Vide Gregoriū Nazianzenū in oratione ad Heronem philosophum, in qua seruat hæc præcepta. Extat & oratio funebris Isocratis, Euagoras inscripta, in qua diligenter obseruat quæ hic præcipiuntur. Quintil. lib. 2. ca. 1. Si rhetor prima officia operis sui non recusat, à narrationibus statim & laudandi uituperandiq; opusculis cura eius desideratur. Idem lib. 2. cap. 4. Omisit hic interpres uersus aliquot, quos ita reddidit Ioannes Cataueus: Græce ἐγκώμιον appellata, eo quòd ἐν κώμαις, id est, in uijs antiquitus canebant. Nam antiqui κώμας angiportus dicebant, differt ab hymno & epæno, quòd hymnus deorum sit: Encomium autem mortalium, & quoniā epænus uerbis paucis fiat, Encomium autem secundum rhetoricæ artem proferatur. Bona alicuius enumerans.) Gellius lib. 10. & 9. ca. 3. Cic. 3. ad Herenniū. Idem in calce secundi libri de oratore. Quint. li. 3. ca. 9 Trapezontius lib. 4. rhetoricorum. Rodol. Agricola lib. 2. de inuent. dialect. cap. 17. Et idem lib. 3. cap. 9. Exemplum laudis est apud Titum Liuium lib. 9. de bello Macedonico & Asiatico, ubi laudat Martium Portium Catonem. Laudandæ uerò sunt personæ.) Sic Helenam laudat Isocrates à genere, forma, &c. Sic Cicero pro lege Manilia, Pompeij laudes celebrat. Apud eundem in calce lib. 2. de oratore recēsentur laudanda laudandiq; ratio, genus, fortuna, uires, opes, diuitiæ cæteraq; quæ fortuna suppeditat. Vide Plin. lib. 7. cap. 25. Res, ut iustitia, aut temperantia.) Hieronymus ad Oceanum in epistola cuius initiū: Nunquam fili: Reddamus (inquit) quod paulò antè promisimus, & è schola rhetorum, aquarum laudes, & baptismi prædicemus. Cicero in oratione pro Roscio Amernio, & in Catone maiore, habet laudes agriculturæ. Plinius terram laudat lib. 2. cap. 65. Et Cicero pro Archia poëta studia laudat humanitatis. Encomium Italiæ legere est apud Verg. lib. Geor. 2. Apud Ioannem Chrysostomum aduersus Gentiles in demonstratione quod Christus sit Deus, insigne Crucis encomium uidere est, quo nihil eruditius reperias. Ratione carentia animalia.) Sic Plinius Lusciniam, sic Vergilius 4. Georgicon apes copiosissime laudat. Sic psittacum Ouid. 2. elegiarum libro deplorat ac laudat. Idem quoq; facit Statius ad Meliorem lib. 2. Syluarum. Plaatæ.) Vide Homerum odyss. 10. de moly, & Plinium li. 25 cap. 4. Vt equus.) De equorum laude multa legere est apud Plinium li. 8. cap. 24.

Herbæ.) Plinius lib. 21. cap. 6. Sic apud Græcos Polion herbam inclytam, Musæi & Hesiodi laudibus ad omnia utilem prædicari cōstat, super cætera ad famam etiam dignitatis prorsus miram: si modo (ut tradunt) folia eius mane candida, meridie purpurea, sole occidente cœrulea aspiciuntur. Sic Nepenthes herba ab Homero prædicatur, quòd addita poculis, omnem conuiuij tristitiam discutiat: sic moly, sic lotos. Plinius lib. 25. cap. 4. Laudatissima herbarum est, Homero teste, quam uocari ab dijs putant moly. Idem lib. 7. cap. 29. Laus personarum est apud Thucydidem lib. 2. in oratione funebri Periclis, apud Demosthenem in funebri, apud Isocratem in Euagora et Helena. Personæ.) Homerus Iliados γ. hoc carmine & Agamenonis laudē expressit, & Alexandri uirtutem est uaticinatus: ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχ-

μητής

μητής, id est, Dux bonus, ac miles præpollens uiribus idem. Priamus apud Homerum Iliad γ. Agamẽnonis formam laudat ad hunc modum: ὅστις ὅδ' ἐστὶν Ἀχαιὸς ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε, ἤτοι μὲν κεφαλῇ καὶ μείζονες ἄλλοι ἔασιν καλὸν δ' οὕτω ἐγὼν οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν οὐδ' οὕτω γεραρόν, βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικεν, id est, Erasmo interprete, in adagio: Quid Achiuos è turre iudicatis? Ille quis est cedo, Graius homo, magnusq́ bonusq́? Sunt alij hunc, fateor, superantes uertice plures, Verum æquè pulchrum memini me cernere nunquam, Nec reuerendũ æque: regem præferre uidetur. Maiores & patres.) Iliad. 14. Diomedes nescio quid persuasurus principibus, primum recenset natalitium splendorem, uirosq́ strennuos unde duxerit originem, ac mox subiungit: Hæc ut uera sunt, ita mihi commemoranda, & uobis audienda fuerũt, ne uos existimetis humilibus me ortum esse natalibus, néue degenerasse credentes, nostram contemneretis adhortationem. Quas diuides in ea quæ sunt animi.) Quintilianus: Aliâs ætatis gradus gestarumq́ rerum ordinem sequi speciosus fuit, ut in primis annis laudaretur indoles, tum disciplinæ, post hoc operum, id est, factorum dictorumq́ contextus. Fortunæ bona.) Cicero in calce libri de inuentione secundi: Sin distributius tractare quis uolet, partiatur in animum & corpus, & extrarias res licebit: animi est uirtus: Corporis ualetudo, dignitas, uires, uelocitas. Extraneæ res sunt, honos, pecunia, affinitas, genus, amici, patria, potentia, & cętera quæ simili esse in genere intelligentur. Terentius in Heauton. Quid reliqui est quin habet quæ quidem in homine dicuntur bona, parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias. Proœmium pro qualitate rei pones.) Docet id artificij Rodolphus Agric. li. de inuen. dialect. ca. 24. Idem in calce capitis 12. lib. 2. Et lib. 3. cap 13. Et Philip. Melanc. li. rheto. 1. cap. de genere demonstratiuo. Quod diuiditur in gentem patriam.) Quint. li. 5. cap. 10. omnia ista explicat, & quidem effusissime. Cicero ad Herennium lib. 3. Georgius Trapezontius lib. rhetoricorum 3. Laudum omnium caput.) Translatio est. Quo modo dicimus caput malorum, caput factionis, & caput est artis decere quod facias. Cicero in Bruto: Caput autem est hoc, quod te diligentissime percipere & meminisse uelim. Vt quæ fortitudinis sunt, & quæ prudentiæ.) Lege D. Augustinum de ciuitate Dei lib. 4. cap. 9. Vbi maximas D. Pauli laudes celebrat. Rodol. Agri. lib. 3. ca. 12 Non sunt alia proprij hominis quàm animi & corporis bona. Nam fortunæ bona, sola dicuntur, istis subseruiunt. Fortunæ potentiam.) Cicero lib. de oratore 2. Qui laudabit quempiam, intelliget exponenda sibi esse fortunæ bona, quia sunt generis, pecuniæ, propinquorum, amicorum, opum, ualetudinis, formæ, uirium, ingenij, cæterarumq́ rerum quę sunt aut corporis, aut extraneæ. Si habuerit, bene his usum: si nõ habuerit, sapienter caruisse: si amiserit, moderate tulisse. Deinde quid sapienter is quẽ laudas, quid liberaliter, quid fortiter, quid iuste, quid magnifice, quid pie, quid grate, quid humaniter, quid deniq́ cũ aliqua uirtute aut fecerit, aut tulerit. Hæc & quæ sint eius generis, facile uidebit qui uelit laudare quempiam, & qui uituperare, contraria.

Qua id quod laudatur, alteri collatum tollatur.) Rodol. Agrico. li. 3. cap. item 3. Aperta uero comparatione res crescunt, quotiens alijs quibus eas præferimus adhibentur, & earum collatione magnitudo ipsarum colligitur. Id quod probat exemplo ex oratione pro M. Marcello desumpto, Erasmus in opere de conscribendis epistolis cap. de amplificatione, sub finem. Vergilius Aeneæ laudes, ex amplificata Turni uirtute, adauget. Sic itidem Apostolus in posteriore ad Corinthios epistola ca. 3. præfert functionem euangelicam Mosaicæ, & nouum testamentum ueteri, laudat quidẽ uetus, sed ut nihil ad nouum. Qui precationi similior sit.) Finienda autem laudatio est peroratione, quæ ostendat nostram in dicendo mediocritatem imparem esse susceptæ rei laudibus. Habet autem peroratio enumerationem & affectum, quo ut in lætis monemus ad congratulandum: ita in tristibus uel consolamur, uel mouemus commiserationem, aliorumq́ comprecamur clementiam. Vide Ciceronem in rhetoricis lib. 2. sub calcem.

EXEM-

EXEMPLVM.


Igni sunt quos laudibus prosequamur, qui utilia uitæ inuenerunt, Procemiũ. atq; quorum industria pulcherrima rerum facta sunt locupletiora, & inuenta honesta illorum ingenijs accepta referri par est, qui ea in lucem protulerunt. Merito ergo Thucydides oratione mihi celebrandus est, qui ipsius plurimum attulit ornamentis. Omnes enim de ulla humanarum rerum parte bene meritos æquum est uenerari: Thucydidem uero eô magis, quòd pulcherrimo omnium illustrãdo curam suam impendit. Neq; enim quicquam eloquentia pulchrius. Neq; Thucydide quenquam bene dicendi gloria præstantiorem inuenire est. * Nactus autem Thucydides eam est patriam, quæ & uitam pariter sibi & eruditionem præberet. Neq; enim alio in loco natus est, quàm unde omnis benedicendi ratio profluxit: originemq; uitæ sortitus Athenis, * reges generis habuit sui authores. Itaq; ab ultima protinus origine, clariore maior fortuna est illustratus. Vtraq; ergo habens, & generis amplitudinem, & ciuitatis statum popularem, quo clarior utrinq; fieret, est ab utroq; adiutus. Ne enim ad iniustas opes, potentiamq; delaberetur, æqualitate legum prohibitus est: neúe in obscura reliquæ plebis uilitate delitesceret, felicitate generis est consequutus. * Talibus igitur procreatus, in republica interq; leges educatur, quæ certe optimas esse uitæ magistras, in confesso est. Inter leges autem armaq; uiuere instituens, eruditioni simul atq; rei militari operam dare decreuit: neq; studia armis deserens, neque arma (ut præcipuam prudentiæ partem) relinquens: unoq; conatu duarum diuersarumq; artium curam habebat, coniungens ingenio pariter ea quæ natura sunt separata. * Vt tandem ad uirile peruenit robur, occasionem quæsiuit proferendis eis, quæ pulchre fuerat in ætate meditatus. Nec defuit casus, bellumq; protinus est ortum, ipseq; res ab uniuersa gestas Græcia, literis complexus posteritati mandauit, conseruator eorum & uelut restaurator, quæ bellorum deleuit iniuria. Nec passus est quod quisq; gessit, temporum situ aboleri. Ex ipso ergo cognoscitur, captam esse Platæam, scitur Atticam esse uastatam, tenetur Atheniensium classibus Peloponnesi oras esse nauigatas. Certatum est nauali pugna apud Naupactũ: non est nos Thucydides id passus latere. Lesbus ab Atheniẽsibus est capta, id quoq; ab ipso indicatur. Cum Ambraciotis pugnatum est, hoc & ne diuturnitas aboleret, effecit. Iudicium Lacedæmoniorum non ignoratur. Sphacteria & Pilus ingentes Atheniensium labores nõ latent. Concionantur Corcyræi Athenis, Corinthij ipsis contradicunt. Aeginates accusaturi, Lacedæmona proficiscũtur.

*Patria.

*Maiores

*Educatio

*Res gestæ.

Iam uero à belli consilio Lacedæmonios Archidamus absterrens, contra Sthenelaides ad bellum suscipiendum impellens. Ad hæc Pericles legationem Laconicam contemnens, neq; passus deficere animo propter pestilentiam Athenienses. Cuncta hæc, Thucydidis opera ingenioq; in omne æuum ab obliuione uindicantur. Comparatio. * *Quis autem Herodotum ipsi comparauerit? Ille enim ad uoluptatem legentium scripsit, hic omnia ex rebus ipsis atque ueritate deprompsit. Quanto uero quod ad alienam fit gratiam, infra id est quod fit ad ueritatem, tanto post se Thucydides Herodotum relinquit.* Epilogus * *Erant alia quoq; permulta, quæ de Thucydide dicerentur, nisi quo minus omnia diceremus, laudum suarum nobis obstaret multitudo.*

IN EXEMPLVM PRIVS.

QVi ipsius plurimum attulit.) Cicero in oratore perfecto: Thucydides cum doceret eos, qui partim in dicendo, partim in scribendo principes extiterunt, domus eius officina habita est eloquentiæ. Idem li. de oratore 2. Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile uincit, quia ita creber est rerum frequentia, ut uerborum prope numerum, sententiarum numero consequatur: Ita porrò uerbis aptus, & pressus, ut nescias utrum res oratione, an uerba sententijs illustrentur. Quod à Luciano de Demosthene proditum est: id de Thucidide quoq; non prorsus inepte posset accommodari, ut dicatur eloquentiam quum ante se uelut mortua & machinis propulsa esset, uiuam & suis uiribus nobilem reddidisse. Neq; enim quicquã eloquentia pulchrius.) Cicero in principio lib. 1. de oratore: Quid enim est aut tam admirabile. & quæ sequuntur. Idem lib. 2. de natura deorum: Iam uero domina rerũ eloquendi uis, &c. Quintil. lib. 1. in calce ultimi cap. Idem lib. 2. cap. 10. & 7. Et idem lib. 1. cap. 11 in fine. Apud Ciceronem sic Antonius: Tanta oblectatio est in ipsa facultate, &c. Rodol. in oratione dicta in studiorum ad hyemem innouatione. Valerius lib. 8. cap. 9. Gloria præstantiorem.) Per calami lapsum omisit hic interpres ἐστὶν εὑρεῖν, id est, inuenire est: proinde à nobis additum. Nactus autem Thucydides eam est patriam.) D. Hieronymus ad Marcellam, in epistola cuius initium, Mensurã charitas non habet: Certe etiam si præclarus orator repræhendendum nescio quem putet, quòd literas Græcas non Athenis, sed Lileæ: Latinas non Romæ, sed in Sicilia didicerat, quòd uidelicet unaquęq; prouincia habeat aliquid propriũ, quod alia æque habere non possit. Vnde omnis benedicendi ratio profluxit.) Cicero in Bruto: Studium autem eloquentiæ non erat commune Græciæ, sed proprium Athenarum. Cicero de claris oratoribus: Magni interest, quos quisq; audiat quotidie domi, quibus cũ loquatur à puero, quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur. Ab ultima protinus origine.) Rod. Agr. li. 3. ca. 8. Conuertimus tamen interim, & ab infimo ordinem ducimus, primumq; nõ quod optimum, sed quod uilissimum, facimus. & quæ sequuntur. Vltimum interim est nouissimum, interim primum. Verg. Tu sanguinis ultimus autor. In ordine duplex quoq; potest esse ratio, primũ atq; in gradu. Si enim ab imo inceperimus, summum uocabitur ultimum. Sin cõtrà à summo, quod imum est, uocabitur ultimum. Scribit etiam Seruius in Vergilium 9. Aeneidos libro, id quod ab hac loquendi phrasi non prorsus alienum est, nempe ea quæ sinistra nobis uidentur intuentibus cœlum, illic dextra esse, sic opinor esse inter primum & ultimũ.

Eruditioni simul atq; rei militari operam dare.) Hunc ad modum instituebantur olim honesto loco nati. Cicero in 3. de oratore: Nam uetus illa quidem doctrina eadem

dem uidetur & recte faciendi, & benedicendi magistra. Neq; enim disiuncti doctores, sed iidem erant uiuendi praeceptores atq; dicendi, ut ille apud Homerum Phoenix, qui se à Peleo patre Achilli iuueni comitem esse datum dicit ad bellũ, ut illũ efficeret oratorem uerborum, actoremq; rerum. Fabius lib. 2. cap. 3. Sit ergo iam eloquẽtia, quàm moribus praestantissimus, qui ad Phoenicis Homerici exemplum dicere ac facere doceat. Idem lib. 2. cap. 18. & 22. Idem lib. 11. cap. 1. Ne enim ad iniustas opes, potentiamq;.) Id ita reddidit Petrus Mosellanus uir pius ac doctus: Dum neq; iniuria cuiusquam aequato ciuium iure copias amplas habet, & popularium ferè tenuitatẽ generis sui opibus ditat. Ab utroq; adiutus.) Cicero de claris oratoribus: Pacis est comes, ocijq; socia, etiam benè constitutae ciuitatis quasi alumna quaedam eloquentia. Ad quod alludit & D. Hieronymus: Quibus fere nihil mihi solet cum literis cõuenire. Est enim alumna pacis eloquentia, laetis ac tranquillis rebus efflorescit. Inter leges autem armaq; uiuere instituens.) Testatur hoc Thucydides ipse de sese li 4. belli Peloponesiaci. Quint. lib. 5. ca. ultimo. Nisi forte existimamus Ciceronem haec male in ipsa argumentatione dixisse: Silere leges inter arma, & gladium nobis interim ab ipsis porrigi legibus. Res ab uniuersa gestas Graecia.) Cicero in oratore ad Brutum: Thucydides autem res gestas, & bella narrat, & praelia grauiter sanè & probe, sed nihil ab eo transferri potest ad forensium usum & publicum. Ipsae illae conciones, ita multas habent obscuras abditasq; sententias, ut uix intelligãtur, quod est in oratione ciuili uitium uel maximum. Posteritati mandauit.) Libris octo, quos reliquit de bello Peloponẽsium pariter & Atheniensium, è quibus mutuari licebit, si singula quae hic referũtur, retractatius uoles explicare. Profuerit itidẽ diligenter Isocratis orationẽ euoluisse, quae inscribitur Panegyricus. Et uelut restaurator quae bellorũ.) Cic. li. de orato. 2. Historia uerò testis temporũ, lux ueritatis, uita memoriȩ, magistra uitȩ, nuncia ueritatis, qua uoce alia nisi oratoris immortalitate cõmẽdatur? Lucianus de ratione cõscribẽdae historiae. Fab. li. 9. ca. ulti. Angelus Politianus praefatione in Suetonij expositionẽ. Maximus Tirius sermone 12. Rod. Agri. li. 2. de inuent. dialect. cap. 22. Neq; passus est quod quisq;.) Thucydides cum exularet, belli Peloponesiaci historiam scripsit, propter hoc Lacedaemonijs plurimum gratificatus est, Atheniensium autem tyrannidem & auaritiam accusare, quum alia contra eos scribendi nõ praestaretur oportunitas. Captam esse Plataeam.) Thucydides lib. 2. & 3. belli Pelopo. Isocrates in Plataico. Atticam esse uastatam.) In ipso statim exordio lib. 4. & libri primi. Atticã ingressi, Eleusinam usq; populati sunt duce Phistoanacte.

Peloponessi oras esse nauigatas.) Libro 2. Nauali pugna.) Vide librum Thucydidis primum. Lesbus ab Atheniensibus. lib. 3. Cum Ambraciotis.) Aldus legit πρὸς τοὺς ἀμπρακιώτας. Suidas per C. Historia est lib. 2. Iudicium Lacedaemonicũ.) Desiderantur haec omnia sequentia apud Petrum Mosellanum: Huius iudicij meminit lib. 4. simul & quinto. Phacteria & Pylus.) Vtriusq; fit mentio lib. 4. Corcyrrij Atheniensis.) Et hoc est libro primo. Aeginates.) lib. 4. Archidamas absterrens.) Lib. primo & secundo. Sthenelaides.) Huius apud Lacedaemonios oratio est libro primo. Pericles.) Libro primo & secundo. Propter pestilentiam.) Quam mira hypotyposi ob oculos ponit lib. secundo. Ille enim ad uoluptatem legentium.) Herodotus cõscripsit libros historiarum, sed qui plus fabularum, quàm uerae historiae contineant. Rodol. Agrico. lib. 2. cap. 22. Si non aliunde paratum sit, quo possit uanitas scribentis coargui, quale Herodoti nonnullis, & aliorum quoq; scriptorum qui indulserũt ingenijs suis, contigit. Cognoscitur, scitur, tenetur, indicatur.) Ostentat copiã per synonymiã. Encomion D. Ioãni Chryso. Quũ optimi quiq; uiri plurimũ laudandi sunt, tum ij potissimum qui uirtutes eruditione, eruditionẽ uirtutibus decorarunt, quorũ uel alterũ omni laude superius est. Caeterũ quũ D. ille Ioãnes Chryso. lõge horũ princeps sit, tantò nimirũ prae ipsis maiori prosequẽdus est laude, quantò ipsi prae caeteris. De quo studiose uos moneo, diligenter ut auscultetis, quan-

do id & eximia illius meretur præstantia, & uestra postulat utilitas. Natus est autem Antiochiæ celebri cum primis urbe quondam & copiosa, atq; eruditissimis hominibus liberalissimisq; studijs affluenti, adeoq; Christiana, ut ex ea Christianum nomen in uniuersum orbem sparsum sit. Neque defuit illi genus, clarissimis imaginibus illustre opibusq; florens. Parentes sortitus est Christianos omnijugis uirtutibus apprime cumulatos. Ita factum est ut à puero uirtuti assuefactus fuerit, & à diuitijs ad optima quæque adiutus. Educatus est in bonis artibus, quæ quædam in prima ætate præ cæteris curæ omnibus esse debent. At ubi iam excessit ex ephœbis, liberiusq; uiuendi fuit potestas, non quod pleriq; omnes faciunt adolescentuli, ocio transegit tempus, pulcherrimum dei immortalis munus, multò minus lasciuia, obscœnis fabulis, alijsq; hoc genus uitijs: sed studio cupide sese addixit, relictis ethnicorum scriptorum nænijs, diuinas amplexus literas, meditans in lege domini diu noctuq;, uiuendi, non disputandi causa, ut nunc plerique: sed ita nec sua felicitate contentus, persuasit etiam Theodoro & Maximo condiscipulis olim suis, ut pomposa relicta uita, simplicem se quererentur. Ipse Basilio Cæsareæ postea episcopo uiro, aut heroë potius prorsus diuino, multum usus est. Iam uerò in uirum ætate prouectus, occasionem qua quæ in umbra meditatus erat, in lucem ac hominum prospectum proferret, expectabat, cum subito Zeno episcopus Hierosolymis reuertens, lectorem in ecclesia Antiochena constituit. Quo sic Chrysostomus est usus officio, ut haud ita multò pòst diaconatum promeruerit, ac mox presbyteratum. Scripsit id temporis non paucos suauitate pariter ac utilitate præstantes libros. Vitam uerò egit castimonia sanctimoniaq; non uulgari illa & plebeia, sed singulari atque insignita conspicuam. Quid hic singulatim innumeras uiri uirtutes commemorem, & tempore & ocio exclusus? Illud tamen præterire nec possum nec debeo, unde earum eminentiã omnium perspicere in promptu est, quod Arcadius imperator, ut ciuitatem suam imperij summi sedem, omni decorum & opum genere florentissimam, splendidiorem faceret, Ioannem hunc nostrum Chrysostomum ad episcopij functionem Constantinopolim ab Antiochia usque euocauit. Accepistis quo pacto episcopatum sit assecutus, nunc audite quomodo gesserit. Nihil tamen quicquam de pristina sua uel sanctimonia, uel diligentia remisit: sed auxit etiam, ieiunio, precationi, exhortationi, increpationi, doctrinæ, scriptioni, semper intentus, omnesq; in pulcherrimo opere curas habuit cupiditatesq; defixas. Poterat quidem uel pro annis læte, uel pro opibus dignitateq; molliter, ac delicate, uel pro gratia licenter agere: sed cuncta hæc ex uero æstimãs pro derelictis ire & meliorum desiderio uicta facessere iussit, seq; totũ Deo dedidit. Nusquam ad conuiuium itabat, ne uocatus quidem, ut ne per cuiusquam familiaritatem ab æquo & bono abduceretur. Comis adeũtibus se. Constans in arguendis delictis. Catholicæ fidei assertor indefessus aduersus peruicacissimos hæreticos, qui id temporis impijs suis dogmatis orientem lacerabant, adeò ut ea res grauissimam Augustæ indignationem pariter ac inuidiam illi conciliarit, quæ nec noctu, nec interdiu uirum quiescere passa est, donec efficeret, ut in exilium ultra Cappadocas deportaretur, atque hinc rursum aliò, ita ut tandem inhumanitate satellitum & intollerabili solis æstu in uia decesserit, uir dignus qui nunquam moreretur, nisi tales maneret cœlestis illa immortalitas, quæ illi non contingere non potuit, qui sic à pueris DEO adhæsit, qui tanta innocentia lubricam transegit ætatem, qui tam sedulo Dei honori animarumq; lucro in reliqua uita sua studuit, qui ita denique pro uera fide morti occubuit.

EXEM-

EXEMPLVM.


Apientiã adipisci felicitatis est. Laudare aũt pro dignitate ipsam, maius est quàm ut nostris id uiribus assequi poßimus. Tantum enim illi superat gloriæ, ut commune quoddam deorum immortalium bonum esse credatur. Quum enim deorum unusquisq; uelut descriptam officij sui tueatur partem, Iuno nuptijs præsit, bellis Mars cum Pallade, Vulcanus inter ignes fabriles suas exerceat partes, ducat nauigantes Neptunus, & quisque alius aliud sibi uendicet, sapientiam in commune sibi asserunt omnes: præcipue uero præ omnibus Iupiter, quanto reliquis maior est, tanto omnium quoque sapientißimus æstimatur: Vnaq; sapientia est, quæ uel maxime æternam Ioui præstat potestatem. Et di quidem natiuam ipsam cognatamq; sibi habent, munere autem ipsorum in terras quoq; delata est: & deorum filij, hominum ipsam generi intulerũt. Quamobrem merito laude prosequẽdi mihi uidentur poëtæ, qui Palamedem Nestoraq;, et si quis alius sapiens olim fuisse canitur, deorum fuisse filios tradiderũt. Non quidem illi uano commento deorum naturam uelut permutare conati, quam ne di quidem ipsi permutare possent, sed generis permixtione communicationem indicantes uirtutis: ut qui diuina quadam cæteris admiratione præstarent, deorũ filij crederentur. Nec immerito illorum in deos referebant genus, quorum sapientia maior quàm humana, originem uidebatur affirmare diuinam. Sola autem ipsa utroq; rerũ statu, æquas habet uires. Nã reliquarũ rerũ alia bello solũ probatur, alia laudamus in pace. Sapiẽtia uero præcipua est utriusq; tẽporis moderatrix. Sic in bello uersatur, tanq̃ prorsus artiũ pacis ignara: sic pacẽ cõtinet, tãq̃ nunq̃ agitata strepitu bellorũ. Deniq;, tã apte utriq; sese accõmodat, ut ĩ utro horũ æstimes, ei soli uideatur esse dicata. Fert pacis tẽporibus leges, & omni trãquillitatis utitur more, in bello uero uictoriã præbet. Neq; armis solũ superiorẽ facit, sed in concionibus quoq; præstat inuictum. Itaq; & inter bellantes, et inter pacatos sola præcellit, primasq; sibi uendicat sapientia. Sola quoque diuinitatis proxime exprimit similitudinem. Sola enim uelut deus futura prospicit. Quin ipsa quoq; terrã agricolis attribuit, nauigantibus aßignauit mare: adeo non fruges colligere sine sapientia, non nauem nisi sapientis gubernatoris præsidio freti, ascendere auderemus. Itaq; quicquid exhibet mare, quicquid hominum usibus terra profert, merito sapientiæ munus cuncta censentur. Ne cœlum quidem, etsi quid secretius in ipso latet, dimisit in occulto, quantum solis se porrigit ambitus, quod spatium stellarum unaquæq; circunscribit, ipsa peruestigauit. Despexit intra terras etiam: & quo pacto

Proœmiũ.

Genus.

uita defuncti agemus, ipsa nobis aperuit. Troiam quam capere temporis diuturnitas non potuit, sapientiæ actus subegit: & omnem Persarum potentiam, unius * Cyri consilium parauit. Cyclopis oculus erutus est prudenti Vlyßis inuento. Sicq; quicquid est quo quisquam uincat, ab ipsa sapientia deriuat. Quis ergo ipsi fortitudinem comparasse uelit, quum quicquid uiribus fieri poßit, ipsa etiam sapientia præstet? Adeoq; si ipsam fortitudini ademeris, per se fortitudo culpanda uideatur. Erantq; & multa alia quæ de sapientia dicerentur, nisi maiora essent, quàm quæ possent modica oratione complecti.

Cōpara-

IN POSTERIVS EXEMPLVM.

Sapientiam adipisci felicitatis est.) Lege Salomonis orationem pro impetranda sapientia: Sapientię nono. & 3. Regum cap. item 3. Huc refer illud Isocraticum, σοφία γὰρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον, id est, Sola enim rerũ omnium immortalis est sapientia. Et Ciceronianum illud libro epistolarum ad Atticum tertio οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντ᾽ εἰδέναι, id est, Nihil dulcius quàm quiduis nosse. Exempla laudis, sapientiæ (si forte desideres) suppeditabit. Cicero de finibus libr. quinto. Quintilianus libro primo capite ultimo. Idem libro duodecimo capite ultimo. Desid. Erasmus in opere de cōscribēdis epistolis cap. quomodo proponēda materia. Guilielmus Budæus in annotationibus in pandectas. Et de asse. Laudare eam.) Prouerbiorũ tertio, & octauo. Sapientiæ septimo & decimo. Ecclesiastici tertio & quarto & uigesimoquarto & trigesimo. Iob uigesimooctauo: Sapiētia uero ubi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter uiuentium. Superat.) Non quitum est cognosci ex autographo, supererat ne an superat scriptum esset. Superesse pro abundare, uel abunde esse, nonnunquam capitur. Vergilius: Auxilioq; urbes Italæ populiq; supersunt. Aulus uero Gellius primi libri cap. uigesimosecundo annotauit quæ sit huius uocis obseruatio elegantiaq;. Vergilius libro Aeneid. duodecimo utitur pro est. Vidi oculos ante ipse meos, me uoce uocantem Murranum, quo non superat mihi carior alter. Ibidem: Aut quid iam miseræ superat mihi. Græce est περίεστι, id quod præter alia significat & superest. Descriptam officij sui tueatur partem.) Apud Homerum Iliados π per treis Saturni filios cũcta sunt distributa. Neptunus quidem sortitus est incanum habitare mare: Pluto autem tenebras caliginosas: Iupiter uero cœlum. Aequor enim incanum Neptuno obuenit, & ipsas ditis habet tenebras: at cœlum Iupiter altum. Vide Maximũ Tyrium sermone decimosexto.

Et di quidem natiuam ipsam.) Rodolphus Agricola commentario in secundã Senecæ declamationē, rationem reddit, quur di uno i scribendũ est, non duobus, quemadmodum uulgo scribitur. Munere autem ipsorum in terras.) Plato in Protagora. Cicero in procemio libri 1. de inuētione. Vide Adagium κοινὸς ὁ ἑρμῆς, id est, communis Mercurius. Palæmedem.) Is à gruibus, quę uolando miros seruant ordines, ordinem aciei, & aliquot literarũ figuras edidicit, quarum meminit Plinius libro sept. naturalis historiæ cap. 56. Nestor atq;.) Nestorem semper Agamēnon sibi adhibuit consulem. Huic Homerus plusquàm melleam quandam facundiã affingit, sic enim ait in Iliados α: τοῖσι δὲ νέστωρ

ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λιγὺς πυλίων ἀγορητὴς:
τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν.

Id est, Post hos assurgit Pyleus dux ille disertus Nestor, cuius ab ore fluit uox melle liquenti dulcior. Cicero de senectute: Dux Græciæ non optat ut Aiaces similes decem

habeat,

habeat, at ut Nestores quinq;. Quod si acciderit, non dubitat quin breui Troia sit peritura. Non quidem illi uano commento.) Sic uanum capitur & Sapientiæ 13. Vani sunt hoīes oēs in quibus non subest scientia dei. Et apud Vergilium in 2. Aeneid. Vanum etiam mēdacemq; improba finget. Deorum naturam uelut permutare conati.) Græca sic fortasse reddi possent: Non illis deorum naturam attribuētes, ita esse reuera di fuissent, & communione generis commune in sese bonum declarassent, sed quatenus id bonum sibi accersiuerunt, deorum filij existimati sunt. Sapientia uero præcipua est utriusq;.) Cicero Tuscula. quæst. libro quarto: Ergo is quisquis est, &c. Idem libro Tuscula. quæst. quinto: Sapientis est enim proprium, &c. Plato in Menæchmo. Seneca libr. decimoquarto epist. epistola 89. Horatius libro quinto carminum ode 3. Si fractus illabatur orbis, Impauidum ferient ruinæ. Idem libro secundo ser. satyra 7. Lactantius libro quinto de iustitia capite 14. Diuus Augustinus epistola 52.

Sola quoq;.) Anaphora, siue repetitio est. Diuinitatis proxime exprimit.) Qua de re copiosius nos instruit σοφία σολομῶντος, καὶ ἐκκλησιαστικός cap. 24. Quantum solis se porrigit ambitus.) Ingens inter primæ classis astrologos ab initio semper extitit dubitatio, quanto tēporis spatio sol duodecim zodiaci signa percurrens, unde profectus est, rediret, & quantum solis, &cæt. Sunt qui scribunt spacium solis esse ccclx. partium siue graduum. Sapientiæ astus.) Respexit ad molem immanis equi, dolisq; & arte Pelasga in Troiam adducti. Et omnem Persarum potentiam.) Ioannes Catauius Maria hoc totum omisit. Rodolphus autem Agricola uidetur legisse κυροῦ. In eo quod mihi contigit uidere exemplari est, καὶ περσῶν ὅλην διέλυσεν δύναμιν δι' ἑνὸς κηρύσσα βουλεύματος, id est, Et unius adepta consilium omnem Persarum potentiam superauit, siue dissoluit, ut forte referatur ad Alexandrum, quem Plutarchus in uita ipsius refert Persas in fugam uertisse. Nam Cyrus Mœdis regnū ademit, & Persis constituit. Idem & Iudæis omnia restituit. 1. Esdræ 4. Suspicor hic subesse mendū, etiamsi ad hunc modum constanter habent exemplaria. Fere tale est quod apud Galenum in exhortatione ad bonas artes legitur: An Græcorum remp. seruare potuisse id tēporis, quum aduersus barbaros bellum gerebant, Milonis uis quam in tauro gestando declarauit, potius quàm Themistoclis sapientia? qui primum recto iudicio deprehendit sententiam oraculi, deinde bellum quemadmodum oportebat, gessit. Vnicum enim consilium prudens multas superat manus. Cæterum inscitia cum armis peior est quouis malo. Confine est superiori Aphthonij sententiæ illud Prouerbiorum tertio: Deus sapientia fundauit terram, & condidit cœlum intelligentia, & scientia eius abyssi deriuantur, & nubes rorē pluunt. Ciclopis oculus.) De oculo Ciclopis eruto fabulatur Homerus Odysseę libro nono.

VITVPERATIO. IX.



Ituperatio est oratio, quæ mala alicui insunt complectens. Differt autē à loco communi uituperatio, quòd locus communis pœnas exposcit, uituperatio uero solum habet uelut nudum conuitium. Diuiditur autem in eadem capita quibus laus, possuntq; uituperari eadem omnia, quæ & laudari: personæ, res, tempora, loci, bruta animalia atq; plantæ. Vituperamus uero & communiter & singulatim. Vbi uero prooemium feceris, adiunges genus: quod diuides eādem qua in laude ratione: deinde educatiōem & res gestas, & cōparationem & epilogum ita facies, quemadmodum in laude. Diuisio uituperationis.

Excm

IN VITVPERATIONEM.

VItuperatio, est oratio.) Quintilianus libro 2. cap. 4. Aristoteles in præceptis ciuilibus cap. de laudandi uituperandiq; speciebus. Idem ad eundem in eisdem de genere demonstratiuo. Rodolphus Agricola libr. de inuentione dialect. 3. cap. 12. Solum habet uelut nudum cōuicium.) Vtimur hoc artificio quoties aut aduersarios perstringimus, aut mores publicos, aut priuatos notamus. Vt Isocrates in oratione aduersus Sophistas. Vt Liuius in oratione Por. Catonis contra luxuriam mulier. decad. 4. lib. quar. Et contra bacchanalia lib. nono decad. 4. Secūda Cicerōis Philippica accommodatissima est uituperationi, ut in qua plenis (quod aiunt) uelis inuehitur in M. Antonium. Idem in Verrem. Idem in oratiōe post reditū in senatu. Idem in Lucium Pisonem, cui grauissima in senatu obijcit crimina, omniq; eum gñe uituperatiōis proscindit. Homerus Iliados 2. Chrysostomus homelia in Ge. 18. multis conuicijs debacchatur in Cain. Vituperatur ingeniosissime iuxta ac copiosissime Cain à diuo Hieronymo in consolatione ad uirginem in exilium missam. Diuus Hieronymus in epistola cuius initium: Samuel quondam, in qua grauiter obiurgat Sabinianum diaconum impostorem: apparet hoc quoque thema declamatoria ratione tractatum ab Hieronyno.

EXEMPLVM.

[Proœmiū] *NEque uirtutem merita laude frustrari rectum est, neq; itidem sine reprehensiōe dedecora relinqui. Quoniam si non ita fiat, id quod præcipuum est amborum præmium, utriq; aufertur. Laudandis quidem gloria recte factorum, uituperandus uero scelerū turpitudo. Omneis autem male audire æquum est, qui malos sese præbuerunt. Tanto magis uero omnibus* Philippum, *quòd omnes improbos longe omni scelere superauit.* * *Natus enim est ex ea gente, quæ pessima est omnium barbarorum, & quæ nō certis consistere sedibus potuerit propter ignauiam: sed coacta sit locum è loco permutans, uarijs errorlbus iactari. Argiui enim primum ipsos finibus exturbauerunt. Hinc diu uagi, ad eā tandē quā nūc incolūt regionē, perlati sunt. Duplice itaq; infelicitate implexi, & q meliorib9 coacti sunt cedere, & q in imbecilliores, uiolenti iniustiq; fuerūt, nunq tuto habitare aut uacui metu agere potuerūt.* * *Hac ex gēte natus, uiliore adhuc pro modo ortus est urbe. Vt enim ultimi barbarorū sunt Macedones: ita Pella Macedoniæ urbs est postrema. Ex qua ne quū mancipia quidē acceperint hoïes, tāti putāt.* * *Hac ergo progenitus patria, maiores habuit patria ipsa lōge magis pudēdos. Philippus enim inter maiores ipsius fuit, propter generis dedecus, quo minus rerū potiretur, prohibitus. Hinc Amyntas pater ipsius, ut regnaret, alienis opibus fuit fulciēdus: expulsum enim Atheniēses reduxerūt. Tali igitur ortus patria, tales sortitus generis autores, apud Thebanos moratus primū obses fuit.* * *Nec quis media in Græcia uersaretur, mores cōuictu mutās ad meliora deflexit, sed*

[…nus.] […tria.] […iores.] […catio.]

xit, sed barbaricam semper impotentiã inter Græcã retinuit institutionẽ. Quumq; sit omne humanum genus in Græcos atq; barbaros diuisum, ipse uelut ex utrisq; commixtus, similem improbitatem in dissimilibus gentibus exercebat. * Orsus ergo primum à cognata gente, ipsam subegit, uelut à perfidia rerum suarum initia auspicatus. Inde & finitimos aggressus populos, perdomuit: captisq; deinde Peonibus, Illyricos est adeptus. Triballorum quoq; gentem inuadens, & quicquid præterea in proximo erat terrarum, omnia uno uelut impetu deuicit. Et corpora quidem barbarorum pugnando cepit, mentes autem cum corporibus nequiuit capere. Verum defectionem meditabantur, quamuis armorum metu seruirent, erantq; liberi animo, licet præsenti terrore premerentur. Subactis ergo finitimis barbaris, continua uia Græcos inuasit. Primumq; ad Thraciam positas urbes occupauit, cepitq; Amphipolim, Pydnam subegit, istisq; Potidæam adiunxit, neq; Pheras extra Pegaseos, neq; Magnessam extra Pheras ducens. Sed cũctæ Thessalorum capiebãtur urbes, & uelut generis mercedem seruitutem ferebant. Dignum sane fuerit, exitum quoque ipsius recensere: postea enim quàm pleraque quæ inuasit oppresserat, subiecerat q; contra fœdera eos, qui fuerant fœderibus deuincti, offensi uiolatis fœderum sacris, di, conuenientem perfidiæ suæ finem dederunt. Neque enim pugnantem atq; in acie, ut testes mortis suæ spectatoresq;, uiros fortes haberet, ipsum occumbere uoluerunt: sed in medijs obruerunt uoluptatibus, conueniens Philippi sceleribus funus exhibentes ipsas uoluptates, quô documentum intemperantiæ illius, uiuo morientiq; præberent. * Quis autem est qui Echetum illi putet posse conferri? Echetus enim præscissis extremis aliquibus corporis membris, reliquum saltem corpus relinquebat. At Philippus totos cum corporibus ipsis homines perimebat. Quantoq; sæuius est totum deleri hominem, quàm partem aliquam auferri, tanto perniciosior est Echeto Philippus. * Desinere autem à sceleribus suis Philippus nesciebat, quum mihi uicto magnitudine scelerũ suorum, necesse sit ut desinam plura de ipsis facere uerba.

* Res gestæ
* Comparatio.
* Epilogus

IN EXEMPLVM.

Natus enim est ex ea gente.) Quò rectius intelligas quæ sequuntur in calcem usque, quantum attineat ad historiæ cognitionem, abunde fecerit satis Paulus Orosius libro tertio, cap. 12. ad 15. caput. Plutarchus in uita Alexandri Magni: Thucydides belli Pelopon. lib. 2. Iustinus lib. 8. & 9. Et quod melioribus coacti sunt cedere.) Petrus Mosellanus id ita uertit: Sic ut illinc melioribus cederent, hinc uerò se etiam peiores, hoc est, pessimos pellerent. Nam quod Argis sunt expulsi, ignauia, quod uerò hic imbecilliores suis sedibus depulêre aliena, rapiendi studio factum est. Vt enim ultimi barbarorum.) χείριστοι, id est, pessimi siue abiectissimi: sic enim uertit Petrus Mosellanus, adducens hunc locum ex Aphthonio, in lib. cui indi-

dit titulum de primis apud rhetorem exercitationibus. Non raro fit, ut ab infimo ordinem ducamus, primumque non quod optimum, sed quod utilissimum, faciamus. Sic in magistratibus quæsturam primam, postremam dictaturam, & in metallis plumbum primum, aurum postremum numeramus. Ad hunc modum Rodolphus loquitur li. 3. Sic etiam ne affectus quidem meretur nomen, quisquis est à mentis trãquillitate proximus. Et ibidem quæ quietos magis & propius à tranquillitate distantes. Plinius li. 19. cap. 1. Vltimique hominum existimati Morini. Vrbs est postrema.) Pella ciuitas est in Macedonia, in litore maris Aegei, ut ostendit Herodotus lib. 7. quam Pomponius Mela scribit maxime illustrari alumnis Philippo & Alexandro filio, nam in ea Alexander natus dicitur. Iuuenalis in satyra, Omnibus in terris: Vnus Pelleo iuueni non sufficit orbis. Fuit autem Pella ciuitas nimisquàm exigua. Lucanus in 10. Exiguæ secura fuit prouincia Pellæ. Vrbs est postrema.) πέλλη γάρ τῆς μακεδόνων γῆς τὸ φαυλότατον, hoc est, abiectissima iuxta ac pessima. Ex qua ne mancipia quidem quis acceperint homines, tanti putant.) Videtur nonnihil mendi aspersum & in Græcis quoque, ac (ut mea fert sententia) pro ἐξ ἧς οὐδὲ δουλούμενοι χαίρουσὶ ἄνθρωποι: Forte legendum esse δουλουμένοις, quod ita non incommode fortasse uertas licebit: Ex qua etiam seruos sibi esse grauate admodum ferũt homines. Mosellanus sic extulit: Vt in qua ciuitate ne frugi quidem seruorum ullus sit prouentus. Tanti putant.) Puto δεικτικῶς non prorsus inepte posse accipi, perinde atque cũ dicitur: Ne huius quidem facio, ostenso pilo aut flocco. Philippus inter maiores ipsius.) Is erat huic auus, Philippoque quouis Busiride illaudatiori cognominis. παῦροι γάρ τοι παῖδες ὅμοιοι πατρὶ πέλονται, οἱ πλέονες κακίους παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους. Propter generis dedecus.) Vt qui nothus esset, id quod satis colligitur ex uita Alexandri Magni apud Plutarchum. Plutarchus existimat spurios dictos nothos, quod duabus his literis prænotari soleant, S. P. Hisque significari, sine patre. Vt qui uestes flagellant, corpus non attingunt: sic qui generis uitium aut paupertatem exprobrant, non proprie tangunt ipsum hominem, sed externa calumniantur. Quamuis in media Græcia.) Rodolp. lib. 1. de inuent. dialect. cap. de adiacentibus: Vt pisces in mari nati educatique, nihil tamen sapiunt salis marini: Ita quidam inter barbaros & geniti, & educti, longe absunt ab omni barbarie. Eõdem spectat illud, quod Plato in Timæo refert, sæpe naturas efferatiores reddi διὰ ἀπαίδευτον τροφήν, id est, mala educatione ac uita, & iubet uitiosam naturã refrenare disciplina, doctrina, & honestis exercitijs. Orsus ergo primum à cognata gente.) Celebratur elegans Lacedæmonij dictum, apud quem cum quidam laudibus ueheret Philippum, quod ciuitatem opulentissimam euertisset: Atqui, inquit, non posset talẽ condere. Huiusmodi uoces inscribi deberent principum animis, qui cum ne minimam quidem urbeculam extruant, dij sibi uidentur, quòd urbes & agros perdant. Agesipolis Cleombroti filius, quum quispiam apud ipsum ceu rem magnificam prædicaret, quòd Philippus Macedonum rex intra pauculos dies subuertisset Olynthum: Atqui per deos, inquit, talem ciuitatem longe maiore temporis spacio non extructurus est. Significans multò regalius esse condere urbes, quàm conditas demoliri. Hæc Plutarchus in apophthe. Apud Thebanos moratus.) Græce est apud Athenienses. Barbaricam semper impotentiam.) Impotẽtes ad iram, libidinẽ, luxuriam, reliquaque nec se frenare potentes, sunt barbari omnes. Inter Græcos atque barbaros.) Barbari, ait Festus, olim dicebantur omnes, exceptis Græcis. Strabo barbaros dictos tradit fuisse ab initio, qui difficulter, & duriter loquantur. Postea ad eos tralatum est hoc nomen, qui non essent Latini. Mentes autem cum corporibus.) Quibus planè consona sunt quæ scribit Iacobus Volcardus Bergensis in oratione de usu eloquentiæ. Velut à perfidia.) Misit centum talenta Philippus Atheniensibus, quibus Demosthenes qui Græciæ libertatem cum prudentia sua, tum eloquentia tutatus est, sibi traderetur. Philippus etiam teste Cicerone ad Atticum libro primo epistolarum: Omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modo asellus onustus auro posset ascẽdere.

Sed

Sed in mediis obruerunt uoluptatibus.) Plutarchus in uita Alexandri Magni, nō ita procul ab exordio paulo diuersius ac Iustinus, Philippi interitū recenset. Qui Echetum illi putet.) Fabula est apud Homerum Odyssex lib. 18. in principio statim. Simile ferè quiddam est in arcanis literis Iudicum primo, dixit Adombezech: Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias, sicut feci, ita reddidit mihi Deus.

COMPARATIO. X.



Omparatio est oratio, ex collatione aliquid disquirens, quo id quod comparatur, in maius extollat. Comparantur autem uel bona bonis, uel bona malis, uel mala malis, uel magna paruis, uel parua maioribus: Prorsusq; comparatio duplicem habet uel laudem, uel uituperationem, uel alterutrum ex laude uituperationeq; compositum. Est itaq; totus hic comparationis locus acer in primis, maxime uero parua maioribus conferens. Comparari uero eadem omnia possunt, quæ laudari possunt, quæq; uituperari: personæ, res, tempora, loci, pecora atq; plantæ. Non oportet autem comparantem totas res totis conferre, supinum enim est & nequaquam pugnax, sed capiti caput conferendum, quum diuidere totas, laudis sit mos, non comparationis. Comparatio autem in hoc non est posita, quando totum hoc præexercitamentum comparatio uocatur.

IN COMPARATIONEM.

COmparatio est oratio.) Quintil. 4. ca. 2. li. D. Erasm. in posteriore copię commentario, de contentione demonstratiua. Vide eundem lib. Ecclesiastæ 2. de laudatione per comparationem: Et ibidem sub calcem de comparationibus latius tractatis. Est & generalis quædam contentio præsertim in genere demonstratiuo, quoties laudandi uituperandi'ue gratia, personam cum persona conferimus. Rodolph. Agricola lib. primo de inuentione dialect. ca. 24. Idem lib. 3. de inuentione dialect. cap. item 3. Posuerim itaq; uel inter utilissimas exercitationes Dialecticæ, augendi rationem, cum priores illas, tum hanc postremam ex comparatione. Quando omnis hominum deliberatio, omniaq; consilia ferè inter magis, nimisq; bona iactantur. Neq; quicquam est quod acrius expēdere uim rerum intuerię; doceat, quàm comparatio. Certissimum iudicium ex collatione nascitur. Vide adagium: Purpura iuxta purpuram diiudicanda est. Cicero pro lege Manilia: Summa enim omnia sunt Quirites, sed ea magis ex aliorum contentione, quàm ipsa per se cognosci atq; intelligi possunt. Confert enim Cicero Pompeij uirtutes cum uirtutibus aliorum imperatorum. Nec est aliud quo crebrius aut commodius utimur in amplificādo. Nam quid non crescit aut minuitur, cum alio collatum? Id exemplis aliquot operæpretium fuerit docere. Quintilianus lib 10. cap. 1. comparat Demosthenem & Ciceronem. Homerus Iliad. 13. strennuū militem cum ignauo componit. Verg. 11. comparat Aeneam cū Hectore. Apud Terentiū Heauton. confert Antipho suā amasiam cum Cliniæ: Nam hic Clinia, etsi is suarū rerum satagit, attamen habet bene ac pudice eductā, ignarā artis meretricię. Mea est potēs, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis. Cicero in Bruto Catonem cum Lysia confert. & Catonē retrorsum cū Scipione. Lege compendiū Plutarchi, in quo Aristophanis & Menandri alterius ad alterū ponit cōparationem. Cicero in oratione pro Murena, confert studium Iuris cum militari disciplina. Cicero 1. Philip. confert Tarquinium cum Antonio. Idem 8 Philip. D. Paulus 2. Corin. 3. confert ueterem legē cum noua. De comparatione Hieronymi & Augustini, uide cū

primis eruditam Erasmi epistolam ad Ecclesiā. Chrysost. hom. 82. in Matthæ. ex ca. 26. Vultis igitur in medium dæmoniacis & auaris productis alterum alteri cōparemus? &c. Qua collatione nihil est eruditius. Comparatione Mosis & Heliæ crescet laus uirginitatis. Nuptiæ quidem non malæ, quas honestauit seruator, quas præter alios suscepit Moses ille: sed cœlibatus tantò præstantior, quātò Mose maior Helias. Ille manna è cœlo deduxit, hic ignem. Ille conturnices aduolare fecit: Hic uerbo cœlum clausit, & aperuit cataractas eius. Mosi locutus est Deus, cum Helia conuersatus est. Moses mare diuisit, & traduxit populum: Helias curru igneo in cœlum sublatus est: ille in mari uiator, hic auriga in aëre. Breuiter, ille terrenis miraculis, hic cœlestibus gloriosior. In Adelphis confertur cum aspero, & inclementi patre, urbanus & comis pater. In eadem Comœdia est elegans contentio uitæ urbanæ, & rusticæ. Cōfertur Annibal cū Fabio Maximo, Cato cum Cæsare apud Salustium in bello Catil. Isocrates in oratione funebri, quæ inscribitur Euagoras, cōfert Euagoræ πράξεις, cum aliorum strennue gestis. Cicero lib. Off. 1. uitam publicam & priuatam siue umbraticam inter se confert. Vide Lactantiū li. 7. de diuino præmio cap. 15. Comparat Seneca Romanū imperiū, homini per ætates statū mutanti. Apud D. August. lib. 4. ciuitatis diuinæ ca. 3. est collatio pauperis optime sorte sua secū cōtenti, cū diuite undiq; miseriis differto. Extat Chrysostomi libellus in quo confert uerū monachū cū principibus, diuitibus ac nobilibus huius mundi. Est & uirginis ac martyris comparatio per Eras. Ro. Galenus in exhortatiōe ad bonas artes, cōponit fortunā cū Mercurio. Ex collatione aliquid disquirens.) Rod. Agri. li. de inuen. dialect. 1. ca. de comparatis, & ibidem ca. de similibus. Idem Agri. lib. 2. ca. 4. in medio. Eras. in copia libro secundo nona locupletandi ratione. Quo id quod comparatur in magis extollat.) Homerus Hectoris uirtutem attollit, ut Achillis laus augeatur. Et Vergilius Turnum amplificat, quo crescat Aeneæ uictoris gloria. Cicero pro lege Manilia ideo in tantū belli magnitudinem extulit, ut Pompeii inde uirtus magis pateret. Aristoteles primo rhetorices libro cap. 9. ubi agit de amplificatione. Erasmus in opere de conscribendis epistolis cap. de amplificatione. Rodol. lib. 3. cap. 9. Aperta uerò cōparatione res crescunt, &c. Aristoteles in præceptis ciuilibus ad Alexandrum, capite de genere deliberatiuo & de genere demonstratiuo. Cicero in 3. de oratore circa medium. Comparationis autem duo sunt modi. Eras. Rote. lib. Ecclesiastes tertio: De personis hoc erit exemplum: Omnium iudicio laudatissimus Imperator fuit Traianus, laudatior Antonius philosophus, quorum uirtutes non sint extenuandæ. Nam id est inuidum laudandi genus, quę clara sunt obscurare, ut clarius appareat quod admoueris (q̄d solēt pictores) sed attollendæ potius, tum eū quem ornandū suscepisti, facere illis superiorem. Eras. Ro li. Eccles. 2. Est quædā laudandi ratio per cōparationem, Gręcis q̄ Latinis usitatior. Sic apud Platonē Alcibiades laudat Socratē, cōparans eū Satyris, Marsyæ ac Silenis. Equidē ut fateor cōparationē in encomiis posse incidere, ita mihi uidetur ineptū, si tota oratio constet cōparatione: ut aūt lector intelligat, quid sit per collationē laudare, dabo exemplū, ut si quis Maximilianū Cæsarem laudaturus, cōponat cū uiris aliquot omniū cōsensu summis, puta cū Alexādro Magno, cū Iulio Cæsare, cū Traiano, cū Probo, cū Antonino, ac decerpēs quod in singulis fuit eximiū, ostēdat Maximilianū in omnibus fuisse parem, aut etiā superiorē. Cōparantur aūt uel bona bonis.) Hos cōparandi modos accurate nimirū tradit Aristot. cap. de genere demōstratiuo in præceptis ciuilibus. Vel mala malis.) Aliquoties malos cū malis conferimus, ut collatus cū sceleratioribus, ita demum minus illaudatus uideatur. Velut apud Athenēū Antiphanes cū ἰχθυοπώλας fecisset omniū sceleratissimos, tamen excepit mensarios his quoq; nocentiores. Vel parua maioribus.) Quintilianus lib. 5. cap. 11. Ad exhortationem uerò præcipue ualent imparia, admirabilior in fœmina, quàm in uiro uirtus. Cicero in 2. Tuscula. Hoc pueri possunt, uiri non poterunt? Hieronymus: Proh pudor, fragilior sexus uincit seculum, & robustior superatur à seculo.

culo. Totas res totis conferre.) Tullius lib. ad Herennium quarto: Non enim res tota toti rei necesse est similis sit, sed ad idipsum ad q̃d refertur, similitudinem habeat oportet. Hæc ille. Iam uero quandoquidem παραβολὴν Cicero uertit collationem, & ea Græcis sit similitudinis contentio: paucis obiter, & in transcursu quantum commodum erat, admonendum hoc quoque, in arcanis literis non esse necesse similitudinem aut parabolam quadrare per omnia, ut notũ est in parabolis de nocturno suffossore domus, de pecunia fœneratori debita, de dispensatore iniquo, de uite & palmitibus, de pueris in foro canentibus, & id genus innumeris. Id quod testatur & Erasmus in annotationibus in Matthæum cap. 21. & 24. Et in Paulum ad Romanos capite septimo. Et Diuus Augustinus de ciuitate dei libro 16. capit. 2. Qua de re fusius agitur in libro nuper admodum excuso, cui titulum nuncupaui, Similia sacra.

Sed capiti caput.) Quod genus est, si ita dicas: Magnus Alexander militaris gloriæ peritia, maior Scipio: ille enim imbelles homines, hic Hispanos, ac Carthaginenses omniũ bellicosissimos subuertit. Modestia ille laudabatur, quod Darij uxorẽ ac filias ne uidere quidem uoluit: quàm hic modestior, qui & uidit & abstinuit? Fit etiam comparatio si unamquanq; rem uni uel pluribus conferamus, ut Ciceronem in eloquentia Demostheni, in philosophia Platoni, in prouidentia Themistocli, in iustitia Aristidi, in liberanda patria Trasibulo. Hæc Georgius Trapezontius libro quarto rhetorices de genere demonstratiuo. Sic Georgius Nazianzenus in Monodia, Basilium magnum comparat patriarchis & prophetis. Sic itidem Ioannes Chrysostomus octaua homilia in laudes diui Pauli, comparat eum omnibus sanctis. Vsurpat autem interpres caput, eo modo quo ueteres illi linguæ latinæ principes. Plautus Mercatore: Ad capita rerum peruenias. Cicero Attico: Quod caput est, ipsum non noui.

EXEMPLVM.



Olenti mihi uirtutem conferre uirtuti, cum Achille haud immerito componendus fuerit Hector. Sunt quidem ipsæ per se uirtutes nimirum abunde honestæ, comparatæ tamen admirabiliores uidentur. Prooemiũ

Patria ergo nati sunt non eadem, laudata tamen uterq;. Ille enim in Phthia, unde Græciæ ipsius primum prodijt cognomentum: hic uero Troiæ, cuius habitatores deorum quoq; primi fuerũt. Quòd si pari natum esse loco affert aliquid ad laudem, nihil quidem hac in parte Achilli posthabendus est Hector. Locus.

Nati autem uterq; præclara patria, parem quoq; generis habuerunt dignitatẽ. Vterq; enim ad Iouem originem suam initiumq; generis sui refert. Pelei enim filius Achilles fuit, Aeaci uero Peleus, & Aeacus Iouis. Sic quoq; Hector Priami, Priamus autem Laomedontis, & Dardani Laomedon filius, Dardanus quoq; Ioue prognatus est. Progenitore autem Ioue nati uterq;, reliquam quoq; maiorum seriem habuerunt claritudine æqualem. Vt enim Achilles Aeacum habuit & Pelea, quorũ ille Græciam liberauit pestilentia, hic Lapythis deuictis, ob egregiam uirtutem deæ cõiugium est assecutus: Sic Hectoris Dardanus progenitor fuit, deorum primum dignus habitus conuictu: pater aũt Priamus imperauit urbi, cuius muros ipsi quoque dij fundarunt. Quod si non minus est quàm deæ sortitum esse coniugia, deorum, idq; optimorum mensa conuiuioq; usum esse, nihil est quod quisquam maiorũ Genus.

gloria Hectori praeferat Achillem. Talibus autem uterque maioribus procreati, ambo ad fortitudinis sese studia contulere: & ille quidem à Chyrone educatus est, huic Priamus ipse praeceptor uelut naturae quadam uia, uirtutis monumenta tradebat. Par itaque similisq; educatio, parem utriq; conciliat laudem. Vt autem ad uirile peruenere robur, eodem in bello par uterque animi uirtutisq; specimē praebuerunt. Hector enim Troianos ducebat, solusq; uelut obex propugnaculumq; ciuitati datus, tuebatur ipsam: stetitq;, quàm diu fauentibus dis & auxiliaribus est usus. Cadens deinde, ipsam quoq; Troiam post se traxit atq; euertit. Achilles uero Graecorum praeerat armis, terroreq; omnes uincebat Troianos, Palladis fultus numine atq; auxilio: occumbensq;, spem uictoriae in reliquum abstulit Graecis: & ille quidem uictus à Pallade interijt, hic autem cecidit ab Apolline confixus: natiq; ambo ex dis, ambo quoq; deos habuere mortis autores: utq; diuinitus generis initia, ita uitae etiam exitum accepere. Quod si similis utriq; uita fuit, similisq; mors utrunq; abstulit, quid est quo non Hector par sit, quoq; cedere debeat Achilli? Plura erant quae dicerem de utriusq; uirtute, nisi quemadmodum his quae dixi, ita in reliquis per omnia ipsorum gloria esset aequalis.

Educatio.

Res gestę

Epilogus.

IN EXEMPLVM.

CVm Achille.) Et Aristoteles libr. rhetorices secundo, cap. 22. comparat Achillem cum Hectore. Cōponendus fuerit) Vergilius in Tityro: Sic paruis componere magna solebam. Ille enim in Phthia, unde Graecia.) Strabo geographicorum libro nono: Quidam etiam Phthiam eādem quā Helladem siue Graeciā & Achaiā opinātur esse. Hāc aūt alterā partem australē, diuisa Thessalia uniuersa, cū ipsi eam diuidant, uerum poëta duo facere uidetur, Phthiam & Helladem seu Greciam, &c. Deorum quoque primi fuerunt.) Fortasse hi fuerunt dij illi penates, quos Aeneas in Italiam portauit. Lege Augustinum libro primo de ciuitate capite tert. ubi adducit illud Vergilianum: Ilium in Italiam portans, uictosq; penates. Sunt qui per hos deos, & Neptunum, & Apollinem uelint intelligi, quos legimus muros Troianos extruxisse. Dij patrij quorum sub numine Troia est. Vergilius libr. Aeneid. 8. An non uiderunt moenia Troiae, Neptuni fabricata manu considere in igneis? Pergama à Neptuno & Apolline mercede cōductis extructa esse recenset Homerus ιλ. φ

Pelei enim filius Achilles fuit, Aeaci uerò Peleus, & Aeacus Iouis.) Refert Isocratis uerba ex oratione funebri, quae inscribitur Euagoras. Quod tantum indicasse, huic explicando loco uidebatur esse satis, nisi uenisset in mentem, pueris quibus haec potissimum scribimus, rarò suppetere huius autoris copiam, unde haec petant, proinde non sumus grauati, hanc illis impertiri operam, ut de hac re ipsius Isocratis uerba huc transcriberemus: Aeacus enim, inquit, Iouis proles, stirpis Theucridū autor, hoc ipsum in tantum commonstrauit, ut quum in Graecia factae essent sordes, neque pauci mortalium interempti, postquam calamitatis magnitudo increbuisset, uenerunt urbium magistratus, supplicantes ipsi, quòd per eius natalium splendorem atq; pietatem facilime à dijs praesentium malorum expiationem impetrari posse arbitrarentur: qui seruati, uotiq; sui totius compotes facti, publicum Aeginae Graecis templū condiderūt, quo loco precibus deos Graecis placarat: qui & per hoc tēporis quo inter

homines

hominesdemorabatur, non sine inclita nominis sui fama, extremam tandem fati sustinuit diem. Defunctus itaque uita, Plutoni atque Proserpinæ maximo cum honore assidere fertur. Huius filij Telamon & Peleus, quorum alter cũ Hercule aduersus Laomedonta bellum faciens, primas assecutus est, Peleus autem pugna aduersum Cẽtauros, strenuè se gerens, primasque tenens, cum alijs plerisque periculis comprobatus Thetidi, immortali Nerei filiæ mortalis ipse cohabitauit, huiusque solius in nuptijs, inter eos qui à dijs progeniti sunt, Hymenæum cantatum esse aiũt. Ab utrisque porrò, nempe à Telamone Aiax & Teucris, à Peleo uerò natus est Achilles, qui maximũ & clarissimum uirtutis suæ specimen exhibuerunt. Ioannes Bocatius genealogiæ deorũ libro 12. capite 50. & 51. Peleus fuit Aeaci regis & Aeginæ filius, maritus Thetidis deæ aquarum, & pater Achillis. Et Aeacus Iouis.) Ex Europa, ut autor est Seruius super lib. Aeneidos 6. quod mirantur quidam Seruium ita scripsisse, cum dicat Seneca in Hercule furente, & Ouidius libro metamor. septimo, illum Iouis fuisse filium ex Aegina. Priamus autem Laomedontis.) Ioannes Bocatius libro de genealogia 6. capit. item 6. & 13. Et libro 12. capite 52. Quorum ille Græciam liberauit pestilentia.) Vide Isocratem in oratione funebri quam modo citauimus. Plutarchus autem in Thesei uita meminit pugnæ Cẽtaurorum & Lapitharum. Et Cicero in Pisonem.

Hic Lapithis deuictis.) Lapithæ in Thessalia sunt, qui cum Centauris bella gessere. Vergilius libro georgicon 2. Horatius libro carminum, Ode 18. At ne quis modici transiliat munera Liberi, Centaurea mouet cum Lapithis rixa super mero, debilitata. Plinius libro quarto. Strabo libro nono. Ouidius 12. metamor. Si plura uoles, lege fabulam ex Seruio 7. Aeneidos. Late hoc bellũ describũt Diodorus libro quinto, & Ouidius 12. metamor. Vnde sumpta sit fabula, docet Palæphetus. Deæ coniugium) Sentit de Thetide aquarum præside. Ipsi quoque dij fundarunt.) Apollo iuxta ac Neptunus. A Chirone educatus est.) Ioannes Bocatius lib. septimo ca. 16. & libro fastorum quint. Germanicus in Arato: Hic erat ille pius Chiron iustissimus omnes Inter nubigenas, & magni doctor Achillis. Seneca in Troiade: Iam trucis Chiron pueri magister Tinnulas plectro feriẽte chordas, Tum quoque ingentes acuebat iras Bella canendo. Habuit & Phœnicem præceptorem Achilles, cuius rei meminit Homerus Iliados nono. Huic Priamus ipse præceptor.) Laërtius autor est, Aristotelem solitum dictitare: parentes qui liberos erudiendos curassent, longe honorabiliores esse his, qui solum genuissent. Hos enim uiuendi tantum, illos etiam bene beateque uiuendi autores esse. Plato in dialogo qui Theages inscribitur: Non enim hactenus cognoui, cui rei maiorem diligẽtiam, quisquis mentẽ habet, adhibere debeat, quàm ut optimum filiũ reddat. Crates etiam si licuisset, ubi in altissimam conscendisset urbis speculam, se uociferaturum dictitabat, quorsum ruitis homines, qui omne in comparãdis pecunijs studium facitis, filiorũ uero quibus eas relinquetis, nullam sane curam suscipitis? D. Hieron. Non est parui apud deũ meriti, bene filios educare. Idem in epistola ad Lætam de institutione filiæ: Ipse si Paulã miseris, & magistrum & nutritium spondeo. Gestabo humeris, balbutientia senex uerba formabo, multò gloriosior mundi philosopho, qui non regem Macedonum Babylonio periturum ueneno, sed ancillam, & sponsam Christi erudiam, regnis cœlestibus offerendã. Hieronymus in epistola ad Principiam uirginem: Apollo uirum apostolicum & in lege doctissimum, Aquila & Priscilla erudiunt & instruunt eum de uia domini. Si doceri à fœmina non fuit turpe Apostolo, mihi quare turpe sit post uiros docere & fœminas? Hector Troianos ducebat.) Homerus Iliad. 22. Titus Liuius li. 5. primæ decadis. Achilles uerò Græcorum.) Iliad. 18. cæterisque proxime sequentibus libris.

Et ille quidem uictus.) Homerus Iliad. 22. Hic autem cecidit.) Ouidius metam. octaua epistola heroidum: Pelides utinam uitasset Apollinis arcus. Vergilius in 6. Ouidius lib. met. 11. Homerus ἰλιά. υ in certamine deorum, quod Apollo Hectorem liberarit ab Achille, Hectorem per Pallada fraudatum narrat ἰλι. χ.

ETHO-

ETOPOEIA. XI.



Ethopœia.i.(ut ita dicamus) imitatio,est expreßio morũ personæ propositæ. Sũt aũt tres ipsius species: idolopœia, id est, cõformatio: prosopopœia, id est, effictio: & eo quo diximus nomine ethopœia, id est, sermocinatio. Est autem ethopœia, quæ notam habens personam, mores solũ effingit, unde & Ethopœia uocatur, ut qualia faceret uerba Hercules, Euristheo sibi imperante. hic notus quidem est Hercules, dicentis uero effingimus mores. Idolopœia est, quæ personam habet notam, sed defunctam & loqui non potentem, quemadmodũ ἐν Δήμοις Eupolis finxit Aristides in oratione ὑπὲρ τῶ τεσσάρων. Vnde & idolopœia uocatur. Prosopopœia est, quando finguntur omnia, & mores & personæ, quemadmodum Menander fecit Argumentum. Argumentum enim nec rem, nec personam habet propositam, unde prosopopœia est dicta: fingitur enim ipsa cum moribus persona. Diuiditur autem ethopœia: nanq; alia affectum exprimit, alia mores, alia utrunq;. Ad affectum pertinet, quæ prorsus animi significat motũ, ut: Qualia uerba Hecuba faceret, Troia subuersa. Moralis est, quæ solos exprimit mores, ut: Quid diceret mediterraneus, primum conspicatus mare? Mixta est, quæ mores habet pariter & effectum, ut: Qualia loqueretur Achilles, super occiso Patroclo de bello deliberans. Mores enim consilium habet, effectum uero amicus occisus. Tractabis ethopœiam genere dicendi aperto, breui, florido, disiuncto, omni flexu atq; figura remota. Proq; capitibus, diuides tribus ipsam temporibus, præsenti, præterito & futuro.

Ethopœa.
Idolopœia.
Prosopopœia.
Diuisiones ethopœię.

IN ETHOPOEIAM.

Ethopœia, id est (ut ita dicamus) imitatio est.) Guielm. Budęus in annotatiõibus in pandectas: Sunt ethopœi ijdem, ut opinor atq; Ethologi.i.histriones qui mores imitantur eius personę quam sustinẽt, autore Suida. Vnde Ethopœia. Quintili. li.9. id est, est morum alienorum imitatio, cuius exempla licet apud eum uidere. Meminit & Priscianus in præexercitamentis. Ethos inquit Quintil. uno uerbo latine dici non potest. Lege Emporium rhetorẽ de Ethopœia. Et eo quo diximus noĩe ethopœia, id est, sermocinatio.) Erasmus Roteroda. libr. 3. Eccles. de sermocinatiõe: Est autem sermocinatio notationis pars, siquidem illa affingit mores, hæc orationem. Vtraq; pertinet ad hypotyposin quæ partes omnes complectitur. Idolopœia .i. conformatio.) In quarto rhetorices ad Herennium cap. de conformatione. Euristheo sibi imperante.) Euristheus astu Iunonis subornatus, Herculi imperabat uaria quotidie aggredi monstra: quibus illum perire contingeret. Notissima est apud Homerum 8. Iliad. libr. fabula de Euristheo. Bocatius libro duodecim. capite 14. Isocrates in Eucomio Helenæ. Si quidem huic boues ex Erythia adferre, oues Hesperiorum abducere, Cerberum ab inferis extrahere, aliosq; id genus labores demandabat Euristheus, ex quibus nulla ad mortales commoditas, ad se uerò periculum tantummodo rediturum erat. Est autem ἠθοποιΐα.) Quintilianus libr. nono capite 2.

Imita-

Imitatio morũ alienorum, quæ ἠθοποιΐα uel (ut alij malunt) μίμησις dicitur. Iam inter leuiores affectus numerari possunt. Est enim posita ferè in eludendo, sed uersatur & in factis, & in dictis. Teren. Phor. Nã qui erit rumor populi (inquit) si id feceris, olim cum honeste potui, tum non est data. Nunc uiduam extrudi turpe est. Idem Eunuch. At ego nesciebam quorsum tu ires. Tale est & illud pro Quintio, quòd Sextius Neuius ridet nostram amicitiam, sed cum ab eo officia boni desideramus: & quemadmodum natus, inquit, & quemadmodum educatus sum memini, uetus est, de scurra diuitem facilius, quàm patremfamiliãs fieri posse. Iulius Ruffinianus: Ethopœia est alienorum affectuum qualiumlibet, dictorumq́; imitatio non sine reprehensione, Latine dicitur figuratio uel expressio. In δήμοις Eupolis.) Id est, in comœdia cui id fuit nomen. Eupolis ueteris comœdiæ scriptor, submersus dicitur ab Alcibiade, quòd quędã illius uitia carpsisset. Erat enim ea licentia ueteris comœdiæ, ut liquet ex Aristophane. Politianus in miscellaneis cap. 10. Samus Eupolim qui baptas fabulam docuerit, ab ijs ipsis in mare submersum, contra quos baptas emiserat. Angelus Politianus Miscel. centu. prima cap. 9. Hic Eupolis autore Plinio in quadã ad Tacitum epistola, τὴν πειθὼ in labris Periclis sessitasse scribit. Aristides in oratione.) Plutarchus in uita Aristidis. Vnde & Idolopœia uocatur.) Idolum, Græce εἴδωλον, simulachrum dicitur uel inanis imago, ut Cicero lib. primo de finibus tradit. Et ποιέω facio, hinc εἰδωλοποιΐα. Prosopopœia est.) Quintilianus lib. 6. cap. 1. in calce. In affectibus mouendis præcipue utiles sunt prosopopœiæ, id est, fictæ alienarum personarum orationes. Aquila Romanus de figuris sententiarũ & elocutionis: Prosopopœia, est personæ confictio. Hæc figura plurimum in se continet dignitatis, cum rem ipsam loquẽtem inducimus, aut defunctos aliquos quasi excitamus ab inferis, & in conspectu iudicis collocantes, oratione hos circundamus: talis est illa pro Cælij Appij Cæci persona inducta contra Clodiam, ita dicens: Mulier quid tibi cum Cælio, quid cum adulescentulo, quid cum alieno? Sæpe enim quæ nostra persona dicentes uix ferant iudices, supposita dignitate personæ liberius dici, & conuenientius poterunt. Iulius Ruffinianus de schematis dianœas: Prosopopœia, est figura sententiæ, qua oratio, ad alterius personæ orationem imitandum retorquetur, Latine dicitur deformatio, uel effiguratio. Quintilianus lib. 4. cap. 2. Idem lib. 9. cap. 2. Cice. in 4. ad Herenium interpretatur conformationem. Georgius Trapezontius lib. rheto. 3. Erasmus in lib. cui titulum fecit de Copia rerum, cap. de personæ descriptione. Idem li. 3. de ratione concionandi, de conformatione. Prosopopœia, ut Alexander dicit, est personæ fictio, quæ aut nunquam fuit, aut fuit quidem, sed non amplius est. Quod genus est illud Demosthenis: ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς μόνον οὐχὶ λέγει φωνὴν ἀφιείς, Id est, præsens igitur occasio tantum non dicit uocem emittens. Quintilianus lib. 3. cap. 10. Neq; enim ignoro plerunque exercitationis gratia poni & poëticas, & historicas, ut Priami uerba apud Achillem, aut Sillæ dictaturam deponentis in concione. Cicero li. de finibus 4. Quid si reminiscant Platonici illi, & deinceps qui eorum auditores fuerint, & tecum ita loquantur. Quintilia. declamatione 4. Finge tibi, &c. Idem lib. 12. cap. primo: Videor mihi audire quosdam. Horatius lib. 3. car. ode 9. Quid si prisca redit Venus. Cicero in Miloniana. Idem in paradoxo, quod honestum sit, id solum bonum esse. Seneca in Troiade. Et D. Hieronymus in commentarijs in ecclesiasten cap. 9. προσωποποιΐαν facit more rhetorum, & poëtarum, dicens: O homo, quia ergo post mortem nihil es, &c. Idem in commentarijs ad Ephesios cap. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortui. ... lius uerò inquit quasi προσωποποιΐαν spiritus sancti Apostolus figurauerit ad exhortationem pœnitentiæ, hæc dicta memorabit. Menander.) Fuit is Comicus Græcus. Terentius enim Phormionem & Ecyram ab Apollodoro transtulit, reliquas quatuor à Menandro. Fecit argumentum.) ἔλεγχον Rodolp. Agricola rectè uertit argumentum, Ioannes uerò Cataueus repræhensionem. Argumentum nec rem, nec personam.) Cicero primo ad Herennium cap. de narratione: Argumentum,

est res ficta, quę tamen fieri potuit, uelut argumenta comœdiarū, huiusmodi est apud Terentium: Nam is postquam excessit ex ephœbis Sosia. Hecuba.) Hecuba regis Priami uxor, statura procera, & uirili animo, piaq́ & benigna, cæterum amisso uiro, patria & nobilissimis filijs, in canem conuersa est. Ouidius lib. 14. metamorpho. Qualia uerba.) Euripides in Hecuba. Seneca in Agamemnone. Itidem in Hyppolito. Qualia uerba faceret Phedra Hyppolito interfecto. Qualia item Andromache Hectore mortuo, ut est apud Homerum Iliados 6. Extat enim hac de re declamatiuncula Libanij Sophistæ, Erasmo interprete. Qualia diceret M. Tullius cum in Macedonia exularet. Quid diceret Fuluia Antonij uxor, cum M. Tullij caput in manibus retineret? Σουίδας περὶ Φολουίας τῆς Ἀντωνίου γυναικός: Αὕτη Κικέρωνος τοῦ ῥήτορος ἀποτεμοῦσα τὴν κεφαλὴν καὶ ἐπὶ τοῖς γόνασι λαβοῦσα, πολλὰ μὲν εἰς αὐτὴν ἐξυβρίσαι καὶ ἐμπτύσαι. τέλος δὲ τὸ ἑαυτῆς διαγείξασα στόμα ἐκείνου τε τὴν γλῶτταν ἐξελκύσαι. καὶ τῇ βελόνῃ τῇ κατὰ τὴν κεφαλὴν κατακεντῆσαι πολλά τε καὶ μιαρὰ προσφθεγξαμένη, ἐπὶ τὸ βῆμά τε θεῖναι προσέταξεν ἵν' ὅθεν κατ' αὐτῆς δημηγορῶν ἠκούετο, ἐκεῖθεν καὶ ὁρῷτο. Id est, primum illud maledictis ac diris execrata est, deinceps etiam inspuens gremio suo apposuit: acriusq́ inspiciens, linguam quoq́ illi faucibus extraxit: & in eam sæpe aciculam infixit, qua tunc ad ornamenta capitis utebatur: ne quid omnino posset ab aliquo desiderari, in quo muliebris sæuitiæ argumenta deessent. Qualia Cleopatra ui abstracta ab Alexandro, & data Demetrio regi. 1. Macha. 11. Huic addatur illud ex Daniele cap. 4. Deambulans in aula Babylonis Nabuchodonosor, ait: Nónne hæc est Babylon ciuitas magna, quā ędificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei: cumq́ sermo adhuc esset in ore eius, &c. Et Sapientiæ 5. cap. Lucæ 12. Quid faciam quod nō habeo, &c. Quæ solos exprimit mores.) Iuuenalis satyra 15. Quid diceret ergo? Vel quò non fugeret, si nunc hæc monstra uideret Pythagoras? Qualia loqueretur Achilles super occiso Patroclo.) Locus hic est apud Homerum ἰλια. τ. ubi depingit Achillis complorationem ad Patrocli cadauer. De bello deliberans.) Aristotel. lib. rhetorices primo, ca. 3. Laudant enim Achillem, quòd Patrocli sodalis ultionem susceperit, cum sciret parum se hac de causa uicturū, cui mors huiusmodi pulchrior, uita uerò utilis fuit. Lege Homerum lib. Iliad. 16. & duodecimo. Ouid. meta. 13. Ambrosius lib. primo de Cayn & Abel sic introducit crapulam loquentem ad suos milites: Bibite & inebriamini, ut cadat unusquisq́ & non resurgat, ille apud me primus erit, qui omnium perditissimus, ille meus est, qui suus non est, ille mihi gratior, qui sibi nequior.

EXEMPLVM.



Præsens. *E miseram, quam aliam præ alia desleo calamitatem? Orbata nunc liberis, quibus antea fueram insignis. Quæ copia infelici mihi ad quam redacta est inopiam? Non sum iam misera unius filij mater, quæ antea tam multis conspicua incedebam. At quanto satius foret sterilem fuisse potius, quàm in lachrymas atque luctus fœcūdam. Longe enim infeliciori sunt loco hæ, quæ orbitatem suam deflent, eis quæ nunquam pepererunt. Hoc enim quod experimentum amoris filiorum sumpserunt, destitutis postea acerbissimūm est: Sed infelicem me, quæ parem ei qui me genuit, sum experta fortu-* Præterití *nam: Orta enim ex Tantalo, qui conuictu deorum felix, tandem ab ea est deorum amicitia euolutus, huius quoque cladibus meis approbo me esse genus. Coniuncta enim*

enim sum Latonæ, perq; hanc ipsam nunc his opprimor malis, & ipsius familiaritatem, filiorum orbitate deploro. Hicq; mihi finis est cum dea coniunctus, ut in calamitatibus degam. Prius nanque quàm ipsi sum cognita Latonæ, felicior ipsa fui mater: ut autem sum illi notior facta, desolata sum liberis: quorum antea quàm me nosset ipsa, insigni fui multitudine beata: Iacet ille sexus utriusq; lætus filiorum numerus, inopemq; me lachrymarum felicitas efficit. Quò me uertam infelix? ad quæ deflectar? quod mihi ad tot defunctos liberos sufficiet sepulchrum? Miseram me, in tantis malis meis ipse quoq; me deserit calamitatum mearum honor. Sed quid ista queror? certum est mihi deos orare, ut in aliam uertant me naturam. Vnum miseriarum mearum uideo remedium, ut in alicuius quod sensus uitæq; sit expers, formam commuter. Sed uereor misera, ne & sic quoq; quamuis mutata, inter lachrymas agere non cessem. Futurum.

IN EXEMPLVM.

ME miseram, quam aliam.) Niobes ob filiorum filiarumq; numerum, se Dianę atq; Latonæ præferentis, ac eam ob causam natis orbatæ, fabulam multis carminibus retulit Ouidius meta. lib. 6. Quot autem fuerint Niobes filij ac filiæ, magna est apud Gręcos autores diuersitas. Nã Home. 24. Iliados lib. pueros puellasq; eius senos dicit fuisse: Euripides bissenos: Sappho nouenos: Bacchilides, & Pindarus bis denos. Quidam alij scriptores tres fuisse solum dixerũt. Autor est Gellius cap. 6. 20. Noctium Atticarum. Propertius lib. 2. Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba Sollicito lachrymans defluit à Siphylo. Politianus: Quo flet mœsta silex Niobe, Niobesq; sepulchrũ. Quæ copia infelici mihi.) Exaggeratio est ab ἀντιθέτῳ desumpta, sic Cicero pro P. Quintio: Miserũ est exturbare fortunis omnibus, & quæ sequuntur. Non sum iam misera unius filij mater.) Quò rectius amplificationis huius artificium intelligas, legito quæ Fabius tradit de amplificatione lib. 8. ca. 4. Et lib. 6. cap. primo & 3. ac lib. 5. cap. 10. Et in declamatione nona: Parum est quod, & cæ. Cicero in partitionibus oratorijs. Et in 3. lib. de Oratore. Georgius Trapezontius lib. rhetoricorum 5. Erasmus in nona dilatandi ratione. Extat in hoc genere exemplum & apud Hieronymum in epistola ad Iulianum potentem, & diuitem, qui inter paucos dies amisit duas filias, & uxorem, mox incursantibus barbaris, bonam possessionum partem perdidit. Et apud Lucam in actis cap. 21. Et Paulum in priore ad Corinthios, cap 6. Orta enim ex Tantalo.) Ioannes Bocatius lib. 5. ca. 30. Idem lib. 12. cap. 2. Tandem ab ea est deorum amicitia.) Tantalus cum frequenter deos hospitio comiter excepisset, & quodam tempore defuissent epulæ, filium suum Pelopem occisum dijs epulandum apposuit. Huius quoq; cladibus.) De pœna Tantali apud inferos, legito Senecam in Hercule furente ac Thyeste, & Fulgentiũ Placiadem lib. 2 de mytholo. Platonem item in Axiocho. Quod sensus uitæ sit expers formam cõmuter.) D. Hieronymus in epitaphio Nepotiani ad Heliodorũ: Et Nioben, quia multum fleuit, in lapidem, & diuersas bestias commutatam finxit antiquitas. Idem Hieronymus in quadam ad Oceanum epistola: Nioben putares, quæ nimio fletu in lapidem uersa est: Niobe, inquit Cicero, fingitur lapidea, propter æternum credo in luctu silẽtium. Erat Niobe filia Tantali, uxor Amphionis, quæ filios habebat sex, totidẽq; puellas. Eo successu insolens, contempsit Latonam, quæ nõ nisi duorum mater esset, Apollinis ac Dianæ. Hãc enim fabulæ narrant post occisos liberos, quos permultos

habebat, præ dolore in saxum conuersam fuisse, illud innuentes, immodico dolore diriguisse. Id saxum, quod fabulæ dedit occasionem, in Siphylo Phrygiæ conspici, tradit Homeri scholiastes. Lachrymarum fontes emittens.) Ouidius metamor. li. 6. fabulam elegantissime narrans, de saxo sic loquitur:

Flet tamen, & ualidi circundata turbine uenti,
In patriam rapta est, ubi fixa cacumine montis
Liquitur, & lachrymis etiam nunc marmora manant.

Fabula Niobes est etiam apud Homerum ἰλι. ω. sed paulò aliter, quàm enarrat Ouidius. Sic enim ille:

Exigis ut priamus natorum in funere plaudat,
Et Niobe festos ducat ut orba choros.

DESCRIPTIO. XII.



Escriptio, est oratio, narratione id quod propositum est, diligẽter uelut oculis subijciens. Describuntur autem personæ, res, tempora, loci, bruta animalia, & plantæ. Personæ, ut Homerus:

Latus erat humeris, ore ater, crineq; crispus.

Res, ut nauales pedestresq; pugnæ, quemadmodum historici. Tempora, ut uer aut æstatem, differens quàm multi in his se proferant flores. Loci, ut Thucydides portum Thesprotarum χειμέριον dixit, id est, hyemalem, uelut figura. Describentes uero personas, à summis ad ima usque ire oportebit, id est, à capite ad pedes. Res uero ab antecedentibus, & eis quæ insunt ipsis, quæq; ex ipsis solent prouenire. Tempora uero & loca ex eis quæ ipsis continentur. Descriptionum autem Diuisio descriptionũ. *aliæ sunt simplices, compositæ aliæ. Simplices, ut quæ pedestres uel nauales explicant pugnas: Compositæ, ut quæ res pariter temporaq; coniungunt, ueluti Thucydides, qui nocturnam in Sicilia pugnam describit. Simul enim & pugnam quomodo facta sit, & nocte quomodo gerebatur comprehendit. Oportet autem describentem dicendi figura uti tenui, & multiplicibus orationem uariare schematibus, prorsusq; res imitari quas describit.*

IN DESCRIPTIONEM.

DEscriptio, est oratio.) Rodolphus Agricola lib. de inuentione dialectica primo cap. 5. Descriptio enim quæ poëtis crebro, nõnunquam oratoribus in usu est, ea uerbosius rem exprimit, nec in id adhibetur, ut quid sit res, indicet, sed qualis sit, uel ut inspiciendam ante oculos ponat. Idem Rodolp. lib. 2. cap. 28. Quod solebant qui docebant rhetoricen, inter præexercitamenta ponere puerorum, quod Græce ἔκφρασις, Latine à plerisq; descriptio uocatur. Laurentius Valla lib. primo dialecticæs ca 20. Velut oculis subijciunt.) Eras. Ro. lib. Eccles. 2. Nec illud modo spectabit ad descriptionem, ut ea quadret ad rem descriptam: sed totam rei speciem, uelut in tabula depictam, ponet ob oculos, ut spectatorem uel in amorem rapiat, si uirtutis imago describitur: uel in odium, si uitium depingitur. Cicero in Verrẽ actione 3. Oppidum est in Hellesponto. & quæ sequuntur. Rutilius Lupus de figuris libro posteriore de characterismo, mira quadam ἐμφάσει καὶ ἀνατυπώσει describit ebriosum adolescentulum. Quint. lib. 8. cap. 3. circa finem fere, pluribus & his quidẽ appositissimis explicat exẽplis. Idẽ li. 6. ca. 3. in calce. Cic. in 4. ad Herenniũ de notatione, effictiõe, & de

& demonstratione. Erasmus Roterodamus in quarta locupletandi ratione. Describuntur autem.) Quanquam hæc ab Erasmo nostro in posteriore copiæ commentario bene copiose tractentur omnia, nos tamen pauca admodum exempla quæ ipsi obseruauimus, adducamus, sed summa sequar fastigia rerum, ne te longis ambagibus, q̃ satis est, morer. Personæ.) Vt Homerus: Latus erat humeris, ore ater, crinecꝙ crispus. Quod & sic uerti poterat: Ore nigro, latis humeris, crispocꝙ capillo. Omisit interpres (ut Homer. in Odyssæa ad Eurybaten) sic enim in Græco est, quanq̃ malim omitti. Fabula hæc est apud Homerum Odysseæ decimo & nono libro. Eum p̃co pauld natu maior sequebatur, eũcꝙ tibi referã qualis erat, curuus in humeris, siue gibbosus, cute nigra, uertice crispus. Sic Homerus Iliad. C. Thersiten ad portẽtũ usqꝫ deformem describit, capite acuminato, eocꝙ raris capillis consperso, tum oculis strabis, humeris contractioribus ad caput, altero pede claudum, postremo graculorum instar, bonis sententijs obstrepentem. Sic Plautus in Captiuis: Sed qua facie est tuus sodalis Philocrates, dicam tibi: macilento ore, naso acuto, corpore albo, & oculis nigris, subruffus aliquantum, crispus, concinnatus. Erasmus Roterodam. lib. 3. eccles. An non nobis uidetur natura mentis turpissimę imaginẽ in ipso corpore depinxisse? Caput turbinatum, oculi strabi, nasus aduncus, os uiperinum, lingua hæsitans, uox gallinacei, gibbus in tergo propemodum capite altior, uenter prominens, crura distorta, pedes utrocꝙ claudicãtes. Sic Cicero gregem Catilinę suis depingit coloribus. Quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut barbatos uidetis, manicis, & talaribus, ac itrictis tunicis amictos, non togis. Apud Homerũ lib. 15. Iliad. est hypotyposis hominis ira ferueſcentis. Eadem est & apud Plautum item in Captiuis, ac Platonem in dialogo de scientia. Apud eundem Homerum Odysseæ 2. Mercurij descriptio. Polyphemi descriptio odyss. 1. Apud Galenum in exhortatione ad bonas artes, est fortunæ & Mercurij descriptio. Gratiarum seu Charitum descriptio est apud Senecam li. primo de beneficijs, & Ioannem Campanum de ingratitudine fugienda. Descriptio philosophi est apud Platonem in dialogo de scientia. Et apud Politianum in Lamia.

Res.) Vt est descriptio κατακλύσμȣ apud Homerum Iliad. 16. Tempestatis apud Vergilium lib. Aeneid. 3. & Ouidium 2. metamor. & Senecam in Medęa. Cataclysmi apud diuum Hieronymum in uita Hilarionis. Vehementis pluuiæ apud Ciceronẽ lib. epistolarum 3. ad Quintum fratrem. Et Plinium Nouocomensem lib. epistolarũ octauo. Apud Senecam lib. naturalium quæstionum 3. est diluuij descriptio. Tumultum graphice describit Vergilius lib. 12. Aeneid. Ast fratres animosa phalanx. Est & longe appositissima conuiuij descriptio in Penulo Plautina. Iustitiæ, Gellij libri 14. cap. quar. Palladis clipei celaturæ Politiani in Miscel. cap. quar. Apud Homerum in calce Batrochomiomachiæ, mirifica Cancri descriptio. Descriptio arcæ Noë, Exod. 25. Aedificationis turris Babel, Gen. 11. Captiuitatis Babylonicæ, 4 Regum ultimo. Templi descriptio est apud Gregorium Nazian. in oratiõe habita in funere patris. Primo Regum 17. descriptio est Goliath, & armorũ pariter & cõflictus. Nauales.) Lucanus libro Pharsa. 3. Quintus Curtius lib. 4. de oppugnatione urbis Tyri. Nauigationis descriptio est apud Senecã in Medæa & Agamẽnone. Pedestrescꝙ.) Homerus Iliad. υ & θ. Marcus Tullius libro 15. epistolarum familiar. Ioannes Chrysostomus libro sexto de sacerdotio. Extat Aiacis & Vlyssis contentio, Metamor. 14. Hectoris & Aiacis Iliad. 6. Turni ac Aeneæ 12. Aeneid. Tempora.) Rodolphus Agricola libr. primo cap. de tempore. Ouidius septimo metamor. Treis aberant noctes.

Quàm multi in his se proferant flores.) Ouidius quar. tristiũ: Vere prius flores, æstu numerabis aristas: Poma per autumnum, frigoribuscꝙ niues. Quàm mala quæ patior toto iactatus in orbe. Homerus Iliad 16. de muscis uerno tempore circumcꝙ supracꝙ mulctralia uolantibus. Vergilius 6. Aeneid. Quàm multę glomerãtur aues, ubi frigidus amnis Trans pontum fugat, & terris immittit apricis. Loca.) Quintilianus libro 9. cap. 2. Rodolph. Agricola libro primo capi. de loco. Ithacæ descri-

ptio est Odysseę 1.& *δ*. Specus uero Calipsus Odysseæ.ε. Labyrinthi Dedalij, meta.8. In Adelphis: Nostin porticum apud macellum? hac deorsum præterito. Tartari descriptio. ιλ.θ. ἡμῶν ἰλιῶν. Cicero in Verrem act. 6. Aetna loco est præcelso atque ædito, quo, &c. Agri fertilis, iuxta ac sterilis descriptio. Cicero pro Cluētio, Syracusę urbis. Cicero 6. Verrinarum actionum, Aethnæ conflagrantis. Gellius libr. 17. cap. 10. Cyprianus lib. de laude martyrij ad Moysen & Maximum, gehennam ita describit: Sæuiens locus, gehennæ cui nomen est. Bruta animalia.) Iliad. 15. de equis a ligeris. Basilius Magnus & Ambrosius in lib. hexameron. Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. 17. cap. 8 adducit locum quendam, quo Augustinus graphice admodū multipedem depingit bestiolā. Plantæ.) ὀδυσ. κ. descriptio moly. Est radice quidem nigra, sed lacteolus flos. Portum Thesprotarum dixit.) χείμων Græcus dicitur hyems, inde χειμέριος, id est, Agricola interprete, hyemalis. Meminit huius rei Thucydides lib. primo belli Pelopones. Donec, inquit, circumacta iam ęstate, Corinthij cum socij ipsorum laborarent, nauibus, atq; exercitu misso, castra in Accio posuerunt, & circa Chimerium Thesprotidos, Leucadis tentandæ causa, aliarumq; ciuitatū quæcunq; suarum partium erant. Ab antecedentibus, & eis quæ insunt.) Cicero libro primo de inuentione cap. de confirmatione: Deinde ante rem gestam quæ facta sunt continenter usq; ad ipsum negocium, deinde in ipso gerendo negocio quid actum sit, deinde quid postea factum. Idem ad Trebatium in Topicis: Ante rem enim quęruntur, & quæ isthic similia sequuntur. Sic in descriptione historiæ, obseruādum erit, ut primum consilia, deinde acta, pôst euenta describantur. Tempora uerò & loca.) Vtrunq; copiose prosequitur Agricola libro de inuentione dialect. primo. Quomodo facta sit. & nocte, quando gerebatur.) Historia est apud Thucydidem libro 1. Re instructa, Corinthij, sumptisq; trium dierum cibarijs, nocte à Chimerio soluunt tanquam pugnaturi, nauigantesq; prima luce, Corcyrensium naues conspexerunt: ad confligendum omnia instruunt. Hæc ille. Sic & Dauid abstulit à Saul dormiente noctu in tentorio, hastam & cyathum. 1. Regū 26. Figura uti tenui.) Quæ quotidiano sermoni simillima est, qua scribuntur epistolæ familiares. Fabius libro 4. cap. 2. Gellius libro 7. cap. 14. Cicero in opere de perfecto oratore: Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi: Subtile in probando, modicum in delectando, uehemens in flectendo, in quo uno uis omnis oratoris est. Res imitari quas describit.) Vt id accurate, atq; feliciter absoluas, cum ingenio ualeas oportet, tum rerū naturas, quas sis descripturus (sunt autē infinitæ uarietates) penitus animaduersas habeas necesse est. Et quemadmodum pictor, coloribus, figurisq; describit: sic aut res, aut uitas, aut uirtutes eorum de quibus loqueris deformes, oportet. Vergilius 5. Aeneid. libro:

Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes
Haud mora prosiluere suis, ferit æthera clamor
Nauticus, adductis spumant freta uersa lacertis.
Infundunt pariter sulcos, totumq; dehiscit
Conuulsum remis, rostris stridentibus æquor.

EXEMPLVM.



Rces urbibus in publicum sunt præsidium constitutæ. Sunt enim uelut hostium arctrices, firmanturq; non magis ipsæ urbibus, quàm ipsas urbes tuentur. Athenienſium autem arcem media Athenarū complectitur regio. Ea uero arx, quam urbi suæ posuit Alexander, ob quam causam nomen habet arcis, ob id ipsum quoq; urbi additam esse, obuium

est uia

est uidere. Quòd enim supra urbem posita, ex summo tuetur ipsam, rectius hoc sibi conueniet nomen, quàm ea qua gloriantur Athenienses. Hanc autem sicuti se habet, ita oratione quoque prosequemur. Cliuus quidam medio è solo extollitur, ingenti in sublime spatio se proferens: hunc arcem uocant propter utraque hæc, & quòd hostes arceat, & quòd sit in urbis arce, id est, summo, locata. Viæ ad ipsam ducunt duæ, sed dißimiles. Hac enim uia est, illa uero patet ingreßus. Mutatisq; proinde nominibus, idipsum quod sunt, uocantur. Hac nanque parte pedibus quãuis paratus & expeditus accessus est, capaxq; curruum uia. Illi uero quæ curribus inuia est, additæ sunt scalæ, gradusq; supra gradum ex inferiori in sublime deducens. Neque prius quàm centenarium expleuerint numerum, desinentes, idemq; numeri est uiæq; finis. Vestibulum dehinc gradus excipit claustris mediocribus obfirmatum, quatuorq; sublimes & maximæ columnæ, quæ uias omnes ad unum deducunt ingressum: columnis his alias minores pluresq; columnas domus obtendit, quæ colore uario conspicuæ, eximium præbent loco ornatum. Tectum autem diætæ in circulum circumactum, ingentem multiplicemq; imaginem complectitur rerum. Introeunti autem arcem locus offertur, quatuor eisdemq; æquis lateribus diuisus: proinde quoque tota ædificij figura efficitur quadrata. Aula in medio est, columnis inclusa: eam porticus excipiunt, & eæ quoque æqualibus diuisæ columnis, ita in medio dispositis, ut neutram in partem sint nihil quicquam deflexæ. Vnaquæque autem porticus ad obliquam alteram finitur, & duplex est columna ad utranque porticũ diuisa, ut illa quidem desinat, hac uero rursum incipiat. Addita autem porticibus introrsum armaria, quibus libri reconduntur, eaq; semper, si cui uacet aut libeat legere aliquid, patent, totamq; uelut urbem ad philosophiæ cultum adhortantur. Alia item loca sunt ad uenerationem deorum uetustorum instituta. Tectum porticuum auro distinctum, uertices columnarum ære fabricati, auroq; superne inclusi. Neque uero aulæ simplex ornatus est, uerum alius atque alius: quorum hic quidem Persei continet certamina, ille autem aliud. Media autem arce columna immensa altitudine se profert, quæ locũ ipsum facit illustrem. Haud enim in promptu quis quò progrediatur, habet, nisi indicem uiarum hanc subinde respectet columnam: Quin & arcem ipsam terra mariq; conspicuã præstat. In uertice columnæ principia rerũ, primaq; elementa sunt expressa. Prius autẽ q̃ media transeatur, ædificiũ est quoddã, pluribus hostijs patẽs, quorũ cuiq; à deorũ uetustorũ aliquo est inditũ nomẽ: duæ dehinc pyramides lapideæ positæ, & fons profluẽs, Pisistratarũ fonte haud paulo melior. Mirãdũ etiã id quoque spectaculum, eo quòd eorũ qui fabricati sunt arcem, uel ut uno tanto ope

ri non

ri non sufficiente, numerum nominaq; comprehendit, duodecimq; pariter in ipso arcis fastigio conspiciuntur artifices. Descendenti autem ab arce mollis offertur locus, stadio adsimilis: idq; ipsum loci est nomen: alia item parte alius quoq; ad similia accommodus, non tamen ad planum ferens. Et ornatus sane arcis pulchritudoq; maior est, quàm ut paucis narrari possit. Quòd si quid prætermisimus, admiratione rerum in se rapientium animum, est effectum. Sed & quæ pro magnitudine explicari non poterant, ea relinquere satius est uisum.

IN EXEMPLVM.

SVnt eñ uelut hostium arctrices.) πόλεων γὰρ ἄκραι γεγόνασι. Ad uerbum enim sonat uertices siue fastigia. Rodolphus autẽ ut exprimeret παρονομασίαν, hoc est, annominatiõem, ex urbium, fecit hostium. Nec id porrò infeliciter, si Latinam respicias phrasim. Vrbi super.) Intelligit Alexandriam, de qua Iulius Solinus ca. 45. Alexandriam, & operis ipsius magnitudo, & autor Macedo nobilitauit. Quintus Curtius quar. gestorum Alexandri uolumine. Strabo geographiæ libro 17. De arce Alexandrina tot sunt ab historicis relata, ut nemo fere sit, qui non eius excellentiã plane norit. Nomen habet arcis.) Alludit interpres ad id quod prius dixit, sunt enim uelut hostiũ arctrices. Solinus cap. 2. Ab Arcadibus arces duxisse nomen existimant, alij ab arcendis hostibus dictas uolũt. Supra urbem posita ex summo.) Locus est à nomine rei, quem alij nominis interpretationem uocant. Agricola lib. primo de inuentione cap. 22. Rectius hoc sibi conuenit nomen.) Respexit ad ἀκρόπολιν. Cliuus quidam.) Rodolp. Agricola libro tertio, capite nono: Iam in locorũ regionumq; situ describendo, diligenter positionem eorum sequatur oportet, & orationem uelut per loca circunferenti sibi, ut primum quodq; occurrit, sic aptissime primum dicitur. Ab imis ad summa pergit.) Hanc describendi rationem docet & Erasmus in opere de conscribendis epistolis circa finem, capite de demonstratiui generis epistolis. Propter utraque hæc, & quòd hostes) Locus est à notatione siue ab etymologia, liberius hoc aliquantò, sed tamen summo cum iudicio: respexit eñ ad etymologiam huius uocabuli arx. Græca sic reddi possint: Vtranque ob rem ἀκρόπολις appellatur, & quòd in rupem erigitur, & quòd in ipsa rupe arcem habet. καλεῖται δὲ διὰ ἀμφότερον ἀκρόπολις ὅτι εἰς ἄκρον ἐπαίρεται καὶ ὅτι ἐπ' ἄκρῳ τέτακται. Quamuis paratus.) Id est, quamlibet siue quantumlibet. Illa uerò quæ curribus inuium est.) Ad hũc sanè modum erat in autographo. Cæterum opinor legendum esse, illi uerò quæ curribus inuia est, addite, & cæt. Videtur etiam Rodolphus prorsus hic ἑλληνίζειν, nam quod est illic ἔνθα δὲ ἄβατον ἁμάξαις ἄβατον, seruato etiam genere, inuium reddidit. Ioannes Maria interpretatur: Illa uerò qua curru uehi impossibile est. Diętæ.) Diæta significat cœnationem siue locum in quo habitamus, & dicitur à διαιτάομαι, quod significat uiuo & uersor. Secundum Varronem uerò, quòd in ea per diem edatur. Diæta etiam est uictus. Hieronymus: Qui ægrotat, non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo & castigato uictu quæ λεπτὴ δίαιτα, id est, tenuis uictus dicitur.

Armaria.) Strabo lib. 17. meminit Musęi Alexandri. Persei certamina.) Fuit is Philippi filius, qui puer admodum missus est ad bellum, meminit eius Titus Liuius cũ sæpe aliàs, tum maxime de bello Macedonico & Asiatico lib. 10. Piramides lapideæ positæ.) Qualis earum figura, formáq;, abunde tradit Plinius ca. 12. 36. naturalis historiæ. Dicta pyramis ἀπὸ τοῦ πυρὸς, id est, ab igne, quòd ignis figuram maxime imitetur. Lege Iul. Solinum capit. 45. In ipso arcis.) Opinor legendum, ut restituimus, in ipso arcis fastigio, uidetur plane simile quiddam desiderari. Principia rerumq;

rumq; prima elementa.) Plutarchus primo li. de placitis philosophorum, in quo differunt principium & elementum. Descriptio elementorum est in principio 15. meta.

Stadio assimiles.) Stadium aliâs certa magnitudo est, aliâs locus in quo curritur. Suidas innuit duplicem esse stadij rationem, siue appellationem: alteram qua intelligitur spaciũ quod homo unico spiritu, cursu suo transmittere queat, quod pro currentis robore, aut fragilitate, nunc breuius, nunc longius redditur. Alteram quæ fit Geometrica, de qua Plinius lib. 2. cap. 33. continens pro certo sexcentos & 25. pedes, qua utũtur cosmagrophi, quæ & à longissimo cursus humani stadio sumpta uidetur.

THESIS. XIII.



Hesis, id est consultatio, est rei alicuius inuestigandæ per orationem disquisitio. Consultationum autem aliæ ciuiles sunt, aliæ contemplatiuæ. Ciuiles sunt, quæ actionem habent ciuitati accommodatam, uelut: An ducenda uxor sit, an nauigãdum, an muri faciendi. His enim omnibus ciuitatis status continetur. Contemplatiuæ uero, quæ ad solam animi considerationem pertinent, uidelicet: An globosum cœlum, an multi sint mundi. Hæc enim in usum hominibus non ueniunt, sed mente sola peruidentur. Differt autem consultatio ab hypothesi, id est, causa, quòd causa definita est, consultatio uero indefinita. Definitio autem fit persona, re, causa & reliquis, ut, muri sint'ne faciendi, perquisitio est sine persona. Quòd autem inuadentibus Persis Lacedæmonij cõsulunt muro Spartam circundare, causa est. Personam enim habet, Lacedæmonios deliberantes: rem, murum Spartæ addere: causam uero, inuadentes Persas. Prima autem omnium præexercitamentorum consultatio contradictionem & solutionem uelut quæstio capit. Diuiditur thesis primum eo quod uocamus aggressum, quem procœmij loco pones: hinc finalibus uteris capitibus, legitimo, iusto, utili & possibili.

Diuisio cõsultationũ

Definitio.

Diuisio theseos.

IN THESIN.

Thesis, id est, consultatio.) Rodol. Agric. comment. prologi in Senecam: Thesis dicitur apud nos positio. Cicero propositum uel consultationem uocauit, est genus quæstionis commune sine circumscriptione personarum, locorum, & temporum, ut: An colenda sit amicitia, an ducenda uxor. Alia est, quæ uocatur hypothesis, id est, suppositio, quam Cicero in lib. partitio. controuersiam uel causam uocat, quæ habet in quæstione certas personas, loca, tempora, & reliqua genera attributorum, ut: An Ciceroni iungenda sit amicitia cum Cæsare: an Cato tempore belli ciuilis recte duxerit Martiam uxorem. Hac ille. Quintilianus lib. 2. ca. 1. An ignoramus antiquis hoc fuisse ad augendam eloquentiam genus exercitationis, ut theses dicerent, & communes locos. & cætera citra complexum rerum, personarumq;, quibus ueræ fictæq; cõtrouersiæ continentur? Quintilianus lib. 12. cap. 2. Peripatetici studio quoq; se quodam oratorio iactant. Nam theses dicere, exercitationis gratia ferè ab his est institutum. M. Tullius in opere de oratore perfecto ad Brutũ: Hæc igitur quæstio à proprijs personis, & temporibus, ad uniuersi generis orationem traducta, appella

tur thesis. In hac Aristoteles adolescentes non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum, in utranque parte, ut ornatius, & uberius dici possit, exercuit. Quintil. lib. 10. cap. 5. In hoc optime facient infinitę quæstiones, quas uocari θέσεις diximus, quibus Cicero iam princeps in repub. exerceri solebat. Illud indicandum paucis, thesin aliquoties dici consultationem, siue perquisitionem, quæstionem infinitam, & propositum: Hypothesin uerò causam, controuersiam, finitam quæstionem. Consultatio est rei.) Copiosum est hoc præexercitamentum, & in uarios patens usus. Huc enim ferè redeunt cuncta, quæcunque consilio hominum deliberationeque uersantur: duo enim ista in consulendo maxime sequimur, expediat necne, & an fieri potest. Lege caput, quæ sunt consultanda, apud Aristot. in præceptis ciuilibus.

Consultationum autem.) Aristoteles primo rhetorices lib. cap. de quibus soleat esse consultatio atque deliberatio. Idem in lib. de causis ciuilibus ad Alexandrum multa plura commemorat, de quibus consultamus. Cicero in 2. de oratore: Sed quid fieri possit, aut non possit, quidque etiam sit necesse, aut non sit, in utraque re, maxime est quærendum. Inciditur enim omnis deliberatio, si intelligitur non posse fieri, aut si necessitas affertur, & qui id docuit, non uidentibus aliis, is plurimum uidit. Ad consilium autem de rep. dandum, caput est nosse remp. ad dicendum uerò probabiliter, nosse mores ciuitatis, qui quia crebrò mutantur, genus quoque orationis est sæpe mutandum. Quintilianus lib. 2. cap. 4. Theses autem quæ sumuntur ex rerum comparatione, ut rustica'ne uita an urbana potior, iurisperiti an militaris uiri laus maior: mire sunt ad exercitationem dicendi spaciosæ atque uberes, quæ uel ad suadendi officium, uel etiam ad iudiciorum disceptationem iuuant plurimum. Maximus Tirius in sermonibus suis habet plures eiusecmodi, quod genus est: Quòd bellatores ciuitati utiliores sunt quàm agricolę, & contrà: uitam actiuam meliorem esse contemplatiua, et cōtrà. Ciuiles sunt.) Quod genus est: Nū seni administranda resp. An expediat uni committi summam eorum. Præstet ne principem è philosophiæ præceptis haurire sapientiam potius, quàm experimentis miseram (ut uocant) colligere prudentiam. Estne iudicandum iuxta æquitatem, an iuxta ius scriptum. An iureconsulti ab oratoribus inscitiæ infantiæque traducti, iura Ciuilia citra eloquentiam intelligere atque explicare non possint. An Christiani licite utātur philosophia morali. Liceat'ne Christianis retinere diuitias. Vtrum præceptū sit à facultatibus discedere. Liceat'ne Christianis bellum gerere, exercere magistratus. Liceat'ne fures suspendere. Contemplatiuæ uerò quæ ad solam.) Cuiusmodi magnam partem sunt scholasticorum παραδιατρίβαι, cuius generis hoc est: An homo creari potuisset ἀναμάρτητος, innumeraque id genus alia. An multi mundi.) Plutarchus lib. de placitis philosophorum 2. Idem de causis physicis & Symposiacis. Seneca in naturalibus questionibus. An globosum cœlum.) Plinius lib. 22. cap. 1. & 2. Differt autem consultatio.) Differentiam hāc fusius explicat Quintil. lib. 3. ca. 5. Cicero 2. libro de Oratore. Idem in partitionibus oratoriis: Duo sunt, ut initio dixi, genera quæstionum: quorum alterum finitum temporibus, & personis, controuersam causam appello, alterum infinitum, nullis neque personis, neque temporibus notatum, propositum uoco. Quod causa definita est.) Cicero in partitionibus: Quid quæstio, quasnam habet partes? Respondit pater: Infinitam, quam consultationem appello, & definitam, quam controuersiam nomino.

Differt autem consultatio ab hypothesi.) Cicero in topicis: Quæstionū duo sunt genera: alterum infinitum: alterum definitum est, quod ὑπόθεσιν Græci, nos causam: Infinitum quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus nominare. Causa certis locis, temporibus, actionibus, negociis cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum: propositum autem in aliquo eorum, aut in plurimis, nec tamē in maximis, &c.

An globosum cœlum.) Demonax: ἄλλων ἐξεταζόντων εἰ ὁ κόσμος ἔμφρονος ἔμψυχος καὶ σφαιροειδής, ὑμεῖς εἶπε περὶ μὲν τοῦ κόσμου πολυπραγμονεῖτε περὶ δὲ τῆς σαυτῶν ἀκοσμίας οὐ φροντίζετε. Aliis curiosa indagine disquirentibus, an mundus rationis expers sit, an

anima

anima præditus, & sphæræ nihilominus figuram teneat: Vos, inquit, plus æquo de mũdo solliciti, uestram ipsorum immunditiem intereà parũ prouida consideratione pensiculatis. Hæc in usum hominibus non ueniunt, sed mente sola prouidentur.) Cice. in Topicis: Quæstionum autẽ quacunq; de re duo sunt genera: unum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis sunt hæ quarum finis est scientia. Vt si quæratur: à natura ne ius profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum & pactione. Actionis autem huiusmodi exempla sunt: sit'ne sapiẽtis ad remp. accedere. Definitio autem fit persona.) Nemo sanè meo quidem iuditio apertius hanc rem omnem sub oculos ponit, quàm unus Rodol. Agri. lib. 2. de inuent. cap. 10. ubi ponit discrimen inter thesin & hypothesin. Et reliquis.) Nempe circumstantijs, de quibus abunde satis diximus suprà cap. de narratione, & in attributis ad locos Rodol. per nos redactis. Vt sint'ne muri faciendi.) Quò res ita iuuentuti magis innotescat, uisum est pauca adducere exempla ex Plutarcho: An inter pocula sit philosophandum. An liberi maiora beneficia parentibus dare possint, quàm acceperint. An senes impẽdio plus gaudeant mero. An grauiores sint animi morbi quàm corporis. Vtra animalium sint prudẽtiora, terrestria'ne an aquatica. Aqua an ignis utilior: An brutis insit ratio: Quãobrem ieiunantes sitiunt magis quàm esuriunt. Plus'ne conducant ad bene uiuendũ, an officiant rhetorica præcepta. An conscientia bene actæ uitæ recordatio iucundissima sit. An in principe requiratur eruditio. An cum principibus maxime conueniat philosophum disputare. An quisquis sit medicus, eundem omnino & philosophũ esse oporteat. An sit in medendo aliqua uis uerborum. Pli. li. 28. ca. 2. An athletarum excercitatio aliquid utilitatis afferat uel publice ciuitatibus, uel priuatim ijs à quibus exercetur. An iustę sint leges, admittentes uim ui repellere, eaq; de causa hominem occidere. An hæretici sint exurendi. An propter amicos, ab honestate declinandum sit. Cœlibatus'ne melior an coniugium. Vtendum est enim & his exemplis, ut quæ discentibus magis sunt familiaria. Inuadentibus Persis.) Historia est apud Thucydidem. Huic non ita multò dissimilis est fabula plane lepida apud Homerũ lib. Ilia. 3 de principibus circa Priamum sedentibus, atq; inter sese colloquentibus in editiore turri, de reddenda Helena, qui simul atq; incidentem conspexissent Helenam, alius ad alium dicebat, profectò num indignum est Troianos Græcosq; tot mala, tanto temporis spacio sustinere ob hanc faciem, quæ prorsus nõ humana, sed immortalis cuiusdam deæ uidetur? Cæterũ etsi tam diuina sit specie mulier, tamẽ eam satius erit ad penates suos remittere, q̃ retinere, ne nobis postea sit liberisq; nostris causa calamitatis. Vide Quintil. li. 8. ca. 4. Et huc quoq; profuerit exempla adducere ex Plutarcho alij[illegible]t: Athenienses ne maiorẽ gloriã bellicis rebus cõsequuti sunt, an professione sapientiæ. Vtri magis inopinabilia dicant, Stoici'ne an poëtæ. An Pompeius Cæsaris potentiã fugiens, recipiendus sit in regnum Aegypti. An Ctesiphon ab Atheniensibus iure profligatus sit, quod diceret se de re quauis uel totũ diem posse dicere. An Cato rectè cẽsuerit Græcos Roma esse profligandos, ne cũ laude dicendi tenerẽtur, tum rerũ gerendarũ ac militiæ gloriã cõtemnerent. An à Iuliano Imperatore recte lata erat lex, ne Christiani docerent oratoriã, ut autor est Aug. in 8. confessionũ. An donatio facta Ecclesię Romanę per Constantinũ, ualuerit an nõ. Velut quæstio capit.) Rod. Ag. lib. de inuen. 2. ca. 8. & ca. 10. Aggressum.) ἐφοδῳ. Cataueus uertit, procemiũ ex directo ad narrationẽ tendens. Petrus Mosellanus id ita extulit, primũ ingressus aliquis ad argumentationem uice exordij erit, &c. Postremo breui epilogo uelut perorandum. Quem procemij loco pones.) Fab. Quintil. lib. 3. cap. 10. Initium tamen quodcunq; debet habere aliquam procemij speciem, nec enim abrupte, nec unde libuit, incipiendum, quia est aliquid in omni materia naturaliter primum.

Hinc finalibus uteris capitibus, legitimo, iusto, utili, & possibili.) Vide Erasmum Roterod. lib. 2. de ratione concionandi, circa suasorij generis partes Ibidem: Nemo tamẽ putet his omnibus partibus quas commemoraui, semper utendum esse.

EXEMPLVM.

Aggressus uice procemii.



I quisquam omnia pariter laudare uolet, is mihi matrimoniū laudet. Demissum enim ex cœlo est. Ipsumq; rursus cœlū deis impleuit, eosq; procreauit, quorum munere paternum hominibus tribuitur nomen: eisdemq; quos progenuit, dedit rerum naturam tuendam. In terras autem acceptum, reliquis omnibus originem dedit: quæq; singula natura sua fluxa caducaq; erant, ea stabiliuit posteritate, æternitatemq; ipsis successione adinuenit. Primum aūt maxime ad fortitudinē subeundaq; cōstanter pericula homines impellit. Quoniā enim uxores liberosq; defendit, pro quibus suscipiūtur bella, certū est eo quo ad sumenda arma hortatur, eo quoq; ut erecti bellorum euētus subeamus. Quin iustos etiā, nedū fortes homines efficit. Cognationū enim necessitudines iuraq; tribuit, quorū respectu metuq; ab inferēda iniuria homines coërcet, itaq; iustitiā simul docet cū fortitudine. Sed & sapiētes facit, quippe quibus charissimorum pignorū iniicit prouidentiā atq; curā, quodq; maxime quis miretur, ipsam temperantiā secū affert matrimoniū, & in medijs uoluptatibus modestiæ quoq; inuenit locum. Legem enim libidinibus præscribens, temperantiæ fine uoluptates coërcet. Quæq; ipsa per se accusatur uoluptas, eā matrimonio coniunctā laudamus. Si ergo matrimoniū deos dedit, & procreādo posteritatē omnē firmat, si fortes itē iustosq; facit, & sapiētes præstat & tēperantes, quis est qui nō pro uirili quatenus possit, ipsum sibi putabit esse laudandū? * Sanè, inquit, sed calamitatū multarū matrimonium est causa. Fortunā mihi uideris, non matrimoniū accusare. Quæ enim aduersa hominibus accidunt, eorū fortuna est causa, nō matrimoniū. At contra, quæ læta matrimonium tribuit, ea certe nequaquam fortunæ accepta possunt referri. Rectius ergo est matrimonij bona laudare, quàm accusare mala quæ ex ipsa afferuntur fortuna. Iam uero si quis maxime humanorum casuum aduersa uolet matrimonio aßignare, nihilo tamen idcirco magis fugiendum erit. Num si qua reliquis in rebus nos offendunt, ea continuo nos ab ipsarum cura deterrebunt? Agedum singulas excutiamus artes: omnes habent aliquid quod quis accuset. Agricolæ procellis infestantur, grandine excutiuntur: non tamen si quos tempestas offendit, ideo statim agros relinquunt, sed perseuerant colere. Neque nautæ si quid ex cœlo accidit ipsis, continuo post tempestatem dissoluunt naues, cessantq; nauigare deinceps metu eorum quæ pertulerunt: uerum difficultates fortunæ tribuentes, ad opes quas mari parauerunt, reuertuntur. Bella etiam pugneq; militantium absumunt uitam: non quia occumbunt aliqui, idcirco dese-

* Contradictio.
Solutio.

deserunt militiam: sed quia pugnantes ob fortitudinem laudantur, hoc ipso etiam quòd ceciderunt gaudent, & instantem fortunæ asperitatem præsenti gloriæ bono rependunt. Neque enim propter mala, meliora fugienda sunt, sed bonorum causa & asperrima perferenda. Nónne ergo absurdum est, agricolas, nautas item & milites difficultates meliorum gratia tolerare, matrimonium uero nobis auersandum putare, quia habeat aliquid quod offendat? Sane, inquit, sed uiduitatem mulieribus, pueris'q; orbitatem affert. Mortis hæc mala sunt, hancq; nobis difficultatem circundedit natura, quam tu quidem accusare mihi uideris: quòd nō homines effecit ut di essent: accusareq; matrimonium, quòd non dis mortales coniunxit. Quid insimulas matrimonium eorum quorum est apud mortem causa? Quur nuptiarum dicis, quod ipsius est naturæ? Patere perire eum qui natus est, quocunque tandem pereat modo. Quid si occidunt homines quia nati sunt, eademq; uia coniugem uiduam relinquunt, natosq; ex se filios faciunt pupillos? Quid hæc matrimonij dices culpa fieri, quæ solum ab ipsa fiunt natura? At ego econtrario orbitatem uiduitatemq; puto matrimonio resarciri. Mortuus est illi pater, eoq; nomine pupillus est, reddit rursus alium sibi matrimonium patrē. Itaq; hoc malum non ex matrimonio prodit, sed matrimonio occultatur, fitq; matrimonium non causa orbitatis, sed abscondit potius ipsam & restaurat. Sic uiduitatē quoque quam obitu mariti attulit natura, matrimonium nouis iterum nuptijs immutat. Quam enim mors reliquit uiduam, hanc rursus matrimonium uiro coniungit: atq; uelut conseruator muneris sui, ea quæ dedit initio, ablata quoque restituit. Auferre ergo uiduitatem solet matrimonium, non facere. Pater quoque morte liberis orbatur, rursumq; alios matrimonio assequitur: fitq; secundo matrimonij munere pater, cui id quod semel iam habuerat paternum nomen, erat ablatum. Quid ergo matrimonij bona in crimen ipsius conuertis? Videris mihi non arguere, sed laudare nuptias uelle. Quando enim enumerare nuptiarum bona cogis, laudator matrimonij factus es potius quàm reprehensor. Vituperansq; matrimonium, ut recenseamus laudes ipsius adducis, causamq; præbes munera sua recognoscendi nobis, eo ipso quòd crimina tua refutamus. Esto, inquit, sed laboriosa tamen res est matrimonium. Verum, sed labores quoque matrimonium soluit, & auferuntur per nuptias, quæcunque exercitos homines reddunt. Facilis quidem res est, cum muliere sociari: quantulum autem uirum in thalamo uxori coniungi? Iā quàm in promptu speratur puer, speratusq; se profert, et in lucem prodiens, mox patrem appellat. Addicitur deinde arti alicui discendæ, patrisq; fit laborum particeps. In concionibus exinde uersatur, pascitq; in senecta patrem: & prorsus in

Contra dictio. Solutio.

Cōtradictio. Solutio.

quodcunque res ipsa popoſcerit, aptum ſe expeditumq; præbet. Adeo nõ eſt oratione recenſere, quanta matrimonium afferat bona. Ingens ergo res eſt matrimonium, & deos procreans, & mortalibus ut dii eſſe uideantur, ſucceßione præſtãs: Docetq; operatos ſibi fortia atque iuſta, ſimulq; prudentiam & temperantiam, quin & reprehenſas alioqui uoluptates honeſtas facit. Idcirco plurimi faciẽdum eſſe matrimonium inter omnia facile conſtat. Epilogus.

IN EXEMPLVM.

IS mihi matrimonium laudet.) Extat Eraſmi liber de inſtitutione Chriſtiani matrimonij, in quo nihil deſideres quod ad matrimoniũ pertineat, potiſſimum à medio, uel aliquantulo ante medium ad calcem uſque. Eiuſdem declamationem ſuaſoriam matrimonij habes in libro de conſcribendis epiſtolis eodem autore. Eiuſdem dilutionem eorum quæ Iodocus Clithoueus ſcripſit aduerſus declamationem ſuaſoriam matrimonij. Eiuſdem colloquia proci & puellæ, Eulaliæ & Xantippes. Ioannes Chryſoſtomus homilia in Geneſin 20. & 21. circa eum locum: Placuit Enoch deo poſtquam genuit. Idem homilia 3. in epiſtolam Pauli ad Philemonem. Ioannes Campanus de dignitate matrimonij. Antonius Mancinellus 9. ſermonũ libro. Apud Marſilium Ficinum libro quarto epiſtolarum, non uulgare matrimonij encomium eſt. Extat & Cutheberti Tonſtalli in laudem matrimonij oratio non prorſus inepta.

Demiſſum enim ex cœlo eſt.) Aphthonius ut egregius artifex, admiſcet exhortationi laudem, iuxta rhetorum præcepta. Prouerbiorum 18. Inueniẽs uxorem, inuenit bonum, & hauriet uoluptatem à domino. A domino, inquit, bonum hauriet, quia id uitæ genus multas afflictiones adfert. Prouerbiorum 19. Domus & diuitiæ hæreditate obueniunt à parentibus: A domino autem prudens uxor. Suſcipiuntur bella.) Documento eſt bellũ Troianum ob Helenam raptam. Lege primi Regum cap. 30. Et tertij Eſdræ 4. Primi Machabæorum 3. & 8. Danielis 13. Ab inferẽda iniuria.) Vetus eſt illud: Sanguis communis utriſque eſt, abſiſtamus à bello. Chariſſimorũ pignorum inijcit prouidentiam.) Vergilius lib. Aeneid. 8. Cum fœmina primum,

Cui tolerare colo uitam, tenuiq; Minerua
Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitet ignes,
Noctem addens operi, famulasq; ad lumina longo
Exercet penſo, caſtum ut ſeruare cubile
Coniugis, & poſſit paruos educere natos.

Cicero in calce 3. Verrinarum: Habemus enim liberos paruos: incertum eſt, quàm longa noſtrum cuiuſq; uita futura ſit. Conſulere uiui ac proſpicere debemus, ut illorũ ſolitudo & pueritia, quàm firmiſſimo præſidio munita ſit. Cicero lib. 7. ad Atticum: Filiola tua te delectari lætor, probari στοργὴν φυσικὴν eſſe πρὸς τὰ τέκνα. Etenim ſi hæc non eſt, nulla poteſt homini eſſe ad hominem naturæ adiunctio: qua ſublata, uitæ ſocietas tollitur. Legem enim libidinibus præſcribens.) Homerus: αἴθ᾽ ὄφελον ἄγαμός τ᾽ ἔμεναι, ἄγονός τ᾽ ἀπολέσθαι, id eſt, O utinã cœlebs uixiſſem, orbusq; periſſem. In priore ad Corinth. cap. 2. Supereſt, ut qui habẽt uxores, ſunt tanquam nõ habeant. Temperantiæ fine uoluptates coercet.) Xyſtus Pythagoricus: Adulter etiam propriæ uxoris omnis impudicus, uel amator ardentior. Eam matrimonio coniunctam laudamus.) Prioris ad Corinthios ſeptimo.

Calamitatum multarum matrimonium eſt cauſa.) Quarum κατάλογον bene longum, non minori iuditio, quàm ſedulitate recenſet Diuus Hieronymus aduerſus Iouinianum. Idem in calce epiſtolæ cuius initium: Vereor ne officium, ad Saluinam de ſeruanda uirginitate. Idem Hieronymus ad Furiam de uiduitate ſeruanda, in epiſtola cuius initium: Obſecras literis, exaggerat incommoda ſecundarum nuptiarum.

Ambro-

Ambrosius lib. de uirginibus primo: Lactet licet fœcũdo se mulier nobilis partu, quo plures generauerit, plus laborat. Numerat solatia filiorum, sed numeret pariter & molestias. Nubit & plorat. Qualia sunt uota quæ flentur? Concipit & grauescit, prius utique impedimentum fœcunditas incipit afferre, q̃ fructum. Parturit & ægrotat. Quàm dulce pignus, quod à periculo incipit, & in periculis desinit, prius dolori futurũ q̃ uoluptati. Periculis emitur, nec pio arbitrio possidetur. Quid recenseam nutriendi molestias, instituendi & crapulandi? Felicium sunt istæ miseriæ. Habent hæredes, sed auget dolores. Nam de aduersis non oportet dicere, ne sanctissimorum parentum animi cõtremiscant. Quos locos uisum est mihi obiter indicare, ut qui in nuptijs confutandis, atq; subuertendis, uelint μελετᾶν, eis & argumentum & artificium suppetat. Ad hanc rem conducunt & epistolæ aliquot D. Hieronymi, nominatim ad Eustochium de custodienda uirginitate. Et epistola eiusdem aduersus Vigilantium, cuius initium: Multa in hoc orbe monstra. Et sermo D. Gregorij Nazianzeni in dictũ euangelij Matthæi 16. Cum consummasset Iesus sermones hos, quisq; qui capax est capiat. Et Augustinus de nuptijs & concupiscentijs ad Valerium cap. 1. Patrum temporibus tempus fuit amplectendi, nunc uerò ab amplexibus continẽdi. Et Erasmus in opere de conscribendis epistolis ca. de genere dissuasorio. Et Ioannes Campanus de fratris obitu sub finem, contra posteritatem optantes. Cicero 13. epistolarum lib. A ducenda aũt uxore sic abhorret, ut quidq̃ libero lecto neget esse iucundius. Cice. Nihil est cœlibe lectulo lætius atq; fortunatius. Erasmus in posteriore Copiæ commentario, in decima locupletandi ratione, aliquot rationes indicat, quibus matrimoniũ dissuadeas. Ne uidear esse planè μισόγαμος, adijciam paucula ex arcanis literis: Propterea relinquet homo, Genesis 2. Matth. 19. Ephesi. 5. 1. Corint. 7. Hebræ. 13. Exempla casti matrimonij præter alia, uidere est Genesis 18. 1. Pet 3. Tobiæ 3. & 6. Danie. Socrates rogatus ab adolescente quodam, utrum melius censeret uxorem ducere, an non ducere. Vtruncũq;, inquit, feceris, pœnitebit, indicans & cœlibatũ, & coniugium habere suas molestias, ad quas perferendas, esset preparãdus animus: cœlibatũ comitatur solitudo, orbitas, generis interitus, hæres alienus. Matrimonium perpetua solicitudo, iuges querelæ, dotis exprobratio, affinium graue suppliciũ, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus, aliaq; innumera incommoda. Proinde non hic est electio, qualis est inter bonum & malum, sed qualis inter leuiora & grauiora incommoda. Eorum fortuna est causa.) Vt Christianis fortuna nihil est, quamuis alioqui magnam eam faciant deam Ethnici, ita nihil illi tribuendum est. Diuus Augustinus fortiter retractauit, quod olim aliquid tribuisset fortunæ. Agedum singulas excutiamus artes.) Inductio est προσομιλητική, locupletandæ orationi accommodatissima. Ad faciendam enim fidem non uulgariter adiuuant exempla, præsertim cum per inductionem, quam Græci uocant ἐπαγωγήν, adhibentur. Quo in genere plurimus est Socrates Platonicus: utitur & Lucianus eiuscemodi inductione, in sermone aduersus indoctum multa librorum supellectile tumentem. Quintilianus libro 2. capite 17. Et Augustinus libro primo contra Cresconium grammaticum cap. primo. Ioannes Chrysostomus concione de Lazaro prima: Etenim si agricola protinus ab agricolatione resiliat, quòd semel atq; iterũ, aut sæpius acciderit aëris inæqualitas, &c. qui locus plurimum huc attulerit adiumenti. Agricolę.) Redit agricolis labor actus in orbem. Puta orbitatem uiduitatemq; matrimonio sarciri.) Inuersio est, qua docemus id quod contra nos producitur, pro nobis facere, ut non sepelissem, si occidissem. Ita Paulus in Gala. Nunquid lex aduersus promissiones, si non iustificat, imò si lex iustificaret, esset aduersus promissiones dei. Ob fortitudinem laudantur.) Thucydides summis effert laudibus Atheniensium cladem, qui pro patria & libertate uitam amiserunt. Queritur Aeneas apud Vergilium Diomedis manu non occubuisse. Neq; nim propter mala.) ἐπιφώνημα est. Videris non arguere, sed laudare nuptias uelle.) Violatio est quam

Græci

Græci βίαιον appellant: ea est argumentatio, in qua ex aduersariorum ratione, non id quod ipsi uolunt, sed quod nobis utile est, sequi demonstrauimus. Laboriosa tamen res.) ἀντιπεφορά, id est, obiectio, qua uelut cõcedimus ab aduersario propositum, sed subijcimus aliud quo nos detorquemus aduersarij obiectionem. Cliniam à matrimonio prorsus abhorrentem, sic Sostrata apud Terentium in Heauton. affatur: Hæc dum incipias, grauia sunt dum'que ignores: ubi cognoris, facilia. Terentius in Phormione: Prima coitio est acerrima, si eam sustinueris, post illam iam ut lubet ludas licet.

Rursum'que alios matrimonio assequitur.) Pisistratus quum alteram uxorem ducere statuisset, liberis ipsum percontantibus, nunquid in ipsis haberet de quo quereretur: Nequaquam, inquit, imò ob id potius alteram duco, quòd collaudem uos, cupiam'que mihi & alios istiusmodi liberos nasci. Erasmus libro Ecclesiastes 2. Quoniã porrò in rebus humanis incommoda commodis permixta sunt, qui suadet, excerpet commoda, atque uerbis exaggerabit incommoda: si neque negari possunt, neque dissimulari expedit, extenuanda sunt contra, qui dissuadebit. Negantur, quum id q̃d uidetur esse incommodum, docemus esse commodum, aut contrà.

LEGISLATIO. XIIII.



Egis quoq; inductionem quidam exercitamẽtum esse putauerunt. Est enim propemodum tota causa, non tamen omnia quæ in causa sunt, intra se continens. Affert personam quidem, sed incertam & non omnibus notam. Vnde & in consultationis magis est parte q̃ causæ. Quatenus enim figuram in se habet personæ, superat consultationem: quia tũ prorsus definitionẽ non habet, idcirco citra causam subsistit. Est autem duplex legis inductio, confirmatio positæ legis, atq; confutatio. Lex aũt est inuentũ deorum, communis constitutio ciuitatis, correctio utrinq; erratorum. Diuisio autem inducendæ legis est ista. Tractabis eam capitibus eisdem, quibus negotialem: legitimo, iusto, utili, poßibili. Procemium facies, postq; procemium subijcies contrarium: hinc capitibus prædictis uteris. Vnde & hoc exercitamentũ à causa differt.

Diuisio legis.

IN LEGISLATIONEM SIVE INDVCTIONEM.

QVidam exercitamentũ esse putauerunt.) Quintil. lib. 2. cap. 4. Legum laus & uituperatio iam maiores, ac prope summis operibus suffecturas uires desiderant, quæ quidem suasorijs, an controuersijs magis accõmodata sit exercitatio, consuetudine & iure ciuitatũ differt. Apud Græcos enim lator earum ad iudicẽ uocabatur. Romanis pro concione suadere, & dissuadere moris fuit. Idẽ Quintil. li. 7. cap. item 7. & 8. Aristoteles lib. 1. rhetorices cap. 13. Idem Ethicorũ 5. Cicero: Oĩm cæterarũ rerũ oratio, mihi crede, ludus est homini, nõ hebeti, neque inexercitato, neque cõmuniũ literarũ, & politioris hũanitatis experti, in causarũ contẽtionibus magnũ est quoddã opus, atque haud sciam, an de humanis operibus longe maximum. Chirius Consultus lib. 2. Cum lex fertur, uel rogatio, quæri solet an obscura, an dubia, an anceps, an minus plena, an cõtra legem uel decretum, uel morem referatur, an honesta sit, an utilis, uel iusta, an necessaria, an facilis in accipiendo, an possibilis in faciẽdo, an alia lege satis caueatur, id quod in hac noua significatur, an hoc alio modo fieri possit, q̃d noua lege cõprehẽditur, q̃ aĩo quis legẽ ferat, q̃ aĩo quis cõtradicat, cõiectura, qua q̃rimus q̃ causa, q̃d factũ sit uel fiet, cũ q̃rimus τὴν ἔκβασιν, q̃d sit futurũ, si lex fuerit probata uel si nõ fuerit accepta. Quæ in causa sunt.) Lege quæ prius ex Topicis

Topicis Ciceronis annotauimus in hypothesin cap. de thesi. Definitionem non habet.) Hoc est, personam, rem, causam, locum, tempus, modum agendi, instrumenta, quæq; alia eius generis sunt. Confirmatio positæ legis atq; confutatio.) Quintil. libri 7. ca. 2. & 7. cæterisq; item cap. proxime sequentibus. Lex autem est inuentũ deorum.) Desumpta est hæc definitio ferè ad uerbũ ex Demosthene in oratione quæ in Aristogytonem prior inscripta est: καὶ τοῦτ' ἐστι νόμος ᾧ πάντας προσήκει πείθεσθαι διὰ πολλὰ καὶ μάλιστ' ὅτι πᾶς ἐστι νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δὲ φρονίμων ἀνθρώπων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκη κοινὴ καθ' ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν πόλει, id est, lex est, cui omnes homines obtemperare cõuenit, cũ ob alia multa, tum uel ea maxime, quòd lex omnis inuentũ quidẽ ac munus deorũ est, decretũ uerò prudentiũ hominũ, ad hæc flagitiorũ consultorum, incõsultorumq; emẽdatio: Conspirantis deniq; ciuitatis conuentũ, ad cuius præscriptũ omnes in ciuitate agentes, uitam instituere par est: hæc Guilelmus Budæus in annotationibus in Pandectas. Philippus Melanth. lib. dial. 1. cap. de definitione: Lex, est inuentum & donum deorum, decretum uirorum sapientum, correctio delictorum consulto uel inconsulto admissorum, urbis commune pactum, secundum quod omnibus ciuibus conuenit uiuere. Aristoteles in præceptis ciuilibus ad Alexandrum cap. de genere deliberatiuo: Lex autem est communis ciuitatis consensus, qui scriptis præceperit quomodo unumquodq; agendum sit. Idem ad eundem cap. quæ sunt cõsultanda. Leges sunt (ut summatim dixerim) ciuitatis publici consensus, qui scriptis terminant atq; imperant, quid unicuiq; agendum. Cicero lib. de legibus primo: Lex est ratio summa insita à natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibetq; contraria. Aristoteles lib. 3. politicorum: Lex (ut Papinianus inquit) est commune præceptum uirorum prudentium, delictorum quæ sponte uel ignorantia contrahuntur, coërcio, communis reip. sponsio. L. 1. ff. de legibus Δημοσθένης ἔφη πόλεως εἶναι ψυχὴν τοὺς νόμους. ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα στερηθὲν ψυχῆς πίπτει, οὕτω καὶ πόλιν μὴ ὄντων νόμων καταλύεσθαι, id est, Demosthenes leges ait urbis esse animam: sicut enim corpus decedente anima concidit: ita sublatis legibus, actum est de repub. Cicero Philip. 10. Est enim lex nihil aliud, nisi recta, & à numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibensq; contraria. Quibus negocialem.) De negociali constitutione, Cic. in partitionibus oratoriis, & lib. 2. de inuent. Geor. Trapezont. lib. rheto. primo, cap. quot sunt status. Isocratis oratio de pace, & eiusdem Philippica atq; Aegineticus negocialis status, &c. Et Ciceronis item pro Ligario. Legitimo, iusto.) Quintilianus lib. 2. cap. 4. Nec ignoro plures fieri à plerisq; partes, sed nos iustum, pium, religiosum, cæteraq; his similia honesto complectimur. Aristoteles li. rheto. primo cap. 6. & 9 Si quis desideret aliud exemplum, atq; id sane appositissimum, is legat obiurgatoriam orationem illam de bacchanalibus abolendis, quæ est apud T. Liuium lib. 9. de bello Asiatico. Ad hoc iuuabit statuũ cognitio, & quę his cognata sunt, intentionis, depulsionis, rationis firmamenti, continentis, & iudicationis.

EXEMPLVM.



Ec mihi uidetur per omnia lex ista laudanda: nec rursus ea quæ scripta, prorsus repræhendenda crediderim. Quòd enim pœnam adulterijs decernit, laudo planè: quòd uero iudicum sententiam non expectat, culpandum certe uidetur. Si nanq; largitionis metu, ne qua iudices corrumpantur, iudicia præuenit, suspicax nimirum est & iniquæ nimium erga iudices mentis: si uerò iusta iudicare uos, quemadmodum facitis certe, uos ar- **Prooemiũ**

K bitratur

Contrarium.

bitratur, iniquum esse constat, si lex iudices quidem laudet, tollat autem iudicandi potestatem. Aliæ sane leges, quæcunq; demum eæ sunt, & quacunq; ratione perlatæ, discrepant forte ab alienæ ciuitatis legibus, sed & alterius rursus legibus conueniunt. Hæc autem sola lex omnibus simul repugnat ciuitatum institutis. Videmini autem mihi multo rectius de hac lege cognituri, si omnia recenseatis consulta uestra atq; decreta. Duces bellorum, sacerdotia, plebiscita, omniaq; adeo quæ circa rem militarem pertinent, iudicum subeunt diligentiam. Fitq; dux ille quem iudex constituit, sacrificat qui iudici uidetur, iustumq; decretum est quod populi sententia perrogatum est. Victores quoq; præmia non accipiunt bellorum, nisi iudicata: Quomodo ergo non absurdum est, omnia iudiciorum arbitrium expectare, solam uero præsentem legem iudicum subterfugere cognitionem? Sanè inquit, sed magnæ sunt mœchorum iniuriæ. Quid autem? sicariorum an non longe grauius scelus? quid proditores sicarijs? quid item sacrilegos proditoribus, an minus uidelicet credemus nocentes? Attamen quamuis deprehensus iudicum sententiam experitur: neq; proditor pœnas dat, nisi decernente iudice: Neq; perimitur sicarius, nisi eo qui accusat, coarguente delictum: Neq; qui numinibus dicata præripuerunt, puniuntur, antequam iudex admissum cognouerit scelus. Nonne ergo iniquum est maiora iudicum uindictæ reseruari, neq; quicquam eorum criminis loco, nisi iudici liqueat, æstimari: solum autem adulterum perire sine disquisitione, de quo maxime omnium cognosci oportebat, quanto rarius id contingere uidemus? Et quid refert, inquit, occidam adulterum, an iudicibus tradam, si utraq; uia morte pœnas luet? Hoc interest scilicet, quod inter tyrannum atq; leges, quodq; inter rempublicam & regnum. Tyranni enim est promiscue quemcunq; libitum fuerit occidere, legũ uero non nisi cũ qui antè sit iudicio conuictus. Hocq; uel hinc maxime liquet, quod quæcunq; populus antè concionibus perquisierit, de eo postea iudicio cognoscitur. At leges ea quæ incerta sunt, puniũt tanq̃ deprehẽsa. Populus item disceptatiõe omnia atq; cõtentione disponit, quo sint explicatiora omnia. Cõtra uero solus est pro omnibus, qui imperare & tyrannidẽ gerere decreuit. Quid ergo? multum'ne interierit occidere adulterum, & iudicum sententijs puniendum tradere? Ad hæc quoq;, qui per se adulterum occidit, seipsum arbitrum pœnæ admissi sceleris facit: qui uero iudicibus tradit ipsum, penes illos uult esse potestatem iusq; animaduertendi. Neminem autem dubitare crediderim, quin æquius sit eius qui accusatur, arbitrium esse apud iudicem, quàm apud accusatorem. Quinetiam qui suo arbitratu adulterum occidit, alterius rei gratia occidere ipsum, aduersum se suspicionem relinquit. At qui iudicio exhibet, solum iusta sectari, præ-

Cõtradictio. Solutio.

Cõtradictio. Solutio.

[illegible]

sentisq;

senisq; sceleris dolorem uidebitur ulcisci. Est, inquit, sed grauiores dabit pœnas subito peremptus: alioqui enim medium ad iudicium usq; uitæ lucrabitur tempus. At contra porro habebit, si iudicetur: Acerbißime enim iudicio destinatus deget. Ipsa enim expectatio mali, malo fere est magis acerba. Supplicium deinde repetitio pœnæ cumulusq; uidebitur: moriturq; sæpe, qui iam pro mortuo habitus est, expectationemq; habebit exitu duriorem. Occisus autem de improuiso adulter, non dolet, sensumq; mortis, pœnæ celeritas aufert: insensibilis enim exitus, qui antequam expectetur contingit: diu uero expectatus ut semel solum fiat, exaggerat tamen metus diuturnitate tormenta. Age uero, si libet, considera hæc, conferq; inuicem: Ille per se ipsum occidit adulterum, nullum'que facit ultionis suæ testem: alius iudicibus tradit, multosq; adhibet supplicio spectatores. Acerbior haud dubie ultionis modus, quicunque oculis est plurium subiectus. Et optabilius alioqui adulteris, utcunq; fuerit, occulte perire, opinionem apud plerosq; relicturis, inimicitiarum causa esse occisos. Conuicto autem apud iudices crimine, indubitatam iam reus & nullis interpretationibus expositam sustinet pœnam, & præter occultam illam mortem, apertam exploratamq; iudicum cognitionem. At grauis est adulter, omniumq; scelerum magnitudinem supergressus: coarguatur ergo prius, hinc occidatur: iudiceturq; potius, quàm pœnas ante cognitionem incerto crimine pendat. Quemadmodum enim sublati adulteri, certiorem facient procreationem, neq; quisquam cuius sit filius deinceps dubitabit, ubi paterni nominis insidiæ, adulteria fuerint adempta. Itaq; quum sit adulterium publica quædam rerum naturæ iniuria, publica quoq; sententia plectatur. Vereor enim ne adulter secreto occisus, multos post se alios relinquat. Quando enim nesciunt reliqui qua re perierit, improbe facta nihilominus æmulabuntur: atq; hoc ipsum quòd punitus est, timeo ut non finis sit, sed initium futurum malorum.

Cõtradictio. Solutio.

IN EXEMPLVM.

NEc mihi uidetur per omnia lex ista laudanda.) Respexit ad legem Iuliam de adulterijs & stupro, quam tulit Augustus, gladioq; iussit animaduerti in alieni tori corruptores, adulterosq;. De hac Iuuenalis saty. 2. Vbi nunc lex Iulia dormis? Solon suis legibus instituit, fas esse deprehẽdenti mœchum, interficere in ipso adulterio. Plato 9. de legibus lib. Adulteram etiam lege sanxit impune occidi à uiro posse. Marcus Cato in oratione quę inscribitur de dote, ait ius fuisse marito, uxorem in adulterio deprehensam necare. Autor est Gellius lib. 10. cap. 23. Lege orationem Lysiæ Atheniensis de Heratosthenis adulteri nece defensione. Vide Ciceronem de controuersijs quæ in scripto uersantur, lib. de inuent. 2. Plurimum conferet adiumenti ad exempli huius explicationem, quæstio illa, quæ est in calce Epitomes phi. moral. autore Phil. Melanc. Iure'ne interfecit Mars Neptuni filium propter stuprũ Alcyppes filiæ Martis? Prorsus repræhendenda.) Aristotel. 2. rhetor. cap. de locis

 Enthyme-

Enthymematum: Vt Androcli Pytheo leges reprehendenti exsibilarunt, quoniam dixit lege opus esse legibus, quæ ipsas corrigat. Nam & sale piscibus: non enim probabile, nec credibile uidetur, cum in mari enutriantur, salis egere, oliuaceis quoque oleo, quamuis non credibile oleo ea egere, ex quibus oleum gignitur. Quod uero iudicum sententiam non expectat, culpandum uidetur.) Quod autē ut hoc obiter ad sciamus, Deut. ca. 19. dicitur, Ne forsan proximus eius cuius effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur & apprehendat eum, si longior uia fuerit, & percutiat animam eius, qui non est reus mortis, quia nullū contra eum qui occisus est, odium prius habuisse monstratur: idcirco præcipio tibi, ut tres ciuitates separes: Nullo modo sic debet intelligi, quasi uindex ille priuata manu debeat uel certe ei liceat homicidam occidere, perinde atq; uerba pro seditiosis uidentur sonare. Cæterum quod ipso agente causam occisi, iudices per legitimos testes causam debeant expedire, quod quoniā fit illo impellente pariter & urgente, ob id dicitur ipse facere, iuxta illud: Quod per nos alij faciunt, nos fecisse recte dicimur. Nam nulli licet seipsum uindicare, sed mea est, inquit, uindicta: ideo instituit iudices & magistratus. Deutero. 17. Iudices & præfectos constitues in omnibus portis tuis, quas dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut iudicent populum iusto iudicio. Exod. 23. Præcipit ad deos (sic enim uocat iudices) deferri causas, & ibi uel arbitrio, uel iudicio definiri componiq;. Non sunt crimina siue publica, siue priuata, castiganda per uulgum, aut unumquemlibet priuatum, sed publico gladio per magistratum. Lege Ciceronem lib. de inuentione 2. de relatione criminis cap. de iuridiciali constitutione. Et Erasmum in declamatione tyrannicidæ respondente, ubi subindicat, num permittendum, ut priuati in alios animaduertant. Archidamus Zeuxidami filius, roganti, qui nam essent Spartanæ ciuitatis præfecti: Leges, inquit, ac legitimi magistratus. Grauiter censuit in rep. bene instituta supremam autoritatem legibus deferendam, nec ulli magistratui fas esse quicquam contra leges publicas tentare. Themistocles Simonidi petenti, ut in negocio quodam sententiam iniustam pronunciaret: Neq; tu, inquit, bonus poëta fueris, si præter musicæ modulos caneres: neq; ego princeps bonus, si contra leges pronūciem. Si lex iudices quidem laudet.) Cicero pro Cluentio: Vt corpora nostra sine mente, ita ciuitas sine lege, suis partibus, ut neruis & sanguine & uiribus, uti non potest. Duces bellorum sacerdotia.) Inductio siue enumeratio est, de qua Aristote. 1. rhetorices lib. ca. 2. Rodol. de inuentione li. 2. cap. 18. Cice. lib. primo de inuentione. Plebiscita.) Gellius lib. 10. cap. 2. Et Lucius Fenestella de magistratibus sacerdotijsq; Roman. Omnia adeo.) ἐπανόρθωσις est, id est correctio. Quid autem sicariorum.) Omisit interpres id quod præcedit: Sane, inquit, sed magnæ sunt mœchorum iniuriæ. Quid autem sicariorum.) Sunt autem sicarij homicidæ, & qui homines occidendi, furti'ue faciendi causa, cum telo ambulauerunt, & qui in rebus capitalibus dolo malo falsum iudicauerint, falsum'ue testimonium dixerint, unde est lex Sempronia seu Cornelia, de sicarijs. Vide titulum ad legem Corneliam de sicarijs et ueneficis. Qui numinibus dicata præripuerunt.) Periphrasis est sacrilegorum. Quanto rarius id contingere.) At hodie nullum fere flagitium frequentius passim editur atq; designatur, idq; impune. Tyrannum.) Tyrannus est, qui unus rerum potitur, & ius dicit ex suo arbitrio sine legibus. Hoc enim tyrannum proprie dixerunt ueteres: postea hæsit appellatio tantum in sceleratis & crudelibus principibus, qui latrocinium in imperio exercuerunt. Tyrannus autem à rege distat factis, nō nomine. Qua de re lege Senecę librum primum de clementia cap. 12. Vsurpamus id uocis eleganter pro rege, & contrà. Vergilius Aeneid. 7. in oratione Latini regis: Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni. Regis nomen erat Romanis inuisum, principis nomen erat amabilius. Quòd si quis se unum constituere principem nitebatur, quamuis bonus esset, tyrannus appellabatur, & odium hominum uitare non poterat: insolentia itaq; rei ea tempestate non minus, quàm uitio, infensum erat unius uiri imperium

perium, quod quia tyrãnidis nomine uocabatur, Plato tyrannum requirit ueteri usu unicum principem, ita appellans, quemadmodum apud Latinos quoque hoc nomen in bonam partem frequentissime usurpatur. Ex hoc loco subodorari licet, uerũ esse quod legitur apud Chærobostum, Tyrãni uocabulum recens esse, quid sit item τυραννὶς, sane q̃ pulchre indicat Plutarchus in uita Homeri, ubi tres status reipu. βασιλείαν, ἀριστοκρατίαν, καὶ δημοκρατίαν definit, ibiq́ addit tyrannos olim sepultura indignos iudicatos esse. Equidem si quis omnia omnium scripta propius expendat, non dubiũ, quin non parum multas dictiones à nobis non raro, secus etiamnum usurpari, ac olim à ueteribus, offendat. Vides enim, ut regiæ nomen dignitatis, aliquoties fuit Tyrannus. Nunc autem apud quem non male audit, & quidem nõ iniuria. Tyranni enim est promiscue.) Isocrates in oratione de pace, graphice tyranni & principis discrimen expressit. Medium ad iudicium usque uitæ lucrabitur.) Ecclesiastici capite uigesimotertio: Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur trãsgrediens usque ad finem. Atque contentione.) In instertitio uersuum ascriptum erat concione, quod Græco magis respondet. Ipsa enim expectatio.) Clausula est.

Omniumq́ scelerum magnitudinem supergressus.) Quantopere adulteria sint deo inuisa, ex compluribus sacræ scripturæ locis liquet. Abimelech post raptam Saram comminatur deus, ni redderet eam saluam marito, fore ut nunquam recedat gladius a domo ipsius. Item Dauid regi per Nathan dictum: Non recedet gladius à domo tua, post raptam uidelicet Bethsabeam. Aegyptij tempore Abrahæ impendio plus uidebantur abhorrere ab adulterio, quàm homicidio. Proinde timebat Abraham ne occiderent eum, & deinde post uxorem suam Saram Pharaoni offerrent, proindeq́ nollet ipsam cognoscere, quàm diu crederet eam habere maritum, Genesis duodecimo. Dauid propter adulterium, homicidium quoque & proditionem designauit, ideo filium abstulit ei deus. secũdo Regũ 12. Mulier in adulterio depræhẽsa, mandabatur à Moyse lapidari, Leuitici uigesimo. Cum relatum fuisset Iudæ, quòd Thamar ex adulterio concepisset, ait, ducite eam ad comburendam, Genesis 38. Admonendum hoc quoque, quòd si quis in adulterium dicat, multa illi non de persona tantum, sed de ipso uitij genere dicenda erunt, eritq́ danda opera, ut intelligãt auditores, quanta sit in eo uitio turpitudo. Apud Aegyptios, Valerio teste, libro sexto, capite quinto: mulier adulterij damnata, mutilabatur naso, ut ea corporis parte detur paretur, qua placuerat. Apud Germanos si maritus uxorem in adulterio deprehendisset, eam accisis crinibus, nudatam coram propinquis, domo exigebat, & der omnẽ uicum uerberibus agebat. Apud Placiados moris erat, ut qui fuisset in adulterio deprehensus, ignominiosas pœnas daret, impactis in pudendam corporis partem raphanis, qui apud illos miræ magnitudinis esse dicuntur, quod si raphani forte nõ fuissent ad manum, scelæo utebantur, id est, ligonis ligno. Apud Romanos olim mos fuit, ut mulieres adulterij conuictæ, uirili toga indutæ, in publicum procedere cogerentur, ut est apud Isidorum non omnino pessimum autorem. Cui adstipulari uidetur & Martialis cum ait: Coccina famosæ donas, & ianthina mœchæ. Vis mage, quę meruit mittere, mitte togam. Zeleucus legem statuit Locris, ut in adulterio deprænhensis, oculi eruerentur, quam legem cum filius eius uiolasset, eidem oculum unum excuti iussit, & sibi alterum quoque, ut latam legem firmius probaret. Tenedius quidam rex legem tulit in adulteros, ut utriusq́ corpus securi cõcideretur, eius legis exemplum in filium ædidit. Adulterij pœnam apud Romanos ex Catonis oratiõe refert Gellius cap. 20. lib. 13. M. Cato: In adulterio uxorem tuam si depręhendisses, sine iuditio impune necares. Illa te si adulterares, digito non auderet contingere: neque ius est. In Bacchi. Plautinis: Nihil est lucri, q̃d me hodie facere mauelim, quàm illũ cubantem cum illa opprimere: Ambo ut necem. Sempronius Musca C. Gallum deprænhensum in adulterio, flagellis cædit. C. Neuius L. Octauium similiter depręhensum, neruis cõtudit. Carbo Actineus à Bebennio; item Pontinus à Ceruio depręhẽsi,

castrati sunt, aliaq; id genus exempla commemorat Valerius lib. sexto de pudicitia. Gracchum in adulterio repertum, Numius interemit. L. Gracchus. C. De adulter. Sed quid ab externis? propiora exempla petamus. Quando sancta fit nimium lex illa quam in Leuitico capite uigesimosecundo Moyses sanxit: Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriatur & mœchus, & adultera. Idem Deuteronomij 22. cap. Si dormierit uir cum uxore alterius, uterq; morietur, id est, adulter & adultera, & auferas malũ de Israel. Iob 31. Si deceptum est cor meum super muliere, &c. Ecci 23. Quid quod impense placuit deo zelus Phinees filij Eleazari, quando perfodit uirum cum muliere Madianitide, licet alioquin & magni essent ac nobiles, Numer. 25. Diuus Augustinus epistola 61. quæ est ad Dulcitium, uult adulterium puniri à principibus terræ. Idem libro primo de libero arbitrio cap. 3. Diuus Hieronymus ad Innocentiũ, de muliere septies icta: Hanc (inquit) cum ex amore consularis inuiseret, oblatam sibi quandam muliercúlam unà cum adultero (nam hoc crimen maritus impegerat) carceris horrore circundedit. Ex hoc apparet, adhuc ætate D. Hieronymi adulterium capite solere puniri, nunc magnatum lusus est. Plautus in Mercatore, ubi Syra anus loquitur: Ecastor lege dura uiuunt mulieres, &c. Apud Cumanos mulier in adulterio deprahensa, ducebatur in forum, ut illic lapidi insistens, omnibus esset conspicua. Deinde impositam asino, atque ita per totam ciuitatem circunductam, reducebant ad lapidem, ut ibi rursus esset omnibus spectaculo. His actis, habebatur infamis per omnem uitam, & ignominiæ gratia ὀνόβατις dicebatur, quòd asinum equitasset. Lapis autem nefastus ac detestabilis habebatur, in quo steterat mulier. Scribunt quidam quòd antiquitus homicidæ & adulterantes simiam circunferre quoquò irent, sint coacti, hac tamen lege, ut simiæ anum is qui crimen patrasset, ad os suum haberet. Apud Hebræos adultera lapidabatur. Apud Romanos aliquando minitabatur lex Iulia. Apud Cumanos summa ignominia supplicij loco erat. Nunc apud Christianos ludus est adulterium, apud quos tamen matrimonium est sacramentum. Quid superest, nisi ut præmia decernantur his qui multorũ uxores constuprarũt? Olim incestæ prophanæ uiuæ defodiebantur: Nunc uiolare uirginem Christo dicatam, pietas. Hactenus Erasmus in adagio, Onobatis. Lege adagium: Bos porrecto ultra Taygeton capite. Erasmus Roterodamus Enchr. militis Christ. cano. 6. pariter. 2. §. 3. Idem adagio: Hic bonorum uirorum est morbus. Quis non execratur furem? At longe fœdius est adulterium, quod tamen proceres propemodum sibi laudi tribuũt. Quum Dionysius intellexisset filium, cui principatum relicturus erat, ingenui uiri coniugem adulterasse, iratus interrogauit, an unquam tale quicquam in patre comperisset, hic adolescens: Tu enim non habebas patrem regem: nec tu, inquit Dionysius, filium regem habiturus, ni talia perpetrare desinas. Tyrãnus in filio dignum exhæredatione crimen iudicabat adulterium, qui hodie magnatum ludus est. Quum puella multa nocte ad Alexandrum esset deducta, cum eo dormitura, rogauit rex ubi fuisset tam diu: illa respõdente, se expectasse donec maritus isset cubitum, ministros accitos acriter obiurgauit: Reducite, inquit, hãc: parum enim abfuit, quin uestra culpa fuerim factus adulter. Egregium castitatis exẽplum, tum in iuuene, tum in rege. Nam apud illos simplex stuprum, pro nullo crimine habebatur. Apparet autem tum fuisse morem, qui adhuc durat in Italia, ut uxores secubarent à uiris, nisi si quãdo uocarentur. Si propter unius Lucretiæ uiolatam pudicitiã, Romani reges exacti sunt: quid hisce temporibus in tanta fœdissimarum libidinum adulteriorumq; turpitudine fieri conuenit? Augustinus libro de ciuitate dei 3. capit. 5. Antiqui Romani reges in stupro detectas uestales sacerdotes, uiuas etiam defodiebant, adulteras autem fœminas, quamuis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant. Usqueadeò grauius seueriusq; uindicanda putabant adita diuina, quàm humana cubilia uindicabant. Certiorem faciens procreationẽ.) Philosophus nescio quis ad adolescẽtem soluta, atque impudica natum matre, cum saxa in forum iactaret, caue, inquit, ô ado

lesces, ne patrem quoque ferias, ut qui in populũ iactes, populi enim est filius, adeoq́ nullius est filius, uel si ita mauis, cuiusq; potius est filius, qui adulterę matris filius est.

Cuius sit filius deinceps dubitabit.) Apud Homerũ Odysseæ primo, Telemachus Mineruæ dicit: Mater me sibi eius filium prædicat suum, cæterum id ego haud compertum habeo. Nemo enim adhuc patrem suum nouit. Odyss. α. μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ, ἔγωγε οὐκ οἶδα, οὐ γάρ πω τὶς ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω. Augustinus in li. de fide rerum inuisibilium capite 2. Quòd si hæc dicant, coguntur fateri incertos sibi esse parentes suos, quia & hoc aliĳs narrantibus crediderunt. Publica quædam rerum naturæ iniuria.) Origenes in commentariĳs in epistolam ad Romanos capi. 2. ubi refertur perempto Vria Ietro, uxorem ipsius accepisse Dauid, quomodo ergo dicit, tibi soli peccaui, cum utique in ipsum Vriam peccauerit, & in propinquos eius, sed & in ipsam Bersabee, atq; omnem domum eius, cum intulisse maculam uidetur adulterĳ? Vereor enim ne adulter.) Annotauit Guilielmus Budæus in pandectas, quædam esse uerba, quæ idem fine negatione, ac cum negatione polleant, ut uereor, timeo, metuo, caueo, & si qua sunt eiusdem significationis: uereor ne ueniat, uereor ut ueniat. Timeo ne moriar, & timeo ut moriar, caue ne facias, & caue ne facias. Terentius: Sed pater adest, caue te esse tristem sentiat. Lege Vallam libro tertio, ca. 30.

Timeo ut finis.) Prouerbiorum sexto: Stulti cum mœchantur, uitam amittunt, plagam & dedecus auferunt, nec ignominiam unquam abolere possunt. Nam apud uirum, cum zelotypia uritur, non est ueniæ locus, sicubi ulcisci datur, nec ignoscet, ut maxime placare coneris, nec muneribus quamuis multa offeras, flecti se patitur.

EPILOGVS.

ERant alia quoque permulta, quæ merito in hæc prorsus aurea Aphthonĳ progymnasmata annotari poterãt, nisi quo minus annotaremus omnia, annotationum nobis obstaret multitudo. Quanquam uereor, ne hęc multa nimium uideãtur. Colligamus igitur præexercitamentorum quæ hisce nostris commentariĳs utcunque illustrauimus, summam: doceamusq; cuius quæq; sint generis.

CENSVRA IN APHTHONII PROGYmnasmatum elenchon per Alardum Aemstelredamum.

Fabula quidem non multum indiget exercitatione.

Deliberatiui sunt generis	*Fabula* *Historia* *Chria siue utilitas* *Sententia* *Thesis.*
Iudicialis sunt generis	*Comprobatio* *Improbatio* *Locus communis.*
Demostratiui sunt generis	*Laus* *Vituperatio* *Imitatio* *Comparatio.*

Sunt

SVnt autem ut hoc ceu auctarium adiiciam, hi exercitationis modi 14. ad augendam eloquentiam cum primis necessarii, ut quos & primos habuit, & diu solos, prima rhetorices institutio: hisce eñ praeexercitamentis ueteres illi sophistae, artem dicendi exercuerunt. Arma sunt haec quodammodo praeparanda semper, ut iis cum res poscat uatris. Quae qui pertinere ad orationem nõ putabit, is ne statuã quidem inchoari credet, cum eius membra fundentur. Assumpta tamen interim à dialecticis inueniendi ratione, quam porrò (ut compendiaria assequaris uia) primum oĩm censeo tibi iterũ atq; iterũ diligenter euoluendos, atq; adeo ad uerbũ ediscendos Rodolphi Agricolae de inuentione dialectica libros omnes, quos in hunc usq; diem mutilos, nunc demum per nos ad autographi exemplaris fidẽ accuratius emendatos, & additis annotationibus nostris illustratos, curauimus excudendos. Hoc in eum finem retulerim, quòd ut citius fatigatur, qui quodnam ingreditur iter nescit, aut si sciat maxime, tamen ignorat, quàm lõgum sit: Ita minore taedio rem literariam gerit, cui studii aggrediẽdi ratio modusq; sit praecognitus. Et profecto studia nihil prosunt perueniẽdi aliquo, ni si illud quod eò quò intendas ferat deducatq;, cognoris.

FINIS.

PRISCIANI GRAMMATICI CAESARIENSIS PRAEEXERCITAmenta ex Hermogene translata, cum scholijs Alardi Aemstelredami.

Elenchus.

1 Fabula	4 Sententia	7 Laus	10 Descriptio
2. Narratio	5 Refutatio	8 Comparatio	11 Positio
3 Vsus	6 Locus cõmunis	9 Allocutio	12 Legislatio.

Alardus Aemstelredamus Arnoldo Alectorio Agrippinati, iuueni cum primis erudito S. D.



CVm Priscianus autor nusquam non diligentissimus, non solum eruditissimus, ubiq; corruptus sit, tum in hisce praeexercitamentis multò corruptissimus. Dictu uerò mirum, quae portenta uerborum hic supposuerunt quidam impudentissimi, qui hunc librum ita deprauauerunt, ut ad restituendum Delio *quopiam opus sit.* O *audatiam illiteratorum, nihil non audentium: tantum scilicet indoctorum impudentia potuit, ut libellus hic optimus nusquam esset* ἀσχάδωτος. Hoc *igitur opus cum in omnibus (quae mihi uidere contigit) exemplaribus diuersissime reperissem inscriptum, collatis ac pensiculatis accuratius omnibus, ita nuncupandum censemus:* Prisciani Grammatici *Caesariensis praeexercitamenta ex* Hermogene *translata. Siue quòd ita memoriae prodidit* Rodol. *Agricola comment. in prologum Senecae:* Ergo, *inquit, quum apud grammaticos ea percepissent, quae praeexercitamenta uocabantur, quae apud Graecos* Hermogenes, *apud* Latinos Priscianus *scripta reliquit. Siue quòd idem quoq;* Aphthonio *à se uerso haec praeexercitamẽta coniuncte adiecerit: Siue quòd in exemplari bibliothecae* S. Panthaleonis *apud* Colonienses *titulus fuerit:* Prisciani *Sophistae ars praeexercitaminum secũdum* Hermogenem *uel* Libanium. Videtur *itaque mihi* Priscianus *hoc olim in* Aphthonio *restrictius egisse, quod pridẽ uir optimus* Petrus Mosellanus, *ut theologus summus, ita in nulla disciplina non exquisite doctus & exercitatus, locupletius atq; retractatius egit in opusculo, cui titulũ indidit, de primis apud rhetorem exercitationibus: uterque tamen (nisi me fallat nasus) ex aequo huc respexit, ut notiora, eaq; appositissima subnecteret exempla, quae*

non rarò in Aphthonio aut desideres, aut certè obscuriora sint, & non satis exposita uideantur esse his, qui parum adhuc in rhetorum præceptionibus exercitati sunt, atq; uersati. Proinde res ipsa docet utrunq; id uitium demum spectasse, quô explicatius aliquanto quàm Aphthonius sua traderent omnia, & merito quidem. Vtendum est enim his exemplis, quæ sunt magis familiaria discentibus. Quæ mea sit sententia de horum autore præexercitamentorum, confido te intelligere. Sit tamen cuiq; liberum quod uelit sequi. Illud paucis mihi admonendus es, ad hos exercitationis modos plenius intelligendos, nonnihil, imò plurimũ momenti allaturum esse Fab. Quintil. lib. secundo cap. quarto, ubi agit de primis apud rhetorem exercitationibus. Arma sunt hæc quodammodo præparanda semper, ut ijs cum res poscat utàris. Quæ qui pertinere ad orationẽ non putabit, is ne statuam quidẽ inchoari credet, cum eius membra fundentur. Obsecro te Arnolde suauiss. si uenandi studium ac uoluptas homines per niues ac pruinas in montes syluasq; rapit, præexercitamentorum necessitatibus eam operam nõ adhibebimus, quam uel aucupiũ lusus ac uoluptas elicere solet? Cæterum si tu ita pergas, erga nos, aliosq; item præceptores tuos beneficia beneficijs obtegere, ut iampridem iterum atque iterum haud illiberaliter occepisti, confido fore, ut te de me bene meritum esse olim non pœniteat. Sed cesso pluribus proloqui, ne remoram faciam studijs tuis, néue mihi Cleomenis illud aliquis obijciat: Quorsum nobis de rebus pusillis magna texis prooemia? Posteaq̃ meo hortatu, nactus es apud Lutetiam, Bartholomeum Latomum præceptorem, uirum tam eloquentia quàm moribus præstantissimum, qui ad Phœnicis Homerici exemplum dicere ac facere doceat. Idcirco non committas, ut usquam uidearis oblatæ occasioni quiduis discendi atq; faciendi defuisse.

Bene ualebis. Coloniæ Natali D. Gregorij. Anno 1539.

Priscia

PRISCIANI CAESARIENSIS PRAEEXERCITAMENTA ex Hermogene translata.



FAbula est oratio ficta uerisimili dispositione imaginem exhibens ueritatis. Ideo autem hanc primam tradere pueris solent oratores, quia animos eorum adhuc molles, ad meliores facile uias instituunt uitae. Vsi sunt ea tamen uetustissimi quoque autores, ut Hesiodus, Archilochus, * Hora. Hesiodus quidem lusciniae, Archilocus autem uulpis, * Hora. muris. Nominantur autē ab inuentioribus fabularum aliae Aesopiae, aliae Cypriae, aliae Libycae, aliae Sybariticae. Omnes autem communiter Aesopiae, quoniam in conuentibus frequenter solebat Aesopus fabulis uti. Et pertinet ad uitae utilitatem, & * est uerisimilis, si res, quae subiectis accidunt personis, apte reddantur: ut puta de pulchritudine aliquis certat, pauo hic supponatur: Oportet alicui astutiam tribuere, uulpecula est subijcienda: Imitatores aliquos hominum uolumus ostendere, hic simijs est locus. Oportet igitur modo breuiter, modo latius eas disserere: Quomodo autem hoc fiet? si nunc narratione simplici proferantur, nunc etiam sermo inductis fingatur personis: exempli causa. Simiae conuenerunt, & consilium habuerunt de urbe condenda, & quia placuit illis, paratae erant incipere aedificationem: sed uetus inter eas prohibuit ab incepto, quod facile capiantur, si intra muros concludantur: sic breuiter dices: si uelis producere, sic. Simiae conuenerunt, & consiliabantur de urbe condenda, quarum una in medium ueniens concionata est, quia oportet ipsas quoque ciuitatem habere. Videtis enim, aiebat, quod * ciuitatem habendo homines habeant etiam domos * singuli, & concionem uniuersi, & in theatrum ascendentes delectant animos spectationibus, & auditionibus uarijs: & sic proferes orationem in morando, dicens, quod & plebiscitum scriptum est: & finges etiam orationem ueteris simiae. Expositio autem fabularum uult circuitionibus carere & iucūdior esse. Sed oratio, qua utilitas fabulae retegitur, quam ἐπιμύθιον, id est, epimythion uocāt, quod nos affabulationē possumus dicere, à quibusdā * etiam praeponitur, à plerisque rationabilius postrema ponitur. Sciendum uero, quod etiam oratores inter exempla solent fabulis uti.

Margin notes: * Homerus · * Homerus · * Et. · * ciuitates · * singulas. · * prima.

SCHOLIA IN PRISCIANI GRAMMATICI PRAEEXERCITAMENTA, per Alardum Aemstelredamum.

IN FABVLAM.

HEsiodus quidem lusciniae.) ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις: νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσ' ἐρέω, & caete. Archilochus autē uulpis.) Basilius Magnus de euoluendis gentilium scriptorū libris: Archilochusque uulpis calliditate multiplicitateque gaud. bimus? Haec

lle. Cæterum quid certi de uulpe Archilochæa adstruam, non habeo, nisi quod in eã coniecturam uocer, eum quodam poëmatis genere uulpem miræ uersuciæ & calliditatis animal induxisse, unde uel nomen etiam obtinuerit: sicuti dicimus Luciani gallum: Psitacum Statij: Culicem Maronis, aliaq; his similia. Meminere Archilochi Plin. lib. 7. cap. 19. Quintil. li. 10. ca. 1. Horatius in arte, Gellius lib. 17. cap. 21. Suidas. Cœlius Rhodoginus lib. 6. cap. 17. Lege adagium: Archilochum teris. Plutarchus περὶ πολυπραγμοσύνης: Quidam è poëtis eligunt deterrima, ut ab Archilocho obscœna dicta in mulieres, &c. Archilochi poëtæ mordacitas uulgo celebratissima fuit. Is Lycambem socerum à quo fuerat repudiatus, huiusq; filiam adeo uirulentis uersibus insectatus est, ut uterq; se laqueo præfocauerit. Aristoteles lib. rhetorices primo, cap. de exemplo. Horatius muris.) Horatius lib. secundo sermonum satyra sexta: Rusticus urbanum murem, mus paupere fertur Accepisse cauo. Omnes autem communiter Aesopiæ.) Quintilia. lib. 5. cap. 11. Oportet alicui astutiam tribuere.) Ambrosius cap. 3. sexti Examerôn: Fraudulenta uulpes (inquit) foueis se latibulisq; demergens, nonne indicio est infructuosum esse animal, odioq; dignum propter rapinam, despectui propter infirmitatem, & ideo suæ incautũ salutis, dum insidiatur alienis? Persius satyra. 5. Astutam uapido seruans sub pectore uulpem. Imitatores aliquos hominum.) Respexit ad nominis etymon. Modo breuiter, modo latius.) Apuleius in libro de deo Socratis, apologum illum Aesopicum de uulpe & coruo mira uerborum parsimonia perstringit, & eundem plurimis uerbis quàm fusissime explicat. Idem egimus & nos in apologo inter lusciniam & cuculum, de certamine canendi, asino iudice. Vide Rodolphum Agricolam de inuentione dialect. lib. primo cap. de similibus sub calcem. Quomodo autem hoc fiet.) Optime id, ut alia omnia, docet D. Erasmus Rotero. ca. de exemplo fabuloso, & de apologis item, in Copia. Et finge etiã orationẽ ueteris simiæ.) Id quod fecit Angelus Politianus in Lamia, in fabula de auibus & noctua. Quod etiam oratores.) Marcus Tull. in oratione pro Sexto Roscio, & pro Milone. Idem quoq; tertia Verrina. Inter exempla Aristoteles libro rhetorices primo, cap. de exemplo. Reliqua uel perstrinximus in Aphthonio, uel per se satis aperta sunt.

DE NARRATIONE.



Arratio est expositio rei factæ, uel quasi factæ: quidam tamen χρεῖαν, id est, usum posuerunt ante narrationem. Species autem narrationis quatuor sunt, fabularis, fictilis, historica, ciuilis. Fabularis *est ad fabulas suprà dictas pertinens: fictilis ad tragœdias siue comœdias fictas: historica ad res gestas exponendas: ciuilis, quæ ab oratoribus in exponendis sumitur causis. Nunc autem * ad eam, quæ ad exercitationem pertinet, dicemus, quam uarijs proferre modis solemus.* Per rectum, per inclinatiuum, per cõiunctiuum, dissolutum, & per comparatiuum. Per rectum, *ut Medea Aeetæ filia fuit, hæc prodidit aureum uellus, & sequentia. Rectum autem nominatur, quod per totam, uel etiam ampliorem orationem casum seruat nominatiuum * Inclinata dicitur, in qua obliquis utimur casibus: ut Medeam Aeetæ filiam dicunt amauisse Iasonem, & reliqua: quia alios quoque casus assumit. Coniunctiua uero figura est, qua arguentes utimur: ut * quod enim nõ fecit Medea malum? Non amauit quidem*

ede ca.

Indicatiua.

quid em̃ Medea non, &c.

dem

dem Iasonem? prodidit aureum uellus? interfecit fratrem? & sequentia. Dissolutum uero fit sic: Medea Aeetæ filia prodidit aureum uellus, Absyrtum interfecit, & sequentia. Comparatiuum uero est hoc: Medæa Aeetæ filia debens pudicitiam seruare, turpitudine amoris prodidit eam: & quam decebat custodem fraternæ fieri salutis, interfecit fratrem: & quæ debuit tutari aureum uellus, tradidit insidiatori. Et rectum quidem historiæ conuenit: est enim planius: inclinatum uero magis * certaminis rhetoricis: coniunctiuum quoque ad arguendum accommodatius: dissolutum autem perorationibus, siue conclusionibus, est enim paßiuum, id est affectus animi commouens.

* certantibus.

IN NARRATIONEM.

VT Medæa Aeetæ filia.) Ouidius lib. transformationum 7. refert fabulam. Et Cicero pro lege Manilia nonnihil de eadem perstringit. Vide Rodolp. Agricolam lib. 1. de inuenti. dialectica, ca. 25.

DE VSV.

VSus est, quem Græci χρεῖαν uocant, commemoratio alicuius orationis, uel facti, uel utriusque simul, celerem habens demonstrationem, quæ utilitatis alicuius causa plerunq; profertur. Vsuum autem alij sunt orationales, alij actiui, alij mixti. Orationales sunt, quibus inest oratio sola: ut Plato dicebat musas in animis esse ingeniosorum. Actiui uero, in quibus actus inest solus: ut Diogenes, quum uidisset puerum agentem indecenter, pedissequum uirga percußit. Mixti, si addas, percußit dicens: Quare sic erudisti? Interest autem inter usum & commemorationes hoc, quod usus breuiter profertur, commemorationes uero, quas Græci ὑπομνήματα uocant, longiores sunt. A sententia uero differt, quod sententia indicatiue profertur, usus uero sæpe etiã per interrogationem, & responsionem: præterea quod usus etiam in actu solent inueniri, sententiæ uero in uerbis tantum: & quoniam usus habet omnino personam, quæ fecit, uel dixit: sententia uero sine persona dicitur. Traduntur tamen differẽtiæ usuum plures à ueteribus, alij* uero sunt indicatiui, alij interrogatiui. Sed nunc ad instans ueniamus, hoc est ad operationem, & ordinationem ad usum pertinentium capitulorum. Disponendum igitur sic, primum, ut laus breuiter dicatur eius, qui dixit, uel fecit, deinde expositio ipsius usus, hinc causa: ut Isocrates dicebat stirpem quidem doctrinæ esse amaram, fructum uero dulcem. Laus, Isocrates sapiens fuit. & producis * per tempora locum: postea sequitur eloquutio ipsius usus, non enim oportet * nomen ipsum per se ponere, sed latius cum in-

* enim.

* pedetentim.

* Nõ oportet tamen ipsum per se ponere

terpretari. Deinde à causa: maxima enim factorum per laborem perfici solent, perfecta uero afferunt iucunditatem. Deinde utẽdum à contrario: nam uilißimæ rerum non egent labore, & finem teterrimum habent, studiosißimæ uero res ecõtrario. Post hæc à comparatione: quomodo enim agricolas oportet laborantes in terram accipere fructus, sic etiam eloquentes. Deinde ab exemplo: Demosthenes inclusit sese in ædiculis ad legendum, & multo labore, pôst accepit fructus coronas & prædicationes * Postea à iudicio argumenteris. Deinde à testimonio: ut, Hesiodus quidem dixit, uirtutis sudorem dij longe posuere: alius poëta dixit, laboribus uendunt dei nobis omnia bona. * Post omnia inferes exhortationem, quod oportet parêre illi, qui dixit, aut fecit.

*Præterea ab iudicio argumenteris.
*Post inferes.

IN VSVM.

Alius poëta dixit.) Is est Epicharmus, cuius hoc est celebre dictum: τῶν πολῶν πολίον ἥμιν πάντα τ' ἄγαθα θεοί. Alius Comicus uenuste dicit item: Dij nihil nobis gratis dederunt, nisi somnum.

DE SENTENTIA.



SEntentia est oratio generalem pronunciationem habens, hortans ad aliquam rem, uel dehortans, uel demonstrans quale sit aliquid: Dehortans quidem, quomodo in illo Homerico: Non oportet per totam noctem dormire consultorem uirum: & illo Virgiliano: Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis. Hortans uero, ut in illo: Oportet pauperiem fugientem etiam latißimum pontum penetrare, & ad scopulos * inclinare præcipites. Demonstrans uero qualitatem rei, ut: Prospere enim agentes indigni occasionem accipiunt * in sapientem malefaciendi. Præterea sententiarum aliæ sunt ueræ, aliæ uerisimiles, * aliæ coniunctæ, aliæ superlatiuæ. Veræ quidem, ut: Non potest inueniri uita hominis carens molestia, &: Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis. Verisimiles autem, ut: Si quis cum malis conuersatur libenter, nunquam de hoc bene interrogaui uiro, sciens quoniam talis est, quales illi, cum quibus conuersatur. Et, una salus uictis nullã sperare salutẽ. Simplices uero: ut possunt diuitiæ & dementes facere & humanos, &: Quid nõ mortalia pectora cogis Auri sacra fames? Coniunctæ, ut: Non est bonũ multos esse reges, unus rex sit, &: Obsequium amicos, ueritas odium parit. Superlatiuæ, ut: Nihil * imbecillius homine terra pascit, &: Fama malum, quo non aliud uelocius ullum Mobilitate uiget. Operatio uero sententiæ. Consimilis est meditationi usus, de quo superius dictum est: Prouenit enim à laude breui eius * qui dicit, à simplici expositione ipsius sententiæ, à causa, à contrario, à comparatione, ab exemplo, ab iudicio,

*applicare.
*insipienter.
*aliæ simplices.
*ægrius.
*dixit

iudicio, à conclusione. Fit autem sententia, exempli causa: Non oportet per totam noctem dormire uirum multis consulentem. Laudabis igitur eum qui dixit breuiter, deinde simplici expositione eloqueris sententiam, ut: Non decet uirum in summa potestate multis præsidentem ab occasu solis usque ad ortum opprimi somno. A causa: Debet enim præses semper in cura esse, somnus uero curas omnibus aufert. A contrario, contrarium est enim rex, & priuatus: & somnus, & uigiliæ: Quomodo ergo molestum non est, si priuatus homo per totam dormiat noctem, sic intolerabile * si rex non uigilijs curisq; consulat sibi parentum saluti. A comparatione: Quomodo enim gubernatores, & si cæteri dormiant, soli pro communi uigilant salute, sic oportet imperatores curare pro suis. Ab exemplo: Hector enim noctu uigilans, & curās, speculatorem ad naues Græcorum mittebat Dolonem. Ab iudicio, ut Sallustius quoque hoc comprobat dicens: Sed multi mortales dediti uentri, atque somno indocti incultiq;, uitā sicuti peregrinantes* transiere. Conclusio uero habet exhortationem plerunq;: ut oportet & nos necessarias res suscipientes, nimia cura, uigilijsq; eis consulere.

* si rex nō uigilet cōsulatq; sibi parentiū saluti.

* egere

IN SENTENTIAM.

IN illo Homerico.) Retulit quod est apud Homerum in Iliados libro secund. οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα: Id est, Rodolpho Agricola interprete: Turpe quæ te ducem totas deperdere noctes. Des. Erasmus Roterodamus sic uertit in Chiliadibus: Haud dignum duce est noctem dormire per omnem. Oportet pauperem fugientem.) Allusum est ad carmē Theognidis antiquissimi poetę, quod & ab Aphthonio adducitur. Lucanus: Paupertas fugitur, totoq; arcessitur orbe. Prospere enim agentes, ut digni occasionem accipiunt. Cicero in calce libri tertij de natura deorū: Diogenes quidem Cynicus dicere solebat harpalum qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quòd in illa fortuna tam diu uiueret. Dionysius cum fanum Proserpinæ Locris expilauisset, nauigabat Syracusas, isq; cum secundissimo uento cursum teneret, ridens: Videtis ne, inquit, amici, quàm bona à dijs immortalibus nauigatio sacrilegis detur, & quæ sequuntur de eodem tyrāno.
Non potest inueniri uita hominis carens molestia.) Id ex senario ab Aphthonio Sophista adducto, ita uertit Rodolphus Agrico. Expers malorum uita nulli contigit. Non est bonum multos esse reges.) Et de hoc diximus in Aphthonio. Fama malum.) Carmen Vergilianum est. Quoniam talis est, quales illi cum quibus conuersatur. Lege Adagium: Corrumpunt mores bonos colloquia praua. Et qualis uir, talis oratio. Et: Pares cum paribus facilime congregantur.

DE REFVTATIONE.



Refutatio est improbatio propositæ rei, quam Græci ἀνασκευὴν uocant. Confirmatio uero ex econtrario comprobatio. Quæ uero planißime sunt falsa, uel uera, nec refutanda sunt, nec cōfirmanda, quales sunt fabulæ, Aesopiæ uel historiæ indubitabiles. Oportet enim refuta-

refutationes & confirmationes de illis rebus fieri quæ ancipitem adhibent opinionẽ. Refutandum igitur ab incerto, ab incredibili, ab impoßibili, ab inconsequente, ab indecente, ab incommodo. Ab incerto, ut incertum erat tempus, in quo Narcissum fuisse dicunt. Ab incredibili, incredibile est Arionem malis affectum uoluisse canere. Ab impoßibili, impoßibile erat Arionem à delphino seruari. Ab inconsequente, quod & contrarium dicitur, ut contrarium erat uoluisse perdere libertatem eum, qui eam seruasset. Ab indecente, indecens erat Apollinem, cum sit deus, * uoluisse mulieri uim inferre. Ab incommodo, cum dicimus, quod neque prodest hæc audire. Confirmes uero à contrarijs.

*uoluisse iūgi mortali

REFVTATIO.

IN quo Narcissum dicunt.) Ouidius tertio metamor. libro. Incredibile est Arionem malis affectũ.) Aulus Gellius li. 16. ca. undeuicesimo. Et Plutarchus in symposio septem sapientũ. Huic confine & illud est q̃ l narrat Lucianus de electro siue cygnis. Voluisse mulieri uim inferre.) Aliâs, uoluisse iungi mortali, quæ lectio porrò mihi magis arridet: respexit enim ad fabulam de Apolline & Daphne, quam refert Aphthonius cap. de restructione.

DE LOCO COMMVNI.



LOcus communis exaggerationem habet manifestæ rei, quasi ex argumentationibus iam peractis, non enim quærimus in hoc, an iste sacrilegus, uel uir fortis sit, sed rei conuictæ, & manifestæ exaggerationem facimus, cui tamen legibus supplicium sit definitum, uel præmium. Dicitur autem communis locus, quia conuenit contra omnem, uerbi causa, sacrilegum, uel etiam (ut quibusdam placet) pro omni uiro forti. Oportet autem sic progredi per inquisitionem contrarij, deinde ponere ipsam rem post comparationem, quam sequitur sententia, postea coniectura præteritam uitam criminaris à præsentibus: dehinc amoueas misericordiam per capitula, quæ finalia dicũtur, id est utili, iusto, legitimo, honesto & similibus, & per demõstrationẽ * huius rei actæ. Principia enim in loco communi pure non inuenis, sed usque ad formulã quandam seruãtur, * quod ut exemplo manifestum fiat, sit locus communis contra sacrilegum, principia igitur dicenda sunt usque ad formulam hoc modo: Omnes equidem oportet maleficos homines in odio esse uobis iudices, maxime uero eos, qui contra deos aliquid audent. Secundum quasi principium: Ergo si uultis facere, ut cæteri quoque sint peßimi, isti concedite: sin hoc minime placet, istum supplicijs afficite meritis. Tertium: Videtur enim reus in periculum duci solus, re autem

*ipsius

*Et ut exemplũ tibi manifestũ fiat.

tem

Item uera uos quoq; in discrimen extremum uenietis, contemptio enim iurisiurandi, & fidei, religionisq; uiolatio * nescio an minores * habeant sacrilegio pœnas. Post has igitur formulas principij ante quàm in ipsam rem ueniamus, de contrario est dicendum, * quod leges constituerunt prudentissime deos aris placari, templa eis deuouerunt, donarijs ornauerunt, hostijs honestauerunt, festis diebus redeuntibus celebrauerunt. Et inferes etiam approbationem tractando causam: quod iustissime has leges constituerunt, deorum enim placatorum prouidentia custoditur salua Resp. uiolatorum uero proditione corrumpitur. Sic progredere ad propositum: Quæ cum ita sint, iste quid est ausus facere? Et exponis rem non quasi docens, sed quasi exaggerans: quod uniuersæ nocuit ciuitati, & communibus, & priuatis rebus, & timendum, ne tale scelus consequatur sterilitas frugum, ne hostium superemur armis, & similia. Post hæc ad comparationes uenies: quod homicidis multo est iste peior, quanta uero sit differentia, ex læsis conijcere possumus. Homicidæ enim contra homines audent, sacrilegus autem in ipsos sceleratam exercet audaciam deos, tyrannis iste simillimus, sed tamen ex illis non omnibus, sed pessimis omnium: illorum enim facinus est sæuissimum, quod sacratas dijs diuitias auferunt. A maiore uero ad minus comparationes per increpationē induces, ne minuere crimen uidearis, ut: Non est iniquissimum furem quidem uel iniuriosum affici supplicio, sacrilegum uero absolui. Licet autem etiam præteritam eius uitam à * præsenti criminari: quod à paruis cœpit, & ad hoc pessimum facinus progressus est: Ergo non solum sacrilegum, sed etiam furem, atq; effractorem, & adulterum habetis. Excuties & etiā sententiam, per quam uenit ad tale peccatum: quod nolens ingenue laborare, uel arando cibum acquirere, per sacrilegia uult diuitias quærere. Præterea à consequentibus dices: quod per hunc imminuta maiestas templorum, diffamati sacerdotes, segniores ad offerendum ornamenta delubris redditi ciues. Vtere autem etiam amotione misericordiæ. Amouetur autem misericordia finalibus * capitulis, id est iusto, utili, possibili, decenti, & descriptione ipsius iniuriæ, ut: Non istum mihi attendatis, qui nunc lachrymat ante conspectum uestrum, sed illum contemnentem deos, adeuntem fana, euellentem fores, auferentem donaria * sacra. Et post omnia perores in exhortationem desinens: Quid moramini? quid cogitatis de eo, qui iam pridem omnibus uidetur esse damnatus?


* haud scio
* debeant.
* quomodo quod.
* præsentibus.
* caussis.
* eorum.

IN LOCVM COMMVNEM.

Quasi ex argumentationibus iam peractis.) Enodatius explicuit id quod obscurius aliquanto dixit Aphtho. δευτερολογία δὲ ἔοικε κ' ἐπιλόγῳ, id est, uidetur autem uelut secundæ orationi & conclusioni similis. Tyrannis iste simillimus.)

mus.) Aldus legit: Sed tamen ex illis non omnibus, sed pessimis omnium. Alij sic habent: Non tamen omnibus, sed pessimis omnium. Opinor legendum: non tamen in illis omnibus, sed pessimis omnium.

DE LAVDE.



Laus est expositio bonorum, quæ alicui accidunt personæ, uel communiter, uel priuatim: communiter, ut laus hominis: priuatim uero, ut laus Socratis. Laudamus etiam res, ut iustitiam, & muta animalia, ut equum, nec non etiam arbores, & semina, & montes, & fluuios, & similia. Sciendum autem, quod & laus, & uituperatio sub uno, eodemque genere referuntur demonstratiuo, quod & ex eisdem locis utraque proficiscuntur. Quid autem intercest inter has, & locum communem, uidentur enim in quibusdam * unum esse: hoc quod in loco communi pro uiro forti dicentes, eo consilio dicimus, ut præmium petamus: laus autem per se testimonium uirtutis habet. Loca uero laudis, uel uituperationis hæc sunt, gens, ut Latinus, Græcus: ciuitas, ut Romanus, Atheniensis: genus, ut Aemilianus, Alcmæonides. Dices etiam siquid nascendo euenit uiro uel ex somnijs, uel ex signis, uel huiuscemodi quibusdam prænunciationibus: deinde sequitur uictus, quomodo in Achille, quod medullis leonum pastus est: hinc educatio, quomodo eruditus est apud Chironem: nec non etiã natura animi, corporisque tractetur, & eorum utrunque per diuisionem: dices enim de corpore quidem, quod pulcher, quod magnus, quod scitus, quod fortis: de animo uero, quod iustus, quod moderatus, quod sapiens, quod strenuus. Postea laudabis à professionibus, id est, quod officium professus est, philosophicum, uel rhetoricum, uel militare: omnibus autem est exquisitissimum de gestis dicere, ut militarem uitam degens quid in ea gessit. Laudabis etiam, uel uituperabis extrinsecus, id est à cognatis, amicis, diuitijs, familia, fortunis, & similibus. Præterea etiam à tempore, quantum uixit, multum, uel parum: utrunque enim occasiones laudis uel uituperationis præbet. Ad hæc ex qualitate mortis, ut pro patria pugnans, uel si quid mirabile in ipsa morte euenit, uel etiam ab eo, qui eum interfecit, ut Achilles ab Apolline interfectus est: & exquires etiam, quæ sequuta sunt post mortem, si certamina in eius honorem sunt celebrata, quomodo Patroclo ab Achille, & Anchisæ ab Aenea: si oraculum aliquod datum est de oßibus eius, quomodo de Oreste & Palinuro: si filios habuit laudabiles, quomodo Achilles Pyrrhum. Maximam uero occasionem in huiuscemodi orationibus suppeditant comparationes, quas pones in quo loco tempus admoneat. Consimiliter autem muta quoque animalia,

* esse nimium coniuncte.

malia, quomodo conuenit, & à loco, in quo nascuntur, laudantur: & à dijs, in quorum sunt tutela: ut columba Veneri, equus Neptuno dicitur esse consecratus. Praeterea dices, quomodo pascitur, qualem habeat animum, quale corpus, aut quod opus, quid utilitatis, quale spacium temporis uitae: necnon etiam comparatione, & omnibus accidentibus locis uteris. Res autem laudes ab inuentoribus: ut Venationem Diana inuenit, & Apollo. Et ab his, qui ea usi sunt: ut Heroës uenationibus utebantur. Maxima autem facultas in huiuscemodi rerum laudationibus datur ex contemplatione eorum, qui eas res affectant, quales sunt tam animis, quàm corporibus: ut uenantes fortes, audaces, acuti, integri corporibus. Hic non ignores, quomodo etiam deos debeas laudare. Similiter arbores à loco, in quo gignuntur, & à Deo in cuius sunt tutela, ut oliua Mineruae, laurus Apollinis: etiam à pastu, quomodo pascuntur, & id si multa cura egent, admireris: sin parua, id quoq; laudabis: dices autem quomodò de corpore staturam, pulchritudinem, pullulationem, quomodo de mali arbore, & quid utile * habent, in quo maxime morandum. Cōparationes autem ubique assumendae. Quin etiam urbium laudes huiuscemodi locis non difficulter acquires, dices enim & de genere, quod indigenae: & de uictu, quod à deis nutriti: & de eruditione, quod à dijs eruditi sunt: tractes uero quōmodo de homine, qualis sit * statura, quibus professionibus est usa, quid gesserit.

* habeat

* structura

IN LAVDEM.

VEl ex signis, uel huiuscemodi quibusdam praenunciationibus.) Sic laudaturus Platonem, posset adducere illud ex Pausania in Atticis: Σωκράτης τῇ προτεραίᾳ νύκτι ἢ Πλάτων ἔμελλεν ἔσεσθαι μαθητὴς ἐσπτῆναι οἱ κύκνον εἰς τὸν κόλπον εἶδεν ὄνειρον: Socrates prima nocte quàm Plato futurus esset discipulus, inuolare ei cygnū ad sinum, uidit somnio. Quomodo eruditus est apud Chironem.) Vide quae annotauimus in Aphthonium cap. de laude. Achilles ab Apolline interfectus est.) Et de hoc quoq; diximus in eo quem modo citauimus loco. Patroclo ab Achille.) Homerus Iliados duodeuicesimo. Anchisae ab Aenea.) Vergilius lib. Aene. quinto. Vt columba Veneri.) Verg. in sexto. Equus Neptuno.) Vergil. libro primo Georg. Oliua Mineruae.) Plinius libro duodecimo, cap. primo. Laurus Apollini.) Plinius lib. duodecimo, cap. primo.

DE COMPARATIONE.



Omparatio est uel similium, uel diuersorum, uel minorum ad maiora, uel maiorum ad minora collatio. Ea usi sunt etiam in communi loco augentes per comparationem crimina. Assumitur tamen & in laude, & in uituperatione eiusdem rationis causa. Quoniam

tamen doctißimi oratorum ea quoque per se pro exercitatione sunt usi, dicamus etiam de hac. Procedentes igitur per loca laudationis, comparamus & urbem urbi, ex qua sunt uiri, & genus generi, & uictum uictui, & professiones professionibus, & gesta gestis, & ea quae accidunt extrinsecus, ut diuersos mortis modos, & quae eam sunt consequuta. Similiter si arbores * comparare uolueris, conferes etiam praesidentia eis numina, & loca in quibus nascuntur, & fructus, & utilitatem, & similia. Res quoque si compares, dices, qui primi eas inuenerint, & eos conferes: praeterea qualitatem animi, & corporis. Idem tibi sit praeceptum in reliquis: sic enim uel in omnibus, uel in plerisque similia ostendimus, quae comparamus. Est autem, quando alterutrum praeponimus comparando. Est etiam, quando alterutrum uituperantes alterutrum laudamus: ut si comparemus iustitiam & diuitias. Fit autem comparatio etiam ad melius, ut si laudans Vlyssem comparem illum Herculi, minorem similem maiori uirtutibus uolens ostendere. Exigit autem huiuscemodi locus fortem oratorem, & callidum, & celerem, ut agiles posit semper facere transitiones.

* al. cõpares.

IN COMPARATIONEM.

Exigit autem huiuscemodi locus fortem oratorem & callidum.) E scholiis nostris in Aphthonium si ita uidebitur, super hac re aliquot exempla petas licebit.

DE ALLOQVVTIONE.



Alloquutio quae à Graecis ἠθοποιΐα dicitur est, imitatio sermonis ad mores, & suppositas personas accommodata: ut quibus uerbis uti potuisset Andromache, Hectore mortuo. Confirmatio uero quam Graeci προσωποποιΐαν nominant, est quando alicui rei contra naturam datur persona loquendi: ut Cicero patriae, & Reipubl. in inuectiuis dat uerba. Est praeterea simulachri fictio, quam Graeci εἰδωλοποιΐαν dicunt, quando mortuis uerba dantur, quod facit Cicero pro Caelio, uerba dans Appio Caeco contra Clodiam. Fiunt autem alloquutiones & finitarum, & infinitarum personarum: Infinitarum, ut quibus uerbis uti potuisset ad suos aliquis profecturus à patria: finitarum uero, ut quibus uti potuisset uerbis Achilles ad Deidamiam profecturus ad bellum Troianum. Alloquutionum uero quaedam sunt simplices, quando supponitur aliquis ipse per se loquens, quaedam duplices, quando ad alios loquitur: per se quidem, ut quibus uerbis uti potuisset Scipio uictor reuertens: ad alios uero, quibus uerbis uti potuisset Scipio post uictoriam ad exercitum. Vbiq; autem est seruanda proprietas & personarum,

& temporum. Alia sunt enim uerba iuuenis, & alia senis, & alia gaudentis, & alia dolentis. Sunt autem quædam alloquutiones pasionales, quædam morales, quædã mixtæ. Pasionales sunt, in quibus pasio, id est, commiseratio perpetua inducitur, ut quibus uerbis uti potuisset Andromache, mortuo * uiro. Morales uero, in quibus continentur mores, ut quibus uerbis uti potuisset rusticus, cum primũ aspexit nauim. Mixtæ uero utrunque habent, ut quibus uerbis uti potuisset Achilles interfecto Patroclo. habet enim & pasionem funeris amici, & morem de bello cogitantis: sed operatio procedit per tria tempora, & incipit à præsentibus, recurrit ad præterita, & transit ad futura: habet autem stylum suppositis aptum personis.

*Hectore.

IN ALLOQVVTIONEM.

ANdromache Hectore mortuo.) Homerus Iliados sexto. Extat etiam hac de re declamatiuncula Libanij Sophistę. Cicero patriæ & reipub: in inuectiuis dat uerba.) Cicero in Catilinam: Quæ tecum Catilina & quodammodo tacita loquitur. Rursum: Etenim si patria quæ mihi uita multo est charior, si cuncta Italia, si omnis resp. sic loquatur: Marce Tulli quid agis? & cęt. Verba dans Appio Cæco.) Nempe hæc: Mulier quid tibi cum Cælio, quid cum adulescentulo, quid cum alieno? Achilles ad Deidamiã.) Deidamia, siue ut alij uolũt, Deiamia, filia fuit Licoridis Scyri regis, qua cum Achilles consuetudinem habuit, & inde natus est Pyrrhus. Vbique autem est seruanda proprietas.) Lege Erasmum Roterodamum in copia de personæ descriptione, circa medium. Interfecto Patroclo.) Iliados duodecuicesimo. Et morem de bello cogitantis.) Aristoteles libro rhetorices primo, capite tertio.

DE DESCRIPTIONE.

DEscriptio est oratio colligens, & præsentans oculis quod demonstrat. Fiunt autem descriptiones tam personarum, quàm rerum, & temporum, & status, & locorum, & multorum aliorum. Personarum quidem, ut apud Virgilium: Virginis os, habitumq; gerens, & uirginis arma Spartanæ. Rerum uero, ut pedestris prælij, uel naualis pugnæ descriptio. Temporum autem, ut ueris, æstatis. Status, ut pacis, uel belli. Locorum, ut littoris, campi, montium, urbium. Potest autem commixta esse demonstratio: ut si quis describat pugnam nocturnam, simul demonstrat & rem, & tempus. Conuenit igitur res quidem describere ab ante factis, & quæ in ipsis eueniunt, uel aguntur: ut si belli dicamus descriptionem, primum quidem ante bellum debemus dicere de lectus habitos, sumptus paratos, timores qui fuerunt: hinc congressus, cædes, mortes, uictorias, laudes uictorum: illorum uero qui uicti sunt, lachrymas, seruitutem.

Sin uero loca, uel tempora, uel personas describamus, habebimus aliquam etiam narrationem, de qua supra docuimus, & à bono, uel utilis, uel laudabili rationem. Virtus autem descriptionis maxime planities, & præsentia, uel significantia est: Oportet enim eloquutionem penè per aures oculis præsentiam facere ipsius rei, & exæquare dignitati rerum stylum eloquutionis, si clara res est, sit & oratio similis: sin submissa, huic quoque aptabitur qualitas uerborum. Sciendum autem, quod quidam non posuerunt descriptionem in præexercitamentis, quasi præoccupatam & in fabula, & in narratione: in illis enim quoque describimus & loca, & fluuios, & personas, & res. Sed quoniam quidam eloquentissimorum eam quoque tradidere inter præexercitationes, non incongruum est eos imitari.

IN DESCRIPTIONEM.

PEdestris prælij, uel naualis pugnę descriptio.) Si quisquam est qui de his quæ sequuntur petat exempla, is legat Erasmum in posteriore copiæ commentario, de descriptione rei. Et nostra in Aphthonium commentaria. Vt si belli dicamus descriptionem.) Erasmus in copia à secunda uariandi ratione ad descriptionem usque. Sed quoniam quidam eloquentissimorum.) Quos nominatim adduximus in Aphthonij caput de descriptione.

DE POSITIONE.

POsitio est deliberatio alicuius rei generalis ad nullam personam certam pertinens, uel aliquam partem circunstantiæ: ut si tractemus, an nauigandum, an ducendum uxorem, an philosophandum, non addentes cui, sed ipsam rem per se, & per accidentia eius requirentes: ut an illa res sit facięda, quā faciętibus solet illud et illud accidere. Quod si finitā assumamus personam, & sic deliberemus, non positio iam, sed suppositio est, quæ magis ad controuersias pertinet. Sunt igitur positionum aliæ ciuiles, aliæ priuatæ. Ciuiles quidem, quæ communibus, & ad ciuitatem pertinentibus subiacent opinionibus: ut an rhetoricæ dandum studium, & his similia. Non uero ciuiles, uel priuatæ, quæ sunt propriæ aliquarum disciplinarū & eas profitentium: ut an pilæ formam habeat mundus, an multi sint mundi, an ignis sit sol. hæ enim quæstiones ad philosophos pertinent: nam oratores in alijs sunt exercitandi. Nominauerunt autem quidam has actiuas, illas * autem inspectiuas, siue intellectiuas. hæ enim possunt agere, illarum autem finis est inspectio, siue intellectus. Est autem inter locū communem & positionem hoc differentiæ, quod locus communis est conuictæ, et manifestæ rei exaggeratio: positio autem dubiæ rei quæstio. Positionum autem

* uero

alia

aliæ sunt simplices, aliæ ad aliquid cōparantur, & duplices uidentur esse. Si enim dicamus, an * luctationem exercēdam, an agriculturam, duplex: oportet enim ab altero dehortari in alterum hortantem. Diuiduntur autem positiones capitulis, quæ finalia nominantur, id est iusto, utili, possibili, decenti. ut iustum est ducere uxorem. & quod à parentibus accepimus reddere uitæ, quod prodest: multa enim ex nuptijs accidunt solatia. quod possibile. A similibus enim facile possumus dicere, quod decet non more ferarum degere. hoc modo confirmes. Refutes autem ex contrarijs, necnon etiam incidentes obiectiones reprobes. In peroratione uero hortationibus utêris, & communibus omnium moribus hominum.

* an luctatiōe exercendum an agricultura

IN POSITIONEM.

AN pilæ formam habeat mundus.) Apud Aphthonium est: An globosum cœlum, an multi sint mundi. Has actiuas, illas autem inspectiuas.) Lege Aphthonium de Thesi, & quæ in eum locum ex Cicerone annotauimus.

Non more ferarum.) Quintilianus libro nono, capite secundo. Est emphasis etiā inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur. Vt apud Vergilium: Non licuit thalami expertem sine crimine uitam degere, more feræ. Quanquam enim de matrimonio queritur, tamen huc erupit eius affectus, ut sine thalamis uitam hominū non putet, sed ferarum.

DE LEGISLATIONE.

LEgis quoque lationem in præexercitationibus ponunt, quoniam etiā in negociali* (& lationibus legum, & accusationibus) utuntur quæstione. Differentiam autem hanc esse dicunt, quod in negociali circunstantia est, in præexercitatione non est: ut fert aliquis uendendos esse honores sine tempore, & sine reliquis circunstantiæ partibus. Diuiditur autem manifesto, legitimo, iusto, utili, possibili, decenti. Manifesto, ut apud Demosthenem: facile est id omnibus discere, & cognoscere simplicia, & manifesta esse iura legum. Legitimo si dicamus, quod contra ueteres leges. Iusto, * quando dicimus, quod & contra naturam, et contra mores. Vtili, * quando dicimus, quod & nunc & in futurū lædit. Possibili, * quando dicimus, quod neque potest fieri. Decenti, * quumdicimus, quod iustum est fieri.

* & latiōis legū & accusationis

* quum
* quum
* quum
* qn̄dicim⁹ id in gloria est.

IN LEGISLATIONEM.

FAcile est id in hominibus discere, & cognoscere.) Aliâs sic: Facile est id omnibus discere & cognoscere, simplicia & manifesta esse iura legum. Opinor id esse desumptū ex Demosthenis oratione quæ in Aristogitonem prior inscripta est, ubi definit quidnam sit lex.

90

L. ANNEI SENECAE DECLAMATIONES ALIQVOT, CVM *Rodolphi Agricolæ commentariolis.*

L. ANNEI SENECAE DECLAMATIONUM *libri primi ad Nouatum, Senecam & Melam filios, prologus.*



XIgitis rem magis iucundam mihi, quàm facilē. Iubetis enim iudicare, quid de his declamatoribus sentiam, qui in ætatem meam inciderunt, & si qua memoriæ meæ nondum elapsa sunt, ab illis dicta colligere: ut quamuis notitiæ uestræ subducti sint, tamen non credatis tantum de illis, sed etiam iudicetis. Est fateor iucundum mihi redire in antiqua studia, melioresq; ad annos respicere, & uobis querentibus, quod tantæ opinionis uiros audire non potueritis, detrahere iniuriam temporum. Sed cum multa iam mihi ex me desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium sensum hebetauerit, neruorum firmitatem fatigauerit, inter ea quæ retuli memoria est, res ex omnibus partibus animi, maxime delicata & fragilis, in quā primum senectus incurrit. Hanc aliquando in me floruisse, ut non tantum ad usum sufficeret, sed in miraculum usque procederet, non nego. Nam duo milia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebam: & ab his qui ad audiēdum præceptorem nostrum conuenerant, singulos uersus à singulis datos, cum plures quàm ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum, quæ uellem, uelox erat mihi memoria, sed etiam ad continenda quæ acceperat. Nunc autem & ætate quassata, & longa desidia, quæ iuuenilem quoque animum dissoluit, eò perducta est, ut etiam si possit aliquid præstare, tamen promittere non possit, & diu ab illa nihil repetiui. Solebat bonæ fidei esse. Nunc quia iubetis, quid possit experiar, & illam cum cura scrutabor. Ex parte enim spero bene. Nam quæcunque apud illam, aut puer, aut iuuenis deposui, quasi recentia, & modo audita sine cunctatione profert. At si qua illi intra proximos annos commisi, sic perdidit & amisit, ut etiam si sæpius ingerantur, toties tanquam noua audiam. Itaq; ex memoria, quod nobis satis sit, superest. Neq; enim me de his interrogatis, quos ipsi audistis, sed de his qui ad nos usque non peruenerunt. Fiat quod uultis, mittatur senex in scholas. Illud necesse est impetrem, ne me quasi certum aliquem ordi-

nem

nem uelitis sequi, in contrahendis quæ mihi occurrent. Necesse est enim per omnia studia mea errem, & paßim quicquid obuenerit controuersiarum, apprehendam. Sententias fortè ponam pluribus locis in una declamatione dictas. Non enim dum quæro, aliquid inuenio, sed sæpe quod quærenti non comparuit, aliud agenti præsto est. Quædam uero quæ obuersantia mihi, et iam ex aliqua parte se ostendentia non possum occupare, eadem securo & reposito animo subito emergunt. Aliquando etiam seriam rem agenti & occupato, sententia diu frustra quæsita, intempestiue molesta est. Necesse est ergo me ad delicias componam memoriæ meæ, quæ mihi iam olim precario paret. Facitis autem iuuenes mei rem necessariam & utilem, quod non contenti exemplis seculi uestri, prioris quoque uultis cognoscere. Primum, quia quo plura exempla inspecta sunt, plus eloquentia proficitur. Non est unus, quamuis præcipuus sit, imitandus, quia nunquam par fit imitator autori. Hæc natura est rei: Semper citra ueritatem & minor est similitudo. Deinde ut poßitis æstimare quantum quotidie ingenia decrescant, & nescio qua iniquitate, & ad malum pronitate naturæ, eloquentia se retro tulerit. Quicquid Romana facundia habet, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia quæ lucem nostris studijs attulerunt, tunc nata sunt. In deterius deinde quotidie data res est, siue luxu temporum (nihil est enim tam mortiferum ingenijs quàm luxuria) siue cum præmium pulcherrimæ rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia, multo honore quæstuq; uigentia, siue fato quodam, cuius maligna perpetuaq; in omnibus rebus lex est, ut ad summum perducta, rursus ad infimum, uelocius quidem quàm ascenderant, relabantur. Torpent ecce ingenia desidiosæ iuuentutis, nec in ullius honestæ rei labore uigilatur. Somnus languorq;, ac somno & languore turpior, malarum rerum industria, inuasit animos. Cantandi saltandiq; nunc obscœna studia effœminatos tenent, & capillum frangere, & ad muliebres blanditias uocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundißimis se excolere munditijs, nostrorum adolescentium specimen est. Quis æqualium uestrorum, quid dicam satis ingeniosus, satis studiosus, imo quis satis uir est? Emolliti, eneruesq; quod nati sunt, inuiti manent, expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes suæ. In hos nec Dij tantum mali permittant, ut cadat eloquentia, quam nō mirarer, nisi animos in quos se conferret, eligeret. Erratis optimi iuuenes, nisi illam uocem non Marci Catonis, sed oraculi creditis. Quid enim est oraculum? Nempe uoluntas diuina hominis ore enunciata. Et quem tandem antistitem sanctiorem inuenire sibi diuinitas potuit, quàm Catonem, per quem humano generi non præciperet, sed conuicium faceret? Oraculū.

 ret?

ret? Ille ergo uir quid ait? Orator est Marce fili, uir bonus, dicendi peritus. Ite nunc & in istis † fluxis atque expolitis, & nusquam nisi in libidine, uiris, quærite oratores. Meritò talia habent exempla, qualia ingenia. Quis est qui nunc memoriæ studeat? Quis qui non dico magnis † uiribus, sed suis placeat? Sententias à disertißimis uiris factas, facile in tanta hominum desidia pro suis dicunt, & sic acerrimam eloquentiam, quam præstare non possunt, uiolare non desinunt. Eo libentius quod exigitis faciam. Et quæcunque à celeberrimæ facundiæ uiris dicta teneo, ne ad quenquam priuatim pertineant, populo dedicabo. Ipsis quoque multum præstaturus uideor, quibus obliuio imminet, nisi aliquid tradatur posteris, quo memoria eorum producatur. Ferè enim aut nulli commentarij maximorum declamatorum extant, aut quod peius est, falsi. Itaq; ne aut ignoti sint, aut aliter quàm debeant noti, summa cum fide suum cuique reddam. Omnes autem magni nominis in eloquentia uideor audisse, præter Ciceronem. Nec Ciceronem quidem ætas mihi eripuerat, sed bellorum ciuilium furor, qui tunc totum orbem peruagabatur, quo intra Coloniam meam me continui. Alioquin potuissem eum audisse in illo atriolo, in quo duos grandes prætextatos ait secum declamare solitos. Potui & illud ingenium, quod solum populus Romanus par imperio suo habuit, cognoscere, & quod uulgò de alio dici solet, sed de illo proprie debet, potui uiuam uocem audire. Declamabat autem Cicero, nõ quales nunc controuersias dicimus, nec tales quidem quales ante Ciceronem dicebantur, quas theses uocabant. Hoc autem genus materiæ quo nos exercemur, adeò nouum est, ut nomen quoque eius nouum sit. Controuersias nos dicimus, Cicero causas uocabat. Hoc uero alterum nomen Græcum quidem est, sed in Latinum ita translatum, ut pro latino sit. Scholastica controuersia multo recentius est, sicut ipsa declamatio, quia apud nullum autorem antiquum, ante ipsum Ciceronem & Caluum inueniri potest, qui declamationem distinguit. Ait enim declamare est, iam non mediocriter bene dicere. Alterum putat domesticæ exercitationis: Alterum esse ueræ actionis. Modo nomẽ hoc prodijt. Nam & studium ipsum nuper celebrari cœpit. Ideo facile est mihi ab incunabulis nosse rem post me natam. In alijs autem an beneficium uobis daturus sim nescio, in uno accipio. Latronis enim Portij charißimi mihi sodalis memoriam sæpius cogor retractare, & à prima pueritia usque ad ultimum eius diem productam familiarem amicitiam cum uoluptate maxima repetam. Nihil illo uiro grauius, nihil suauius, nihil eloquentia sua dignius. Nemo plus ingenio suo imperauit: nemo plus sibi indulsit. In utraque parte uehementi uiro modus deerat, nec intermittere studia sciebat, nec repetere. Cum se ad scribendum concitauerat,

[Margin notes: † uulsis; † fortè, uiris; Declamare quid sit]

iunge-

iungebantur noctibus dies, & sine interuallo grauis sibi instabat, nec desinebat, nisi defecerat. Rursus cum se dimiserat, in omnes lusus, & in omnes iocos resoluebat. Cum uero se syluis montibusq; tradiderat, omnes illos agrestes in syluis ac montibus natos, laboris patientia ac uenandi solertia prouocabat, & in tantam sic uiuendi peruenerat cupiditatem, ut uix posset ad priorem consuetudinem retrahi. At cum sibi manum iniecerat, & se blandiendo quò abduxerat, reuocabat, tantis uiribus incumbebat in studium, ut non tantum nihil perdidisse, sed multum acquisiuisse desidia uideretur. Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare. Excitatur enim ocio uigor, & omnis tristitia quæ continuatione pertinacis studij adducitur, feriarum hilaritate discutitur. Nulli tamen intermißio manifestius proderat. Quoties ex interuallo dixerat, multo acrius uiolentiusq; dicebat. Exultabat enim nouato & integrato robore, & tantum à se exprimebat quantum concupierat. Nesciebat dispensare uires suas, sed immoderati aduersum se imperij fuit. Ideoq; studium eius prohiberi debebat, quia regi non poterat. Itaq; solebat & ipse, cum se aßidua & nunquam intermissa contentione fregerat, sentire ingenij laßitudinem, quæ non minor est quàm corporis, sed occultior. Corpus illi erat & natura solidum, & multa exercitatione duratum. Itaque nunquam eum ardentis impetus animi deseruit. Vox robusta, sed sordida lucubrationibus, & negligentia non natura infuscata, beneficio tamen laterum extollebatur: & quamuis inter initia parum attulisse uirium uideretur, ipsa actione accrescebat. Nulla unquam illi cura uocis exercendæ fuit. Illum fortem, agrestem, & † Hispanæ cõsuetudinis morẽ non poterat dediscere, utcunq; res tulerat ita uiuere. Nil uocis causa facere. Non illam per gradus paulatim ab imo usq; ad summum perducere. Non rursus à summa contentione paribus interuallis descendere: Non sudorem olei unctione discutere, non latus † ambulatione reparare. Sæpe cum per totam lucubrauerat noctem, ab ipso cibo statim ad declamandum perueniebat. Iamuero cum rem inimicißimam corpori faceret, uetari nullo modo poterat. Post cœnam ferè lucubrabat, nec patiebatur alimenta per stomachum, per somnum quietemq; æqualiter digeri, sed perturbata & dißipata in caput agebat. Itaque & oculorum aciem confuderat, & colorem mutauerat. Memoria & natura quidem felix, sed plurimum adiuta arte. Nunquam ille quæ dicturus erat, ediscendi causa relegebat. Edidicerat illa, cum scripserat: cum id in illo magis mirabile uideri poßit, quod nec lente & anxie, sed eodem penè, quo dicebat, impetu scribebat. Illi quidem qui scripta sua torquent, qui de singulis uerbis in consilium ueniunt, necesse est, quæ toties animo suo admouerint, nouißime affigant.

† ablutiones

At quorumcunque stylus est uelox, tardior memoria est. In illo non tantum naturalis memoriæ felicitas erat, sed ars summa, ad apprehendenda quæ tenere debebat, & ad custodienda, adeò ut omnes declamationes suas quascunque dixerat, teneret. Iam itaque superuacuos sibi fecerat codices. Aiebat se scribere in animo cogitata. Dicebat ita, ut in nullo unquam uerbo, eum memoria deceperit. Historiarum omnium summa notitia, iubebat aliquem nominari ducem, & statim eius acta cursu reddebat. Adeò quæcunque in animum eius semel descenderant, in promptu erant. Video uos iuuenes mei plus iusto ad hanc eius uirtutem obstupescere. Alia uos in illo mirari uolo. Hoc quod tantum uobis mirum uidetur, non operosa potest tradi arte. Intra exiguum paucißimorum dierum tempus, poterit quilibet facere id, quod Cyneas fecit, qui missus à Pyrrho legatus ad Romanos, postero die nouus homo & senatum, & omnem urbanam circumfusam senatui plebem, nominibus suis persalutauit. Aut quod ille fecit, qui recitatum à Poëta carmen nouum, suum esse dixit, & protinus memoria recitauit, cum hoc ille, cuius carmen erat, facere non posset. Aut quod fecit Hortensius, qui à Sisenna prouocatus in auctione persedit diem totum, & omnes res & precia, & emptores ordine suo recensuit argentarijs recognoscentibus, ita ut in nullo falleretur. Cupitis statim ista discere. Suspendam cupiditatem uestram, & faciam alteri beneficio locum. Interim hoc uobis in quo iam obligatus sum persoluam. Plura fortasse uideor de Latrone meo uobis, quàm audire desideratis, exposuisse. Ipse quoque hoc præuideram futurum, ut à memoria eius, quoties occasio fuisset, difficulter auellerer. Tamen nec his contentus ero, sed quoties me inuitauerit memoria, libentißime faciam, ut illum totum & uos cognoscatis, & ego recognoscam. Illud unum non differam, falsam opinionem de illo in animis hominum conualuisse. Putant enim fortiter quidem, sed parum subtiliter eum dixisse, cum in illo si qua alia uirtus fuit, etiam subtilitas fuerit. Id quod nunc à nullo fieri animaduerto, semper fecit. Antequam dicere inciperet, sedens quæstionem eius quam dicturus erat, controuersiæ proponebat, quod summæ fiduciæ est. Ipsa enim actio multas latebras habet, nec facile potest, si quo loco subtilitas fuerit, apparere, cum orationis cursus iudicium audientis impediat, dicentis abscondat. At ubi nuda proponuntur membra, si quid aut numero, aut ordine excidit, manifestum est. Quid ergo? Vnde hæc de illo fama? Nihil est iniquius his, qui nusquam putant esse subtilitatem, nisi ubi nihil est præter subtilitatem, & in illo cum omnes oratoriæ uirtutes essent, hoc fundamentum tot & tantis superstructis molibus obruebatur. Nec deerat in illo, sed non eminebat. Et nescio an maximum uitium subtili-

tatis

tatis sit, nimis se ostendere. Magis nocent insidiæ, quæ latent. Vtilissima est dissimulata subtilitas, quæ effectu apparet, & habitu latet. Interponam itaque aliquibus locis quæstiones controuersiarum, sicut ab illo propositæ sunt. Nec his argumenta subtexam, ne & modum excedam, & propositum tam meum quàm uestrum, cum uos sententias audire uelitis, & quicquid ab illis abduxerit, molestum futurum sit. Hoc quoque Latro meus faciebat, ut amaret sententias, cum condiscipuli essemus apud Marullum rhetorem, hominem satis aridum, paucissima belle, sed non uulgato genere dicentem: cum ille exilitatem orationis suæ imputaret controuersiæ, & diceret: Necesse est me per spinosum locum ambulantem, suspensos pedes habere, aiebat Latro: Non me hercules tui pedes spinas calcant, sed habent. Et statim ipse dicebat sententias, quæ interponi argumentis quammaxime declamantis Marulli possent. Solebat autem & hoc genere exercitationis uti, ut aliquo die nihil præter epicheremata scriberet, aliquo die nil præter enthymemata, aliquo die nil præter has translatitias, quas proprie sententias dicimus, quæ nihil habent cum ipsa controuersia implicitum, sed satis apte & aliò transferuntur, tanquam quæ de fortuna, de crudelitate, de seculo, de delitijs dicuntur. Hoc genus sententiarum supellectilem uocabat. Solebat schemata quoque per se quæcunque controuersia reciperet scribere. Et putant illum homines hac uirtute caruisse, cum ingenium quidem eius hac dote abundauerit, iudicium autem eius fuerit strictius. Non placebat illi orationem inflectere, nec unquam recta uia discedere, nisi cum hoc aut necessitas coëgisset, aut magna suasisset utilitas. Schemata negabat decoris causa inuenta, sed subsidij, ut quod palàm aures offensurum esset, si palàm diceretur, id oblique & furtim surreperet. Summam quidem esse dementiam, detorquere orationem, cui rectam esse liceret. Sed iam non sustineo uos morari. Scio quàm sit odiosa Circensibus pompa. Ab ea autem controuersia incipiam, quam primam declamasse Latronem meum memini, admodum iuuenem in Maxilli schola, cum iam cœpisset diem ducere.

RODOLPHI AGRICOLAE

IN PROLOGVM SENECAE PRAECEdentem commentariolum.



Libros hos declamationum quos explicaturi sumus, Lucius Anneus Seneca scripsit. Is equestri ordine fuit natus Cordubæ, quod oppidum est partis eius Hispaniæ quam Beticam uocant, à Bet fluuio qui eam perfluit, in eloquentia temporibus suis clari in primis nominis & insignis, philosophiæ quoque studijs à primis annis deditus, Photini Stoici discipulus fuit, Claudij Cæsaris temporibus, incertum quibus accusantibus aut quibus criminibus in exilium relegatus est in Corsicam insulam. Postea quum Agrippina Neronis mater Claudij matrimonium adepta esset, occisa à Claudio priore uxore sua Messalina propter adulterium, reuocatus est ab exilio Seneca, ut erudiendæ adolescentiæ Neronis adesset, quamobrem, assecuto deinde imperium Nerone, Seneca potentiam opesq; amplissimas consecutus est. Pòst quum inciperet ad uitia & crudelitatem reliquaq; uitæ dedecora prolabi Nero, repræhendentem Senecam & ad meliora reuocantem iniquius ferebat, adeò ut quum Seneca certior fieret plerosq; se apud Neronem criminari, & opum magnitudinem cultumq; uitæ materiam sumere ad infamandum se & in odium principis ducendũ, sponte sua Seneca bona sua omnia obtulit Neroni, quæ recusabat quidem Nero uelle se capere, & blande tecto dissimulatoq; odio illi permittebat. Postea quum pleriq; insignes uiri Romæ ad occidendum Neronem coniurassent, detectaq; foret ea coniuratio, & sumptum de coniuratis supplicium, Seneca quoque tanquam & is in coniuratis fuisset, iussus est à Nerone mortem suo arbitrio sibi parare, ergo apertis primum uenis brachiorum & crurum, quum lentius sanguis ex uenis senio arctatis profflueret, uenenum quale Socrates in carcere bibit, sumpsit, & quum ne sic quidem moreretur, in feruens demum balneum illatus mortuus est. Fratrem habuit Gallionem, itidem dicendi laude clarum. Filios genuit Nouatum, Melam, & Senecam: quorum Mela, testimonio Cornelij Taciti, pater fuit Lucani poëtæ, ut fuerit Seneca nõ patruus, sicut uulgò dicitur, sed auus. Seneca filius is fuit qui Tragœdias quæ solæ extant Latine scripsit. At pater Seneca inter plurima monumenta ingenij sui quæ reliquit, quorum magna pars temporum iniuria periit, pars ad nos comminuta & fragmentata peruenit, scripsit decem hos libros Declamationum ad filios suos, qui libri etiam nunc confracti sunt, & tantum partes quasdam habent eorum qui à Seneca scripti sunt: qualescunq; tamen, digni qui legantur, & omni cura explicentur. Quia autem libri isti Declamationum inscribuntur, optimum fuerit in initio dicere paulò apertius, quid sit declamatio. Igitur temporibus eis quo primũ res Atheniensium, deinde populi Romani magnæ & potentes fuere, fuit & in Græcia & Romæ eloquentia in summo precio & ueneratione, itaq; pueri protinus in scholis instituebantur ad bene dicendum, ut quum adoleuissent, possent in iudicijs & consilijs publicis & priuatis proferre facundiam suam. Ergo quum apud grammaticos ea percepissent quæ præexercitamẽta uocabãtur, quæ apud Græcos Hermogenes, apud nos Priscianus scripta reliquit, tum ad rhetoris scholam adducebantur, proponebãturq; eis themata, qualia his libris descripta sunt, quorum alia ficta erant, alia ex historijs aut Poëtis sumebantur, qualia hodie apud Græcos Sophistas pleraq; extant, ad quæ themata in scholis pueri exercebant se stylo, scribẽdo in utranq; partem pro modo ingenij & eruditionis suę quisq; quam optime poterat. Deinde qui profectu processerant, & commodius iam poterant scribere, hi ea ipsa quæ scripserant ediscebãt, & tum dicebant: nonnulli, qui summus iam profectus erat, statim proposito themate, sta

Senecæ uita.

Corduba.

Sene. auus Lucani.

Seneca Tragicus Senecæ filius.

te, sine scriptura dicebant. Hoc ergo erat declamare, in scholis exercitationis causa dicere. Itaq; declamatio non aliud est quàm oratio scholastica, ad similitudinem forensis orationis dicta. Exigitis.) Hoc est procemium librorum, quo ex lege procemiorum tria facit. Filios enim suos ad quos scribit beneuolos & attentos & dociles reddit. Beneuolos, quia se paratum ostendit, & uolentem facere quod exigunt: dicit enim rem iucũdam sibi esse, quia rediturus est in memoriam iuuenilium studiorum, & melior pars uitæ rursus ei est pertractanda, id autem non esse sibi difficile, quia hoc opus sit memoriæ magis quàm ingenij, quia oporteat reminisci eum eorum quæ clari in dicendo uiri quos ipse audiuit dixerunt, quod solum sit memoriç opus, quam certe Seneca habuit tam præstantem, ut ex omni hominum genere inter paucos esset admirabilis, quod facile ex uerbis illius perspici potest. Deinde ibi, Facitis autem iuuenes mei: reddit attentos eos & dociles. Attentos, quia ostendit petere eos rem utilem & profuturam studijs multorum. Dociles, quia dicit originem declamandi, hoc est, rem ostendit de qua dicturus. Tum præterea quod uelit primo libro ponere declamationes Portij Latronis, magna & arctissima familiaritate secum coniuncti. Ibi, Ipsis quoq; multum præstaturus uideor, hæ partes suis locis uberius dicentur. Exigitis.) Exigere quãdoq; petere significat, ut hic: quãdoq; peragere. Verg. 1. Aene.

Omnes ut tecum meritis pro talibus annos

Exigat. Ouidius in fine Metamorph. Iamq; opus exegi. Quandoq; spernere. Terent. in And.

Vt quas posthac faciet de integro comœdias
Spectandæ an exigendæ sint uobis prius.

Iucundam, per u scribendum est, non per o, non enim à ioco dicitur, sed à iuuat, quod est delectare, habetq; primam non ut iocus breuem, sed longam syllabam. Iuuenalis:

Iucundum & charum sterilis facit uxor amicum.

Iubetis.) Aliquando iubere significat imperare, ut hoc loco. Statius in primo Theb.

Vnde iubetis ire deæ.

Aliquando significat poscere. Ouid. in 1. de arte:

Verberibus iussas præbuit ille manus.

Antiqua.) Antiquũ & uetus promiscue ferè unum pro altero accipiũtur. Iuuenalis:

Antiquum & uetus est alienum Posthume lectum

Concutere. Dicitur autem utrunq; de eo quod adhuc durat. Priscum uero quasi peristum, id est quod iam perijt. Horatius in Odis:

Vt redeunt in aurum tempora priscum.

Et alio loco: Quid si prisca redit Venus. Id est, quæ ante tempora fuit. Senex de eis dicitur de quibus iuuenis, hoc est de animantibus, nec de hominibus solum, sed & de reliquis animalibus. Iuuenalis: Et uetus indulget senibus clementia porcis. Vergilius in tertio Georgicorum de equo dicit: Frigidus in Venerem senior. Meliores annos per metonymiam dixit, id est, commutationem nominis, non enim anni meliores sunt, sed uita quam intra annos uiuimus. Opinionis, id est, famæ in hoc loco, diciturq; passiue uir magnæ opinionis, id est de quo habetur magna opinio, Aliquando pro sententia animi accipitur, sic dicimus opinionem Platonis, opinionẽ Democriti. Seneca in consolatione ad Martiam: Præsumpta opinio de non timendis terribilis. Detrahere, auferre uel remouere. Quod autem detrahere pro infamare dicitur, figurate dicitur, quia detrahit quis alienæ laudi. Iniuriam temporum, id est obliuionem, nam diuturnitate temporum omnibus rebus euenit obliuio. Memoria quandoq; ponitur ut hic pro ea parte animi quæ res perceptas continet: quandoq; pro ætate quæ in uniuscuiusq; memoriã potest uenire. Cice. in tertio de Officijs: Cratippo huius memoriæ principi philosophorum. Floruisse, per translationem pro uiguisse ponitur. Vsum quãdoq; pro cõsuetudine accipimus. Oui. in 1. de Art.

Vsus opus mouet hoc, Vati parete perito.

Quando-

Quandoq; pro commoda facultate administrandarum rerum. Horatius:

Pauper enim non est cui rerum suppetit usus. Id est, administratio: quandoq; pro utilitate. Vergil. in Buc.

Quin tu aliquid saltem potius quorum indiget usus. Millia.) Mille quando numerale, est cardinale, sic dicit Ouidius: Mille modi restant. Estq; pluralis numeri, omnis generis: quandoq; est collectiuum, tunc est singularis numeri, neutri generis, additurq; ei genitiuus pluralis. Horatius: Mille ouium pascit. Dicimusq; eo modo, unū mille, duo millia, quatuor millia. Praeceptorem dicimus praecipue magistrum artis alicuius quae opere continetur: reliquarum artium, quę solum cognitione continētur: institutores uel doctores rectius dixerimus. Praestare, quādoq; significat antecellere. Salustius in Catil. Omnes homines qui praestare sese student caeteris animantibus. Quandoq; significat praebere. Iuuenalis:

Praestabat castas humilis fortuna Latinas. Martial. Vt praestem Pyladen aliquis mihi praestet Orestem. Quandoq; significat facere quod dixeris, ut hic. Et in libro de Clementia: Non praestas fidem. Deponi.) Deponere nonnunquam demittere, deorsum ponere. Vergilius in 12. Aeneid.

Ille ut depositi proferret fata parentis. Aliquando alicuius fidei pecuniam aut simile committere, unde & in iure ciuili actio ex deposito dicitur. Modo, quādoq; significat id quod tantum, uel solum. Vergilius in quarto Aeneid.

Tu modò posce deos ueniam. Quandoq; non sicut uulgus exponit, idem quod iam significat, sed quod paulò antehac. Lucanus in quarto:

Qui modò in absentem uultu dextraq; furebas. Commisi.) Committere quandoq; significat alteri tradere, sic hoc loco accipitur. Teren. in And. Nec satis dignam cui cōmittas primo partu mulierem. Quandoq; significat facere. Cicero Fabio Gallo: Non committam ut ipse tibi insanire uidear: quandoq; significat quasi coniungere. Sic Sueto. in uita C. Caligulae, Senecam commissiones meras scribere, id est, ut sic dicatur, solas consuturas, & quasi collectionem facere rerum male cohaerentium. Vsq; praepositionem Donatus dixit esse, mihi magis uidetur esse aduerbiū, nam nunquam iungitur uerbo cum casu, nisi addatur ei praepositio ad, aut alia aliqua. Vergilius in Bucolicis:

Vsq; ad aquam & ueteris confracta cacumina fagi. Videtur autem mihi sicut à quis, quisquā & quisq;, sic ab ubi, usquā & nusquā & usq; dictum esse, unde & quandoq; pro semper positū inuenitur. Illud necesse est impetrē.) Non dixit ut impetrem, sicut paulò post: Necesse est enim per omnia studia mea errem, non addidit, ut errem. Mos est polite loquentium sic dicere, necesse est faciam, necesse est dicam, non ut faciam, ut dicam. Passim, dicitur quasi temere ex passu in passum obuenit. Controuersiarum.) Controuersiae dicuntur causae quas Declamatores dicebant declamādo, sanè de quocunq; per disceptationem quaeritur, controuersia dicitur, & res controuersa uocatur ea de qua ambigitur. Illud autem monendum non esset, penultimam eius nominis corripi, nisi usus indoctorum hoc sicut pleraq; corrumperet, nam philosophia, theologia, geometria, deberent habere accentum in antepenultima ad ratio nem latine loquentium, tamen quia graeca sunt, & graeco more penultimam acuunt, utcunq; excusatius uidetur proferri penultima acuta. Praestò est.) Credo haec uerba Praesto & Cedo, quemadmodum & Amabo, longo usu loquendi à significatione uerborum ad aliarum partiū orationis uim esse detorta, ut quum diceretur, adesto, responderet alter, praestò adsum, id est, facio quod uis, adsum. Inde tandem usu eò deductum, ut intelligeretur praesto pro eo quod est promptum aut paratum. Sic & cum diceret quis, dicam tibi hoc, respondebat alter, cedo, id est, permitto dic: & ibo per fundum tuum, dicebat alter, cedo ito, id est, permitto ut eas, quod & Terent. significasse uidetur in Heauton. dicēs: Dumq; sermones cedimus. Inde postea consuetudo tenuit ut diceretur, cedo manum, cedo cantarum. Obuersantia, id est circum mentem ue

lut

unt circumeuntia. Occupare, quandoque significat opere aliquo negotiosum facere. Horatius in Poëtica:

Occupet extremum scabies. Quandoque præuenire, uel quod latine maxime in eam significatiõem dici uideo, præuerti, sic hic ponitur. & Plinius in epistola: In ciuitate in qua omnia ab occupantibus aguntur, id est, præuertentibus.

Seriam.) Serium dictum puto quasi sine risu: dicimus rem seriam & hominem serium, nam seriosus apud emendate loquẽtes nõ inuenitur. Frustra quasi fraustra dicitur, quia quod frustra fit, fraudat desiderium eius qui id facit, sic & pro defraudo defrudo inuenitur apud Plautum, sicut pro claudo cludo. Precario dicitur fieri q̃d ob preces fit, unde apud Iurisconsultos dicitur quod ui, clam, uel precario. Facitis autem iuuenes mei.) Facit deinde Seneca attentos auditores, quia dicit rem esse necessariam & utilem, ut cognoscantur ingenia priorum, cuius tres reddit causas: Prima causa est, quia multum proficitur ad eloquentiam, respiciendo ingenia & exempla multorum, quod maxime fiet si multi clari, qui interierunt, rursus per Senecam uelut reuocentur ad uitam, & ea quæ optime ab illis dicta sunt, rursus in lucem proferantur. Post ibi, Deinde ut possitis æstimare, dicit secundam causam quare utile sit ut mandetur literis eloquentia eorum qui mortui sunt, ut ex illorum comparatione possit intelligi quantum studia decrescant quotidie, & quantum iuuentus illius seculi declinauerit, & minor sit in dicendo quàm fuerint priores illi, hinc sumpta occasione Seneca acerrime inuehitur in desidiam & inertiam iuuẽtutis seculi sui, ut dimissa omni honestorum studiorum cura, ad luxuriam se & turpes uoluptates conuerterit. Deinde tertiam causam ponit ibi, Ipsis quoque multum pręstaturus uideor, quoniam multum pertineat ad memoriam eorum extendendam, qui magni in dicendo fuerunt, ne in obliuionem ueniant, ut egregie dicta ab illis literis mandentur. Nam dicit, aut nihil eos scriptum ferè post se reliquisse, aut falso inscripta sub illorum nomine proferri, additq́ facile istud sibi esse ut omnes priores in dicendo claros colligat, quia omnes quicunq; fuerunt declamatores egregij nominis audiuerit, præter Ciceronem, simul cum his originem declamandi & prima initia exponit. Sequitur, In alijs autem. Necessariam.) Necessarium dicitur aliquando id sine quo res esse nõ potest. Aliquãdo dicimus necessarium nostrum hominem quem uel cognatio uel usus rerum nobis aliquo maiore uinculo alligauit. Exemplis, hoc est eloquentia, quam imitemini in exemplum. Præcipuus dictus est qui præcipit, id est præcedit, uel præstat in aliqua re. Autori.) Autorem uocat eum cuius sunt primæ partes in re aliqua, quẽ caput rei & indocti principalem uocant. Quotidie, dicitur sicut quotannis, quod omnibus annis significat, sic quotidie quasi quot diebus dictum, interpositumq́ est i ut fieret mollior pronunciatio uerbi, hinc est facile uidere per q & non per c scribẽdum esse. Pronitate.) Pronus dicitur proprie antrorsum in terrã inclinatus. Ouidius in pri. Metamor. Pronaq́ cũ spectẽt animalia cętera terrã.

Os homini sublime dedit. Inde figurate dictum est pronum, quod quasi inclinatum in decliue fluit, quod promptum uel paratum est. Insolenti pro superba posuit hic, sic & uulgò accipitur. Proprie dicitur quod præter solitum est. Terentius in And. Quid tu hic insolens. Circa Ciceronem, id est, circa Ciceronis tempora. Fuerunt enim tunc multi in dicendo clari, ut Hortensius, Caluus, cui multi palmam eloquentiæ latinæ dederunt, Pollio, Messala, & multi præterea. Luxuria non proprie significat idquod nos hodie per eam accipimus, hoc est impudicitiam, sed magis omnem affluentiam & superfluam lasciuiam & delitias uitæ. Sic Ouidius in epistolis:

Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Id est lasciuit. cuius contrarium est frugalitas.

Siue quum præmium honestissimæ &cæt.) Vult innuere præcipuam causam quamobrem perierit eloquentia, quam Fabius Quintilianus ponit in libro de Causis cor-

ruptæ eloquentiæ, nam quãdiu populus Romanus in libertate fuit, ut quisque eloquentissimus erat, ita plurimum potuit in ciuitate. Postquam uero Iulius Cæsar armis oppressit remp. & omnia unius uoluntate gerebantur, tunc potentia & dignitas & honores quæ antea à populo propter eloquentiam dabantur, in solius Cæsaris potestate erant. Ergo dicit, Postquam cecidit præmium honestissimæ rei, hoc est, quãdo ista amplius pro eloquentia sperari non potuerũt, etiã tunc neglecta & prætermissa est coli eloquentia. Siue fato quodam &c. Simile est ei quod Sallustius dicit in Catilina: Omnia orta occidunt, & aucta sic senescunt. Sic & Lucanus in primo:

Summisq; negatũ stare. Vnde & Hippocrates dixit in Aphorismis, quod apud Græcos in prouerbium uersum est: Bonæ ad summum habitudines sunt fallaces uel periculosæ. Languor, id est segnities, uel torpor, uel mollities. Languidum em̃ dicitur quod se demittit, qualia sunt membra, uel collum dormientis hominis uel mortui. Psallendi.) Psallo græcum est, sed à Latinis perinde ac si suum esset acceptũ. Hoc autem interest inter cantare & psallere: Cantare enim proprie uoce modulari significat: Psallere uero per musica instrumenta. Sic Gellius in decimonono noctiũ Att. dicit: Pueros habebat qui uel uoce canerent, uel psallerent lyra. Quanquã Cornelius Tacitus uitans græcum uerbum, dixit seruum canere per tibias doctũ. Saltandi.) Saltare latine dicitur quod hodie barbare corizare dicimus, unde & exultare uenit, hoc est uehementer saltare, quod uulgus pro gaudere ponit, quod si fiat p transsumptionem dicendum est, quoniam soleant homines nonnunquam præ gaudio saltare. Et obiter aliud uerbum explicemus, quod exultandi uerbo in sacris literis sæpe iungitur, iubilare, quod quid sit, non omnes intelligunt. Est autem iubilũ sonus inconditus pastorum, aut aliorum hominum plaudentiũ, aut gaudium clamore testantium, unde dixit Calphurnius in Bucolicis:

Et læti uenient ad iubila tauri. Dictum est hoc nomen ab interiectiõe iu, sic em̃ solent gaudentes clamare, iu iu iu triumphe aut Bacche. Inde dictum est iubilare.

Capillum frangere.) Sic ad nostrã usq; memoriã solitus est crinis calido ferro crispari, q̃d ferrum latine calamistrũ dicitur. Specimen, media breui pronunciatur, significat ostensionẽ aut exhibitionẽ aspectus, quasi hoc est quo se spectari cupiũt. Vergilius in 12. Solis aui specimen. Dicitur à specio uerbo antiquo. Aequalium.) Aequalis dicitur quem hodie socium uocamus uulgò quia æqualem habeat ætatem.

Quod nati sunt, inuiti manent.) Vult dicere, quia mollitiem & delitias & teneritatem mulierũ affectant, inuiti manent q̃d nati sunt, id est uiri, & si fieri possent in fœminas cuperent se uertere. Magni Catonis.) Duo sunt Catones clari apud literatos nominis, quorũ alterũ maiorem uocant, q̃m alterius proauus fuit. Hic & alio nomine Censor uocatur, quoniam censuram gesserat: Alter Vticensis uocatur, quia in bello ciuili, quod inter Iulium Cæsarem & M. Pompeium gestũ est, quũ Vticæ, quod oppidum est Africæ, esset, audiens uictas Pompeij partes in Africa esse, seipsum occidit. Nam quẽ pueri in scholis Catonem uocãt, eius libelli quis fuerit autor parũ constat. Est enim uerisimile Catonem uocatum esse eum librum, q̃m acrem & seueram morum censuram peragat, ad imitationem Catonis maioris, quem satis certũ est rigidum & acerbum fuisse censorem. Hic ipse est de quo hoc in loco Seneca loquitur. Oraculum quid sit, Seneca apte & explicate deſiniuit, quod quo planius intelligatur, sciendum est ueteres Gentiles in tẽplis suis habuisse loca quæ ἄδυτα græce, id est, inaccessibilia uocabant: in quę quũ homo intrasset, quibusdã quidem locis uir is erat, quibusdã mulier, q intrauerant protinus nõ aliter q̃ qui apud nos obsessi dicũtur, apprehendebantur, & urgente dæmone in furorẽ uertebantur, & ad om̃ia quæcunq; quærebant hi q ad consulendum deũ (ut illi dicebant) uenerãt, respondebant. Interrogabant aũt de pace, de bello, de remedijs pestilentiæ, famis, morborũ, & de alijs rebus, prout cuiq; publice aut priuatim opus erat. tũ responsa ea q̃ reddebantur interrogantibus, oracula uocabantur, q̃m deus, id est dæmon, quẽ consulebant oratione, id est, uoce

uoce hominis qui intrasset adytum, enunciabat quid esset faciendum consulentibus.

Antistitem.) Antistes usitate pro antistite sacrorum, id est sacerdote accipitur, sicut hic etiam Seneca accipit, diciturq; ab antestando, id est, prestando uel pcellendo, itaque ex proprietate significationis suæ etiam pro quolibet accipi potest q alicui rei præest. Quintilianus in Mathematico: Sicut constat apud sacræ artis antistites, id est, professores uel doctores dixit. Dedicabo.) Nota hic interpretationē huius uerbi dedico contra cōmunem nostrū morem. Vulgò eīn dicunt grāmatici indocti, dedicare quasi deo dicare, quū proprie dicatur dedicare quasi ab aliis uni dicare. Commentarij dicuntur libri, in qbus celeriter ea quæ cōmenti sumus, id est quæ excogitamus, congerimus uel colligimus. Magni nominis, id est insignis famæ. Bellorum ciuilium, quæ gesta sunt inter Augustum Cæsarem & M. Antoniū aduersus interfectores Iulij Cæsaris. Coloniam.) Colonia proprie dicitur oppidū uel bello uictū, uel aliis casibus exhaustū, in q̄d uel milites uel ciues alterius oppidi ad colendū & habitandum mittuntur, unde & colonia Agrippinensis dicitur, quā hodie uulgò Coloniam uocamus, ab Agrippina Neronis matre illic nata. Et colonia Traiana ea quā Santones hodie uocamus, qm̄ ibi Traianus accepit nuntium quod factus esset Imperator. Et hic coloniam suam uocat Cordubam, in qua natus fuit. Atriolo, ab atrio dicitur. Est aūt atrium id q̄d ante ædes est postquam primū ostium intrauimus, quod sub diuo est, & non tectum aut clausum ædificiis. Prætextatos.) Prætextati dicebantur nobiles adolescentes qui nondum uirilem togam sumpserant. Erat eīn prætexta genus tunicæ, qua soli nobiles utebantur, ita dicta quia genere quodam texturæ extrinsecus ornata esset. De alio dici &c.) Hoc de Demosthene græco oratore dici solet, qui à Luciano dicitur eloquentiam quum ante se uelut mortua & machinis propulsa esset, uiuam & suis uiribus mobilem reddidisse. Declamabat autē Cicero &c.) Vult dicere Ciceronē nō esse usum ad declamandū tali genere thematū, qualia nunc in scholis finguntur, qualia sunt quæ paulo post Seneca ponet. Theses.) Thesis dicitur apud nos positio, Cicero propositum uel consultationē uocauit, est genus quæstionis cōmune sine circūscriptione personarū, locorū & tēporum, ut: An colenda sit amicitia, an ducenda uxor. Alia est q̄ uocatur hypothesis, id est suppositio, quam Cic. in lib. Partitionum controuersiam uel causam uocat, q̄ habet in quæstiōe certas personas, loca, tēpora, & reliqua gña attributorum, ut: An Ciceroni iungenda sit amicitia cū Cæsare: an Cato tempore belli ciuilis recte duxerit Martiā uxorem.

Caluum.) C. Caluus insigni facundia fuit ætate Ciceronis, q nonnullos adeò deditos sibi habuit, ut omibus eū oratoribus præferrent. Incunabulis.) Cunæ sunt lectuli puero℞ in quibus agitātur, unde incunabula dicitur prima illa ętas quam pueri in cunis peragunt, hinc per translationē pro primis initiis ponitur. In aliis aūt.) Hic iam uelut propriū huius primi libri procemium ponit Seneca, & uitam studiaq; & genus dicendi Portij Latronis cōmemorat, hoc eīn satis apparet fecisse Senecam in oībus horū librorum præfationibus, ut cuius autoris declamationes esset in q̄q; libro explicaturus, eū autorē insigni aliqua cōmemoratione illustraret. Sed qm̄ hi libri fragmentati & tm̄ concerpti in manus nostras peruenerunt, sicut reliqui librorū & declamationū partes, ita p̄fationes etiam librorū magna ex parte perierūt. Ergo hic ut diximus, Portiū Latronē qualis in studiis fuerit explicat, & primū quo impetu erga studia fuerit, qualis uox, q̄ firmitas corporis, posteaq̄ insignis memoria, postremo genus dicendi illius & q̄ modo se exercuerit, exponit. In aliis, scilicet autoribus declamationū, quos ponā. Bñficiū ꝓprie dicitur q̄d gratis & nulla accipiētis obligatiōe datur. Latronis.) Latro hic est propriū nomē, qn̄ aūt appellatiuū est, significat apud ueteres eū q mercede militabat, quē hodie stipendiariū uulgus uocat, autor est Fest. Pōpeius. Deinde apud posteriores eū significat q uias obsidet, & uiatores spoliat, pā q occidit hoīes, grassator dicitur. Iuuenal. Interdū & ferro grassator agit rē.

Retractare hoc loco Seneca pro eo quod est rursus tractare ponit uel repetere.

Aliter Vergilius in duodecimo: Nihil est q̃d dicta retractent Ignaui Aeneadę. Id est reuocēt, uel inficiētur. Sic Augu. inscripsit librũ Retractationũ, eũ in q̃ emēdauit ea, q̃ sibi uisus est minus exacte dixisse. Indulsit.) Indulgere significat nō ueniā dare quēadmodũ nos uulgò dicimus, & Nonius Marcel. inter reliquas eius uerbi significationes ponit, sed idē est q̃d obsequi, uel benignum pbere, sic hoc loco dicit: Nemo plus indulsit, id est, Nemo ingeniũ suũ benignius tractauit. Lusus.) Inter lusum & iocũ hoc interest, q̃d lusus magis dicuntur illi, q opere aut corporis exercitio fiunt, ut est cursus, saltatio, alea, pila: iocus magis in uerbis est. Solertia à solon, quod teste Pompeio totũ uetere lingua significabat, & Arte dicitur quasi tota ars, aut totus artifex, sic & solennis, quasi totius anni festus dies, & solicitus quasi totus citus, id est agitatus. Prouocabat.) Prouocare apud ueteres id significabat q̃d hodie in iudicijs appellare uocamus, unde dicebat cui Senatus cognitio displicebat, prouoco ad populum, id est populum iudicem inuoco. qñq; significat ad certamen uocare. Iuuenalis:

Patritios, omnes opibus quum prouocet unus. Vix dicitur fieri, q̃d fit quidem, sed parum abest ut non fiat. Proprie aũt dicitur fieri, q̃d non fit, sed parũ abest quin fiat. Suetonius tñ in uita Neronis dixit: Vt uix reductus sit, pro eo q̃d est, propè reductus sit. Tristitia, id est, asperitas uel molestia. Pertinacis.) Pertinacem Varro in libris de Lingua latina dici uult à pertendendo, quum id Plautus rectius uideatur ostendere à ptinendo, id est, iugiter tenendo dictũ esse, sic em̃ apud eum in Captiuis duobus interrogatur: Quid tu ais, tenáxne pater est eius? Respondeturq́; imò ædepol pertinax. Feriarum.) Feriæ dicuntur festi dies, & deinde omnes quibus à publicis actionibus iudiciorum aut aliarum huiusmodi rerũ cessatur, dictæ ut arbitror à feriendo, q̃m tunc uictimæ solitæ sint feriri, id est cædi. Dies aũt quibus laborare licet, profesti dicuntur, id est procul à festis. Nouato.) Nouari dicitur ager quando dimissus uno anno requietus, deinde seritur, unde & noualia hi agri uocantur. Vergilius in Bucolicis: Impius hæc tam culta noualia miles habebit. Hinc dixit Seneca nouatum robur post ocium ac quietem à studijs reparatum & confirmatum.

Dispensare, id est, p partes diuidere. Assidua.) Assiduus ab assidendo dictus est.

Cōtentione, impetu, conatu, instantia. Corpus.) Prosequitur de uoce Latronis & firmitate corporis, quale id fuerit. Solidũ à solo dictũ est, quia firmũ est ut solũ, id est extrema terræ cutis cui insistimus. Vnde & solea dicta uidetur, q̃d ea solũ attingimus. Duratum.) Durare quandoq; actiuum uerbum est, ut hic. Sic Lucanus:

Nam certa damna Durata iam mente malis firmaq́; tulerunt. Quandoque neutrale est, significat persistere. Vergilius in primo Aeneid:

Durate, & uosmet rebus seruate secũdis. Lucubrationibus.) Lucubrare dicitur ad lumen studere. Quintil. in decimo instit. Quibus fuligo lucubrationũ bibenda.

Negligentia. Negligere non dicitur ut uulgò intelligimus pro obliuisci, sed est cōtrarium eius q̃d est diligere, significatq́; uel contēnere uel paruifacere. Laterũ.) Latus & latera p corpore sæpe, pſertim p superiore parte eius accipiuntur, id est, pectore & uentre, quanq̃ proprie significent id q̃d oẽs intelligunt, firmitatemq́; pcipue tribuimus eis & debilitatē, propterea q̃d ea maxime ex lateribus pcipiũtur. Hispanæ cōsuetudinis morē.) Hispanus homo dicitur, res Hispaniēses: homo germanus, res germanica: hō teuto, res teutonica, sic Martialis dixit: Ne librũ ad urbē nō Hispanũ, sed Hispaniēsem mittamus, id est librũ q sit factus in Hispania, sed nō uideatur habere ingeniũ Hispani. Cōfundũtur tñ hæc sæpe apud autores, pſertim poëtas, itaq; hic etiā Seneca dixit, Hispanę cōsuetudinis, nō Hispaniensis. Non sudorē olei.) Ita erat mos ueterũ ungi oleo aut in sole aut ad ignē. Ablutione, id est balneo. Digeri, id est p mēbra dispergi. Nã q̃d in stomacho fit, id pprie nō digeri, sed concoqui dicitur. Et colorē mutauerat, id est decolor factus est & pallidus. Memoria & natura.) Hic laudat insignē Latrōis memoriā, q̃ est pcipuũ instrumētũ oratoris. Est aũt memoria aut naturaliter bona, aut si min9 bona est, arte adiuuatur. Est aũt ars ea à multis tradita.

dita, Cicerone, Quintiliano, & à plerisq; itẽ nostri seculi scriptoribus, & est res sanè maioris exercitij aut laboris ad faciendũ, q̃ ingenij ad percipiẽdum. Latroni certe in primis egregiã fuisse memoriã facile est uidere ex his quæ de eo Seneca cõmemorat. Felix.) Felicem crediderim à fœtura dictum, cui plurima fœtura prouentat. Ediscẽdi.) Ediscere est ex scripto memoriæ mandare. Lente hic dixit pro tractim uel paulatim. Lentum autem dicitur proprie quod flexibile. Verg. in Bucolicis:

Lenta salix quantum pallenti cedit oliuæ. Anxie, id est solicite, ab angendo dicitur, unde omnis grauior cura anxietas animi dicitur. Impetu, id est ui, ab impetẽdo, inueniturq; apud poëtas impete in ablatiuo, ut apud Ouidium: Impete nunc uasto. sicut & rite pro ritu. Stylus à στύλος Græco dicitur, id est columna. Sed ars summa, &cæ.) Duas ponit uirtutes perfectæ memoriæ fuisse in Latrone, quarum prior est, celeriter percipere quod discendum est: altera uero ea quæ percepta sunt fideliter continere. Codices.) Codex liber à uetere consuetudine dicitur, solebant enim prisci in tabulis scribere, quas caudices uocabant, deinde mutato sono literarum, codices, sicut & plaudo plodo, & cautes cotes dixerunt. Aiebat.) Aio proprie significat affirmo. Sic Terent. in Eunucho: Ait aio, negat nego. Historiarum.) Historia à Græco historeo, quod est narro uel recenseo dicitur. Ducem, id est aliquem clarum uirum, ut Miltiadem, Themistoclem, Alexandrum, Scipionem, Cæsarem, aut quemuis talium præstantium uirorum qui magnas res gessisset. Acta, id est res gestas. In promptu erant. Solet dici, hæc res est in promptu, id est, parata est ad manum, ut statim promi, id est proferri possit. Plus iusto, id est plus quàm oporteat. Sic Ouidius:

Cur mihi plus æquo flaui placuere capilli. Virtutem.) Virtus à uiro quasi uirilitas dicitur. Operosa, difficili, laboriosa. Exiguum ab exigendo dictum est, id est contemnendo, quia modicum fit & uile, & nullius precij. Quod Cyneas fecit.) Ponit aliqua insignia exempla egregiæ memoriæ. Cyneas iste legatus fuit missus Romam à Pyrrho rege Epirotarum, qui bellum cum Romanis gessit, uictusq; tandem redijt in Græciam, unde uenerat, & quum Argos ciuitatem oppugnaret, iactu fragmenti lapidis molaris à muliere quadam Argiua occisus est. Legatus uocatur quem hodie barbare loquentes ambasiatorem dicunt. Plebem.) Plebs dicitur populi pars altera. Populus enim Romanus in patres, hoc est senatum & plebem diuidebatur. Patres enim dicti centum quos in consilium publicum Romulus initio conditæ Romę assumpsit, quiq; ab eis progeniti fuere Patritij uocabantur: at quorum progenitores ex his patribus non fuere, Plebeij dicebantur, quanquam in senatu essent. Aut quod illi fecit.) Huius Quintilianus etiam meminit quum de memoria tractat, quis tamen hic fuerit non explicat. Hortensius.) Hic insignis fuit orator Romæ, & diu palmam eloquentiæ tenuit, deinde æqualis est ei factus Cicero; demum proximus habitus est post Ciceronem. Auctione.) Auctio dicta est quidam mos uendendi res, quando exposita re uenali traditur illi quisquis pollicetur plurimum se uelle dare. Dicta autem est auctio quoniam semper ex sequentis pollicitatione augetur. Argentarijs.) Argentarius dicitur ille quem hodie uel mensarium, uel bancarium uel trapezitam ut ueteres uocamus, uel quod communius est, campsorem. Suspendam, per metaphoram, id est differam, protraham. Occasio proprie dicitur commoditas temporis ad rem aliquã gerendam. Euelleretur, id est auferretur, scilicet mihi Senecæ. Illud unum nõ differam.) Nunc de genere dicendi Latronis dicit, ostẽditq; deceptos in eo plerosq; qui crediderunt eum fortiter dicere, sed parum subtiliter, nam & subtilitatem etiam in primis laudibus illius fuisse docet, sed propter robur & impetum orationis non ita apparuisse eam. Argumentum autem subtilitatis hoc facit, quod priusquam inciperet dicere, sedens adhuc proponebat omnes quæstiones controuersiæ quam erat dicturus, ut appareret nihil latere eum de quo ambigi posset in controuersia, & ut ea omnia quæ proposuerat oratione exequeretur. Qua iure sciendum est, unam controuersiam sæpe aut ferè semper potius in multas diuidi quæstiones. Exempli gratia: Socrates in

tes iniuste ad mortem cōdemnatus fuit Athenis, positusq; in carcere, permittitur sibi si fugere uelit, occulta è carcere fuga. Deliberat ergo Socrates an fugiat. Hic primū uenit generalis quæstio, an iuste quisquam possit contra sententiam iudicij ciuitatis facere, deinde an erumpere ex carcere, iam si ad mortem condemnatus sit, post hæc an ciui Atheniensi hoc liceat, an iam grandi ætate, an philosopho, an uxorem & filios habenti, & reliquæ quæstiones, quæ omnes ex persona Socratis ducuntur, has omnes quæstiones qui potest in qualibet controuersia peruidere, & in dicendo exequi, certissimum præstat sine dubio subtilitatis documentum, has ergo quæstiones quum antequam inciperet dicere Latro proponeret, & in dicendo seruaret, ne aberraret ab eis, certum est ei non defuisse subtilitatem. Sed dicit Seneca subtilitatem propter reliquas dicendi uirtutes absconditam in eo fuisse, nec apparuisse tam notabiliter in eo. Differam.) Differre quandoq; significat differentiā habere, ut: differt homo ab equo dicimus. Quandoq; significat moram facere, ut Verg. in sexto:

Distulit in seram commissa piacula mortem. Id est protracta. Aliquando significat in diuersum ferre, ut Terent. Differor misera doloribus, id est, discerpor, distrahor. Fortiter, id est magnis & grauibus sententijs & uehementibus. Parum subtiliter, non astute, uel insidiose, uel circumspecte, uel acute. Sedens.) Quum enim declamarent surgebant. Fiduciæ.) Fiducia in bonam partem dicitur: dicitur enim fiduciam habere, qui certa spe fretus confidit. Confidentia uero in malam partem dicitur plerunq; apud autores, qua quis contemnere confidit, quanquam confidere etiam in bonam partem dicatur. Verg. in primo Aeneidos:

Ausus & afflictis melius confidere rebus. Actio, pronunciatio dicitur: pronunciatio autem magis ad uocem, actio uero ad gestum pertinet. Si quo, si quis, si quid, & similia, enclitice legenda sunt, ut accentus in si transferatur, quod hinc deprendere licet, quod ueteres si qua similis actio post si poneretur, c literam inserebant, ut tanquā una dictio pronunciaretur, itaq; dicebant sicubi, sicunde, pro si ubi, si unde, & necubi itidem. Apparere dicitur ab ad & parere, id est obedire. Hinc ministri magistratuū apparitores dicebantur, quoniam semper obediant & in conspectu sint. Hinc ergo figurate quicquid in conspectu est apparere dicitur. Manifestum, certum, exploratū, credo dictum quasi quod manu feratur: sicut infestum, qui in alium fertur. Et festum à sacris ferendis dictum uidetur. Oratoriæ uirtutes.) Quæ multæ sunt, copia, suauitas, lenitas, ornatus, magnificentia, grauitas & aliæ. Fundamentum.) Bene dixit fundamentum, nam primum est in omni controuersia uidere quid in omnem partem possit prodesse, quid obesse nobis, quod quum diligenter dispexerimus, tunc illi subtilitati & acumini iudicij reliquæ uirtutes oratoriæ accommodantur. Superstructis molibus, id est additis ornatibus & uirtutibus eloquentiæ. Obruebatur, id est abscondebatur, sic enim semper fit, ut quanquam fundamentum firmissima totius ædificij pars sit, & cui reliqua omnia innitātur, tamē minime appareat. Et nescio, &c.) Acutæ & uerissimæ sunt hæ sententiæ. Insidiæ, ab insidendo dictæ sunt: quoniā qui insidias parant, saltus aut loca syluestria aut alioquin occulta insideant. Effectu apparet, id est persuadet, & peruincit animos auditorum. Et habitu, id est specie uel aspectu. Argumenta, Seneca hoc loco pro argumentationibus ponit. Argumētum enim res est, uel. ut inquit Cicero, probabile inuentum ad faciendam fidem. Argumētatio uero, argumenti est per orationem explicatio. Sententias audire, &cæ.) Hoc fuit uitium quod posterior ætas & sæuiores eloquentiæ censores præcipue obiecerūt Senecæ, nimius scilicet amor sententiarum, quibus & minutis sæpe pondera rerum eleuabat, & crebris & condensatis cursum orationis & impetum confringebat. Marullum.) Proprium nomen rhetoris, quem apparet præceptorem Senecæ fuisse. Rhetorem.) Rhetor dicitur Græce quod Latine orator, qui causas in foro agit. Qui docet autem, Græce Sophistes uocatur, quod nos possumus interpretari doctorem, apud Latinos uero ferè obtinuit consuetudo, ut rhetor q docet, orator qui dicit, uocaretur.

Aridum,

Aridum, non copiosum nec cultum, à similitudine locorum aridorum dictum est. Vulgato genere, id est non usitato more eloquendi, sed nouo & peculiari. Necesse est me.) Sententia est, necesse est quum de re exili & tenui dicā, ut oratio mea exilis sit & arida, recte, quia respondit Latro exilitatē orationis suæ nō ex rei uitio, sed ingenij sui conditione prouenire. Quàmaxime, id est statim & mox in præsentia illius tēporis, sicut enim pleriq; dicūt quū maxime, id est iā admodū. Solebat aūt) Dicit quomodo solitus sit exercitari Latro, ut uno die scriberet nihil preter argumētationes, alio nihil preter sententias, alio solū figuras. Deinde morē eius fuisse nunq̄ obliquare orationem schematibus, nisi id exigeret necessitas. Epicheremata.) Epicherema Quintilia. interpretatus est aggressionem, estq; id quod alij syllogismum uocāt, dictumq; est Epicherema, hoc est aggressio uel conatus, quia eo aggredimur, uel conamur rem demonstrare. Enthymemata.) Enthymema ab ἐνθυμέομαι Græco, id est cogito dicitur, quasi cogitatum, uel animo conceptum. Et hoc nomine aliud Aristot. significat, aliud Cice. & Seneca, & qui circa eos fuerunt, aliud nostræ ætatis dialectici. Aristot. enim definit enthymema esse syllogismum ex uerisimilibus & signis constantē, adeò nulla alia re differt enthymema à syllogismo, nisi quod certo genere materiæ cōstat. Cicero uoluit nomine enthymematis accipi genus argumentationis ex contrarijs ductæ, ut: Quem alienum fidum inuenias, si tuis hostis fueris? Quid satis est, cui Roma parum? Si hostis Catilina, cur tu ciuis? Nostri dialectici uolunt enthymema esse syllogismum imperfectum, cui altera propositionum hoc est maior aut minor deest, ut: Hunc ego si tantum potui sperare dolorem: Et perferre soror potero. Hic autem enthymema accipiendum est pro eo quod secundo loco dixi, hoc est argumētatione ex contrarijs ducta. Translatitias.) Dixit hic translatitias sententias, quia commode ad quemuis usum transferri possunt, ut quæ non de certa una re dicuntur, sed in commune, de instabilitate fortunæ, de luxuria, de auaritia, & ut paucis dicam, Sententia est, ut uult Aristot. commune aliquod pronunciatum, quod ad partem aliquam morum uitæq; pertinet: quisquis ergo de simili re dicit, potest eas in orationem suā transferre. Itaq; si dicat Hector, Pulchrum est mihi pater laudari abs te laudato uiro, non est proprie id quod uocamus sententiam: sed si dicat detractis personis, Pulchrum est laudari à laudato uiro, iam dicitur sententia. De seculo, id est quæ ad repræhensionem seculi pertinent. Ferè enim à prima origine rerum priora secula laudata sunt, præsentia repræhensa. Supellectilem uocabat.) Per translationem nempe. Supellex enim est instrumētum omne domesticum, quo ad quotidiana ministeria utimur, ut sunt mensa, lances, canthari, lintei, uideturq; nomen id à super & lecto dictum, quoniam ueteres in lectis cœnabant, unde omne instrumētum quo cœna explicatur, & instruuntur lecti, supellectilem dictam esse uidetur. Schemata.) Schema Græcum est, interpretatur figura uel habitus, oratores figuram dicunt, suntq; nonnunquam dicta schemata omnes figuræ quibus ornatur oratio, siue eæ sint in singulis uerbis, siue in collatione uerborum, siue in sententijs. Hic autem capit schema pro figura sententiæ, qua uelut obliquatur oratio, ut quod recte uel non satis decore uel non satis utiliter dici potest, id circuitu quodam dicatur. Vnde & controuersias quasdam figuratas dicunt autores, in quibus euenit sæpe ut quum per unius criminis defensionem in alterius suspicionem cadendum sit, quod ne fiat, uel rem pro re, uel personam pro persona, uel rem pro persona, uel personam pro re subijciunt. Itaq; Cicero pro Ligario quum Tubero obijceret Ligario contra Cæsarem eum fuisse, quum tamē ipsemet Tubero contra Cæsarem arma tulisset, & Cicero hoc ipsum obijceret Tuberoni, q̄d quidem si tanquam crimen obijciebat, necesse erat ut premeret eodem crimine Ligarium, quem defendebat: Si tanquam inuidiosum, necesse erat offendere aures Cæsaris, qui iam nihil asperius in Tuberonem dictum æquo animo laturus erat. Substituit ergo pro persona Tuberonis personam suam, & dicit seipsum etiam contra Cęsarem fuisse, hocq; in summam laudem clementiæ Cæsaris conuertit, apud quem hoc audet

tam libere confiteri. Abundauerit.) Abundare, fine aspiratione scribendum est, dicitur à præpositione ab & undo, quasi propter plenitudinem effluere. Schemata obscura ea sunt, per quæ quod aperte dictum aures offenderet, occultius dicitur, quale est apud Curtium, quum interrogare uult Darius rex de uxore sua, an intulerit ei uim Alexander, & propter ingentem amorem fœminæ puderet eum tam obscœnis de ea uerbis uti, dixit: Ausus'ne est aliquid & dominus & iuuenis? Significans in iuuene uoluntatem libidinis, in domino potestatem, quibus duabus rebus, uoluntate & potestate, omnia fiunt, significauit quidem id ipsum quod apertius dicturus erat, sed ab omni turpitudine uerborum abstinuit. Scio quàm odiosa, &c.) Hoc uult dicere, quum res expectatur, odiosi sunt longi apparatus, quibus differtur id quod expectatur. Erant enim Circenses ludi equestres Romæ quibus equites decurrebant: ante q̃ committerentur autem ludi, præcedebat pompa, hoc est præmissio equorum, qui in cõspectu populi traducebantur ociosi, ut uiderentur à spectatoribus, & reliquus apparatus ludorum fortè ostendebatur populo. Pompa à Græco pempo, id est mitto dicitur, quia præmitti solet ante ludos aut triumphos, aut alia id genus. Dicere diem, id est polliceri certam diem qua dicturus erat. Sic Iuuenalis:

Lætam fecit quum Statius urbem,
Promisitq; diem.

Dicebatur etiam dicere alicui diem ad Prætorem, aut ad populum, qui ad certam diem aliquem in ius aut ad populi cognitionem uocabat.

I. ANNEI SENECAE DECLAMATIO
prima primi libri, cui titulus, Patruus abdicans adoptatum.

Rubrica.  *Liberi parentes alant, aut uinciantur.* Thema. *Duo fratres dissidebant inter se, alteri filius erat. Patruus in egestatem incidit. Patre uetante, adolescens illum aluit, ob hoc abdicatus tacuit. Adoptatus à patruo est. Patruus accepta hæreditate, locuples factus est. Egere cœpit pater. Vetante patruo aluit illum adolescens. Abdicatur, contradicitur.*

PRIMA PARS PRO NEPOTE.

Declamatio. *Eò iam perductus erat, ut omnem spem ultimorum alimentorum in ea sola domo poneret, in qua habebat abdicatum & inimicum. Ipse, inquit, ali me uetuit. Imitationem alienæ culpæ, innocentiam uocas. Omnis instabilis & incerta felicitas est. Quis crederet iacentem super crepidine Marium, aut fuisse consulem, aut futurum? Quid non timendum felicibus putas? Quid desperãdum infelicibus? Ne circum plura instabilis fortunæ exempla te mittam, uide quis alimenta rogetur, & quis roget. Nõ sum hospes grauis. Vnum senem aduoco. Hoc tibi uitio placui pater. Perierat totus orbis, nisi iram finiret misericordia. Iactatus inter duos patres, utriusq; filius, semper tamen felicioris abdicatus, illud tamen pater deos testor, diuitem te relinquo. Circumibo tecum pater limina aliena: Omnibus ostẽdam, & me qui alimenta dedi, & te qui negasti. Abdicari non possum ob id quod feci,*

lege

lege cogente. Quid si flere me uetes, cum uideo hominem calamitosum? Non sunt affectus nostri in nostra potestate. Quædam iura non scripta, sed scriptis omnibus * certiora sunt. * fortiora

PARS ALTERA PRO PATRVO CONTRA NEPOTEM.

Crescere proposuit ex mea inuidia homo, qui se melius iactare potest, quàm defendere. Iustus meus metus est, ne hæredem ingratum scribam, inimicum relinquam. Etiam si tu non odisti eum, qui fecit mihi iniuriam, tamen ego odi illum, qui fecit tibi. Desinit esse filius, qui non tantum à patre abdicatus, sed ab alio adoptatus est. Audite quàm ualde eguerim. Fratrem rogaui. Quis es tu, qui de facto patrum feras sententiam? Ad te arbitrum odia nostra non mittimus. Iudices habemus deos.

EXTRA CONTROVERSIAM.

Alfius Flauius prætextatus apud Cestium controuersias declamabat. Semper autem commendabat eloquentiam eius aliqua res extra eloquentiam. In puero declamante lenocinium erat ingenij ætas.

IN PRIMAM SENECAE DECLAMATIONEM commentariolum.

Liberi parentes alant.) Hoc est thema huius primæ declamationis. Vocabantur autē themata in scholis declamationum ea quæ breuiter continebant controuersiam quæ declamabatur, quæ poëtæ Comici & Tragici argumenta uocant operum suorum. Sunt autem themata aut ficta aut facta. Ficta sunt quæ autor quisque aut declamator sua uoluntate composuit, quale est hoc, & ferè omnia istius uoluminis. Facta sunt quæ ab historicis, aut ab oratoribus, aut à Poëtis sumuntur, ut est apud Quintilianum thema declamationis quæ Cymon redemptus inscribitur. Ab oratoribus, ut Polycrates qui accusationem Socratis scripsit, & Cestius Pius qui orationi Ciceronis pro Milone & aliis nonnullis rescripsit. A poëtis sumuntur, ut Aristides Sophista qui facit, sumpto ab Homero themate, Vlyssem suadere Achilli, ut redeat in gratiam cum Agamemnone, & pro Græcis pugnet, cui Libanius sophista, is qui præceptor Iuliani Apostatæ fuit, respondit. Sciendum præterea est fuisse omnibus declamationibus nomina sua, quæ ferè inscitia librariorum aut corrupta aut deprauata sunt. Itaq; hæc uocatur, Patruus abdicans adoptatum. Ponit in hoc themate legem primo, unde propè tota hæc controuersia nascitur, quæ lex est, Liberi id est filij, parentes alāt, aut uinciantur, id est alligentur uel mittantur in carcerem. quod hinc uero sequitur, factum est, unde hæc controuersia oritur. Duo fratres dissidebāt, hoc est inimici erant inter se, alteri, fratri scilicet, filius erat patruus, id est frater cui non erat filius, in egestatem incidit, id est inops aut pauper factus est, patre huius fratre qui filium habebat, uetante, id est prohibente, ne faceret adolescens, scilicet filius, illum hoc est patruū, aluit. Ob hoc, scilicet factū, abdicatus scilicet filius, id est demo à patre expulsus, tacuit, id est non cōtradixit. Adoptatus scilicet hic abdicatus, id est in filiū rursus assumptus à patruo est, scilicet suo quē aluit. Patruus accepta hæreditate, scilicet per mortē alicuius propinquorum aut amicorū, locuples, id est diues fa-

P ctus

ctus est. Egere id est inops esse, cœpit id est incepit, pater scilicet abdicati, uetante patruo, scilicet qui adoptauerat, aluit illũ, hoc est patrẽ, filius abdicatur, scilicet ob hoc, filius contradicit, id est in iudicio patruo abdicãte respondet. Pendet aũt tota hæc cõtrouersia ex lege quę dicta est, ut liberi parentes alant, cuius legis scriptũ hoc est. Verba pro se filius assumit, quibus iubetur patrẽ alere. Contrà patruus non uerbis legis, sed menti & sententiæ eius insistit, mouetq; duplicẽ controuersiam. Primam definitionis, An nomine parentis sit censendus qui abdicauit filium eum qui & ab alio iam adoptatus sit: quum enim iam omnia iura parentis per abdicationẽ recusauerit, & expulerit filium domo, & hæreditate accipienda excluserit, & patriam in eo potestatem, quam apud Romanos pater in filiũ uitæ & necis habebat, deposuerit, quæ omnia per adoptionẽ pater etiam adoptiuus acceperit, uidetur lex eũ uoluisse nomine patris cõtineri. Deinde ut contineatur nomine patris, alia tamen nascitur cõtrouersia: Vtrum lex indiscrete se ad omnes patres ac filios extendat. Quid enim si pater sit exul? quid si hostis patriæ? quid etiã si filius sit puer? quid si debilis? quid si militare pro patria cogatur? quid si iubeatur in exiliũ ire? uidebitur certe lex eũ noluisse astringere, quæ iubet ut filij parentes alant. Ergo potest aliquid interuenire quod filiũ excuset ut non cogatur alere parentẽ. Videndũ igitur an tantundẽ rationis habeat filius qui sit abdicatus à patre, & ab alio adoptatus. Hoc itaq; genus cõtrouersiæ uocãt Statũ legitimũ ex scripto & sententia. Liberi quandoq; dicũtur qui serui nõ sunt, quãdoq; filij uocãtur liberi, non tamen omnes nec omniũ, sed eorũ qui ipsi serui nõ sunt: neq; enim qui seruus est recte filios suos, si prȩsertim & mater ancilla sit, liberos uocauerit. Vult autem Gell. liberos pro filijs tantũ plurali numero dici. Quintilianus tamẽ in Cęcõ in limine dicit: Liberi & parentis is est affectus. Fratres.) Fratrem dici uolunt quasi fere alterum. Alteri.) Inter alterum & secundum quid intersit quæsitum est. Secundus semper alterum significat, est enim secundus semper alter à primo: sed alter non utique secundus est, nam & primus alter à secundo est, itaq; dicimus primus & secundus: sed unus & alter ut secundus non differentiam solum, sed & ordinem significet. Alter uero solum differentiam, præterea quum dixit in Bucolicis Vergilius:

Alter ab undecimo iam tum me ceperat annus. Intelligit duodecimũ annũ: quod si dicatur secundus ab undecimo, intelligitur tertius decimus, primus enim ab undecimo, est duodecimus. Egestatẽ.) Egestas & paupertas hoc differũt, quod egere significat carere eo quo sit opus: pauper dictus est quasi paulũ parans, hoc est qui parũ habet, potest aũt hic esse ut nihil ei q̃d necessariũ sit desit. Itaq; Seneca in 7. epist. dixit: Quanta nobis uerborũ paupertas, imò egestas sit. Adolescens.) Festus Pomp. nescio qua cauillatione per u uult scribi, ut adulescens dicatur, & Græcã eius originẽ facit, quum certũ sit ex significatione ab adolescere dici, & idcirco per o scribendũ esse. Abdicatus.) Abdicare dicebatur filium pater, quẽ quia male obediret aut turpius uiueret, expellebat domo. Est aũt aliud q̃ exhæredare, quia exhęredatio nõ nisi post patris mortẽ locũ habebat, quũ apertis tabulis testamenti filius exhæres scriptus inueniebatur. Tacuit.) Inter tacere & silere interest q̃d inter speciẽ & genus, quisquis enĩ silet, tacet: nõ quisq; tacet, silet: tacere enĩ est nõ loqui, silere etiã ab omni sono aut murmure aut strepitu parcere, unde & uẽti silere, & Verg. noctẽ silentẽ dixit. Adoptatus) Adoptare est alienũ aliquẽ in ius & nomẽ filij sibi assumere, q̃d in Italia hodie etiã usitatũ est, apud nos minus notũ habetur. Hæreditate.) Hæres ab hærendo dictus uidetur, q̃m in eo domus & familia defuncti hæreat, hoc est innixa sit. Locuples dictus est à plenis locis, q̃d propter copiã rerũ oẽs angulos domus suæ plenos habeat. Cœpit, non est prȩteritũ à capio, sed deficiens uerborũ, sicut odi, memini, cuius etiã infinitiuũ Catonem dixisse cœpere, Gellius est autor. Eò iam perductus erat.) Hæc sunt, ut ita dicatur, fragmẽta decerpta ex his quæ pro parte filij in hac controuersia dicta fuerunt, nec est ullus ordo aut cõtinuus textus sententiarũ, sed solum quicquid & undecunq; placuit decerptum est ab eo, qui hos libros declamationũ, ut prædiximus, cõ

minuit

minuit ad hunc modum & confregit. Hoc ergo quod dicit, Eò iam perductus, &c. potest uideri pars narrationis fuisse. Dicit aũt istud ideo ut ostendat iniquitatẽ patrui, cuius tanta egestas fuit, ut solum speraret alimenta ex domo fratris sui, qui illi inimicus erat, quum abdicasset etiã filium, qui alere patruum consueuerat, tamen filius sit se passus abdicari & adoptari à patruo paupere, ut posset illum alere, nunc tamen patruus immemor tanti beneficij abdicet eũ qui in tanta necessitate illũ aluit, q̃d iniqui hominis & digni inuidia uidetur esse. Habent aũt omnia uerba quãdã uim & efficatiam. Eò enim inquit, iam perductus, hoc est quasi à necessitate compulsus, ut nõ solum spẽ, sed & omnẽ spem alimentorũ, quodq́; maius fit, ultimorum etiã, hoc est quæ solum à morte tueantur famem, in domo, & ea sola poneret, in qua habebat abdicatum, à quo scilicet nihil posset sperare, & inimicũ à quo nihil sperare deberet: q̃ ergo fuit dura conditio istius? Ipse inquit ali, &c.) Contradictio est patrui, quam sumit filius ut dissoluat: dicit enim patruus, quia pater tuus prohibuit ne tu me aleres, iure ne & eum alas uideor prohibere. Imitationem alienæ &c.) Dissoluit contradictionem dicens, non posse eum uideri idcirco iure facere, si imitetur alienã culpã, hoc est faciat quod alius facere non debuerit. Efficax sine dubio & acris responsio, & breuiter cum magna significantia collecta. Omnis instabilis, &c.) Locus communis fuit dictus ad coërcendam superbiam patrui ex felicitate sua conceptã. Crepidine.) Crepido fragmentum rupis est à crepando dictum, solent enim in excauatis aut fractis rupibus circa itinera mendici sedere. Marium.) Hic fuit C. Marius qui sexies Consul de Iugurtha prius, deinde de Teutonibus in Italia uictis triũphauit, postea dissensione ciuili fugiens ab urbe, & post uarios casus in Africam ueniens, Carthagini iacens in crepidine mẽdicauit: rursus collectis seruis & omni genere noxiorũ aut cuiusuis alterius conditionis hominũ, rediit Romã, & uictor inimicorũ crudelissime uictoriã exercens morbo uitam finiuit. Nec circum plura, &c. Concludit hũc locum præsenti rerũ exemplo, quo nullum potuit efficatius. Quum enim is qui poscebat alimẽta diues fuisset. & posceret alimenta ab eo quẽ à se abdicatũ pauper adoptauerat, satis uidetur nulli fortunæ credendũ esse. Non sum hospes grauis.) Vult dicere, non multos accipio hospitio aut inuito, quia aduoco unum senem, id est patrem, & placui tibi hoc uitio, id est hac uel benignitate uel liberalitate, q̃d iã per ironiã uocat uitiũ, quia id sibi à patruo obijciebatur, estq́; argumentũ à pari ductum, quia enim gratum fuit tibi ut te in egestate tua aluerim, quũ inimici tui filius, debes nunc id ipsum in patre meo æquo animo pati. Periret totus.) Locus cõmunis fuit ad cõprimendã iram patrui, ex quo hæc sententia sumpta est. Iactatus inter duos.) Cõmiseratio filij est. Illud tamen deos. &c.) Conclusio fuit huius loci ad inuidiam patri dicta, quum enim pauperẽ aluerit, & quo melius id facere posset, passus sit abdicari se ut ab eo adoptaretur, nunc à diuite expellatur. Deos testor) Testari quandoq; significat testes inuocare, ut Verg. in 2. Aenei. Vos æterni ignes & nonuiolabile uestrum Testor numen ait. Quandoq; testamentum condere, unde & intestatus dicitur qui testamentum non condidit. Intestabilis uero in aliam sententiã dicitur, quem testari, id est testem ciere uel inuocare nemo possit propter improbitatem uitæ. Circumibo tecum pater.) Hoc de patre non adoptiuo, sed uero dicit. Limina, id est domos uel ostia, per synecdochen pars pro toto posita, estq́; limẽ quod ad ingressum ostiorum pro foribus ex lapide uel alia materia eleuatius quàm reliquum solum ponitur. Qui alimenta dedi, scilicet ut sciant homines quàm crudeliter à patruo cui data sunt expulsus sum, & te qui negasti: ut nunc demum intelligatur iuste te fuisse tam duro fratri iratũ. Abdicari, &c.) Hoc pertinet ad id quod prædiximus, descriptio legis: quia lex iubet parentes ali, ergo quum id fecerit, non potest abdicari. Quid si flere me, &c.) Hoc pertinet ad alteram controuersiam qua mouetur quæstio filio, An nomine parẽtis is qui abdicauit contineatur. Vult ergo dicere ut nõ contineatur eo nomine, tamẽ sit ei adhuc erga eum affectus parentis, cui non possit imperare: & affectus ut nõ contineat-

C. Marius

P 2 tinea-

tineatur in scripto legis, cõtinetur intra ius naturæ in loco parentis, quod omni scripto potentius est. Calamitosum à calamitate dictum est. Volunt autem calamitatem dici à calamis, quod sit tempestas quæ calamis incidat, ut est grando, aut turbines, aut reliqua id genus mala quæ segetem euertunt aut destruunt. Potestate.) Potestas & potentia differũt. Potentia ad facultatem magnarum rerum pertinet, ut est regnũ, principatus, ducatus: Potestas ad uires nostras. Inde dicimus, fac mihi potestatem dicendi, & filios dicimus in patria potestate esse, nõ potentia. Sic Hieronymus in præfatiõe ueteris testamẽti: Cera mollis & ad fingendũ facilis, etiã si plastę manus cessent, potestate tamen totum est, &c. Ideo traductores textuum Aristotelis omnes corrupte dixerunt potentiã & actum, quũ debuissent dicere, potestatem & cõsummationem, id est perfectionem uel cõpletionem. Crescere proposuit.) Hæc est pars abdicantis patrui. Quod ita dicit: Crescere proposuit, &c. uidetur ad exordiũ pertinuisse, quo uoluerit patruus molliri inuidiã, quam illi filius adoptiuus ex specie crudelitatis parare uoluit, ut sit sententia, quoniam filius beneficus fuerit in patruum, posse illum multa sibi improperare atq; iactare, hoc est grandia loqui potius q̃ se defendere, hoc est dicere quæ ad ius causæ pertinent. Proposuit.) Proponere proprie significat quemadmodum mercatores solent aliquid pro foribus aut fenestris ad uendendum exponere, unde in lege Panes propositionis dicuntur. Quandoq; proponere significat aliquid præmittere unde conclusio inferatur; sic propositiones dicuntur apud dialecticos id quod hodie uulgò præmissas uocamus. Nam id quod uerũ aut falsum significat, quod Petrus Hispanus & reliqui propositionem uocant, id Boëtius enũciationem interpretatus est, Cicero melius pronunciatum uocauit, estq; simile si omne id propositionem uocemus, quale est si omne nomen substantiuum subiectũ dicamus, quemadmodũ ex omni pronunciato propositio fieri potest si in syllogismo ponatur, sic ex omni nomine substantiuo potest fieri subiectũ, non tamen dicitur substãtiuum nisi ex relatione ad prædictũ, hoc est quum in pronunciato ponitur. Præterea proponere dicitur quemadmodũ hic pro eo quod est in animo instituere. Sic Iuuenal. Si te propositi nondum pudet. Inuidia tam dicitur eius, ut ait Cicero, qui inuidet, q̃ cui inuidetur. Vergilius in 4. Aeneid. passiue dixit: Quæ tandem Ausonia Teucros cõsidere terra Inuidia est. Actiue dixit Horat. in 1. epist. Inuidia uel amore uigil torquebere. Iustus meus metus, &c.) Argumentationis pars est pertinens ad causam. Vult enim dicere, iure abdico hunc, quod si non faciam, metuendum est mihi ne ingratum, hoc est, hunc filium adoptiuum non obsequẽtem mihi scribam hæredem, & relinquam inimicum scilicet hæredem, hoc est fratrem meũ ad quem munere filij sit hæreditas peruentura. Inimicum.) Inimicus & hostis differunt. Inimicus significat omnem quem odimus qui amicus non est: Hostis hodie significat eum cũ quo bellũ publice geritur. Veteres aũt hostem peregrinum uocabant. Etiam si tu non odisti eum qui fe. &c.) Mollis color uel figura est qua pater uidetur abdicare filium, non in odiũ illius, sed in odiũ fratris qui prius hunc ipsum abdicauerat. Desinit esse filius, &c.) Argumentationis collectio uel conclusio uidetur fuisse, contra eam partem filij quã diximus esse positã in definitione nominis patris uel parentis: ostendit enim patrem naturalẽ nõ posse amplius ab hoc uocari patrẽ eũ, à quo sit abdicatus, hoc est per quẽ amiserit ius filij ne possit esse hæres illius, præsertim quũ sit iã ab alio adoptatus, hoc est aliũ acceperit patrẽ. Nec enim credibile est legẽ uoluisse ut filius duobus parentibus alendis astrictus esset. Audite q̃ ual. &c.) Inuidia est contra fratrẽ inimicũ, & habet duplicẽ emphasim, id est significationẽ uel indicationẽ inuidiæ; per se enim miserabilis persona est; tam egena ut inimicũ rogare cogatur, deinde inuidiosum est fratrem pro tam miserabili rogandũ esse. Quis es tu, &c.) Patruus hoc dicit ex grauitate personæ suæ, quia iam per adoptionẽ pater erat. Videtur aũt inter omnia humanæ necessitudinis uincula nomen patris esse sanctissimum. Ergo dicit: quis es tu scilicet iudex, qui audebis cõtradicere abdicationi meæ, & inter patrẽ, filium, sententiam tuam.

suam interponere. Non enim mittimus scilicet nos patres, ad te arbitrum, id est ad tuam cognitionem, odia nostra, scilicet in filios. Iudices habebimus deos, quoniam illi soli sunt ueneratione supra patris nomen, & soli possunt discernere quid recte aut secus inter patrem & filium geratur. Extra controuersiam.) Id faciebat Seneca non solum in prooemiis librorum, sed ubicunque uisum est, ut si quid dictum factumue esset, quod aliqua parte prodesse ad eloquētiam posset, id insereret, quale est quod hic commemorat. Dicit enim Iunium Alsium Flauium prætextatum solitum declamare, semper erat autem aliquid extra declamationem, propter quod eius eloquentia placeret, præcipuum autem lenocinium, hoc est, illectamentum uel prætextum quo puer declamans placeret, erat ætas, quoniam in tenera ætate plus admirationis & beneuolentiæ mereretur facundia quæ supra annos esset. Prætextatus.) Prætextati dicebantur nobiles pueri. Romæ enim interior uestis qua utebantur, tunica dicebatur, eam ignobiles illaboratam & incultam habebant: nobiles uero prętextam, id est certo texturæ genere pictam & ornatam; unde prætexta dicta est, & prætextati qui ea utebantur, necdum togam uirilem assumpserant. Ante togam sub pædagogis erant, quorum custodia & imperio coërcebantur. Post sumptam togam, ex ephebis dicebantur excedere, & desinebant sub imperio custodum esse. Commendabat.) Commendare aliquando significat aliquid curę alicuius mandare. Vergilius in secundo Aeneid:

Sacra suosq; tibi commendat Troia penates. Aliquando gratiam aut beneuolentiam parare. Sic Mart. Errat Qui commendandum se putat esse suis. hoc pacto hic accipitur. Lenocinium.) Leno, lena facit fœminino genere, sicut leo leena, Laco Lacęna. Dicitur autem leno qui quęstum ex prostitutis mulieribus facit, & conciliator est aut nuntius alienæ impudicitiæ. Vnde lenocinari dicitur, & lenociniū commendatio uel conciliatio proprie impudicæ consuetudinis: usus tamen obtinuit: ut per translationem pro qualibet iucundiore gratia aut fauore accipiatur.

L. ANNEI SENECAE DECLAMAmatio secūda primi libri, cui titulus, Virgo prostituta.



Sacerdos casta castis, puris pura sit. Thema. Quædam uirgo à Piratis capta uenijt. Empta à lenone, & prostituta est. Venientes ad se exorabat stipem. Militem qui ad se uenerat, cum exorare non posset, eum luctantem, & uim inferre uolentem occidit. Accusata, absoluta, & reuersa ad suos est. Petijt sacerdotium: Contradicitur.

PRIMA PARS CONTRA VIRGInem petentem sacerdotium.

Sacerdos uestra adhuc in lupanari uiueret, nisi hominem occidisset. Quid mihi sacerdotē, cuius precaria est castitas? Id enim deerat, ut templa eas recipiant, quas aut carcer, aut lupanar eiecit. Indignam te sacerdotio dicerem, si transisses per lupanar. Fortuna, inquit, pati coëgit, & misereri debent omnes mei. At nos miserandas non facimus sacerdotes: Nec est apud nos maximus honos ultimorum

malorum solatium. Ita domi custodita est, ut rapi posset. Ita chara fuit suis, ut rapta non redimeretur. Ita raptæ pepercere piratæ, ut lenoni uenderent. Sic emit leno, ut prostitueret. Sic uenientes deprecata est, ut ferro opus esset. Mouet me respectus omnium uirginum, si in ciuitate nulla inueniri potuit, nec meretrice castior, nec homicida purior. Nulla est satis pudica de qua queritur. Omnes, inquit, exoraui. Si quis dubitat an meretrix esset, audite quàm blanda sit. Ponamus tres sacerdotium petere. Vnam quæ rapta sit, Alteram quæ prostiterit, Tertiam quæ hominem occiderit. Omnibus negabo.

PARS ALTERA PRO VIRGINE *petente sacerdotium.*

Voluerunt Dij esse miraculo, in captiua libertatem, in prostituta pudicitiam, in homicida innocentiam. Narrent sanè omnes tanquam ad prostitutam uenisse, dum tanquam à sacerdote discesserint. quàm pudica sit, miles ostendit: quàm innocens, iudex: quàm felix, reditus. Inter tot pericula dij illæsam non seruassent, nisi eam sibi seruaturi fuissent. Totus populus ad seruandam pudicitiam cõtulit, quicquid ad uiolandam attulerat. Dicat pudicitiam suam Dijs quibus debet.

EXTRA CONTROVERSIAM.

Longe recedendum est ab omni obscœnitate uerborum & sensuum. Quædam satius est uel cum causæ detrimento tacere, quàm inuerecunde dicere.

RODOLPHI AGRICOLAE IN SECVN*dam Senecæ declamationem commentariolum.*

SAcerdos casta &c.) Hæc declamatio controuersiam habet positã in genere causæ legitimo scripti & sententiæ. Quum enim lex dicat, Sacerdotem castis castam, & puris puram esse debere: quam is pro se sumit, qui prostitutam à sacerdotio repellit, uidetur ista neq; casta esse quia prostituta fuit, neque pura esse, quia homicida. Contra qui defendit, dicit, non idcirco quia prostituta sit non esse castam, quod quidem in genere coniecturali positum est: neque ut occiderit hominem, uideri homicidam debere uocari tamen, sed ita solum si contra ius occidisset, quod ad statũ definitiuum pertinet. Dicit ergo, Sacerdos casta castis sit. Sacerdos communis generis est, dictus à sacris docendis. Sacerdos ergo id est fœmina quæ sacris præest, sit casta castis, scilicet eis religionibus quas caste coli oportet. (Multi eñ erãt quibus nihil erat necesse, cuiusmodi erãt Venerea & Bachanalia) & pura puris religiõibus, quas nõ licebat fieri p eũ q nõ esset purus, id est, homicidio aut alio insigni scelere cõtaminatus. Quædã uirgo à piratis, id est, pdonibus marinis capta uenijt, id est uẽdita est, empta à lenone & prostituta est, id est, libidini hominum pro mercede exposita, uenientes

nientes ad se, scilicet libidinis causa, exorabat stipem, id est, impetrabat ut in eleemosynam ei gratis pretium darent: militem qui ad se uenerat cum exorare non posset, scilicet quin ut cœperat explere libidinē, eum luctantem, scilicet secum & uim inferre uolētem occidit, accusata scilicet ob cædem huius, absoluta scilicet à iudicibus, reuersa ad suos est, scilicet in patriam, petijt sacerdotium, s. quia nemo libens in matrimonium ducere uoluisset. Contradicitur. Piratis.) Pirata Græcum est, dictus à πειράζομαι, id est experior, quia multa pericula maris & certaminum experitur. Casta.) Castus à carēdo dictus uidetur, quod caret, id est, abstinet à Venere. Vnde incestus, id est, non castus dicitur, quanquam alij id nomen à cestos quod græcum est, cingulumq́ Veneris significat, sed id longius petitum est, & ad significationem parum conuenit. Accipitur autem castitas apud ueteres non modo pro pudicitia, sed pro omni abstinentia scelerum. Venijt.) Veneo à uenum & eo dicitur. Exorabat.) Differunt orare & exorare. Orare est rogare: Exorare impetrare quod rogatur. Sic Terentius in Adelphis: Orator ad uos datus sum, finite ut exorem. Stipem.) Stips apud ueteres significat quod hodie græco uerbo eleemosynam dicimus, id est, miserationem. Vnde & stipatores dicuntur, & stipendium. Militem.) Miles quid significet, hodie ferè plurimorum errore ignotum est. Vulgus militem uocat eum qui apud ueteres ius habebat aureorum annulorum, quæ erant insignia equestris ordinis, hiq́ equites uocabantur. Vnde Horatius dicit in Arte:

Romani tollent equites peditesq́ cachinnum. Ergo quibus hodie ius est aureorum ornamentorum, equites, aut equestris ordinis uiri dici debent. Miles uero omnis ille qui in bello armatus operam dat, quod hodie indocti stipendiarios uel satellites uel quiduis aliud uocant: Vnde & militare, in bello operam præbere, & militia exercitium rei bellicæ apud omnes literatos uocatur. Accusata.) Accuso ab ad & causor causaris dicitur, mutata per synæresim, id est, coniunctionem a & u in u, ut claudo cludo. Sacerdos nostra &c.) Hoc ad inuidiam dicitur, quasi dicat non esse dignā honore sacerdotij, quæ ex una turpitudine, scilicet meretricatu, per aliam turpitudinem, scilicet homicidium liberata est. Lupanari.) Lupanar dicitur prostibulū, id est, locus in quo prostitutæ, id est, meretrices habitabant. Lupā enim ueteres meretricem uocabant. Quid mihi &c.) Est quasi obiectio contra aduersarium, quasi dicat, sacerdotem tam castam esse debere, ut non solum non uiolata, sed etiam tentata uel appellata sit de impudicitia, quod necesse erat huic contingere quæ erat casta solum per preces suas, quia adeuntes exorabat ne sibi uim inferrent. Precaria.) Precarium dicitur quod precibus impetratur. Sic Seneca paulò ante: Quæ paret mihi olim precario. Id enim deerat &c.) Hoc acriter & inuidiose dicitur. Id enim deerat, inquit, scilicet ad contumeliam: uel per ironiam dicitur, quasi non deerat, sed tale est quod omnino fieri non debeat. Vt templa eas recipiant.) Cum magna cura uerba pensitauit, opponens templo lupanar aut carcerem, & recipiant, contra eiecit, quasi quibus in lupanari aut carcere locus non dabatur, illas indignissimum sit in templa recipere. Templa à templando, id est, conspiciendo dicta sunt, quia ueteres antequam templa conderent templabantur, id est, uidebant quale se augurium præberet, ut templum id feliciter fieret: uel quia contempla, id est, eminentia & conspicua erant. Carcer quasi coarcer dictus est: significat autem singulari numero locum quo homines uincti asseruantur: plurali uero carceres dicuntur hi loci quo equi aut currus pro præmio cursuri continentur. Sic Lucanus in primo Pharsaliæ:

Vt quum carceribus sese effudere quadrigæ.

Indignam te sacerdotio &c.) Argumentum à maiori. Si indigna est quæ transit per lupanar, quanto indignior quæ uixit in lupanari. Fortuna inquit. &c.) Contradictio est dicentis ꝓ prostituta, quia eā non suo uitio ꝓstituta fuit, sed eius q̄ eam cepit, putat id nō posse sibi ꝓ crimine obijci q̄d sibi nō sua improbitate, sed fortunę uiolentia cōtigit. Misereri. Misereor dicimus cū genitiuo solū, ut misereor tui. Miseret imperso

personale accusatiuo & genitiuo iungitur, ut: miseret me tui. Miseror accusatiuo iungitur, ut Vergilius in quarto Aeneidos:
Num lachrymas uictus dedit, aut miseratus amantem est. At nos miserandas.) Dissoluit contradictionem. Nos, inquit, non facimus sacerdotes, quia miserādæ sunt, neq; felicitatē sacerdotalis nominis damus infelicibus. Honos.) Vetusto more honos, lepos, labos, arbos, habent s pro r in fine. Vltimorum, id est maximorum, quia post ultimum nihil est, sicut supra maximum nihil. Ita domi custodita &c.) Egregia argumentatio qua docet indignitatem personæ, quæ omni ratione semper contempta fuit, estq; genus inductionis, ut hæc uelut forma argumētandi illis & illis, & illis cōtēpta fuit, ergo omnibus est contēnenda: Contēnenda est, ergo indigna sacerdotio est. Mouet me &c.) Pars argumentationis est ducentis ad inconueniens, quasi dicat, in sacerdotium sumi debet castissima & purissima, ergo si hæc tanquam castissima & purissima assumitur, nulla uidetur uirgo esse purior homicida, aut castior prostituta, quod prorsus absonum est dicere: quare nequaquam in sacerdotium assumenda est. Nulla est satis pudica &c.) scilicet ut in sacerdotē assumatur: quum enim sacerdos debeat esse antistita quædam & magistra pudicitiæ, dignum est ut sit certæ & indubitatæ pudicitiæ. Omnes inquit &c.) Cōtradictio est pro parte prostitutæ, quasi dicat non hoc quod prostituta fui in crimen impudicitiæ mihi uertendum est, quia exoraui omnes, hoc est, effeci precibus ut ab omibus pudica manerem.
Si quis dubitat &c.) Conuertit hanc contradictiōem aduersarius in eā ipsam pro qua posita est, sumpto ex coniunctis argumento, ut: Omnes exorauit, ergo blāda est: blanda est, ergo est meretrix. Est sanè genus hoc argumentandi acerrimum, quando datur aliquid ex his quæ aduersarius pro se posuit, conuertere & retorquere in eum, & suo illum gladio iugulare, ita tamen si uehemens & firmum argumentum possit duci, alioquin friuolum uidetur & hominis uerba cauillantis: & hoc quod hic positū est non satis dignum argumentū uidetur ingenio & fama Portij Latronis, cuius hęc est declamatio. Meretrix dicta est à merendo, quia impudicitia corporis meretur, id est quæstum facit. Ponamus tres &c.) Hoc est acre argumentum & pugnax, habetq; imaginem inductionis, ut: negabo illi crimen & illi & illi, ergo magis simul omnibus negabo. Hic autem & cum criminibus personas diuisit, poterit alioquin argumentum commode in una persona explicari, ut dixisset, Ponamus hanc quæ sacerdotium petit, raptam tantum fuisse, ponamus eam tantum prostitisse, ponamus hominem occidisse, ex quauis harum causarum sacerdotium ei negarem, quanto magis ex omnibus negabo. Omnibus negabo.) Deest conclusio, scilicet quum omnibus, id est, tribus illis prædictis negem, quanto magis uni, quæ sola fecit id quod omnes illæ fecissent. Prostiterit.) Prostare neutrale uerbum est, significatq; in loco publico expositam impudicitiæ stare. Prostituere actiuum est, & significat aliquam ad prostandum exponere. Leno ergo prostituit, meretrix prostat. Negabo.) Negare quandoq; significat contrarium eius quod est affirmare: Vergilius in Bucolicis:
Sed reddere posse negabat. Quandoq; significat petentem repellere, ut hic. Sic & Martialis:
Si nil Cinna petis, nil tibi Cinna nego. Voluerunt dei esse &c.) Hæc est pars prostitutæ, in qua præcipue sumit colorem ex iudicio diuino, tanquam maxime debeat deorum ministerio consecrari, quam Dij sibi ex tam multis calamitatibus saluam esse uoluerunt, qui color per totam orationem seruandus ei fuit qui hanc partem dicebat: adiuncto fauore personæ, qui naturaliter ex tam multis aduersis illi parabatur. Videtur ergo hic locus in principio positus, ex prooemio acceptus esse, maxime enim ad personæ commendationem pertinet: quid enim est quod maiorē commendationem pararet personæ, quàm tantum fauorem deorum, ut inter tot aduersa seruarent illæsam, ut liberaretur cum captiua esset, maneret pudica, quanquā prostituta esset, & facere salua innocentia homicidium. Dei.) Dei uel di promiscue dicitur

Di scribendum est & non dei.

citur, usitatius apud communes di est. Id autem uno i scribendum est quemadmodum ratio postulat, non duobus quemadmodum uulgus scribit, cuius rei ratio nobis paulò latius aperienda est. Sciendum est ergo uetustissimos solitos esse i longum per e & i diphthongum scribere: erant itaque diphthongi latinæ quatuor, æ, œ, ei, & au, nam eu nisi in interiectionibus. heu & heus, in nullis dictionibus latinis inuenitur. Scribebant ergo pro dico deico, & scribo screibo, & pro mariti mareitei, quod hodie quoque in quibusdam uetustissimis inscriptionibus licet intueri in Italia, quæ priscis tēporibus factæ sunt. Postea hæc diphthongus cōsuetudine abolita est, positumq; est solū i pro e & i. Ergo id accidit seruatumq; est in his non solum in quibus dictionibus nihil mutabatur, sed etiam est qbus e ad declinādi rationē ptinebat: dictū est itaq; isdem, pro eisdē, & idē pro eidē, & hi ꝓ hei, & di pro dei. Quod aūt nō possit ꝑ duo i scribi, manifestum est ex hoc, qm̄ di una syllaba est, duæ uocales autem unam syllabam facere non possunt, nisi uel fiat diphthongus ex eis, uel altera transeat in uim consonantis. Ex duobus autem i nulla diphthongus latina constat, transire autem in uim consonantis præcedente muta non potest. Ergo scribendum est di, & similes dictiones uno i & non duobus. Pudicitiam.) Pudicitia, & pudor, & pudentia differunt. Pudicitia em̄ in corporis integritate consistit: Pudentia in animi uerecundia: Pudor & ꝓ pudicitia & ꝓ pudentia accipitur. Innocentiā.) Innocētia nō significat id q̄d hodie hoc nomine intelligimus, id est secordia uel torpor animi, sed quasi oēs uirtutes hoc nomen cōplectitur, qui enim innocens, hoc est nō nocēs est, is uidetur prorsus bonus esse. Narrent sanè.) Purgatio est eius quod obijcitur prostitutam fuisse, quid enim refert prostitutam & in turpi loco fuisse eam, si tamen omnes qui ad eam uenerunt, discesserunt tanquam à sacerdote, id est, tam caste quàm uenerunt.

Quàm pudica sit &c.) Confutat quasi una collectione oĩa quæ contradici possent. Quū enim iubeat lex castam esse debere & puram sacerdotē, ista in milite castitatem suā ostendit, in iudicio puram se esse probauit, deinde ista etiam Deis ita uideri felicitas reditus sui declarauit: non enim Deos tm̄ illi felicitatis daturos fuisse, nisi eam ministerio suo, id est, sacerdotio eam uoluissent seruare. Totus populus &c.) Argumentū sumptū ex iudicio populi, quum em̄ ad uiolandam eā populus uenisset, & non tactæ tamen dederit stipē, uidetur iudicasse populus eam non solum pudicam esse, sed etiā ut esset, facere suis opibus uoluisse. Dicat pudicitiā suam Dijs &c.) Hoc est efficax & honestæ frōtis, ut ita dicā, argumentū, quum em̄ uideatur solo munere deorum consecuta esse ut casta permaneret, iustissime cōsecrat pudicitiā suam Dijs, per quos eam seruauit. Dicare proprie est aliquid alicui uelut in suam potestatē assignare. Sic Vergilius: Coniugio iungam stabili, propriamq; dicabo.

Extra controuersiam. Longe &c.) Hoc uult dicere, quū em̄ hi qui contra prostitutam dicebant sumerent occasionē ad exprobrādum ei fœditatē lupanaris, & quæ necesse fuerit ibi eā audire, quanq̄ salua pudicitia, & cum qualibus uersari, & q̄ pati liberius multa & inuerecundius dicebant, à q̄ monet Seneca omnino abstinēdum esse, licet enim nonnulla si dicantur prodesse caussæ possint, tamen si sint turpia dictu, tacenda potius q̄ inuerecundi hominis famā subeundam. Hoc etiā postq̄ Seneca dixit, notandū uidetur parum probabilē uideri totum colorē partis illius quæ contra ꝓstitutam est, & magis conuenire eam orationē aspero illi & libero ingenio Latronis, q̄ uero oratoris iudicio, tota enim oratione in prostitutā inuehitur, & suspitiones impudicitiæ & aliorum in eam criminū spargit, q̄d primum minime fauorabile est, ut calamitates cuiquā obijciantur, præsertim ei quæ inter omnia aduersa tamen innoxia permanserit: deinde & extra uel potius contra thema hæc ipsa dicuntur, datur enim in themate pudicā eam quum prostituta esset mansisse, in cuius honorem etiam ab homicidio absolutam esse constat, quare necesse est omnium fauorem hac in parte pro ea stare, neque æquis accipere auribus hac parte infamari eam, unde ei præcipue admiratio accedit. Detrimento.) Detrimentum à detero dicitur, quia de-

Q terit

terit aliquid rebus nostris, hoc est, damnum uel iacturam affert.

L. ANNEI SENECAE DECLAMATIO tertia primi libri, cui titulus, Incesta saxo deiecta.

Rubrica. INcesta saxo deijciatur. Thema. Incesti damnata antequam deijceretur, Vestam inuocauit, deiecta uixit. Repetitur ad pœnam. Contradicitur.

PRIMA PARS CONTRA INCESTAM.

Declamatio. Id enim deerat ut modestior in saxo esset, quàm in sacrario fuerat. Dubitari non potest quin tandiu deijcienda sit, donec efficiatur, propter quod deiecta est. Patrocinium suum putat pereundi infelicitatem. Quid tibi importuna mulier imprecer? nisi ut ne bis quidem deiecta pereas. Exponam cum quo stuprum uel quando commisit. Quia probaui, istam damnastis. Non putas legem caruisse ut perires, quæ cauit quemadmodum perires? Male de Dijs existimas, si sacerdoti suæ tam sero succurrunt. Ita Dij maluerunt damnatam absoluere, quàm sacerdotem?

PARS ALTERA PRO INCESTA.

Damnata deiecta est, absoluta descendit. Putares puellã non deijci, sed demitti. Lex sacerdotem non ad saxum usq; deferret, nisi sententiam deorum expectaret. Erat altitudo montis, etiam secure aspicientibus horrenda.

RODOLPHI AGRICOLAE IN TERTIAM Senecæ declamationem commentariolum.

INcesta saxo deiecta.) Lex est ut incesta, hoc est, sacerdos Vestæ in stupro deprehensa deijciatur, id est, præceps mittatur de saxo, id est rupe aliqua. Quædam quũ esset damnata incesti, antequam deijceretur deam Vestam inuocauit, hoc est, orauit ut ita sibi auxilio esset quemadmodum sciret esse se pudicam: quum deiecta esset salua permãsit, repetitur rursus ut deijciatur, quia lex uidetur uoluisse ut moreretur, deijci debere: ergo quandiu mortua non sit, legis uoluntati non esse satisfactũ. Contradicit, quia deiectã defendit: quum enim dicat lex, damnatam deijci debere, hæcq; damnata deiecta sit, uidetur iussis legis nihil reliquum esse in ista. Est itaque genus legitimum ex scripto & sententia legis nascens, cuius sententiam quidẽ tuetur accusator, scriptum uero defensor. Vestam.) Vesta dea erat ignis, in cuius tẽplo perpetuus ignis ardebat, erantq; custodiæ eius consecratæ uirgines Vestales quæ pudicitiam suam deæ consecrabant, & quibus capitale erat in stupro deprehendi, post sexagesimum annum siqua uoluisset licebat ei nubere, erantq; propemodũ similes sanctimonialibus nostri temporis. Incesti.) Incestum ab in, id est, non, & castus dictũ est, proprieq; uocatur impudicitia in personam aliquam, uel affectum sacris incurrens, ut est uel in consecratam deo, uel in coniunctam cognatiõe tam arcta, ut per leges uxor esse non possit. Id enim deerat &c.) Hæc est pars accusatoris reposcentis ad

tis ad pœnam eam quæ deiecta fuerat, primumq; hoc inuidiam trahit quod ausa sit in saxo Vestam inuocare, quasi dicat, Non esse mirãdum si tam immodesta fuit ut auderet in saxo inuocare Vestam quum sit ausa in eius sacrario licet impudica esset uersari. Sacrarium dicitur in templis locus in quo sacra reponuntur, quod uulgò sacristiam uocant. Dubitari non potest &cæt.) Hoc acriter dicitur. Non enim lex frustra deijci uoluit damnatam, nec ob aliud quàm ut moreretur, nam si uoluisset mori damnatam, non utique de tam sublimi deijci iussisset, ergo quandiu factum nõ est q̃d fuit causa statuendæ legis, non est obeditum legi. Quin, id est qui non. Quando autem ponitur in medio constructionis iungitq; duos sensus, accipitur pro ut nõ, sicut qui & quo pro ut accipimus. Sic Vergilius in quarto Aeneidos:

Quo regnum Italiæ Libycas aduerteret oras. Quando iungitur imperatiuo, ut quin age, legendum est disiunctim, ut dicamus quin, id est, qui non, hoc est quare non, scilicet agas, deinde age subijciendum est. Quum iungitur indicatiuo, simpliciter & coniunctim legitur, quin paras, id est qui non, quare non paras. Patrocinium suum &c.) Vult dicere: Hæc putat se defensuram esse per hoc quod sit ad pereundũ infelix, id est, quod semel deiecta non perierit, sed necesse sit eam bis deijci.

Patrocinium à patrono dictum est. Patronus dicitur qui seruum libertate donatum manumisit: quemadmodum enim ad seruum dominus, sic ad libertũ patronus dicitur. Inde qui aliquem capitis reum in iudicio defenderat, apud ueteres dictus est etiam patronus, quoniam is reo quasi usum uitæ reddidisset, sicut seruo dominus manumisso: & inde patrocinium, id est defensio dicitur.

Tantum scripsit Rodolphus Agricola in has Senecæ declamationes.

L. ANNEI SENECAE DECLAMATIO QVARta *primi libri, cui titulus, Fortis sine manibus.*



ADulterum cum adultera qui deprehenderit, dũ utrunq; corpus interficiat, sine fraude sit, liceat adulteriũ & in matre filio uindicare. Thema. *Vir fortis in bello manus perdidit. Deprehẽdit adulterum cum uxore, de qua filium adolescentem habebat. Imperauit filio ut occideret. Non occidit. Adulter effugit, abdicat filium, contradicit.*

PRIMA PARS PRO FORTE CONTRA FILIVM.

Solus ego ex omnibus maritis nec adulterum dimisi, nec occidi. Quis non putet aut me sine filio, aut filium sine manibus? Conceptus est iste, *à quo sciemus. Cũ adulterum deprehendi, tunc primũ sensi me manus in bello perdidisse meas, domi etiam filij manus perdidi. Tã frustra ad filium, q̃ ad gladiũ cucurri. In bellum non peruenit, & ante patriæ q̃ patri negauit manus. Vsque eò pugnauit pro nobis, ut pro se non posset. Adolescens quos dimisisti sequere. Non potui, inquit, matrem occidere. Quo sis excusatior, adijce & patrem.*

PARS ALTERA CONTRA *fortem hominem pro suo filio.*

Alterum putaui parricidium, matrem coram patre occidere. Non semper sce

fera nostri sunt iuris. Et truces animos misericors natura debilitat. In tam inopinati flagitij spectaculo, toto corpore stupui. Pater tibi manus defuerunt, mihi omnia, priusquam in memoriam reuerterer, exierant. Maius erat scelus, quod imperabas, quàm quod deprehenderas. Si quid exegeris ultra uires meas, dicam, Ignosce; non possum. Ignoscit pater filio, nauigationem recusanti, si non ferat mare: Ignoscit non sequenti castra, si non potest, quamuis ipse pater militaris sit. Ipsam legem recita. Liceat marito, liceat & filio. Quare tam multos nominat, nisi quia aliquos putat esse, qui non possint? Exierunt adulteri inter patrem debilem & filium stupentem.

DE NATIVITATE SIVE IMMENSA NATALIS DIEI IESV CHRISTI LAETITIA Rodolphi Agricolæ Phrisij oratio, quæ nuper admodum in publicum prodijt, sed sanè quàm deprauata, nunc per Alardum Aemstelredamum ad autographi fidem accuratius emendata, luculentisq; ac compendiarijs eiusdem scholijs illustrata, in quibus potissimum explicatur id quod ad Dialecticam attinere uidetur, atq; hoc maxime iuxta Rodolphi de inuentione Dialectica præcepta.

DE NATIVITATE, SIVE IMMENSA NATALIS diei Iesu Christi lætitia Rodolphi Agricolæ Phrisij oratio.



Ongo uetustatis more seruatum fuit doctissimi uiri, ut natales singulorum hominum dies, priuatorum quidem à sua cuiusq; familia, principum uero & clarorum uirorum, consensu lætitiaq; publica, populorum atq; prouinciarum celebrarentur. Etenim diem illum credebant sibi uelut solennem renouato quotannis gaudio colendum, qui primus quenq; misisset in possessionem lucis & uitæ, quiq; reliquis omnibus patefecit aditum diebus, & ut bonorum omniũ quæ in uita percipimus capaces essemus effecit. Tanto uero magis eum diẽ gratulationibus uenerationeq; putabant prosequendum, quo præstans aliquis & egregius uirtutibus natus uir esset, quanto plus est pulchriusq; quã uiuere, communi multorum uitæ salutiq; prodesse. Obscuriores enim homines cẽsebant nasci ut morerentur, ita natales illorum dies in hoc tantum ut occiderent exiri; illum uero diem qui illustrem quempiam & quem nasci publicæ utilitatis interesset

teresset, protulisset in lucem, non putabant ortus, occasusq; spacijs metiendum, sed inijciendam manum in annos redeunti, & si fieri posset, clarum perpetua luce & sine ullo noctis interuentu tuendum. Nobis autem doctissimi uiri quid hodie faciendum est? quis animus in præsentia sumendus? Natus iterum nobis adest Christus, quæ oratio laudi nostræ? quæ laus gaudio? quod gaudium felicitati tantæ sufficiet? Natalē agimus eius, cuius (ut stupens inquit propheta) generationem quis enarrabit? Qui non modo summus homo, sed quod omni summo sublimius, etiam est Deus, quiq; quum ab æterno natus sit atq; nascatur, fecit etiam ut & hodie dici posit esse natus. Cuius & nos ut uita uiuimus, sic nati sumus natiuitate: subijt mortalitatem nostram, ut imagini nos immortalitatis suæ faceret conformes, exinaniendo seipsum, nos extollens, factusq; filius hominis, ut filios nos faceret Dei. Ingentia omnia, inusitata & perinde nobis quoq; felicia & fausta, quorumq; neq; magnitudinem satis uenerari, neque nouitatem stupere, neq; fructum muneraq;, nostra non modo æquare gratia, sed ne memoria quidem complecti quimus. Quum sit autem mihi ex prisco more de huius diei lætitia paulo pluribus hoc loco differendum, de qua quicquid dissferitur nihil satis est, & nihil non est satis, sic enim sentio ut dico nihil satis est, quod omnis cogitatio, nedum oratio humana, infra illius diei magnitudinem est posita, contra quoq; nihil non satis, quod quidquid pio puroq; dicitur affectu, ille satis dictum putat, qui ex ore infantium etiam & lactentium perficit laudem. Exoratos ergo uos uelim, ut hanc qualemcunq; dictionem meam solita uestra & sæpius experta mihi excipiatis humanitate. Præbebitis uos (oro) mihi ea mãsuetudine, qua crebro præbuistis, & ueniam quam in minoribus nonnunquam rebus dedistis tenuitati ingenij mei, eam nunc immēsis in rebus magnitudini ipsi quæsso tribuatis. Mihi uero fiducia ad dicendum nonnulla ex præsenti temporis nascitur ratione. Dicam enim ad præsepia, dicam de infante recens nato, inuoluto pannis, uincto, uagiente, & nube fragilitatis nostræ magnitudinem suam tegente. Audendum certe enitendumq; & quomodocunq; tentandum dicere, uel nunc apud eum saltem, qui quum sermo sit Dei patris, iacet factus pro nobis infans expersq; sermonis. Quis ad conspectum eius iam uel timeat accedere, cuius totum est in lachrymis robur, uel dicere uereatur, cuius est omnis sermo uagitus? Dicturus ergo de tam sublimi immensoq; & modum omnem cogitationis humanæ excedente mysterio, non uideo quibus uerbis aut qua ueneratione aptius rem tantam prosequar, quàm qua rex Propheta admiratus est illam: A domino, inquiens, factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Sic est profecto, à domino factum est istud. Quis enim rem tantam potens posset, nisi is qui potens facere, dominus est omnium potens,

tens, cuius cuncta nutum sequuntur, quiq; dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt, omnia quidem facta scilicet ab eo, neq; quicquam est quod imperium illius poßit effugere. Asperrima illa & in parte rerum naturæ fera & indomita reputata, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, hæc tamen faciunt uerbum eius, cuncta dominum cum sentiunt, cuncta itaq; ab eo sunt facta. Sed tamen uidentur uelut minoris negotij atq; curæ opus omnia fuisse, nec à domino tanquam pro magnitudine sua, sed potius ab artifice, tanquam pro ingenio esse parata. In quam sententiam & à gentili uate, hominum repertor dictus est, & alius itidem opificem rerum eum & imaginem mundi melioris uocauit. Hoc autem proprium uerumq; domini, id est immensæ illius infinitæq; potestatis est opus, quod non ad alia tantum, sed & ad seipsum pertinens, effecit. Reliqua enim quum de tenebris abyßi omnipotentia sua protraheret in lucem, & alijs esse, alijs uitam, alijs mentem, cuiq; pro conditione naturæ suæ distribueret, omne in ipsis rebus opus illius est finitum, nihil circa se constituit, nihil nouauit. At in hoc insolito stupendoq; opere suo, quum pater uerbum suum, quo cœli firmati sunt, nouißimis diebus in terram missum, id quod non erat, uoluit assumere, & filius consubstantialis æterno patri, atq; compar, accepta seruili forma, in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus, hoc est reuera quod à domino dicere possumus factum, hoc dominus iussit, dominus suscepit, & quod factum est opus in domino permansit, hoc immensæ potestatis, maximi roboris fuit, quemadmodum scriptum est: Exultauit gigas ad currendum uiam, à summo cœlo egreßio eius. Quid ni de summo cœlo? qui ex sinu patris, cœlum & omnia quæ in eo sunt pugillo continentis descendit, quumq; infinitus, incomprehensibilis, immortalis, impaßibilis esset, non exhorruit uirginei corporis angustias, nec alienum à maiestate sua putauit, fragilitatis nostræ conditionem subire, & assumere figmenti similitudinem nostri, omnibus expositam doloribus, luctuum omnium miseriarumq; capacem, & ut uno uerbo dicam, Deus quum esset, homo nedum, sed (ut de seipso affirmauit) uermis est factus, atterendus pro omnium nostrum salute, atq; conculcandus, hoc ergo necesse est mirabile sit in oculis nostris, quippe quod magnitudinem & nouitatem omnium eorum quæcunque à primo rerum exordio facta miramur, excedit. Facta quidem sunt cœlum et terra, & quicquid eis continetur, de nihilo. Stupendum fortasse sit istud, si modo uirium nostrarum metiamur: at si deum æstimamus, quid est quod miremur? Res effectæ sunt quantæcunq; quidem, finitæ tamen, & quæ certo naturæ suæ clauderentur ambitu, & effectæ ab eo, cuius potestas nullis terminis comprehenditur, nulla mensura præfinitur. Sic quoq; cum humanitatem suscepisset nascendo, clausum

puellaris

terresset, protulisset in lucem, non putabant
inijciendam manum in annos redeunti, &
sine ullo noctis interuentu tuendum. Nobis
dum est? quis animus in præsentia sumend
quæ oratio laudi nostræ? quæ laus gaudio?
Natalē agimus eius, cuius (ut stupens inqu
bit? Qui non modo summus homo, sed qu
quiq; quum ab æterno natus sit atq; nasc
esse natus. Cuius & nos ut uita uiuimus
tem nostram, ut imagini nos immortal
seipsum, nos extollens, factusq; filius ho
omnia, inusitata & perinde nobis quoq
dinem satis uenerari, neque nouitatem
modo æquare gratia, sed ne memori
mihi ex prisco more de huius diei la
qua quicquid differitur nihil satis
nihil satis est, quod omnis cogitat
tudinem est posita, contra quoq;
affectu, ille satis dictum putat,
laudem. Exoratos ergo uos
stra & sæpius experta mihi
mãsuetudine, qua crebro p
bus dedistis tenuitati inge
so tribuatis. Mihi uero f
tur ratione. Dicam enim
nis, uincto, uagiente, &
dendum certe eniten
eum saltem, qui quu
sermonis. Quis ad
chrymis robur, ue
de tam sublimi im
sterio, non uideo
quàm qua rex
& est mirabil
enim rem tan

... aut nobiliorē aliquā à se creatam assumpsisset. Iam uero deum in humanæ ... iæ specie nasci propter homines, & ut hostis redimeretur impendi filium, ... nem benignitatis amorisq; modum excedit, cui non modo non laudem, nō ue... tionem, sed ne nomen quidem quisquam satis dignum queat inuenire. Quam... utem nasci uoluerit & fragilitatis humanæ suscipere formā, nō tamen usquā ... na circa illum cessauit magnitudo. Qui & cum cunctis & pro cunctis uel... nasci, natus tamen est quemadmodum nemo, quippe natus de uirgine, ut quem... modum fratres sibi facturus erat, qui non ex sanguinibus (ut ait Ioannes) neque uoluntate carnis, sed ex deo nati essent: sic ipse quoque non sanguinis uolupta... seruentis contaminatione, sed à uirgine matre conceptus, integra quoque ma... is uirginitate nasceretur. Ecce, inquit Isaias, uirgo concipiet & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel. Virgo dicit, taceat calumniator Iudæus, desi... at sacrum inuertere sermonem, & in perniciem suam male interpretari quod be... e scriptum est, uirginem enim concepturam parituramq; uates sacer prædixit, non adolescentulam. Quum enim iussisset dominus Acham ut signum peteret, aut in profundo inferni, aut superne in cœlo, negaretq; ille tentaturum se deum, ipse deus signum affirmauit illi se daturum nouum, insolitum, non ante auditum, uirginis fœcunditatem: si ergo debebat esse signum, necesse erat ut uirgo conciperet, uirgo pareret: aut si pareret adolescentula, quod potuit in illo uideri signum uni Acham datum, quod apud omnes cunctis diebus momentisq; fieri uidemus? Propheta itaq; qui hāc populi illius obstinationē contra uerum præuiderat, ne quisquam illorum errore decipi posset aut pertinatia falli, omnes admonitos uoluit, quum & antè Iudæos sic alloqueretur: Audite audientes & nolite intelligere, uidete uisionem & nolite cognoscere. Quasi dicat, quis credat uobis, quis fidem habeat, quum audiueritis uideritisq;, & similes tamen uos surdis cæcisq; præbeatis. Conueniens autem decentissimumq; erat, ut dei filius homo futurus nasceretur ex uirgine. Primum, ut sine uiri semine procreatus, à peccato Adæ ad omnem posteritatem diffuso liber inueniretur. Aequum fuit enim, ut qui expiaturus culpam omniū uenit, omni ab culpa ipse foret immunis. Deinde ut qui filius esset æterni patris optimi & undiq; consummatissimi, is filius quoq; fieret matris intemeratæ, et nulla humanæ inquinatiōis labæ cōspersæ. Postremo quoq; ut q filius dei nascitur ex corde parētis sine matre, is filius futurus hominis, itidē nasceretur sine patre, & quēadmodū ex dei hominisq; filio unus futurus erat Christus, sic unius & unius tantū pater foret, quum una foret & mater. Quis rem tantam ulla oratione, ullis satis commode queat prosequi uerbis? Profecto digna laus eius tantum sermonem supe-

teresset, protulisset in lucem, non putabant ortus, occasusq; spacijs metiendum, sed iniiciendam manum in annos redeunti, & si fieri posset, clarum perpetua luce & sine ullo noctis interuentu tuendum. Nobis autem doctissimi uiri quid hodie faciendum est? quis animus in præsentia sumendus? Natus iterum nobis adest Christus, quæ oratio laudi nostræ? quæ laus gaudio? quod gaudium felicitati tantæ sufficiet? Natalē agimus eius, cuius (ut stupens inquit propheta) generationem quis enarrabit? Qui non modo summus homo, sed quod omni summo sublimius, etiam est Deus, quiq; quum ab æterno natus sit atq; nascatur, fecit etiam ut & hodie dici possit esse natus. Cuius & nos ut uita uiuimus, sic nati sumus natiuitate: subijt mortalitatem nostram, ut imagini nos immortalitatis suæ faceret conformes, exinaniendo seipsum, nos extollens, factusq; filius hominis, ut filios nos faceret Dei. Ingentia omnia, inusitata & perinde nobis quoq; felicia & fausta, quorumq; neq; magnitudinem satis uenerari, neque nouitatem stupere, neq; fructum munerāq;, nostra non modo æquare gratia, sed ne memoria quidem complecti quimus. Quum sit autem mihi ex prisco more de huius diei lætitia paulo pluribus hoc loco disserendum, de qua quicquid disseritur nihil satis est, & nihil non est satis, sic enim sentio ut dico nihil satis est, quod omnis cogitatio, nedum oratio humana, infra illius diei magnitudinem est posita, contra quoq; nihil non satis, quod quidquid pio puroq; dicitur affectu, ille satis dictum putat, qui ex ore infantium etiam & lactentium perficit laudem. Exoratos ergo uos uelim, ut hanc qualemcunq; dictionem meam solita uestra & sæpius experta mihi excipiatis humanitate. Præbebitis uos (oro) mihi ea mansuetudine, qua crebro præbuistis, & ueniam quam in minoribus nonnunquam rebus dedistis tenuitati ingenij mei, eam nunc immēsis in rebus magnitudini ipsi quæsso tribuatis. Mihi uero fiducia ad dicendum nonnulla ex præsenti temporis nascitur ratione. Dicam enim ad præsepia, dicam de infante recens nato, inuoluto pannis, uincto, uagiente, & nube fragilitatis nostræ magnitudinem suam tegente. Audendum certe enitendumq; & quomodocunq; tentandum dicere, uel nunc apud eum saltem, qui quum sermo sit Dei patris, iacet factus pro nobis infans expersq; sermonis. Quis ad conspectum eius iam uel timeat accedere, cuius totum est in lachrymis robur, uel dicere uereatur, cuius est omnis sermo uagitus? Dicturus ergo de tam sublimi immensoq; & modum omnem cogitationis humanæ excedente mysterio, non uideo quibus uerbis aut qua ueneratione aptius rem tantam prosequar, quàm qua rex Propheta admiratus est illam: A domino, inquiens, factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Sic est profecto, à domino factum est istud. Quis enim rem tantam potens posset, nisi is qui potens facere; dominus est omnium potens,

tens, cuius cuncta nutum sequuntur, quiq; dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt, omnia quidem facta scilicet ab eo, neq; quicquam est quod imperium illius poßit effugere. Asperrima illa & in parte rerum naturæ fera & indomita reputata, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, hæc tamen faciunt uerbum eius, cuncta dominum eum sentiunt, cuncta itaq; ab eo sunt facta. Sed tamen uidentur uelut minoris negotij atq; curæ opus omnia fuisse, nec à domino tanquam pro magnitudine sua, sed potius ab artifice, tanquam pro ingenio esse parata. In quam sententiam & à gentili uate, hominum repertor dictus est, & alius itidem opificem rerum eum & imaginem mundi melioris uocauit. Hoc autem proprium uerumq; domini, id est immensæ illius infinitæq; potestatis est opus, quod non ad alia tantum, sed & ad seipsum pertinens, effecit. Reliqua enim quum de tenebris abyßi omnipotentia sua protraheret in lucem, & alijs esse, alijs uitam, alijs mentem, cuiq; pro conditione naturæ suæ distribueret, omne in ipsis rebus opus illius est finitum, nihil circa se constituit, nihil nouauit. At in hoc insolito stupendoq; opere suo, quum pater uerbum suum, quo cœli firmati sunt, nouißimis diebus in terram missum, id quod non erat, uoluit assumere, & filius consubstantialis æterno patri, atq; compar, accepta seruili forma, in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus, hoc est reuera quod à domino dicere possumus factum, hoc dominus iussit, dominus suscepit, & quod factum est opus in domino permansit, hoc immensæ potestatis, maximi roboris fuit, quemadmodum scriptum est: Exultauit gigas ad currendum uiam, à summo cœlo egreßio eius. Quid ni de summo cœlo? qui ex sinu patris, cœlum & omnia quæ in eo sunt pugillo continentis descendit, quumq; infinitus, incomprehensibilis, immortalis, impaßibilis esset, non exhorruit uirginei corporis angustias, nec alienum à maiestate sua putauit, fragilitatis nostræ conditionem subire, & assumere figmenti similitudinem nostri, omnibus expositam doloribus, luctuum omnium miseriarumq; capacem, & ut uno uerbo dicam, Deus quum esset, homo nedum, sed (ut de seipso affirmauit) uermis est factus, atterendus pro omnium nostrum salute, atq; conculcandus, hoc ergo necesse est mirabile sit in oculis nostris, quippe quod magnitudinem & nouitatem omnium eorum quæcunque à primo rerum exordio facta miramur, excedit. Facta quidem sunt cœlum et terra, & quicquid eis continetur, de nihilo. Stupendum fortasse sit istud, si modo uirium nostrarum metiamur: at si deum æstimamus, quid est quod miremur? Res effectæ sunt quantæcunq; quidem, finitæ tamen, & quæ certo naturæ suæ clauderentur ambitu, & effectæ ab eo, cuius potestas nullis terminis comprehenditur, nulla mensura præfinitur. Sic quoq; cum humanitatem suscepisset nascendo, clausum

puellaris

puellaris uteri thalamum egressus est, idem à morte resurgendo signati monumenti perrupit claustra, idem post resurrectionem uisendo discipulos, hostia conclusa penetrauit, quid ergo in his magnum apud illum est? si quemadmodum uoluit, factis usus est rebus, qui quemadmodum uoluit eas effecit. Quid dicam sub modica fracti panis specie, conuiuis discipulis corpus suum suis manibus esse datum? quid calcatas siccis illius pedibus aquas, fluctibus tumidas, commemorem? quid uita defunctos rursus redditos uitæ loquar? parum etiam hoc est, quicunq; omnibus seculis mortui morituriq; sunt, cantu nouissimæ tubæ excitati, uitæ ab eo reddentur, & rursus in carne sua sistentur ad tribunal. Sunt hæc quidem miranda nobis, ut quæ nostræ cogitationis intelligentiæq; transeant uires: promptum tamen est, ut ille omnia posit, cui obediunt omnia, nec difficile uideri debet illi, ut uitam reddat defunctis, quam amiserunt, qui etiam, quam nondum habuerunt, potuit præbere. Verum ut qui Deus est, is homo factus, nascendo miserias nostras subiret, & ab illa immensa æternaq; magnitudine sua descendens is qui infinitus est, iungeretur ei quod angustis quoq; naturæ continetur terminis, atq; duo, quorum alterius certus, alterius nullus est finis, illa tamen uelut nodo quodam alligari inter se, astringiq; possent: id prorsus tantum supra omnia est, quantum is qui fecit hoc, quique ipse subijt, omnibus antecellit. At uero hoc amplißimum Dei opus quum tantum sit, non tamen magis est magnitudine sua stupēdum, quàm uenerādum colendumq; bonitate. Quid enim tanto inceptu parauit Deus? succurrere uoluit forte rerum naturæ laboranti? Nequaquam. Stat illa stabitq; legibus suis, ut inquit Propheta: Fundasti terram & permanet, ordinatione tua perseuerant dies, quoniam omnia seruiunt tibi. Humanæ miseriæ subuenire uoluit, hominum generi hæc est opera tributa: sed iure fortasse, amantibus nempe & magno charitatis sibi fœdere deuinctis auxilium tulit. Ne id quidem, sed eis qui ex primi parentis culpa hostium essent loco, quiq; omnes filij iræ nascerentur. Verum digni erant quibus ignosceretur, ignorantia lapsi sunt, nesciuerunt quantum patrarent mali. Contra uero lex dicta erat, & mors transgredientibus constituta pœna, ut si minus tam multis in officio muneribus Dei continerētur, quod in horto uoluptatis positi erāt, quod laborum omnium dolorumq; forent expertes, quod in omnia quæ terra educātur, teguntur aquis, spiritu uegetantur, ius imperiumq; ceperunt, qui tantis bonis non mouerentur, saltem imminentis exitij metu deterrerentur à peccato. Magna sanè clementia Dei fuit, si hos nō delendos prorsus exterminandosq; censebat, maior si quomodolibet iterum in gratiam secum credebat reducendos, maxima uerò & immensa, si cum creatura foret liberāda per creaturam, in usum illum angelicam na-

turam aut nobiliorē aliquā à se creatam assumpsisset. Iam uero deum in humanæ miseriæ specie nasci propter homines, & ut hostis redimeretur impendi filium, id omnem benignitatis amorisq; modum excedit, cui non modo non laudem, nō uenerationem, sed ne nomen quidem quisquam satis dignum queat inuenire. Quamuis autem nasci uoluerit & fragilitatis humanæ suscipere formā, nō tamen usquā diuina circa illum cessauit magnitudo. Qui & cum cunctis & pro cunctis uellet nasci, natus tamen est quemadmodum nemo, quippe natus de uirgine, ut quemadmodum fratres sibi facturus erat, qui non ex sanguinibus (ut ait Ioannes) neque ex uoluntate carnis, sed ex deo nati essent: sic ipse quoque non sanguinis uoluptate feruentis contaminatione, sed à uirgine matre conceptus, integra quoque matris uirginitate nasceretur. Ecce, inquit Isaias, uirgo concipiet & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel. Virgo dicit, taceat calumniator Iudæus, desinat sacrum inuertere sermonem, & in perniciem suam male interpretari quod bene scriptum est, uirginem enim concepturam pariturámq; uates sacer prædixit, non adolescentulam. Quum enim iussisset dominus Acham ut signum peteret, aut in profundo inferni, aut superne in cœlo, negaretq; ille tentaturum se deum, ipse deus signum affirmauit illi se daturum nouum, insolitum, non ante auditum, uirginis fœcunditatem: si ergo debebat esse signum, necesse erat ut uirgo conciperet, uirgo pareret: aut si pareret adolescentula, quod potuit in illo uideri signum uni Acham datum, quod apud omnes cunctis diebus momentisq; fieri uidemus? Propheta itaq; qui hāc populi illius obstinationē contra uerum præuiderat, ne quisquam illorum errore decipi posset aut pertinatia falli, omnes admonitos uoluit, quum & antè Iudæos sic alloqueretur: Audite audientes & nolite intelligere, uidete uisionem & nolite cognoscere. Quasi dicat, quis credat uobis, quis fidem habeat, quum audiueritis uideritisq;, & similes tamen uos surdis cæcisq; præbeatis. Conueniens autem decentissimumq; erat, ut dei filius homo futurus nasceretur ex uirgine. Primum, ut sine uiri semine procreatus, à peccato Adæ ad omnem posteritatem diffuso liber inueniretur. Aequum fuit enim, ut qui expiaturus culpam omniū uenit, omni ab culpa ipse foret immunis. Deinde ut qui filius esset æterni patris optimi & undiq; consummatissimi, is filius quoq; fieret matris intemeratæ, et nulla humanæ inquinatiōis labæ cōspersæ. Postremo quoq; ut q filius dei nascitur ex corde parētis sine matre, is filius futurus hominis, itidē nasceretur sine patre, & quēadmodū ex dei hominisq; filio unus futurus erat Christus, sic unius & unus tantū pater foret, quum una foret & mater. Quis rem tantam ulla oratione, ullis satis commode queat prosequi uerbis? Profecto digna laus eius tantum sermonem supe-

ſuperat humanum, quantum quod factum eſt excedit hominis uires. Summus ille rerum conditor deus, qui (ut Eccleſiaſtes ait) aſcendit cœlum atq; deſcendit, ille iam in humili tugurio natus conſpicitur. Qui continet uentum in manibus ſuis, illius manus inuolutæ iam pannis, et alligatæ faſcia cernuntur. Qui alligauit aquas quaſi in ueſtimento, ille ne crepundia quidem habet, quo nouus partus eius ueſtiatur. Qui terminos terræ ſuſcitauit, illi deeſt in terris quo reclinetur caput ſuum. Cuius nomen, cuius & filij nomen, nemo nouit, quippe quod eſt ſupra omne nomẽ, quiq; ut alius inquit: Rex eſt regum, dominus dominantium, huius (ô miranda benignitas) aula regia iam tugurium eſt, thalamus eſt præſepe, lectus fœnum, excubitores bos & aſinus. Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, utrunq; ſimplex & rude inter cætera animal. Sic eſt nimirum: Abſcondiſti à ſapientibus hæc, & reuelaſti ea paruulis, & is qui noluit bouẽ & aſinum uni aratro iungi, adhibuit nunc eos iunctos natiuitatis ſuæ teſtes, ut oſtenderet quãtumuis uarij ritibus, quamlibet moribus diſcordes eſſent homines, nullos tamẽ fore natiuitatis ſuæ & felicitatis huius optatiſſimæ noctis expertes. O feliciſſimam noctẽ & omni ſereniſſimo puriſſimoq; die clariorem, qua populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam, & habitantibus in umbra mortis eſt lux exorta. Quanque noctem illuſtrat uultu ſuo pulcherrimo prodiens in mundum, is qui lux eſt uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundũ, nox læta, nox optata, quæ prima tantarum rerum myſteriorumq; tantorum conſcia fuiſti, & feſtis omnibus, felicibuſq; diebus aditum atq; uiam præbuiſti. Dies, inquit rex uates, diei eructat uerbum, & nox nocti indicat ſcientiam, dies ergo loquitur, dies profert, nox eſt quæ indicat, nocti id datum eſt primum nouiſſe. Recte ſane noctẽ natiuitatis ſuæ ſtatuit tempus, ut undiq; in tenebris eſſet, qui generis humani tenebras erat fulgore ſuo diſcuſſurus. Quemadmodum enim nox illa omnium noctium per quas euoluitur annus, & ſpatio longiſſima fuit, & frigoribus maxime ſæua, ſic nec ulla fuit ætas quæ craſſiore errorum caligine, grauioribus omnis generis uitijs foret oppreſſa, quàm qua dei filius ſubueniendum malis noſtris putauit. Cuncta deteſtandis ſuperſtitionibus plena, quum quiſq; deum ſibi quem uiſum eſſet fingeret, & nemo ſentiret de deo quod alius, nemo quoq; quod ſentire deberet. Vulgus quidẽ colebat ſed impiiſſime, & quod de homine credere, pro homine feciſſe ſummum nefas eſſet, id religionis gratia facere deo cupiebant uideri. At docti, alij cum cognouiſſent, eũ diſſimulabant, & qui pleriq; in minoribus rebus, ne pro uita quidem dicebant eſſe mentiendum, hi tamen pro deo quem optimum maximũ (ut eſt) uocabant, non audebant uerũ fateri. Alij erant qui affirmarent nullã illi

rerum humanarum esse curam, & omnia quomodocunq; fors tulisset, cæco & incerto impetu ferri. Alij quo facilius se tam perplexis & sinuosis quæstiōibus, quæ de deo proferuntur euoluerent, non esse penitus quicquam, id quod deum dicimus contendebant. Quid credendum est de reliquis officijs uitæ illos statuisse, quibus hac sua sententia summa rerum omnium fuerat quæsita libertas? Nunquam ergo fuerat acrior cupiditas, sæuior auaritia, profundior gula, luxus furiosior, portentosior libido, nunquam publice priuatimq; maiores doli, seditiones, fraudes, bella, fusus per omnes terras mariaq; sanguis, scelera ubiq; summa & pares sceleribus pœnæ. Cupiebat fecisse quisq; de quo querebatur, nec tam graue putabat quicquid id erat pati, quàm non & sibi licere tantundem. Merito tam densam noctem mentibus ablaturus humanis uenit in nocte, & cuius aduentus ut animis omnium erat ignotus, ita oculos etiam lateret. Quis autem noctis huius sacratißimæ imaginem queat animo effingere uel oratione complecti? Conuersus erat in hyemem annus, & sol quā longißime ab orbe nostro digressus, lætiorem rerum secum abstulerat frontē, horrebant pruinis niuibusq; cuncta, & adductis in augustum diebus plurimam temporum partem sibi noctium uendicabant tenebræ. Coactus tum Ioseph cum coniuge sua uirgine prægnante itinerum subire dolorem, ut ciuitatem suam profiteretur, isq; Bethlehem quum peruenisset, ne locū quidem in diuersorio refocillandis grauidæ coniugis laboribus inuenit, necesse habuit in desertū tuguriolū diuerti, & terræ cœlorumq; reginam, quæ dominum atq; redemptorē mundi gestabat utero, eam longißima noctis hybernæ frigora ut toleraret in uasto & diruto tecto collocare. Expleuerat legitimos uirgo prægnantiū menses, & protulit in lucem se is per quem lux erat initio facta, nullo parientis dolore, sicut nullo uirginitatis in pariente matre damno. Ergo qui materna origine nobilißimus, paternæ incomprehensibilis erat, nascitur sæuißimo anni tempore, medijs horridißimæ noctis tenebris, non tectorū tutela clausus, non præsentibus inopiæ suæ solatijs ullis, omnibus humanis auxilijs, omnibus præsidijs destitutus, & quisquā post hac suos iactat natales, aut debita titulis generis sui aurum atq; purpuram credit? Quid ergo putamus ne solitudinem illic fuisse, & domini sui non astitisse angelos natiuitati? qui natum eū pastoribus, & læti nunciauere, aut solitas illic noctium mãsisse tenebras? nec esse cœlesti cuncta fulgore illustrata? quū & his ipsis pastoribus noua de cœlo lux refulserit, & testes tāti partus stella magis sit in Oriente conspecta, aut non ingenti gaudio consciam tanti partus uirginem matrem, custodemq; uirginis Ioseph esse perfusos, quum etiam gaudium de cœlo uniuerso nunciatū sit mundo, auditaq; uox canentiū angelorū: Gloria in excelsis deo, & in

terris

terris pax hominibus bonæ uoluntatis. Illi quidē semper est gloria in excelsis: Gloria enim & diuitiæ in domo eius. Nunc tamen quēadmodum ab illo pax nobis est data, ita à nobis illi noua quodāmodo gloria prouenit. Non enim mortui laudabūt te domine, neq; omnes qui descendunt in infernum, sed nos qui uiuimus benedicimus domino. Quum ergo in morte totum genus teneretur humanum, & omnibus esset uia, quæ perducit ad inferos calcanda, quæ laus illi contingere ex mortuis, quæ contingere gloria poterat ex hoste? nunc uiuimus, nunc renati sumus cum illo, nunc licet ut illi ex hoc nunc in seculum usq; benedicamus. Itaque quid posset quisquam lætius, aut pio magis affectu prosequēdum cogitare, quàm hoc noctis huius felicißimum tempus? qua rerum naturæ tristißimus hic hybernus horror, tam stupenda lætitia exhilaratur, uirginis sterilitas tam mirando fœcundatur puerperio, densißimæ noctis caliginē cœlestis fulgor illustrat, uirgo mater clausum ulnis suis eundem ut omniū: sic suum factorem, eundem filium modo de se natum intuetur, atq; materno uagientem placat amplexu, pastores immensi nuncium gaudij de cœlo percipiunt, nouæ spei sydus ostenditur ueritatis ignaris, prædicatur gloria in excelsis deo, hominibus in terra pax nunciatur. Attoniti nimirum tantarū rerum nouitate stupentesq; hærebimus & dicemus: A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Non equidem inuenio doctißimi uiri, quibus uerbis lætißimum hoc tempus animis uestris commendē, aut quibus uocibus illud, quibus laudibus celebrandum putem, non licet tacere nobis, & laudare pro dignitate nisi solus ille qui fecit posset. Quid faciemus? angelos sequamur duces, uocem illam de cœlo perlatam, ab exercitibus decantatam cœlestibus, à terris auspicem summæ felicitatis acceptam, illam totis animis, toto pectore, tota uoce cogitemus, repetamus, concinamus, credamus illos diuinorum conscios arcanorū, rem felicißimam faustißimis quoq; prædicasse uerbis, illos imitemur, & quum omni tempore, tum præcipue lætißimis his noui puerperij diebus, carmen illud subinde repetentes dicamus: Gloria in excelsis deo, & in terris pax hominibus bonæ uoluntatis.

Dicta Heydelbergę. Anno 486.

SCHOLIA IN ORATIONEM RODOLPHI AGRICOLÆ de natiuitate siue immēsa natalis diei Iesu Christi lætitia, qbus ea potissimum breuiter explicantur, quæ ad inueniendi rationē pertinere uidentur, per Alardum Aemstelred.



Rodolphus Agricola nō ita longe à fine libri secundi de inuentiōe Dialectica, explicaturus quomodo positæ apud autores argumentationes colligendæ sint, & formæ suæ reddendæ, inter cætera illud obseruatu dignissimum præcipit: Nec, inquit, inuenienda solū generalis est quæstio in qua omnia continentur ea, quæ dicuntur tota oratione: sed specialis etiam, quæ generali continetur, ad quam præsens argumentatio adhibetur, quam quærimus explicare. Ex hac igitur oratione plane diuina, diuinisq; pronun-

etatis atque testimoniis undecunque differtissima, generalem hanc quæstionem colligas licebit, in qua summa rei uertitur, & ad quam uelut statum quod κρινόμενον, καὶ αἴτιον uocant rhetores) argumentationes omnes referri debeant: An natali IESV CHRISTI iure omnibus ex æquo impensissime lætandum est. Iam uero cum aliter de longiore syllogismo iudicari non possit, nisi detracto orationis ornatu, nuda eius membra coniungantur atque introspiciantur. Proinde quo tota oratio facilius agnosci poterit, membra eius sub oculos ponemus, quæ tota, aut ferè tota in hoc syllogismo consistunt: Singuli singulorum hominum natales læte celebrantur: Hodie iterum nobis natus adest CHRISTVS. Ergo hodie Christi natalis læte celebrādus est. Item: In quocunque natali annunciatur gloria in altissimis DEO, ac in terra pax hominibus bona uoluntas, & gaudium magnum quod futurum est toti populo: is natalis meritò summa celebrādus est lætitia. Atqui in augustissimo hoc IESV CHRISTI natali eiusce modi annunciantur. Hic igitur natalis merito summa celebrandus est lætitia. Lege Rodolph. Agricol. lib. 2. de inuent. dialect. cap. 18. & 19. & maxime cap. 27. Opus est in primis scire quæ sit quæstio, cui argumētationes adhibentur, &c. Autoris consilium, quod in oratione hac sequutus est, tum demum in procliui fuerit assequi, si legas eiusdem lib. 2. de inuent. dialect. cap. 13. ubi subindicat quo pacto in quauis re, summa quæstionis constituenda à circumstantiis & attributis personarū, rei & conatus. Ab re igitur hic auspicatur. Quæstio: An ob infantē IESVM CHRISTVM seruatorem nostrum nobis recens & natum, & datum, sit ex animo lætādum? D. Basilius in sanctam Christi natiuitatem: Quis ita segnis animo est? quis ita ingratus, ut non gratuletur rebus præsentibus, ut non exultet renideatque? pertinet hoc festum ut publicū ad omnes creaturas. Longo uetustatis more.) Procemium siue propositio est. Doctissimi uiri.) Doctis, prudentibus, grauibus, seueris auditoribus breuior oratio paratur, autore Rodolpho lib. 3. de inuent. dialect. cap. 7. Principum uerò & clarorum uirorum.) Vt Pharaonis, Genes. 41. & Herodis item, Marc. 6. Vide August. in Vet. & No. testamen. quæstio. 120. Renouato quotannis gaudio colendum, qui primus quenque misisset in possessionem lucis.) Quandoquidem hæc scholia duntaxat imperitioribus scribimus, & ea lege scribimus, ut in utranque partem discāt μελετᾶν. Ad hæc cum Cicero lib. 1. Tuscula. quæst. mire laudet consuetudinem illam Peripateticorum, quòd hi soliti fuerint de omni re in utranque partem disserere, id quod libro de finibus bon. & ma. quinto, idem quoque sic testatur: Ab Aristoteleque, inquit, principe de singulis rebus in utranque partem dicendi exercitatio instituta, ut non contra omnia semper, sicut Arcesilaus, diceret, & tum ut in omnibus rebus quicquid ex utraque parte dici possit, exprimeret. Quod quàm est utile, tam à paucis pręstari solet. Ne nos quidem illud nobis sumemus, quasi hac in parte magnum aliquid facere possimus, sed tamē quando in rebus magnis etiam uoluntas laude sua carere nō soleat, non alienum arbitror ab instituto, si paucis obiter indicem, apud plures luctuosa esse puerperia, recensque natum fletu parentes excipere. Contrà uerò læta esse funera, adeo ut mortuos gaudio prosequantur. Qua de re sic meminit Val. Max. de institutis antiquis: Thraciæ uero illa natio, inquit, merito sibi sapientiæ laudem uendicauit, quæ natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebret. Euripides in Cresiphonte, inquit primo Tuscula. disputa. M. Cicero: Nam nos decebat cœtus celebrantes demum lugere, ubi esset aliquis in lucem æditus, humanæ uaria uitæ reputantes mala. At qui labores morte finisset graues, omnes amicos laude & lætitia exequi. Strabo lib. geographiæ 15. Herodotus lib. 5 Pomponius Mela lib. 2. Hac de re elegās refertur historia 2. Reg. 12. cap. Hiere. 2. Maledictus qui nunciat patri meo, natus est tibi masculus. Maledictus dies est in qua natus sum. Iob 3. Pereat dies in qua natus sum. Origenes in lib. Iob sub finem. Idē Homelia in Leuit. 8. Philippus presbyter in Iob: Pereat, inquit, dies in qua natus sum. Et Hiere. Maledicta dies in qua natus sum. Ecclesiastæ 7. Melius est ire ad domum luctus. Plinius in præfatione historiæ nat. li.

7. Idem

7. Idem cap. 16. septimi lib. & cap. 30. D. Augustinus cap. 14. 22. libri de ciuitate Dei: Quis, inquit, non exhorreat & mori eligat si ei proponatur? Vide adagium: Optimũ non nasci. Extat in hanc sententiam Epigramma Archiæ poëtæ, quod quoniam elegantissimum est, non grauabor asscribere.

Θρήικας αἰνείτω, ὅτι στοναχεῦσι μὲν υἷας
  μητέρος ἐκ κόλπων πρὸς φάος ἐρχομένους
ἔμπαλιν δ' ὀλβίζευσιν ὅσους αἰῶνα λιπόντας
  ἀπροΐδης κηρῶν λάτρις ἔμαρψε μόρος·
οἱ μὲν γὰρ ζώοντες, ἀεὶ παντοῖα περῶσιν
  ἐς κακά, τοὶ δὲ κακῶν εὗρον ἄκος φθίμενοι.

Id nos ex tempore sic utcunque uertimus.

Ecquis non isto laudarit nomine Thraces,
  Iure recens natos quòd lachrymare solent?
Quod fortunatos contrà, multumque beatos
  Censent, quos abolet mors inopina statim.
Semper enim uiui properant ad pessima quæque,
  Ast mors omnigeni certa medela mali est.

Plutarchus autem de audiendis poëtis è Tragico quopiam hos refert senarios quos Aristides in Themistocle Euripidis esse censet τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένων χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων, id est, D. Erasmo interprete,

Plorare natum ut maxima ingressum mala:
At mortuum, uitæque subductum malis
Efferre lætos gratulantesque ædibus.

Plato in Axiocho, Rodol. Agricola interprete: Nascens fleat qui tanta uitæ intrat mala. Priuatorum) A diuisione. Et ut bonorum omnium.) Ab efficiente. Tanto uero magis.) Argumentatio est à maiori deducta. Quo præstans.) Ab effectu siue euentis. Quanto plus est pulchriusque.) A coniugatis. Vt morerentur.) A fine. Etenim diem illum.) Ratio. Tanto uero magis.) Confirmat à circumstantiis siue attributis personarum. Obscuriores.) Contentio rhetorica est siue Antithesis. Natus iterum nobis adest.) Minor propositio est in qua dociles reddit auditores. Natalem agimus.) Minoris propositionis probatio per expolitionem. Vt stupens inquit propheta.) Ita Esaias cap. 53. à pronunciatis. Qui non modo summus homo.) Ex diuersorum siue differentium loco. Diligenter obseruat id quod præcipit lib. 3. de inuentione ca. 9. ut dicatur quæ sit substantia eorũ. & quæ sequuntur. Quique quum ab æterno natus sit.) A tempore & à differentiis siue propriis. Atque nascatur.) Psal. 2. Ego hodie genui te. Vide Petrum Longobardum in sententiis Theologicis lib. 1. Distin. 9. Cuius & nos uita uiuimus.) A coniugatis. Subiit mortalitatem nostram.) A fine. Beneuolos efficit auditores. Vtiturque amplificatione ex relatione ad aliquid ut uocant, quo ex genere illud est: Qualis fuerit Helenæ pulchritudo, propter quam Græci iuxta ac Troiani sapientissimi uiri decennali bello perpetuo tanta perpessi sunt. Ad eum sanè modum & hinc quoque paratum est colligere, qualis fuerit CHRISTI IESV saluatoris nostri erga genus humanum amor, quod nostri causa tantum sese deiecit creator omnium. Huc præter alia sexcenta à D. Paulo prodita refer illud ex priore ad Corint. cap. 8. Nostis enim beneficentiam domini nostri IESV CHRISTI quod propter uos pauper factus sit cum esset diues. Erasm. lib. 3. Ecclesiastes: Ad genus humanum à Satanæ tyrannide liberandum, deoque uindicandum, Dei filius homo factus crucis supplicium pertulit. Hinc enim ratiocinamur quàm horrẽda res sit peccatum, quàm misera seruitus mancipium esse satanæ, quàm metuenda ira Dei, quanta Dei charitas erga genus humanum, quod tam admirabili ratione seruare uoluerit. Factusque filius hominis.) A differentibus. Vt imagini nos immortalitatis.) Roma. 8. Exinaniendo

ſcipſum.) Philip. 2. Et perinde.) Id eſt, multum. Suetonius: Quare aduentu eius non perinde gratus. Poteſt accipi pro æquo ſeu pariter. Plinius Iunior: Funus Ruffi clariſſimi uiri, & perinde feliciſſimi. Vtrorumq; autem ſignificatu capias non male cohærebit. Ingentia omnia, inuſitata.) Reddit attentos. Cicero in partitionibus orat. Fit etiam ſuauis oratio quando aliquid aut diuerſius, aut inauditum, aut nouum dicit. Delectat enim quicquid eſt admirabile. Cum ſit mihi ex priſco.) Conatus eſt. De quo uide Rodol. lib. 2. de inuent. dialect. cap. 13. De huius diei lætitia.) Hinc cõiectura facta indidimus orationi titulũ (ſine titulo enim ſiue inſcriptiõe offendimus) De immenſa diei, &cæ. Quicquid diſſeritur nihil ſatis eſt.) Vtrunque pulchre ut omnia ſubaperit D. Auguſtinus lib. de doctri. Chriſtia. 1. cap. 6. Iob 37. Et ad Deum formidoloſa laudatio digne eum inuenire non poſſumus, magnus fortitudine, & iudicio, & iuſtitia, & enarrari non poteſt. Ideo timebunt eum uiri, & non audebũt contemplari omnes qui ſibi uidentur eſſe ſapientes. Ex ore infantiũ.) A pronunciatis Pſalm. 8. Exoratos ergo uos uelim.) A laude perſonarum quærit beneuolentiam. Verum ſic laudare non eſt adulari, ſed potius ad diligẽter auſcultandum exhortari.

Et ueniam quam.) Anthiteton à minori. Nihil ſatis & nihil non ſatis.) E contradicentiũ loco. Iacet factus pro nobis infans experſq; ſermonis.) Argumentum eſt à priuantium loco deductum. A domino factum.) A cauſa efficiente. Quis enim rem totam.) Ab euentis. Neq; quicquam eſt.) A toto. Aſperrima illa.) Argumentatio illa quæ à partibus dicitur. Ex præſenti tẽporis.) Lege caput de tempore lib. 1. de inuentio. dialect. Dicam enim ad præſepia.) Res eſt (ut Rodolphi uerbis utar lib. 2. cap. 13. De infante recens nato, inuoluto pannis.) Luc. 2. Ab euentis. Nube fragilitatis.) Translatio eſt. Vagiente & tegente.) Schema eſt ὁμοιόπτωτον. Quod Cicero ad Herennium uertit ſimiliter cadens: utitur autem perquàm familiariter hac exornatione cum hic, tum aliâs ſæpe Rodolphus. Qui quum ſermo ſit Dei patris.) Sapiẽ. 18. De quo ſi quis plenius uelit edoceri legat D. Eraſmi apologiam de In principio erat ſermo. Coloſ. 2. In quo ſunt omnes theſauri ſapiẽtiæ & ſcientiæ abſconditi. Cuius totum eſt in lachrymis robur.) Reſpexit ad illud quod eſt apud Plinium in præfatione natur. hiſto. lib. 7 Dicturus ergo de tam ſublimi.) Narratio ſiue (ut loquitur Agricola) expoſitio eſt argumentoſa, conſentanea & per ſe conſequens, de qua latius agit lib. 2. de inuentio. dialect. cap. 22. Excedente myſterio.) 1. Timo. 3. Et citra controuerſiam magnum eſt pietatis myſterium. Deus manifeſtatus eſt in carne, iuſtificatus eſt in ſpiritu, &c. Quam qua rex.) A pronunciatis. A domino inquiens.) Pſal. 117. Et eſt mirabile in oculis noſtris.) Eccleſiaſtici 39. A ſeculo in ſeculum reſpexit, & nihil eſt mirabile in conſpectu eius. Sic eſt profecto.) Confirmatio. Quis enim rem tantam.) A cauſa efficiente. Potens poſſet.) Tum à coniugatis, tum à connexis item. Cuius cuncta nutum ſequuntur.) De ſpecie loquens genus adiungit, id quod fit amplificandi gratia. Vide poſteriorem Copiæ commentarium in prima locupletandi ratione. Eraſ. lib. 2. de ratione concionandi: Quã enim turpe eſt, cætera omnia fungi his muneribus, ad quæ obeunda ſunt creata, ſolem lucere, nubes irrigare, boues arare, aſinos geſtare onera, ſolum hominẽ non agnoſcere cui rei ſit natus. Eſt autem ad id factus homo, ut cognoſcat, timeat, ametq; conditorem ſuum. Quiq; dixit & facta ſunt.) Pſal. 32. Coloſſ. 1. Qui eſt imago dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturę, quoniam in ipſo condita ſunt uniuerſa in cœlis & in terra, uiſibilia & inuiſibilia. Aſperrima illa.) A ſpecie ad genus.

Spiritus procellarum.) Dicitur ſpiritus etiam uentus, res aperitiſſime corporalis. Vnde etiam in Pſalmis: Ignis, grando, nix, ſpiritus tempeſtatis. Vide Auguſtinum de Geneſi ad literam, & eundem de ſpiritu & anima, libro uno cap. 32. Ignis, grando, nix.) Pſal. 148. Hæc tamen faciunt.) A maiori. Cuncta dominum cum ſentiũt.) Ab effectis & relatis quoq;. Hominum repertor.) Opinor autem apud Vergilium alicubi legi: Hominumq; repertor. Et alius itẽ opificem.) Ouidius li. Metamor. 1.

Natus

Natus homo est, nanque hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo. D. Athanasius cum in eos inueheretur qui ex aliqua subiecta materia mundum à deo confictum esse contenderent, eos refellit ea ratione, quia si uera hæc essent, deus non factor, sed opifex uel faber potius appellaretur, innuens proprie deum appellari factorē, quod ex nihilo omnia condiderit, eius uerba hæc sunt contra Arrianos εἰ ὁ θεὸς ἐξ ὕλης ἐργασόμενος καὶ συντιθεὶς, ἑλληνικὸν φρόνημα καὶ τεχνίτης, οὐ ποιητὴς ἂν κληθείη ὁ θεός. Hoc autem proprium.) A differentia. Cum de tenebris abyssi.) Gene. 1. A quibus non ita multum dissident quæ fabulatur Ouidius lib. 1. Transformationum. Et aliis esse.) A diuisione. Omne in ipsis rebus opus.) Lege caput de Actibus apud Rodolph. lib. 1. cap. 12. Nouissimis diebus.) Heb. cap. 1. Quo cœli firmati sunt.) Psalm. 32. Verbo domini cœli firmati sunt. Filius cōsubstātialis.) A relatis. Cyrillus in sermone de incarnatione domini: Non enim similis substantiæ ut quibusdam uidetur hæreticis, sed ὁμοούσιος, hoc est, consubstantialis, id est ex nostra substantia, dicit enim: Seruum Abrahæ apprehendit. Qui autem dicit ὁμοιούσιον, hoc est similem substantia, nō dicit uerum hominem, sed similitudinem filii hominis, &c. Augustinus libro contra Maximum secundo: Pater, inquit, & filius unius sunt eiusdemque substātiæ. Hoc est illud ὁμοούσιον quod in concilio Niceno aduersus hæreticos Arrianos à catholicis patribus ueritatis autoritate firmatum est. Et dein: Quid est homousion nisi unius eiusdemque substantiæ? Quid inquam homousion? nisi: Ego & pater unū sumus. Non ergo inter prophanas uocum nouitates hoc uitandum est. Serui forma.) Philipp. 2. Exultauit ut gigas.) Psal. 18 Ex sinu patris.) Ioannis primo: Vnigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarrauit. A loco. Pugillo continentis.) Retulit id quod legitur Esaiæ cap. quadrage. Quis mensus est pugillo, &c. Quumque infinitus, incomprehensibilis.) A differētiis siue à propriis diuinæ naturæ. Figmenti similitudinem.) Philippen. secundo. Vt de ipso affirmauit.) Psalm. 21. De nihilo.) Gene. primo. Res effectæ sunt.) Ab euentis. Cuius potestas.) A connexis. Quid dicam, commemorem, loquar.) Vtitur occupatione admista synonymia. Clausum puellaris uteri.) Lucæ secundo. A morte resurgendo.) Matthæ. uicesimooctauo: Hostia conclusa penetrauit.) Ioan. uicesimo. Quid ergo in his magnum.) Ab efficiente pariter & à minori. Sub modica fracti panis specie.) Vel hic locus argumento fuerit Rodolphum scholasticam Theologiam non in postremis habuisse, ab ecclesiæque traditionibus ne latum quidem digitum discessisse. Conuiuis discipulis.) Matthæ. uicesi. sexto. Marci decimo quarto. Luc. uicesi. secundo. Ioan. decimotertio. Quid calcatis.) Matth. 14. Quid uita defunctos.) Lucæ septimo. Matthæ. 4. Ioan. undecimo. Parum etiam hoc est.) Magnificentissimum quiddam expectetur necesse est, ad quod hæc quæ sunt alioqui plus quàm stupēda comparata, perpusilla uulgataque uideantur. Lege nonam amplificandi rationem in posteriore Copiæ commentario. Cantu nouissimæ tubæ.) Ioan. quinto. & Thessa. primæ cap. quarto. Sistentur ad tribunal.) secun. Corinth. quinto. Nec difficile uideri.) A maiori. Quale est quod ex Ouidio citat Agricola libro primo de inuentione cap. uicesimoseptimo: An perdere possim quæris, seruari potui. Qui Deus est is homo.) A diuersis siue distantibus. Qui infinitus est.) A differentiis seu propriis. Augustus quoque.) Antithesis ab amplificatione desumpta. Quod enim tanto inceptu parauit.) Subiectio est exornatio rhetorica locupletandæ dictioni sanè quàm apposita commodaque. Theodoricus Cyrenensis episcopus sermone sexto. Vt inquit propheta.) Psalm. 118. Qui ex primi parentis culpa.) Rom. 5. Filii iræ nascerentur. Ephe. 2. Et eramus natura filii iræ sicut & cæteri. Lex dicta erat.) Genesi. 2. In quocunque enim die comederis, morte morieris. In horto uoluptatis.) Gene. 2. Quod laborum omnium dolorumque.) De quibus si quis plura uelit scire, legat Petrum Longobardum in sententiis theologicis libro 2. distinctione 19. Vt si minus tam multis in officio numeribus.) Qua fusius explicantur

cantur ab Augustino lib.14. de ciuitate cap.15. & à Ioanne Chrysostomo homilia in Genesin 26. E totius loco ad partes. Magna sane clementia dei fuit.) Pietate ac misericordia sua dignum putauit deus, ut hominem quem propter peccatum merito in mortem proiecerat, reuocaret ad uitam. Rodolph. Agricola libro tertio de inuentione dialect. capite item tertio: Laudationibus in primis conuenit &c. utitur artificio in quo mirum esse artificem Lucianum indicat D. Erasmus in decima locupletandi ratione posterioris copiæ commentarij. Idem libro de ratione concionandi secundo de partitione quæ per fictionem gradibus peruenit ad summum. Si tantũ aggressus fuissem &c. Hos non dolendos.) Explicat quæ sunt officia partesq́; clementiæ. Maior si quomodolibet.) Amplificatio siue exaggeratio in qua nõ modo ad summum, sed quodammodo supra summũ incrementis atq; gradibus aliquot peruenitur. Vide Gregorium Nazianzenum libro tertio de theologia. Et Erasm. Roteroda. libro tertio Ecclesiastes: Si quis homo gratis tibi donaret in singulos annos censum mille drachmarum, non hunc ex animo diligeres, ac pro uirili tua gratiam referre studeres? Si quis hospes te suo ære redemisset è misera seruitute Barbarorum, aut è tetro carcere liberasset, an non eum uirum adamares, ac per omnem uitam coleres? Si quis in prælio aut naufragio periturũ sua uirtute seruasset, an non eum hominem numinis loco coleres, professus nullam unquam parem illi gratiam abs te referri posse? Quæ igitur ingratitudo est, Christum deum & hominem qui te condidit nobilissimam secundum angelos naturam, cui totum debes quicquid habes, qui tibi præter corporis alimoniam gratis donauit iustitiam, gratis impartit spiritus sui dona, qui pro te cum Satana depugnauit, qui te captum non ære, sed suo sanguine redemit, qui super hæc omnia ad cœlestis regni consortium inuitat, sic negligere, auersari, sic quotidie criminibus offendere, ac pro tanta beneuolentia tantam contumeliam reponere? Hic pluribus gradibus increuit oratio à minoribus. Interdũ & paria comparantur, sed tum uerbis efficiendum est, ut quod exaggeramus, maius esse uideatur quàm prima frõte apparet. Paria uidentur si mulier accepta pecunia procurauit abortum, & aliud dedisse pharmacum quod cieret abortum. Atqui hoc posterius Cicero facit atrocius hoc modo: Quanto est Oppianicus in eadem iniuria maiori supplicio dignus. Siquidem illa cum sui corporis uim attulisset, seipsam excruciauit. Hic idem fecit per alieni corporis uim atque cruciatum. Paria uidebantur quod fecit mulier, & quod fecit Oppianicus, nisi Cicero uerbis fecisset inæqualia.

Propter homines.) A fine. Impendi filium.) Primæ Ioannis 4. In hoc apparuit charitas dei, quòd filium unigenitum misit in mundum, ut uiuamus per illum. 1. Petri tertio: Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est iustus pro iniustis. &c. Romanorum quinto: Commendat autem charitatem suam deus in nobis, q cum adhuc peccatores essemus &c. Iam uero deum in humana miseria.) Hoc quantum sit tam nemo potest pro dignitate comprehendere, quàm nemo potest comprehendere quãtus sit ipse deus qui se totum nobis donauit. A destinatis. Vide Ciceronẽ libro 2. de inuent. cap. 1. ubi agit de beneficijs quæ sunt attendenda ex ui, ex animo eius qui fecit &c. Et Aristotelem libro Rhetorices 2. cap. de gratia. Huc addas licebit illud Ecclesiastici 35. Speciosa misericordia dei in tempore tribulationis quasi nubes pluuia in tempore siccitatis. Sed ne nomen quidem.) Fortasse utcunq; quadraret charitatis uocabulum, deus enim charitas. Quamuis autem nasci uoluerit & fragilitatis humanæ.) Erasmus Roterodamus libro Ecclesiast. tert. His mihi uideor non absurde attexturus, quòd quemadmodum in eadem persona fuit Deus & homo, ita in tota dispensatione qua uersatus est in terris, deprehẽdas licet summæ illius naturæ pariter & nostræ terrestris manifesta indicia. Concipitur in utero fœmineo, sed de spiritu sancto, & angelo paranympho. Illud hominem decebat, hoc deum ac dei filium. Statis mensibus gestatus est & creuit inter latebras humani corporis, sed nondum creatus agnoscitur dominus ab Elizabeta, agnoscitur à Ioanne, qui tũ gestabatur

ſtabatur & ipſe: prædicatur à Zacharia oriens ex alto mundi redemptor. Naſcitur humano more, uerum ante omnia ſecula natus ex patre deo deus naſcitur. Naſcitur ex muliere, ſed ex uirgine: naſcitur ſine commixtione uiri, ac matris integritatē non uiolauit, ſed conſecrauit. Faſcijs aliorum infantium more eſt inuolutus, ſed idem reſurgens ſemet è faſcijs euoluit. In præſepi reclinatus eſt, ſed huic angeli cœlitus decantant hymnum deo dignum. Natus tamen eſt quemadmodum nemo.) Baſilius in ſanctam Chriſti natiuitatem: Etiam hinc liquet quod non pro communi natura domini caro condita ſit, ſtatim enim carne abſolutus erat fœtus ille, non paulatim fingendo formatus, ut indicant uerba: Non enim, inquit, quod creatum eſt, ſed quod genitum eſt &c. Quippe natus de uirgine.) Auguſtinus de eccleſiaſticis dogmatibus cap. 1. Neque ſic eſt natus ex uirgine Chriſtus, ut & diuinitatis initium homo naſcendo acceperit, quaſi antequam naſceretur ex uirgine, deus non fuerit. Sicut Arthemon & Berillus & Marcellius docuerunt, ſed æternus deus & homo ex uirgine natus eſt. Vt ait Ioānes.) cap. 1. Interea quoq; matris uirginitate.) Non tamē uſquā diuina circa illum ceſſa. mag.) Chryſoſtomus homilia in Ioannem 10. Factus eſt enim filius hominis, dilectiſſimus dei filius, ut filios hominum filios dei faceret. Supernum nanque cum homini copulatum eſt, illud quidem nullo in propria gloriam detrimento affectum: hoc autem ex multa elatum humilitate, quod certe in Chriſto factum eſt, ſuam nanque naturam deſcenſu ſuo nihilo inferiorem reddidit, nos autē cum ignominia ante & in tenebris eſſemus, ad ſupernam erexit gloriam. Non aliter quàm cum rex inopem, mendicumq; ſtudio, & beneuolentia quadam alloquitur, nihil ſe indignū facit: illum uero omnibus admirandum reddit, quod ſi in contingenti hominum dignitate nihil honoratiorem abiectioris conſuetudo offendit, multo minus immortalem illam ſubſtantiam, cum nihil non proprium habeat quod adſit, nihil quod abſit, cum omnia dona firma, ſtabiliaq; in æternum poſſideat. Id quod copioſius oſtendit Diuus Hieronymus aduerſus Heluidium. Ecce inquit Eſaias.) capite 7. A pronunciatis. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & uir non tranſibit per eam, quoniam dominus deus Iſrael ingreſſus eſt per eam eritq; clauſa principi, Ezechielis 44. Daniel. 2 de lapide abſciſſo de monte ſine manibus. Hiere. 31. Creauit dominus nouum ſuper terram, fœmina circundabit uirum. Emanuel.) A nomine rei. Poſt Adæ peccatum longe quidem factus eſt ab homine deus, ſed cum uenit Chriſtus in carnem, propinquus factus nobis, dictus eſt Emanuel. At certe cum ueteribus ſanctis fuit ſemper per gratiam, ergo nobiſcum eſt, poſtquam dictus eſt Emanuel, aut fruſtra ſic dictus, ſi totus à nobis migrauit tam breui poſt tempore. Quid miri pollicitus eſt cum aſcendens diceret: Ego uobiſcum ſum uſque &c. Et uocabitur.) Hebraice eſt: Et uocabit ipſa nomen eius Emanuel, ut oſtendat propheta Meſſiam non habiturum hominem patrem qui eius nomen imponeret. Solenne nanque fuit apud Hebræos ut ſemper ferè patres non autem matres filijs nomina inderent. Iam uero quod Luce 2. dicitur: Et uocabis nomen eius Ieſum, ſatis indicat angelum cum propheta pulchre cōuenire. Lege Petrum Galatinum de archanis catholicæ ueritatis libro 3. capite 15. Virgo dicit.) Alludit ad Haalma quod interpretantur adoleſcentulam, cum ſonet uirginitatem. Iuſſiſſet dominus Acham. Refertur hiſtoria Eſaiæ cap. 7 Et uocabitur nomen eius Emanuel.) Locum hunc non minus copioſe quàm luculenter explicat Tertullianus in libro aduerſus Iudæos cap. de probatione natiuitatis Chriſti. Hieronymus libro primo aduerſus Iouinianum: Loquatur Eſaias ſpei noſtræ fideiq; myſterium: Ecce uirgo in utero concipiet & pariet filium, & uocabis nomen eius Emanuel. Scio Iudęos opponere ſolere in Hebræo uerbū Alma non uirginem ſonare ſed adoleſcentulam. Et reuera uirgo proprie bethula appellatur: adoleſcentula autem uel puella non alma dicitur ſed naara. Quid eſt igitur quod ſignificat alma? Abſconditam uirginem, id eſt, non ſolum uirginem, ſed cum ἐπιτάσει uirginem, quia non omnis uirgo abſcondita eſt, nec ab hominū fortuito

separata conspectu. Denique & Rebecca in Genesi ob nimiam castitatem & ecclesiæ typum, quem in sua uirginitate signabat, alma scribitur non bethula, sicut manifestũ esse poterit ex sermonibus pueri Abrahã, q̃s loquitur in Mesopotamia & dicit: Dñe deus dñi mei Abraham, si tu dirigis uiam meã per quam ego ingredior, ecce dũ stetero sup fontem aquæ, uirgo q̃ egredietur ut hauriat aquã & dixero ad eam: Da mihi pau lulum aquæ ut bibam de hydria tua, & respõderit: & tu bibe, & camelis tuis hauriã, hæc erit uxor quam ꝑparauit dñs filio dñi mei. In eo enim loco in q̃ ait uirgo q̃ egredietur ut hauriat aquã, in hebraico scriptũ est alma, id est, uirgo secreta, & nimia parentum diligentia custodita. Aut certe ostendãt mihi ubi hoc uerbo appellẽtur & nuptæ, & imperitiã cõfitebor: Ecce uirgo in utero cõcipiet & pariet filiũ. Hactenus Hieronym. Basilius homilia in sanctam Christi natiuitatẽ: Ne qs aũt subuertatur Iudaicis cauillis, q dicunt non uirginem, sed adolescẽtulam à ꝓphetis dictã esse. Ecce em̃, inquit adolescentula in utero cõcipiet: Primum igitur oĩm absurdissimũ est, quod à dño pro signo datur, id commune & in omni natura cõsentaneum spectari. At quid ait propheta? Adhuc constituit dñs loqui Achaz dicens: Postula tibi in profundo uel in alto, & dixit Achas: Nequaq̃ postulabo, neq; tẽtabo dñm. Ac pauló infra dicit: Ob hoc dabit dñs uobis ipse signum: Ecce uirgo in utero concipiet. Quia aũt neq; in pro fundo neq; in alto Achas signum postulauit, ne disceret, ꝙ ille qui in penitissimas partes terræ descendit, idem sit qui supra oẽs cœlos ascendit, ipse dñs signum dedit, signũ mirabile & prodigiosum, multumq; à cõmuni natura diuersum, fœminam scil. eam, q̃ & uirgo, & mater esset, & in sanctificatione uirginitatis manens, fœcunditatis benedictionem possideret. Quod si nonnulli eorum q Hebraicam uocem interpretati sunt, ꝓ uirgine, adolescentulam reddidere, nil ea res sententię officit. Inuenimus em̃ in consuetudine scripturarũ pro uirgine subinde adolescẽtulam capi, ut in Deutero. ait: Si quis inuenerit puellam uirginem, q̃ sponsa non est, & ui allata cum ea cubuerit, & deprehẽsus fuerit, dabit homo ille qui cũ ea cubuit patri adolescẽtulę quinquaginta didrachma. Deute. 22. Ioannes Oecolampadius Hypo. in Iesaiam libr. 3. capit. 7. Non adolescentulam.) Ecce adolescentula illa.) Commoniti autoritate Matt. & Lucæ euangelistarũ, hanc prophetiã de uirgine Maria & Christo esse dictam certi sumus. Illa em̃ adolescẽtula & uirgo, illæsa uirginitate, spiritu sancto, nõ uirili semine concepit & peperit. Nihil ad nos quiduis nugentur & contradicant Iudęi. Interpretatus autem sum iuxta uerborũ tenorem in præsenti, eo ꝙ propheta rem futuram, ꝓpheticis oculis, tanq̃ præsentem conspicatus fuerit, ac dicat: Ecce ꝓdico signum futurum, idq; tam certum ac si præ oculis cerneretur. Nullo modo em̃ cum Iudæis, uel de uxore Achas uel de uxore prophetæ exposuerim. obstrepunt autem Iudæi, quomodo his qui tunc uiuebant, id quod multo póst futurum erat, esse poterat signũ. Si hoc ab homine dictum fuisset, neutiq̃ sufficiens fuisset signũ, sed qa à deo cõcessum, nihil eo certius esse debebat: ꝑsertim q̃d de illo Abrahę, Isaac, Iacob, & Dauid facta fuerat promissio, q̃ nunc in memoriã reducitur, & implenda ꝓdicitur, tametsi illi impietate sua meruissent, ne bñdictionis tantæ participes forent. Est aũt Christus noster heri & hodie. Vnde q̃uis incredula tunc fuerit gñatio, deus tñ eam seruauit propter faciẽ Christi sui. Vel dicãt Iudæi de q̃ sit dictum: nam si de alio, scriptura nõ obticuisset, de Ezechia nequit intelligi, q tempore huius prophetiæ nouem annorum erat: nec est quod de uxore Achaz uel propheta intelligatur: nã si eo tẽpore natus fuisset puer quo dicta est prophetia. hoc est, quarto uel quinto anno, puer ita adoleuisset ut puer nõ potuerit dici, usq; ad tempus q̃ relicta est terra à facie duorũ regum, q exterminati. Igitur spem iubentur habere in illo, q patribus eorũ promissus. Item non dicitur q̃d dedit signum, sed dabit. Proinde & 70. uerterũt in futuro ἐν γαστρὶ λήψεται, id est, uterum geret. Sed expẽdamus uerba ordine. Primũ dicit, Ecce, ut nõ uulgare significet miraculũ, sed signũ deo dignũ & excellens. Et quale hoc miraculũ, si puella ex uiro concipiat: nam hoc q̃tidie contingit. Iã si miraculũ in hoc saluare uolũt, q̃d propheta prędixit

dixit primogeniturā filiū, & in re futura ac incerta, certum affirmauit: poterat eñ & fœmellam parere, qd hoc ineptius esse queat? In futuris eñ contingentibus nemo signum iure dixerit, si quis feliciter cōiecſet. Quis diceret eñ miraculū, si qs ab alecne primo iactu unionem in oĩbus tesseris dicat pȳici, quum hoc etiā aliâs posset cōtingere. Igitur aut uirginem fateātur incorruptā, aut miraculū indicari negent. Deinde *& nomen* עַלְמָה ה *adolescentula, pro incorrupta accipitur in scriptura: ut de* Rebecca legitur, & de ea q̃ uiolata est in cāpo. Et non solū significat uirginem, sed iu*uenculā idoneā partui. Nā* עֶלֶם *significat adolescentē: & additione* ה *adolescen*tulam. Hebræi in uno loco de incorrupta exponunt. Prou. 30. ubi legitur de uia uiri in adolescentula. At non uidetur bene: tunc eñ & artes inspiciendi uentris. & maiori pudicitia scriptura loqui solet. Sed rectius mysterium illud ineffabile p̃cognoscitur. Minus enim notū est rationi humanæ, q̃ uolatus aquilæ in cœlo, uel reptatio serpentis super petram, uel nauigij in mari. Nā ut Ezechiel dicit: Egredietur & ingredietur rex, & porta manebit semp clausa. Animaduerte & hoc, ꝙ nulla hic uiri fit mentio, & mos scripturæ est, ut uiro gñatio adscribatur. Nam si Iesaię fuisset uxor, dixisset: Ecce uxor pariet tibi filium, sicut de Abraham legimus: Sara uxor tua pariet tibi filium. Hic autē omnia tribuuntur uirgini, ꝙ prægnans sit q̃d pariat, ꝙ uocet nomen *eius. Vltimū tamen oēs in secūda persona exponūt futuri, pro imperatiuo* וְקָרָאת uocabis, id est uoces. Parit ergo filiū, Melchisedec sine patre in terris, sine matre in cœ*lis.* Nomen aūt Immanuel *ex duabus dictionibus conflatū est* עִמָּנוּ *nobiscū, &* אֵל deus. Et ubi uocatus est Christus Emmanuel? Quia dictus est Iesus q saluū faciat populum à peccatis suis. Nā hoc propriū opus, & solius dei est, in quē & solū peccatur. Fuit aūt nobiscum, non solū gratia, ut cum patribus, sed & corporali præsentia.

Male interpretari q̃d bene scriptum est.) August. lib. 18. sup Ioannem: Neq; natæ sunt hæreses & q̃dam dogmata peruersitatis illa queant animas & in profundū p̃cipitantia, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & q̃d in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur. Si ergo debet esse signum.) Ab antecedētibus atq; cōtingētibus. Vide Aug. in principio li. de doctrina Christiana 2. & q̃ in eū annotauimus locū. Vates sacer p̃dixit.) Prædixit Iacob patriarcha Gene. 44. Prædixit & angelus Matt. 1. A pronunciatis. Quū & ante Iudæos sic alloqueretur.) Esaiæ 6. Mar. 4. Acto. 18. Ad oēm posteritatem diffuso.) Roma. 5. In q̃ peccauerunt oĩes. Vt qui filius esset.) A relatis. Ex corde parentis sine matre. Erudite hoc ut omnia explicat Gregor. Nazian. in oratione in natalem saluatoris. Basilius in sanctā Christi natiuitatē. Et Longobard. 1. sententiarū distin. 9. & 33. quæst. Si forte. Conueniens aūt.) Confirmat à decente, æquo & conferente. Sine matre sine patre.) Heb. 7. sine patre, sine matre ἀπάτωρ ἀμήτωρ ἀγενεαλόγητος. Quis rē tantam ulla.) Vbi mare illud eloquentiæ Tullianę, ubi torrens fluuius Demosthenis, nunc profecto muti essetis ambo, & uestra lingua torpesceret. Inuenta est res quam nulla eloquentia explicare queat. Hiero. in epist. ad Sabinianum Diaconū. Qui ut Ecclesiastes ait.) Prou. 30. Quis cōprehendit uentos manu sua? Quis conclusit aquas in uestem suam? Quis fundauit fines terræ? Quod nomen est illi? Quod nomen est filio illius? Nostin? Esa. 40. Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ & librauit in pondere montes & colles in statera? Hiere. 51. Qui fecit terram in fortitudine sua, & præparauit orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cœlos. Dante eo uocem multiplicantur aquę in cœlo, qui leuat nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit, & producit uentos de thesauris suis. Ille iam in humili tugurio.) Elegans cum primis antithesis est à loco desumpta. Qui continet uentū in manibus suis.) Iob 28. Qui uentis pondus. Qui alligauit aquas quasi in uestimento.) Iob 29. Qui ligat aquas in nubibus suis. Ille ne crepundia quidem habet.) Crepundia sunt non modo uestes, sed

bullæ, ensiculi, securiculæ, crepitacula & puerilia ornamenta à crepando, hoc est tinniendo dicta, qm̃ infantes huiusmodi crepitaculis maxime gaudent. Qui terminos terræ suscitauit.) Eodem q̃d modo citauimus è prouerbijs cap. Hiere. 5. Me ergo nõ timebitis qui posui arenam terminum mari? Esa. 40. Qui extendit. Iob 38. Circũdedi mare terminis meis. Cuius nomen & filij nomen nemo nouit.) Atq; hoc est in causa cur fortasse, יהוה Adonai, hoc est dei nomẽ tetragrãmaton Hebræis ineffabile dicatur, q̃d tunc reuelatũ eis non fuerit trinitatis sacramentũ etsi literis utcũq; fuerit adumbratum. Hinc Exodi 6. Dicit deus: Et nomen meum adonai nõ indicaui eis. De q̃ lege Ioannẽ Reuchlinũ de uerbo mirifico. Super om̃e nomẽ.) Philip. 2. Quiq; ut alius inquit.) Nempe Moses Deut. 10. 1. Timoth. 6. Quẽ suis temporibus ostendet beatus & solus potens rex regum & dñs dominantiũ, q solus habet immortalitatem & lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hoĩem uidit, sed nec uidere potest.

Bos cognouit possessorem.) Impar exemplũ est q̃d ducit ex Esaia cap. 1. Cognouit bos possessorem, & asinus præsepe dñi sui. Israel autem me non cognouit, populus meus nõ intellexit. Primum nõ parũ discriminis est inter bouem asinum'ue, & inter hoĩes. Subest aũt emphasis & in nomine Israelis, qui populus erat electus ac lege diuina eruditus. Dein multũ interest inter hominẽ & deũ. Homo iumentũ fœno pascit ad sordidam operam. Deus ad hoc ipsum condidit hoĩem, ut cõditorem suum agnosceret ac uitã æternã consequeretur. Abscondisti à sapiẽtibus hæc.) Matt. 11.

Verunq; simplex. Vergil. in Bucolicis: Quid meruere boues animal sine fraude.

Quo reclinetur caput.) Matt. 8. Luc. 9. Vulpes foueas habent. Et is q noluit bouẽ & asinũ uni aratro.) Deut. 22. Non arabis in boue simul & asino. Vt ostẽderet quantũuis uarij ritib⁹.) Ro. 3. An Iudæorũ Deus tm̃, an nõ & gentiũ? Ephe. 2. Nũc aũt in Christo. Nullos tñ fore natiuitatis.) Ad Titũ 2. & 3. ca. Basilius in sanctã Christi natiuitatem. O felicissimam noctẽ.) Exclamatio est p Apostrophen, qua obiter laudat noctem in qua dñs noster Iesus Christus primũ prodijt in lucem. Populus qui ambulabat in tenebris.) Testimoniũ hoc extat apud Esaiã ca. 9. Quæ illuminat omnẽ hoĩem.) Ioan. 1. Dies inquit rex uates.) Psal. 18. Recte sane noctẽ.)

In primis continua digressio est. Quemadmodũ enim nox illa.) A similibus. Et spacio lõgissima fuit.) Si hæc (ut Plautinis utar uerbis) ob eam rem nox est facta longior. Dum ille qua cũ uult uoluptatem capit. Quanto iustius, nox illa omniũ facta est multo prolixissima, Dum ille pro nobis quas uoluit ærũnas exantlauit. Sic nec ulla fuit ætas.) Id passim ostendit August. in ciuitate diuina, & Greg. Nazianzenus in oratione in festo Epiphaniorũ. Grauioribus om̃is generis uitijs.) Quæ partim in propheticis partim in euangelicis produntur literis. Cuncta detestandis superstitionibus.) Superstitio gentiũ, qm̃ ueri dei noticiã non habebat, in uarios ritus degenerauit, quosdam etiã pdigiosę absurditatis. De quibus Verg. Om̃igenumq; deũ monstra & latrator Anubis. Lege D. Hieronymi cõmentarios in Esaiæ ca. 19. & 46. qui huic loco nõnihil attulerũt momenti. Quũ quisq; deũ sibi quem.) Trecẽtos autem deos habuisse memoriæ pditum est (ni fallor) à Varrone. Vide Suidam ἐν τῷ κανόνι. Sapient. 13. De his quæ uidentur bona nõ potuerunt intelligere eũ qui est, neq; operibus attendentes agnouerũt artificẽ: sed aut ignem, aut spiritũ, aut celerẽ aẽrẽ, aut gyrum stellarũ, aut uiolentẽ aquã, aut luminaria cœli, rectores mundi deos putauerunt. Quorũ siquidẽ specie delectari hæc deos putauerunt, Esaiæ 42. 44. 46. 4. Regum 18. Et unaquæq; gens fabricata est deũ suũ, posueruntq; eos in phanis suis. Esaię 2. Et repleta est terra om̃is Idolis, opus manuũ suarũ adorauerunt q̃d fecerunt digiti eorũ. Nemo quoq; q̃d sentire deberet.) August. lib. de doct. Christiana 1. ca. 7. In annotationibus aũt nostris in hunc locũ fusius ista prosequimur. Vide 1. Corinth. 8.

At docte.) A diuisione.) Alij cũ cognouissent. Roman. 1 Nullã illi rerũ humanarũ.) Id falsum esse abunde satis constat ex Matt. cap. 10. & Luc. 12. Nõne, inqt, duo passeres. Hinc illud Socraticum: Quæ supra nos nihil ad nos. Lege Lactantium libro

lib. diuinarū Institu. 3. ca. 20. Iob 22. Et dices: Quid enim nouit deus? & quasi per caligine̅ indicat: Nubes latibulū eius, nec nostra cōsiderat, & circa cardines cœli perambulat. Quæ de deo proferuntur.) A Cicerone lib. de natura deorum. Ne pro uita quidem.) Augustinus ad Consentiū de mendacio. Idem in calce lib. 1. de doctri. Christia. Non esse penitus quicq̄.) Quorum præter alios fuit Lucianus ille cognomento ἄθεος. Rerum omnium fuerat quæsita libertas.) Iob 11. Vir uanus in superbiam erigitur, & tanquā pullum onagri se liberum natum putat. Ose. 7. Reuersi sunt ut essent absque iugo quasi arcus dolosus fracti sunt. Item secun. Pet. secun. Nunquam ergo fuerat acrior cupiditas.) Explicat per species id quod in genere prius dixit de grauioribus omnis generis uitijs. Hieronymus in Oseam dicit in nocte natalis domini omneis Sodomitico crimine pollutos subito extinctos. Scelera ubiq; summa.) Horat. Venimus ad summum. Iuuenalis item: Omne in præcipiti uitium stetit. Bella, fusus per omnes terras maria'q; sanguis.) Hieronymus lib. 1. Commen. in Esaiam ca. 2. Veteres reuoluamus historias: & inueniemus usq; ad uicesimū octauū annū Cæsaris Augusti, cuius quadragesimo primo CHRISTVS natus est, in Iudęa in toto orbe terrarum fuisse discordiā, & singulas nationes cōtra uicinas gentes arsisse studio præliandi, ita ut cæderent & cæderentur. Orto autem domino saluatore, quando sub præside Syriæ Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio: & euangelicæ doctrinæ pax Romani imperij præparata, tunc omnia bella cessauerunt, & nequaquā per oppida & uicos exercebantur ad prælia: sed agrorum cultus, militibus tantum legionibusq; Romanis contra Barbaras nationes bellandi studio delegato, quando impletus est angelorum ille concentus: Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis, & in diebus eius orta est iustitia & multitudo pacis. Merito igitur.) Epiphonema siue conclusio enthymematis rhetorici. Conuersus erat in hyeme̅.) Periphrastica est hyemis descriptio à genere, adiuncta specie amplificandi gratia. Coactus tum Ioseph.) Luc. 2. Coactus tum Ioseph cum coniuge sua uirgine. Compendio perstringit historiam Messiæ seu Christi nati. Id quod ita futurum prædixit & uetus testamentum. Gen. 48. Non auferetur scep. de Iuda. Deute. 18. Prophetam de fratribus tuis suscitabo 2. Reg. 3. Esa. 7. Ecce uirgo, &cæ. cap. 8. Prophetissa peperit filium Maher Salal, ca. 9. Puer natus est nob. & fil. Deute. ca. 11. Egredietur. Dani. 9. Miche. 5. Tu Bethlehem. Habacuc 2. Si moram fecerit, &cæ. Veniens ueniet. Hagg. 2. Desiderium omnium gentium. Ne locum quidem.) Apposita est hypotyposis ab attributis siue circumstantijs rerum personarumq; sumpta. In diuersorio.) Non fuit CHRISTO nasciturо locus in diuersorio. At ne nūc quidem nos locū illi daturos declaramus, cum eundem, sed iam glorificatum quod maius, seipsum nobis offere̅tem adire, & suscipere grauamur, aut frigide præparamus ad suscipiendū, præterea cum pauperes non uestimus, declaramus nos illi panniculos non daturos fuisse, si CHRISTVS in terris uersaretur, quid est in rebus nostris quod illi non gaudentes impartiremur? Et ecce is nobis adest in proximo egente, & grauamur illi uestem aut certe panem porrigere. Per quem lux initio.) Gen. 1. Nullo parentis dolore.) Quem uel Homero teste lib. Iliados 11. constat esse multò acerbissimum. Ergo qui materna.) A genere siue natalibus. Nascitur sæuissimo anni tempore.) Sanè quàm artificiosa est amplificatio, in qua singulæ uoces incrementum habent. Etenim per se calamitosum fuerat non sæuissimo anni tempore nasci, non in tenebris etiam, non densissima noctis caligine. Sed hæc utcunq; toleranda. Illud nonne multo calamitosissimum? nasci sub diuo, casula omnibus exposita, nullis obstetricum adminiculis, breuiter desideratis omnibus humanæ opis leuamentis. Vide Rodolph. de inuent. dialect. lib. 3. ca. item 3. Quid ergo putamus ne.) Argumentationes sunt à minori. Aut solitas illic.) E priuantium loco. Ex eodemq; est illud: Non mortui. Et quisquam posthac suos.) A cōparatis. Vtinam hæc attenderent pleriq; Thrasones nihil quàm stemmata maiorum nusquam non deprędicantes ac proinde sibi quiduis licere existimantes. Noua lux de cœlo refulsit.) Luc. 2. Audita uoce angelorum ma-

ius gaudium fuit, quàm quod uniuersi pastores acciperent, uix satis credere, se quisque audisse, & alij alios intueri mirabundi, uelut somni uanam speciem quod ad quenque pertineret, suarum aurium fidei minimum credentes proximos interrogabant. Magis in oriente.) D. Hieronymus in Danielem: Sophi uel Philosophi dicũtur sapientes Græcis, Iudæis Rabbini, Chaldæis magi. Quos Aegyptij prophetas, eos Latini sapientes, Persæ magos, Græci philosophos, Indi gymnosophistas, Assyrij Chaldæos dicunt. autor est Strabo. Stella magis fit in Oriente conspecta.) Basilius Homilia in sanctam CHRISTI natiuitatem, paucis indicat qui dicantur Magi, & qualis stella illa fuerit. Ibidem & sic ait: Et angelorum choros statuunt, dicentes: Gloria in altissimis DEO, & in terra pax, in hominibus bona uoluntas. Sic enim Græce legitur. Luc. 2. cap. Expleuerat legitimos uirgo prægnantium menses.) Hieronymus ad Eustochium de custodia uirginitatis: DEI filius, pro nostra salute hominis factus est filius: Nouem mensibus in utero ut nascatur expectat. Fastidia sustinet, cruentus egreditur, pannis inuoluitur, blandicijs delinitur: & ille pugillo mũdum includens præsepis continetur angustijs. In desertum tuguriolum diuerti.) Hieronymus ad Eustochium in Epitaphio Paulæ matris: Et ego misera atque peccatrix digna sum iudicata, deosculari præsepe in quo dominus paruulus uagijt, orare in spelũca in qua uirgo puerpera Dominum fudit infantem. Hęc requies mea, quia domini mei patria est. Hic habitabo, quoniam SALVATOR elegit eam. Paraui lucernã CHRISTO meo: anima mea illi uiuet & semen meum seruiet. Vniuerso nunciatum sit mundo.) Luc. 2. Gloria in excelsis DEO.) An non mirabilius Deum esse hominem quàm angelos esse conditos à DEO? An non mirabilius est Deum inuolutum pannis uagire in præsepi, quàm illum regnare in cœlis quos condidit? Hinc demum angeli gratulabũdi uelut in facto omnium maxime stupendo canunt gloriam altissimis. Hic meminisse conuenit quid gloria significet. Cicero pro M. Marcello: Vide quæso ne tua diuina uirtus admirationis plus sit habitura quàm gloriæ. Siquidẽ gloria est illustris ac peruagata multorum & magnorum, uel in suos ciues, uel in patriam, uel in genus omne hominum fama meritorum. Idem quoque in tertio Tuscula. disputationum: Et gloria solida quædam res & expressa, non adumbrata. Ea est consentiens laus bonorum incorrupta uox bene iudicantium de excellente uirtute, ea uirtuti resonat tanquam imago. Gloria enim & diuitiæ.) Ita Dauid rex propheticus propheraque regius, Psal. 111. Non mortui laudabunt.) Psal. 113. Nouo quodã.) Augustinus de doctrina Christiana lib. 1. cap. 6. Nunc renati sumus.) Ad Titum 3. per lauacrum regenerationis. & ad eundem cap. secundo: Nunc uiuimus. Itaque quid posset.) Ab effectis noctis obiter laudatæ. Qua rerum naturæ tristissimus.) A contraposito siue contentione quæ Græci ἀντίθετα uocant, cum contrarijs opponuntur contraria. Virginis sterilitas.) A priuantibus. Clausum ulnis suis.) Sanè quàm prudenter hoc nec minus pie adiectum. Pastores immensi.) Lucæ 2. Nouæ spei sydus.) Matthæ. 2. A Domino factum est istud.) Psal. 117. Epiphonema est. Esa. 52. Consolatus est dominus populum suum, redemit Hierusalem, parauit dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & uidebunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Illã totis animis toto.) ἀναφορὰ est siue repetitio. Reperamus, concinamus.) διάλυτον & ἀσύνδετον. Diutnorum conscios.) Allusit ad etymum uocabuli angeli. Homerus ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ. Id est hoc quoque præclarum est, ubi nuntius optima nouit. Rem felicissimam sanctissimus quoque.) Iulianus in epistola ad Basilium ἡ μὲν παροιμία φησὶν οὐ πόλεμον ἀγγέλλεις ἐγὼ δὲ προσθείην ἐκ τῆς κωμῳδίας χρυσῶν ἄγγελος ἐπῶν. Id est, Prouerbio dicunt. Haud bellum annũcias. Ego uero illud addiderim ex comœdia, aureorũ nuncius uerborum. Si par est in oratore uenerari mittentis personam, nihil est Deo sublimius. Si par est cum applausu fauoreque excipere, quæ dicuntur in rem nostam, nihil est pace præstantius, nihil hoc nuncio gratiosius. Prouer. 13. Nuncius impius conijciet in mala. Legatus uerax salubris est. Prouerb. 25

Aquæ frigidæ ei qui loquitur animo nuncium bonum est. Gloria in excelsis Deo & in terris.) Annunciamus noua, prædicamus publica, noua læta'q; nunciantis uox meretur applausum. Præconis enim uox aures penetrat. Quid autem sonat præco legis? Anima quæ peccauerit morietur. Et nisi perstiteritis in his quæ scripta sunt in libro hoc, omnes imprecationes euenient tibi. Præcepta denunciat & minis terrorem incutit præco Mosaicus. Quid præco gratię angelicus? Annũciat omnibus gentibus sub quocunq; cœlo degentibus paratã esse per fidẽ in IESVM CHRISTVM remissionẽ omnium peccatorũ. Annunciat pacẽ bonę uoluntatis hominibus in terra, non per legis opera, sed per dei liberam uoluntatem ac benignitatem gratuitam quæ erat in CHRISTO mundum reconcilians sibi. Annunciat pro uindicta bonum. Pro exitio peccatis hominum debito, salutem.

Posteaquã scholia hæc (ut supra quoq; testati sumus) imperitioribus dictauimus, ob id non grauabor in eorum gratiam huc ascribere carmen nostrũ, quo ut nos locũ hunc, sic & illi reliq̃s huius orationis locos amœniores conẽtur uersibus exprimere.

EXPOSTVLATIO IESV CHRISTI CVM PVRPVRATIS, asotis atq; Thrasonibus.

Aula mihi stabulum, thalamus præsepia, fœnum
Lectus, & excubitor bos asinus'q; datur.
Nocte intempesta, patrijs semotus ab agris
Cum sæuit boreas, cum'q; rigescit hyems:
Mille fatiscenti rimis casula'q; domo'q;
Imo spelunca, si bene perspicias.
Quando hæc prægnanti sint diuersoria matrĩ
Ac aliud nusquam suppetit hospitium.
Sub diuo, medio'q; gelu, densis'q; tenebris
Nascor, & humanæ nil mihi fertur opis.
Et quisquam posthac sua iactet stemmata, luxum
Aut fastum titulis debitum, opes'ue putet?

Alia eiusdem cum eisdem. Esaiæ primo.

Ecce suum possessorem bos noscit, ei'q;
Gnauiter inseruit, quo licet obsequio.
Et præsepe sui domini cognoscit asellus
Vt simplex animal, sic & utrunq; rude.
Ac modice pastum stipulis, farragine, fœno
Gnauam operam domino nauat ubiq; suo
Natus in hoc, lautis'q; diu nutritus ab escis
Agnoscat, timeat, captet, adoret, amet,
Vt seruatori cunctis inseruiat horis,
Altorem'q; animo & corpore suspiciat.
Electus populus, diuina & lege peritus
Ille suum dominum nescit, & ille deum.
Ille scelus sceleri cumulat, plane'q; proteruit
Ille nec exhibitum supputat obsequium.
Ille reluctatur, cessat, cane peius & angui,
Odit, dedecorat, spernit & obloquitur.
Et miratur adhuc tanti quæ causa tumultus,
Tota'q; cur bellis undiq; terra fremit.
Vnde fames, simul & pestis grassantur ubiq;
Ac quibus è scatebris hæresis elicitur.
Ecquis tam cæcus, qui non uidet omne malorum
Agmen, ab hoc riuo fonte'q; defluere?

RODOLPHI AGRICOLAE PHRISII ORATIO IN LAVdem Matthiæ Richili.



PRæclari quidem, sed grauißimi munus laboris, magnifice rector, uosq; præstantißimi patres in præsentia me uideo sustinere. In quo (quod optandum præcipue dicturo fuit) neq; copiam de amplißimis, neq; fidem de uulgatißimis rebus uerba facturus desiderarem, uerum hoc quod impleuisse summam mei uoti uidebatur, uel maxime nunc me premit ac urget. Quum enim hanc hominum cuiusq; conditionis, ordinis atq; ætatis ornatißimorum doctißimorumq; frequentiam, quam hic circumfusam uidetis, intueor, intelligo tantam esse Matthiæ Richili Rectoris designati, tamq; diffusam gloriæ opinionem, ut, quoniam neq; pro dignitate sua, neq; pro uestra expectatione ipsam poßim æquare dicendo, uerear ne laudibus suis, quas augere debeo, nonnihil angustijs orationis meæ uideatur esse detractum. Quid nanq; par, quid dignum tantæ eruditionis, tantæ humanitatis, tantæ in omni genere uirtutis excellentia, uel eloqui possum uel cogitare? Quid præterea nouum afferre aut inauditum, quod non potius exploratum uobis sit, atq; perspectum in uita, præsertim hominis, qui quãtus est, iam annum intra complexum (ut ita dicam) uestrum, est ea cum dignitate uersatus, & tanto ardore ad ornandum eum studia consenserunt uestra, ut credam honestißimum uestrum illud de eo iudicium debere uel in præcipua laudum suarum parte numerari? Virtutes igitur ipsius, quarum iampridem in oculos omnium splendor incurrit, quia quo minus aperire poßimus illæ occuparunt: conabimur tamen utcunq; dabitur recensere. Iuuat enim ipsum sibi ostendere, atq; præterito ex uitæ tempore pulcherrime peracto ad reliquam futuræ ætatis existimationem tuendam, paribusq; colendam studijs adhortari. Iuuat quoq; gratulari & diligentiæ uestræ, qui talem uobis præficiendum putastis, & felicitati, quibus talis oblatus est quem præficere possetis. Me uero (si quid tanta in re licet indulgere) ante omnia iuuat, pulchro splendidißimarum rerum tractatu animum meum (ut cui monitis his opus est) ad optimas artes excitare. Equidem quum Matthiæ affluentißimas opes, quum ingenium, corporis & animi decus, quum suauißimos ipse mecum mores reuoluo, profecto is esse mihi uidetur, in quo fortunam cũ natura, cumq; ambabus uirtutem, tres potentißimas rerum dominas contendisse credam, cuius ipsarum potißimum beneficij gratia teneretur, aut quæ plenioribus

ipsum

ipsum muneribus manuq; largiore cumularet. Cumularunt certe, & quaeq; est officio suo functa, nec cui plus debeat, facile discreueris. Sibi quidē haud dubie uirtus ipsa plurimum debet, qui reliquarum blandißimis delinimentis, quae seuera quoque ingenia solent auferre, praeteritis, solam dignam, quam omni opera, omni cura sequeretur & expeteret, existimarit. Hoc uero ad optima tendenti sibi in primis feliciter obuenit, ut non exteris monitionibus egeret, non à longa uetustate repetitis, non per ignotas quaesitis gentes, opus haberet exemplis: domestica gloria maiorumq; suorum ad omnia honesta ductu, facile contentus, quamcunq; uitae partem sequi, undecunque erumpere, & ingenij sui lumen proferre uoluisset. Qua in parte transeam tot auorum, proauorumq; laudes. Neq; enim mediocri quisquā oratione posset eas explicare, & ut perueniam aliquando quò haec oratio nostra festinat, ipse mihi per proximos quosq; gradus est apprehendendus. Vt aūt à proximis ordiamur, offerunt se nobis uiri duo equestris ordinis Ioannes & Henricus Richili, prudentißimi domi, militiae strenuißimi patrui huius Matthiae. Quorum hic, Henricum dico, serenißimi maximiq; Imperatoris Frederici aulam multis sequutus annis: ea tempestate quum imperator ipse ad urbem coronae regiae accipiē dae causa proficisceretur, palatij ipsius fuit praefectus. Alter Sigismundi ducis Austriae nobilißimi uiri, patrisq; sui clientelam summa cum laude obiuit. Ambo fide praestantes, pacis belliq; artibus clari, tantum apud principes suos decus sunt assequuti, ut non moderatione inter sequunda, non prudentia inter ancipitia, non robore inter aduersa quisquam par ipsis haberetur. Iam uero Andreas Richilus pater istius, deus bone, qualis uir, quanta in eo eruditio, quae uirtus? Qui medicas amplexus artes, quantum sibi ex illis opinionis pararit, uel hinc arbitror facile liquere, quòd in sacro Constantiensi conuentu, iussus sit à Caesare Aeneas Siluius doctoratus illum insignibus ornare. Idem Aeneae ipsius, id est Pij, quum Papa esset, idem Pauli quoq;, idem Caesaris inuictißimi medicus. Hunc omnes propè superioris Germaniae principes uelut praesidium quoddā & numen uitae salutisq; suae colunt atq; uenerantur, ut quod de eloquentißimo uiro legimus, huic non incommode tribuerit quisquam, esse sibi par orbi terrarum ingenium, quippe cuius curae, cuius tutelae summa se diuinarum humanarumq; rerum cōmiserit potestas. Quod si id quoq; putarem ad laudes praestantißimi uiri pertinere, & diuitijs rerum uilißimae parti in humanae societatem gloriae irrepere liceret: cōmemorare possum domum paternis opibus auitisq; fundatam. Praeter haec ob summam erga principes uiros obseruantiā maximis beneficijs, auctam, pro unius morbi nonnunquam depulso periculo mille aureos ampliusue numeratos. Sed quid deesse sibi in tanta Imperatoris

gratia posset? quam præcipue ex armorum insignibus, quæ sibi contulit, licet intueri: ut ipsum in decus familiæq; ornamentum, quantum proxime potuit, sit adiunxisse uisus. Verum non est mihi uir clarus ita laudandus, & ille quidem fluxa hæc esse nouit, atq; sicut non esse fugienda, quum se offerant: ita nec quum habeas magnopere amplectenda: quumq; uoluerint abire, in fortunæ sinus, unde sunt profecta regerenda. Quid Georgium dicam fratrem Matthiæ, iuris ciuilis pontificijq; doctorē peritißimum? Cuius si ingenij magnitudinem, si præstantiam eruditionis, si admirabilem æqui boniq; curam exequi parem: fieri non posset, ut eò quò tendimus, perueniret oratio. Quinetiam properanti mihi cunctaq; retinacula rumpenti, manum inijcit prensatq; Clemens frater istius alter, neque sinit ut sua se laude fraudem: Iuuenis eo decore, ea suauitate atq; gratia, ut inter primos cubicularios Cæsaris habeatur, eiq; gratus in primis uniceq; dilectus. Hæc quidem uelut signa sunt pauca de multis, quibus ducibus tam domi suæ tritum Herculis illud biuium Matthias noster ingressus, plenum laboris, plenū sudoris, ad uirtutis iter, per aspera obstantiaq; cuncta prorumpens, mollem illam uiam blandißimosq; pandentem sinus, reliquit, spreuit, effugit. Quumq; sciret nobilitatem, cæteraq; generis decora (ut sapientes autores tradiderunt) si per se consideres, ad titulos magis quàm ad rem pertinere, totis (ut aiunt) neruis contendendum statuit, ut & ipse quàm dignißimus his, & hæc ipso quàm dignißima uiderentur. Igitur quum puerilibus studijs excesisset, possetq; per ætatem animus concipere maiora, Imperatoriæ primum aulæ fuit illatus: quodq; longißimis alij assequuntur meritis, id quoque ultro est ei concessum, ut ministerio cubiculi Principis adhiberetur, prima adolescentiæ rudimenta in regia orbis terrarum, ut maxima, sicq; sanctißima, poneret: atque à tenero disceret nihil sine uirtute magnum parari, contrà uero cum ea recte cuncta sperari. Ibi rebus omnibus, omnibusq; studijs, quæ non modo ad ætatis illius commendationem, sed ad egregiam etiam futuræ gloriæ spem pertinent, incredibile dictu quantam beneuolentiam, quam gratiam, quæ studia, circa se omnium excitarit. Nemo adeò fuit qui dubitaret, si arma sequi, militiamq;, quemadmodum facturus putabatur, tractare cœpisset, futurum, ut quantum sibi dignitatis ex mitioribus his atque proinde melioribus artibus accesit, tantum splendoris famæq; ex illis esset additurus. Rerum nanque natura sic est. Proferunt se maturius magnarum rerum exordia, sicut & territura nos tonitrua densis adhuc septa nubibus, horridius fremunt: sic uersura in se mentes hominum oculosq; uirtus, pleniore statim gradu ad id tendit, ad quod omnes eam aliquando peruenire potuisse mirentur. Postea uero animum ad priora studia reflectens, quum

sibi

ſibi perſuaſiſſet eruditioni cuncta doctrinæq; poſthabenda, miſsione rurſus accepta, toto ſe ad philoſophiam impetu uertit, ut quod intercapedinis à ſtudijs fecerat, non modo nihil abſtuliſſe, ſed nouos uelut ſtimulos alacrioresq; uires collegiſſe crederetur. Viennam ergo urbem totius Germaniæ ſtudijs clariſsimam profectus, breui, audiendo, diſſerendo, meditando, eam de ſe præbuit opinionem, ut & liberalium artium doctiſsimus haberetur, & omnium conſenſu fieret doctor. Hic autem ut patris ſui, ſicut bonorum, ita & gloriæ eſſet hæres, neúe in tam præſtāti familia ullum ſine exēplo decus maneret, quum diu ſecū multumq; reputaſſet qua potiſsimum ſe uia tolleret humo, caputq; inſereret aſtris, tandē ſedit in animo medicinam uelle complecti, cuius diſcendæ cauſa doctiſsimam hanc petens urbem, ea modeſtia, grauitate, dignitate ſe geſsit, quam ſemper in eo uidiſtis, quamq; tam præclaro, tam egregio donandum munere cenſuiſtis. Vnde igitur ordiar? quod initium ſumam? quamúe primam laudem ipſius attingam? Honeſtiſsimam'ne doctoris gratiam commemorem? firmiſsimum robur dicam? tranquilliſsimam ualetudinem narrem? Notiora ſunt hæc quàm ut eis quicquam à nobis dicendo poſsit laudis afferri, & quæ oculis malo ueſtris, quàm prædicanti mihi credatis: Tum quòd hæc quæ apud nonnullos populos naturæ benignitate habentur, in Germano (ut magnis eſt autoribus uiſum) ſuperiore præſertim, ut ipſe me blandius tractem, ius ſunt potius naturæ quàm munus ipſius. Quid maximam ingenij uim, quid ſummam exequar doctrinam? Quantus in dialecticis, quantus in phyſicis ſit diſſerendo, ſæpe ipſum audiendo, contraq; dicendo eſtis experti. Nam facundiam, quam (ut uerum fatear) in ipſo ne magnopere ſuſpicabar quidem, tantam in eo, cum nuper apud illuſtriſsimum principem diceret, expertus ſum, quanta non modo in homine aliarum artium detento ſtudijs eſſe poſſet, ſed quanta in multis, quorum hæc ſola cura eſſe ſolet. Audiſtis eam quoque doctrinæ partem, quæ rationem tradens bene uiuendi, mores hominum menteſq; ad optima inſtituit ac format, quis non planè fateatur hanc ita in animo tenere defixam, ut non didiciſſe, ſed natus ad eam uideri poſsit? Excute quæſo uerum. Conſidera in tanta erga ipſum fortunæ benignitate ſummam continentiam. Inter tam uaria hominum ingenia, omnibus acceptam, in hac ætatis inſolentiſsima parte, tantam moderationem. Vide conſtantiſsimum inter difficilia, in magnis erectum, diligentiſsimum in minimis. Hæc quiſquis perſpexerit, audeat dicere quicquam ſibi eorum quæ ad præcepta pertinent bonæ integræq; uitæ, deeſſe? Iam occurrit nutrix illa rerum humanarum & unica ſalus medicina, quam, ne quid in futuram expectationem ſui minuam, promittere malo quàm laudare. Audietis, quotidie licebit intereſſe, con-

gredi quoque & experiri licebit. Cognoscetis hominem qui uestræ per omnia satisfaciat opinioni: spem, quinetiam omnium desideria superabit. Tum scietis uerum hoc esse, honestas artes quocunque se flexerint, cumulo rapi, & sicut arbusta quædam quæ tenebris inclusa, ubicunque patuit cœlum toto se porrigunt trunco: Ita uirtutem quum bona fide animo se naturæ felicioris immersit, uno uelut tractu reliqua secum studia præclara proferre. Gaudeo me Hercule, atque si quid mihi creditis, & huius nostræ nationis, & uestro in primis nomine triumpho, tam felicia mihi cuncta, tam fausta propono. Quid enim hoc rectore poterit esse aduersi, si cum uirtute omnia sequunda? Nemo in illo quicquam inconsultum metuat, prudentissimus est. Nemo insolentiam animi cogitet, modestissimus est. Nemo iniuriam timeat, æquissimus est. Benemerentes sua confirmabit humanitas, languidos excitabit industria, improbos seueritate compescet, uidebitisq; hanc rempub. uestram omnibus numeris perfectam, & si quando recte, nunc rectissime constitutam. Quod si quid longius prospicio, non tantum sibi unius gratiam anni debebitis. Quicquid ab integritate primæ uestræ institutionis detraxit uetustas, restituet, purgabit quoque quam longa negligentia partem uitia presserunt: eorum qui hunc post se gesturi sunt honorem, mentes, laudis uirtutumq; suarum accendet exemplo. Quis enim tam iacentis erit animi, quem non excitet? Quis tam frigide ignauus, quem non inflammet tantus gloriæ subiectus stimulus? Fax tanti prælata fulgoris? Continget hoc probitati ipsius pulcherrimum, ut eadem opera se maiorem, meliores alios fecisse dicatur. Ecquid ergo huius ornatissimi uiri decus uirtutesq; inclytas agnoscitis? Agnoscitis certe, atque etiam pridem agnouistis, quum speciosissimo ipsum magistratu, hocque Rectoris insigni nomine dignati fuistis. Quoniam id parum uobis uidebatur, quod omnibus antehac maximum fuit, nec satis putastis si solita, si usitata acciperet: & honorem quem hoc anno sibi ne sperare quidem licuisset, qui tantis precibus, tanto ambitu impetrari solet, ultro uolentibus propensisque animis obtulistis. Detraxistis uobis iura uestra, uetustisque priuilegijs cessistis, & seruatum tot annis morem, hæc (quæ omnia) uirtus sua perfregit. Laudandus ipse quòd hæc meruit, laudandi uos qui digna meritis eius præmia dedistis. Iam illustrissimo principi nostro Galeaceo MARIAE uiro, qui hoc nostrum seculum orbemq; terrarum gloria gestisq; rebus exornat, quam satis dignam orationem comparem, prorsus ignoro. Prudẽtiam'ne mirer? Ut qui in tanto beneficio tam diligenter prospexit, ut id non nisi dignissimus haberet? An magis benignitatem laudem? Qui quum merita uiri tanto honori paria uidit, precibus nostris sine cunctatione concessit.

cessit. Sed quis illi laudando sufficiet? Qui nō modo ueterum laudes splendoremq́; prioris ætatis, sed ingenia laudantium uiresq́; superarit. Te uero Matthia præstantißime, supererat ut admonerem, atq; ad colendam iustitiam resq́; amplificandas tui ordinis hortarer: sed totū hoc superuacuum tua mihi integritas fecit. Audeo te tibi monitorem dare, tuis consilijs, diligentiæ, industriæ committere. An scilicet ego timeam ulla te parte arctißimam æquitatis regulam transiturum? Facturum aliquid indignum te aut tuis moribus alienum, néue ab honestißimis uitæ tuæ rationibus aberres? Vnde hic mihi metus? aut quid de te mihi nō debeo polliceri? Qui me his omnibus pro te exhibeo sponsorem, improbe petiero ut fidei meæ uelis habere rationem. Persuasum enim mihi est, quū ego de aliena sim solicitus laude, fieri non posse, ut tu quicquam de tua remittas. Vides ex cuius uiri quàm integri, quàm ornati manibus hunc suscipias magistratum. Vides quanti muneris hi tuis humeris imposuerint pondus, qui quum omnia debere se tuis uirtutibus uoluerunt uideri, tu certe omnia illorum beneficio debes. Vides quantopere tibi sit illustrißimi principis dignitas tuenda, quanta enitendū cura ut ratio cōstet, & sibi, quòd te alijs credidit præferendū, & tibi, quòd res noui exempli & antehac incognita in te sit constituta. Vnum est quo satisfacere omnibus poßis, ut tecū ipse certes contendasq́;, quum priuatus cuncta rectißimè gesseris, ne à te in tanto positus honore uincaris. Vos autem quos omnes gaudentes alacresq́; totis hic animis adesse cerno, tam optatæ diei nobis hodie præstate fructū lætum, & eum lætis festis uocibusq́; cōcelebrate, extollite, ornate. Virtutes amate uiri: fauete laudibus, colite dignitatem, & eum quem tantis studijs, tanto consensu, in hoc ordinis uestri fastigio collocastis, obseruantia, diligentiaq́; uestra firmate, fulcite: ut quēadmodū initum uobis esse certamen, hinc uestræ beneuolentiæ, illinc uirtutū suarū prospiciunt omnes: ita nemo sit qui cui uictoria cesserit, prospicere poßit Dixi.

IN LAVDEM MATTHIAE RICHILI scholia per Alardum Aemstelredamum.

PRæclari quidem sed grauissimi munus laboris.) Nihil æque conducit ad probe tenendum huius orationis artificium, ac illud, quod de laudandi locis prodidit Rodolphus Agricola libro tertio de inuent. dialect. cap. 12. Quoniam autē laudantur bona &c. usque in eis uero generibus. Et Aphthonius item in progymnasmatis cap. de laude. Herculis illud biuium.) Cicero libro officiorum primo: Nanque Herculem Prodicus dicit, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret &cęt.

Sicut & territura nos tonitrua.) Seneca libro epistolarum decimooctauo, epistola Cui tempestas minatur antequam surgat: Crepant ædificia antequam corruant, prænunciat fumus incendium &c. Vergilius libro Aeneidos duodecimo: Qualis ubi ad terras abrupto sydere nimbus, It mare per medium, miseris heu pręscia longe

Horrescunt contra agricolis, dabit ille ruinas
Arboribus stragemq́; satis ruet omnia late
Ante uolant sonitumq́; ferunt ad littora uenti.

IN LAVDEM PHILOSOPHIAE, ET RELIQVArum artium Oratio, dicta in studioru ad hyemem innouatione.



PRudenter hoc, & recte in primis uisum est maioribus nostris instituere, illustrißime princeps, magnifice rector, uosq; praestantißimi uiri, ut quotannis post aestiuarum uacationum à studijs intercapedinem redeuntem, rursus nouum cum hyeme laborem à cohortatione, commemorandisq; laudibus studiorum auspicaremur: ut intelligerent quantum spei propositum haberent, quàm certa ipsos solidaq; maneret felicitas, qui reliquis omnibus relictis, per praeceps illud & plenum sudoris iter eruditionis atq; doctrinae, ad tranquillam inconcussamq; sapientiae sedem penetrare statuissent. Contra, si quis perspiciat hunc impetum animi uestri, hunc tam flagrantem circa bonas artes amorem, ut praeceditis etiam, multumq; à tergo relinquitis hortãtem: fateatur profecto, nihil minus cõuenire uobis, quàm moneri, aut oratione excitari. Quid ergo segniores illos fuisse credemus, qui hos mentibus stimulos addẽdos esse censuerunt? Nequaquam uero, quippe quorum diligentia industriaq;, laus seculi nostri magna ex parte fulcitur. Sed maximi uirorũ, qui totis sese praecordijs doctrinae dederũt, nullam curam tantae rei, nullum studium suffecturum putabant, quodq; ingentibus interim contingere desiderijs solet, illa quoq; sibi q superarent, minora credebãt. Deinde quo magis unicuiq; uestrũm pulcherrimam uitae suae sectam approbarẽt, rectum putauerunt, quàm splendido in curriculo uersaremini, quantum studiorũ nomine laudis sustineretis, in memoriam subinde reuocare. Non, quod equidẽ arbitror, ut hortatio esset, quae in hac praesertim re, ut apud ignauos inutilis foret, ita apud industrios superuacua fortasse: sed ut hac commemoratione quisq; uelut faciem uirtutum suarum intuitus, praecoci ista & subnascente iterum atque iterum gloria recte factorũ suorum gauderet. Gaudet sanè optimus quisque contemplatione sui, & sola omnium laetißimis seipsam oculis introspicit uirtus. Sed dicturo mihi in praesentia de laudibus studiorum humanitatis, atq; adeo ducis uitae nostrae philosophiae, praeter uulgatam illam difficultatem, quod difficillimum est in laude temperamentum, & quisq; prout magni minorisue putat ea de quibus uerba fiũt: aut dignitati rerum parum, aut ueritati nimium dici putat: Alia quoque priuatim me circunstat molestia, quod istis de rebus iã totiens est tam copiose ornateq; hoc in loco dictum. Solent igitur alij taedium earundem rerum crebro redeuntium, leuare

uare ingenio atq; eloquentia, si minus possint materia placere. Ego autē ad Oceanum, & prope ad ultimos rerū naturæ terminos natus, quid est quod ab isto germanico horrore ingenij sperem hac in re uel nouū, uel his limatissimis auribus dignum posse proferri? Vestra oportet uestra mihi adsit humanitas, ut hāc qualemcunque dictionem meam, pro modo benignitatis uestræ, quæ hanc prouinciā suscipienti mihi in consilio fuit, potius quàm pro meo ingenio æstimetis: ut inter cæteras philosophiæ laudes hanc quoque liceat mihi numerare, tales eam facere uiros, apud quos audentem supra uires promptius excipiat fauor, & citra conatū præstanti parata sit uenia. Nobis autem orationis huius initium ab eo proficiscatur potissimum, quod est in ipsa re præcipuum, id est, ab ipsa philosophiæ dignitate: quam summam esse & prope immensam, quo certiore quis iudicio colligat, quàm quòd reliqua nostra omnia conditionem habent, ut inter minora ista rerum humanarum nasci, prouenire, produci possint, taliaq; sint quæ ab homine dari queant, & accipi ab homine? Philosophia uero inuestigatrix cœlestium, æternorumq;, & eorum quæ nulli se mortali aspectui dignentur aperire, scrutatrix, ipsa quoque perpetua, incorruptaq; manens, solius (si uerum fateri uolumus) diuinitatis est munus. Cuius enim sit nisi dei immortalis, id dare homini, quod sepulchro supersit? Nec metuat finem, solumq; omnium quæ in uita parantur, sit diuturnius uita. Et alia quidem ut assequi quisquam posit, satis est hominem natum esse, & spiritu isto communi luceq; frui. at philosophum esse, id plus est esse quàm hominem. Neq; temere sibi improuidoq; casu philosophia metatur hospitium, sed optimam quanq;, & à uitiorum contactu liberrimam seligens mentem, quæ bona sua cognoscat, quæq; maxima capiat, optima intelligat: hanc paulatim attollit, & dignā sese, paremq; sibi præstat, & demū humiliū curarū uilia ista fomēta calcantem erigit, supra fortunā, supra humana omnia ponit. O quantū hoc est, & q̃ uere diuinum, quod tam paucis hominibus contingit? Quæ potest autem maior esse, quæ certior philosophiæ diuinitas, quàm nullis claudi terminis, nullo spatio contineri? uadit enim sacer uiri eruditi animus liber, solutus, nullisq; coërcitus metis, & quacunq; rerum natura patet, uagatur: nec terras & maria solum, sed sydera ipsa, cognatosq; cœlos pererrat: non tenuissima effugiunt ipsum, non altissima inaccessa sunt, non densissima resistūt: comprehendit, exuperat, penetratq; cuncta. Quinetiam uelut in possessionem quandam suā ueniens, omnia sui facit iuris. Quid ni sui iuris? Nempe quæ non alij usui, quàm spectaculo & admirationi sacrarum mentium, opifex ille rerum uidetur destinasse. Totus ergo in his est, omnesq; in pulcherrimo opere curas habet cupiditatesq; defixas: non ille uilia cōcu

piscit

piſcit, non illicitis diſtringitur uotis, & ſolus quæcũq; ſunt, nouit, quæcunq; uult, poteſt. quid eſt quo propius deum poßit imitari? Nec mirum uideatur, quod dixi poſſe quæcũq; uelit, philoſophũ, poteſt certè quodcũq; uult: neque enim uult quod nõ poßit, addam etiam, quod nõ liceat. Aſtruit hanc quoq; laudẽ deditis ſibi philoſophia, quod eadem opera & docet, & emendat, purgat animos, atq; à uitijs reuocat. non metu, ut iura atq; magiſtratus, ſed moribus: non ſimulatione, ut qui ambitioni ſeruiunt, ſed ueritate ſua, ui ſua, efficacia. Nam quũ omnia inter ſe contraria, in mutuam perniciem natura armauerit, certum eſt bonarum malarumq; artium non magis eſſe poſſe uno in pectore conſortium, quàm in uno membro morbi & ſanitatis, in uno homine mortis & uitæ. Ipſa certe ſtudia, peruigilesq; circa literas curæ, nonne ſecum frugalitatem, parſimoniam, temperãtiam, omniumq; affectuum moderationem ducunt, atque totum ſibi aduocantes hominem, diſiecto quicquid turbidius mentem percellit, componunt ipſam, quietiq; reddunt? Non ira illum agitat, odium macerat, non amor concoquit, non inuidia conſumit, qui deuocatus fluxis his rebus ſtudio ſe quærendæ ueritatis addixit, & ſacras in conſilium conſortiumq; cœleſtium rerum immiſcuit cogitationes, nec domat incurrentia ſibi uitia, nec tangitur enim ipſis, ſed tanquam ex ſublimi deſpiciens ridet, atq; contemnit. Nec uero me latet, poſſe imperitis uideri magnificẽtius iſta à me, quàm uerius dici, ut quorum animi nihil tale norunt, nihil tale concipere poßint. Itaque in promptu erat magnis iſta exemplis docere, & proferre uiros ſeculorum memoria conſecratos, qui iſta dixiſſent, & fidem quoq; uerborum, opere firmaſſent: niſi ſuperuacuum putarem uetera, longeq; poſita ſcrutari, cum uos ipſi ſatis mihi abundeq; magnum huius ſententiæ documentum præbeatis. Nanque cum uideam alios ueſtrũm, relicta natali, educatriceq; domo, & ſole quoq; patrio, qui non ſine cauſa iucũdißime dictus eſt nitere, huc uelut ſpõtaneũ in exiliũ proficiſcẽtes, alios autem hic natos domi atq; inter ſuos, non aliter atq; in exilio ſint, his omnibus abdicatis, ſoli ſe philoſophiæ deuouere, quid eſt quòd locupletiores ullos teſtes requiram? Poteratis enim nobilitate clari, inter affluentes opes in ipſo uitæ flore, uel pro annis læte, uel pro opibus molliter, uel pro gratia licenter, tranſmittere ætatem. At uós ſimul atq; uobis incude ſtudiorum animus labore eruditionis incaluit, cuncta hæc ex uero æſtimata pro derelictis ire, & meliorum deſiderio uicta ſeceſſere iußiſtis. Itaq; quod difficilimum ſemper eſt habitum uincere blandicias rerum humanarum, quodq; multi ſudoris, maximiq; negocij illis quoq; eſt, qui inſtructi, in hoc ſe ſolum pararunt, ut hoſtem uirtutum omnium uoluptatem, tam domeſticum, tam pertinaciter certantem deuincant, id uobis tribuit philoſophia, non diffi-

difficulter, non moleste, sed molliter, & tanquam aliud agens, atque in magnitudinis suæ accessionem, quodq; maximum omnium, mutat ad meliora mentem, nec fatigat: quodq; omnium iucundissimum, aufert à uoluptate, nec torquet. Libet me hercule quærere causam tantæ efficaciæ, tam præstantis suæ uirtutis, nec aliud inuenio quicquam, quàm quod est cognatum quiddam, proinde iucundissimũ atq; aptissimum mentibus nostris situm in diuinarum humanarumq; rerum cognitione inuestigatione, idq; proprium est & natiuũ animi nostri opus, quod iugiter queat & sine intermissione perferre. Corpus enim corporeaq; omnia pigris & inertibus concreta elementis, nõ moueri, non efficere quicquam, sine aliena ui, externoq; impetu possunt, quin & diutius agitata atteruntur, & acrius concita fatiscunt, ipsumq; quo mouetur uigorem, fatigant atq; contundunt. Aëra uidemus, ubi cœlo sua constitit facies, immotum manere, atq; tranquillum, maria post procellas atq; tempestates sterni, pigraq; iacere, terras non nisi imbribus labefactas, solibus excoctas, laboribus domitas, tandem uelut inuitas, uictasq; famem nostram satiare. Ipsum quinetiam cœlum credo, nisi inuicta illud indefessaq; uis perpetua uertigine rotaret, quieturũ iam pridem fuisse, quod traditur utiq; quandoq; fore, ut quiescat. Adeo omnibus his non conatus aut uigor inest ullus, neq; norunt aliud quicquã natura monstrante, quàm torpere. Animus contra uegetus, alacer, expeditus, opere gaudet, excitaturq; actione, quodq; reliquis labor est, id est sibi natura. Necesse ergo est incredibili ipsum perfundi gaudio, quandocunq; suum ipse negociũ agit, id est, quoties relictis omnibus, proiectis curis, reuocatus redditusq; sibi, pura illa synceraq;, & naturæ suæ simillima perfruitur contemplatione, siue quũ intra se defixoq; intuitu, pulcherrimam illam deiformemq; naturam suam admiratur, siue cum uolucres per omnem mundum, omnemq; rerum naturam sparsit cogitationes. Quod enim potest esse maius, quod plenius gaudium, quàm uidere se omnibus, quæ circa se sunt, præstantiorem natura, uirtute potentiorem? Hoc enim est, quo non tanquam ueloci momento perlabente, semel sit perfungi sibi, ut deinde desideretur: sed quod renatum quotidie, & subinde renouatum, semper de integro mentem expleat, & usu quidem in uetustatem abeat, oblectatione semper sit nouum, hoc est, quod non cæcum animus ipse aut incognitũ habet, sed conscius tanti naturæ suæ boni, quotidie supra se abit, seipso maior excrescit, idq; uidet, intelligit, ptractat. Præcipua felicitatis pars est, scire se esse felicẽ. Quis ergo locus hic turpi cuiquam, aut fœdæ relinquitur uoluptati? auersatur refugitq; ipsas bona mens, non tantum quia naturæ suæ dissentiunt, sed quia dulcibus, & idcirco perniciosis malis abundant, nec enim totæ unquam aut simpliciter contingunt. Su

specta, primum est animo pestis sua, utq; auferatur ab ipsis, nōnunquā reluctatur, tamen semper ad meliora respectans repugnat. Deinde quoq; ubi uel defecerunt, uel satietate expleuerunt, continuo pœnitentia fastidiūq; succedunt: & quisquā mortaliū obsequitur libidini, tantiq; est trepidare primū, deinde dolere? At quāto præstātior (si tamē conferri fas est) quāto melior ea, quā ex præceptis institutisq; philosophiæ mēs assequitur lætitia? ea integra est, pura est, inturbata est, atq; quo uberius hausta, eo magis desiderium sui accendens, nec urget plenitudine, & satietate non fastiditur, atq; diuturnitate tedium non mouet, solaq; præstat, ut nec desiderio futurorum agamur præsentibus, nec præsentium amore futura metuamus. Vtq; semel mensuram iucūditatis, quā præbet philosophia, complectar, tanta est, ut sub ipsa reliqua omnia nostra secunda quidē, sicut sub sole sydera minora, lateant: aduersa, sicut tenebræ naturā fulgore permutent. Permutant, inq̄ quū in sapientiā inciderint, naturam suam aduersa. Quibus hoc digne prosequar uerbis, q̄bus laudibus tantam maiestatem, tamq; præsens philosophiæ numen exequē? Dat illa propter quæ continuis deum fatigamus uotis, subijcit suis legibus fortunā, et q̄uis ferocem sæuientemq;, in uacuum effundere minas cogit. Res profecto maior est, q̄ quæ ab hac mea imbecillitate, & apud paucos dicatur: sed quæ sonantem uberrimamq; facundiā poscat, & quam quicquid usquam est hominū, queat exaudire, quando genus humanū nulla in re impensius elaborauit, q̄ ut imminentes casuū impetus, periculaq; euitaret. In hoc æquatas nubibus alpes, & niuibus mōtes glacieq; concretos, labante uestigio perrepimus. In hoc fragili nos in maria naue iaciētes, arbitrio uentorū fluctuumq; pendemus inter undas: in hoc auias solitudines inter feras, ferisq; spe prædæ efferatiores hoīes pererramus inter ignotas gentes aliena patria, ubi uel hyberni caleant soles, uel æstiuo gelu rigeat terra, per ferrum, ignes, saxa raptamur. augemus uires nocendi fortunæ, dū nc noceat prospicimus, prouocamus pericula periculis, & mortis metu ruimus in mortem, & tanquā contra naturam detortè, atq; à tergo habentes oculos, uidet quisq; quod fugiat, quō se præcipitet, considerat nemo. Nónne merito exclamet philosophia,

O stultas hominum mentes, ò pectora cæca,
Qualibus in tenebris uitæ, quantisq; periclis
Degitur hoc æui?

Illa ergo miserta nostri, benignā medicamq; humanis malis adhibet manum: illa iactatum turbine rerū animū confirmat & restituit: illa docet ueris cuncta precijs æstimare, & secundarū rerū satietatē à modo desideriorū nostrorum, solatia aduersorū ab animi nostri robore petenda. Torquemini, inquit, metu malorum, non

malis.

malis. Nescitis miseri quid fugiatis, quid sequamini: & timori uestro sæpe remedia quærẽtes, in peiora quàm fugitis, ultro uenitis. Prodita equidẽ scio carmina, occultaq́; sacra, quibus aduersa casuũ † ira numinis auerteretur. Tenet rectã in omnia, philosophia frontẽ, & aduersa hæc ipsa esse negat. Docuerunt alij, qua ratione indito sensibus stupore, inter dolores tormẽtaq́;, patiẽtia præstaretur mortuorũ. Illa melius docet, quomodo sciẽtes potius istã sentiẽtesq́; contẽnamus. Omni itaq́; loco, omni tẽpore adest nobis, & contra fortunæ tela propugnat fida, benigna, erecta, excelsi inuictiq́; animi. Non paupertatẽ aspernatur, nõ exilium refugit, nõ carcerem exhorret, ascendit etiam in eculeum, discußisq́; tormentis, cõsolatrix, cõfirmatrixq́; cõtra supplicia consistit. Mortem potestas aliqua intentat. Vixi, inquit, & quem dederat cursum fortuna, peregi: breuißima est imperij istius, & nulla, nisi non utaris, occasio. aufert fortuna opes: nõ est q̃ ingenio glorieris, & tanquam molesta sis, utendũ accepi, tollas licebit quod dedisti. Tormẽta minatur tyrannus. Habeo gratias, inquit, naturæ, quòd nõ ipsa potius debilitate morbisq́; explorare me uoluit: nunc habeo saltẽ cui exprobrẽ, & de quo querar. Morbi infestant. hac parte dicit, rerum naturæ addicta sum, quæ si moderate imperet, perferam: sin grauius deseuiat, propè est libertas, in quam uelut ab iniusto domino proclamẽ. potéstne ulla præstãtior esse uirtus, quàm eius quæ uincit ista, quæ sic timentur? Quosdã inuenimus, propter singulas herbas inuentas, uel propter unius morbi excogitatam medelam, aut inter numina habitos, aut immortale apud homines nomen consequutos: cuius igitur numinis maiestas, quæ immortalis gloria digna ipsa philosophia reperietur? quæ nõ unum alterúmue malorum remediũ protulit, sed omnia pariter quæsiuit, inuenit, ostẽdit: nec paucis opem fert morbis, sed ad quorumcunq; mentionem homines perhorrescunt, quæcunq; horridis circunstrepunt nominibus, uno simul impetu cuncta profligat. Seruitutem summus apud nos orator, morte peius metuẽdã esse dixit. At Diogenes ipsam nõ fortiter modo, sed libenter pertulit captus à piratis, & uenundatus, quum à cognatis, ut redimerent, pecunia offerretur, asseruit sibi conditionẽ suam, ostenditq́; non esse ullum uitæ genus malum putandum, in quo nõ esset ad bonã mentẽ uia præclusa. Persuadet Platoni philosophia, & nauigare in Siciliam cõpellit, non metuit ipsa iubente mare, piratas, tyranni fastum, tyrannoq́; grauiores siculas uoluptates. Et tãti fuit, ut aliũ nõ se meliorẽ faceret. Plotinus, qui diu quidẽ laceßierat asperius fortunã, tandem graui diuturnoq́; correptus morbo, ut paulatim corpus fœda tabe difflueret, atq; horrida sensim eroderet pestis: perstitit ille tamẽ semper in fortunam perorare, tãto quidem maiori autoritate, quod causæ cuius ante patronus fuerat, nũc

† fortassis irati, ac proinde auerterentur.

quoq; fiebat & testis. Vadit ipse in carcerē suum moriturus Socrates, & ductorem suum erecto gradu plenoq; praecedit, permittitur sibi, suadeturq; effugiū, at ipse contemnit, tanto sibi uisum est grauius morte timuisse mortē dilutum: deinde constanti manu sumit uenenum, atq; intrepidus, hilaris & sitienti similis haurit, collaudato quoq; eo, qui porrexerat, praesentes amicos, tanquam alieni exitus spectator adesset, solatur atq; cōfirmat. Vnde tanta uiris istis cōstantia, tā praesens mirandumq; robur, nisi quod docuerat ipsos philosophia, omnia ad quae trepidāt imperiti, quaeq; uanis cūcta terroribus implent, nō mala esse, nisi eorū + q quae uera sint bona, ignorāt? Est ne ergo quod posset quisquā maius dicere, maius excogitare philosophia? per quam omnium quae timentur, sperantur, omnium quaecunque optat amor, ira imprecatur, assequimur securitatē, quodq; summum in rebus humanis contingit, ut ne uoto quidē sit opus. Si quis autem assit fortassis istarum rerum imperitior, quū ferri à me tantis laudibus philosophiā audiat, ut haec sit praecipuū maximumq; eorum, quae à principe deo, genus accepit humanum, utq; hac ipsa duce, homines proxime deum accedant, ipsam pulcherrimo uirtutum agmine comitatā, pectora nostra implere sui amorē, alia omnia sperni, relinqui, solamq; syncero cōstantiq; gaudio nostra desideria cumulare, postremo ipsam esse, quae inter tantam turbam accidentium humanorum, & sine metu nos faciat tutos, & sine periculo securos. Si quis inquam imperitior audiat haec, nōne me iure interroget atq; dicat? Quae est ergo haec tā praeclara tibi & laudata philosophia, quod ipsius officium, quid pollicetur, liceat intueri, liceat cognoscere: explica ipsam, & uel breuiter complectere, atq; in summam quandā collatā ostende. Rectius arbitrio nostro quisque credemus, cupiant id omnes maxime cognoscere, cuius sua plurimum putant interesse: haec qui dicat, non iniusta mihi uidebitur exposcere. Nec fraudabo ipsum uoto suo. Et conuenientissimum utique uidetur, ut qui de ipsa nequeam dicere pro dignitate, explicem ipsam potius, & spectandam à facie atque pro ingenio suo cuique aestimādam proponam. Philosophiae igitur nomen è Graeco exprimentes, amorem dixerunt esse sapientiae, id est, amorem diuinas res, humanasq; cognoscendi, cum bene uiuendi studio coniunctum. Mihi quidem hac finitione ipsa uidetur liquere, quicquid dici ad laudem cogitariq; possit, in unius amplitudine nominis huius esse conclusum. Nos tamen per partes eamus, & altius introspicientes, paulo exactiori diligentia consideremus ipsam. Dignum etenim reddet istius operaeprecium nobis, & si non aliud, hoc saltem, quòd ipsa utique dignissima est, ut quisque uelit ipsam nouisse, uel ideo tantum ut nouerit. Quum sint autem tria praecipue in homine, quibus reliquo animantium gene-

Videtur aliqd deesse, ut ablatiuꝰ opiniōe, aut simile quippiam.

generi præstet: Vnum quo cognoscit omnia, & naturam cuiusque perquirit: Alterum, quo actiones suas, uitæq; ordinem instituit, ac format: Tertium, quo profert pronunciatq; ea quæ cogitauit, & ut suis singula uerbis notemus, intellectus, quo cognoscit, ratio, qua consulit: sermo quo eloquitur. Treis proinde suã cuilibet parti philosophia adhibuit disciplinas, quarum quæ ad loquendum pertinet, Græci logicen, nostri rationalem: quæ uitam instituit, illi ethicen, nos moralem: quæ rerum naturas considerat, nos naturalem, illi physicen nominauerunt.

Ordiemur autem à rationali dicere; quoniam pueri quoq; discentes ab ipsa incipimus. Primum, tria sunt quibus perfectæ orationis munus absoluitur, ut emendata sit, ut probabilis, ut ornata: quorum integritas à Grammatica petitur, fides à Dialectica, à Rhetorica cultus: longum erit si nunc singulatim de unaquaq; dispicere pergam. Et de Grammatica quidem quanti laboris sit totam complecti, ut singulis uerbis sua origo, uis, proprietas reddenda, tam uaria struendæ orationis præcepta tenenda sint, suus cuique uerbo sonus, suis quodq; literis scribendum. Tam multos deinde oportet reuoluat autores, omnem historiarum uetustatem teneat, rerum secreta quæ poëtæ fabulis inuoluerunt, comprehendat. Et ut semel dicam, cunctarum prorsus artium, si minus uersanda penetralia, uestibulum tamen introspiciendum, ut non immerito dictum sit, multo plus operis ipsam in recessu habere, quàm ostendat in fronte. Sic in Dialecticis quoq; ut promptissimi, & in omnem partem flexibilis ingenij opus sit uidere unicuiq; conuenientia, pugnantia, similia, differentia, eadem, diuersa, rei cuiuslibet substantiam finiendo explicare, partes diuidendo annumerare, quæcunq; insint argumentando colligere, simulq; & uitare aduersarium, & occurrere, atq; regesto persæpè impetu, suo metipsum telo confodere. Ipsa nanq; uiam aditumq; omnium artium aperit, & certos cuiusq; rei locos inueniẽdæ promit & signa, in quæ defixo animo, in promptu sit quid pro quaq; re contraq; poßit dici, prouidere. Itaq; mihi quidem sententia illorum minime uidetur abhorrere uero, qui quicquid Orator sibi de inuentione usurpat, id proprium esse Dialecticæ putant. Disponere autem, excolere & perpolire, quæ quidem uelut summam orationi manum rhetor imponit, ea propriè ad rhetoricam pertinere: sed hæc ipsa tamen negocium felicis naturæ sunt, multæ artis, longæ exercitationis, inter tantam rerum, locorum, temporum, dicẽtium, audientium, uarietatem, nosse discrimen: & suum cuiq; orationi genus, uelut neruos fidicinem aptare, tantaq; rei istius difficultas est, ut qui id planè benè possent, omnibus seculis reperti sunt pauci: in quibus autem desyderaretur nihil, nihil reprehenderetur, omnino nulli. Sed longum est ut dico prosequi omnia, & sin-

gulatim de unaquaq; dicere. Verum quia tres simul unum perficiunt absoluuntq; eloquentiæ corpus, satis fuerit dixisse, tantas esse uires eloquentiæ, ut non fortunis hominum corporibusq; dominetur, sed ipsis affectibus, & quæ omnis imperij uidetur impatiens, imperet uoluntati. Præclare itaq; apud Euripedem Hecuba in hanc sententiam inquit,

Quid ergo reliquis artibus mortalium
Cura elaborat? cuncta ut est par quærimus,
Regina rerum, quæq; cunctis imperat,
Neglecta nobis permanet facundia.
Nec discit ullus præmio dato, ut queat
Suadere, si quid cupiat, atq; consequi.

Multi uidelicet hãc è reliquo philosophiæ corpore decerpsisse contenti, alijs omnibus neglectis, bene dicere, quàm bene sapere maluerunt, quum tantas uiderint esse uires ornatæ compositæq; dictionis, ut haud facile esset aliud quicquam inuenire, cui paratius esset apertiusq; iter stratũ, siue utilitatem, siue famã, siue gratiã populi, beneuolentiamq; sequerentur, illustriaq; sunt, & potissima exempla, plura quidem priscis seculis nostris, tamen nonnulla eorum qui sola facundia freti, ex infimis ad summam potentiam, ex tenuissimis ad amplissimas opes, ex obscuris ad maximam claritatem peruenerunt. Nos autem, quibus est initio de philosophia suscepta oratio, nullam nisi sanctam, nec sordidis ullis auaritiæ cupiditatisq; monstris contaminatam eloquentiam, intra complexum ipsius permittemus. Nec eam quæ peiora suadeat, delicta defendat, hoc dignabimur nomine, sed quæ hortetur ad meliora, & recte facta collaudet, pulcherrimã, honestissimam, & de omni parte ingeniorum optime meritam, siue qui ipsi prædicanda fecerunt, siue qui bene facta aliorum prædicarunt: huic Poetæ nominis sui debent æternitatem, huic Historia claritudinem maiestatemq; suam. Oratores hac ipsa consequuntur, ut non in præsentia solum prosint, sed ad posteros ingenij sui monumenta transmittant. Philosophi quinetiam tametsi negligẽtiori ipsam uideantur habuisse cura, ab ipsa tamen magna ex parte spectantur. Nec paucis tam magna res præceptis, quod multi putauerũt, cõstat: sed omnes philosophiæ peruestigandæ sunt partes, ipsamq; in primis, quam physicam uocari diximus, cognoscere necesse est, ut omnium rationem affectuum animorumq; uenas calleat, quibus rebus intumescant, atq; rursus residant. Et quum pro natura sua cuiq; rei oratio sit aptanda, quomodo id faciet, qui naturam cuiusq; exploratam, diligenterq; perspectam non habuerit? Sed quoniam naturalis partis philosophiæ locus admonuit, de ipsa quoq; cursim dicamus.

mus. Omnia quorum indagamus naturas, triplici maxime sunt differentia. Quædam enim crassiori corporeaq; materia composita, nasci, interire, moueri nata cum ipsis qualitatibus corporeis, omnem quæstionem tractatumq; habent: horum notitiam proprio physicæ nomine donamus. Alia sunt & ipsa quoq; in corporibus fixa: seorsum tamen natura sua & sine corporum respectu atque mentione tractantur, quorum scientiam ob egregiam præter alia omnia certitudinem, mathematicam Græci, id est, ut ita dicamus, disciplinalem uocauerunt. Tertia parte sunt ea, quæ pura atq; omni labe desecata substantia constant, qualis est conditor rerum omnium Deus, & felices illi nobilesq; & altissimorum arcanorum conscij spiritus, quorum inuestigat naturam Theologia. Eam uero partem, quam proprie naturalem diximus uocari, tametsi multi uarie, atq; multipliciter usurpent: totam tamen sibi certissima illa salus atq; præsidium rerum humanarum, medicina, iure quodam suo uidetur uendicare: cuius quidem laudes propter tam multiplicem in ipsa eruditionem, tantam rerum uarietatem & copiam, separatim sibi longissimamq; poscerent orationem. Habet enim hoc præter reliquas peculiare, ut non solum mentem erudiat, sed & corporis agat curam, & totum hominem tueatur atque conseruet: quod si cui alteri scientiæ, huic certe licere oporteret initia, origines q; suas deorum inuentioni (ut arbitrata uetustas est, consecrare. Tanta tamq; incredibili diligentia ingenioq; herbarum, arborum, lapidum, metallorum, animantiumq; omnium proprietatem scrutata est, & omnem omnium partium uim efficaciamq; quæsiuit, ausaq; cura sua in altissima se maria demergere, intimos terræ retegere sinus, uastissimis inerrare syluis, inaccessos montium erepere uertices, extremas terrarum metas peragrare, ut nihil quod usquam gigneretur, relinqueret ignotum, penetrauit, aperuitq; cuncta, totamq; rerum naturam, non cognitioni solum, sed seruituti quoque & usibus exhibuit humanis, ut uel hinc maxime credere libeat diuinum quiddam, homine maius inesse homini, quando nullus mortalis labor tantæ rei suffecturus uidebatur. Quid de tam multiplici corporis humani partium forma, qualitate, usu, quis dicat qua cuncta perspexerit cura & salutaria cuiq; noxiaq; discreuerit, tantam morborum pro temporum, locorum, ætatum, sexuum, complexionum diuersitate multitudinem, & sua singulis remedia diligentissime prouisa, exactissime attributa, scrupulosissime dimensa, quod fuit tam fœcundum ingenium ut hæc inueniret: tam fida memoria, ut complecteretur? diuinum profecto diuinum est, quid enim aliud sit inijcere manum fugienti uitæ, perituromq; hominem sibijpsi restituere? Viuere quidem spirituq; frui hominis sit: dare uero uitam, & instantis fati discutere necessitatem, hoc mihi uidetur porrò

diui-

diuinum. Nec ipse humanus aliter uidetur animus æstimasse, qui collecto tantarum rerum inuestigatione magnitudinis suæ experimento, indignũ putauit hærere circa terras, gradumq; ad cœlestia paraturus sibi primũ magnitudinũ, figurarumq; rationẽ mensuramq; comprehendit, addita deinde numerorum proprietate atq; natura, demum cœlo se intulit. Et tam uarios uagosq; astrorũ toto mundo recursus, uim etiam omnium potestatemq; cognouit, & natum ex tam præcipiti cœlorum uertigine concentum suauiorem, purioremq; quàm ut craßis his auribus nostris influere poßit, inuenit, quem hic quoque expreßit sonis cuncta modulatione fluentibus, certaq; numerorum discretione dimensis. Primum igitur istorum Geometriam, alterum Arithmeticam, Astronomiam tertium, postremum Musicã, omnia pariter (quod prædiximus nomen) mathematicam uocarunt. Magno hæc in honore Chaldæis primum, deinde Aegyptijs habita. Græcis postea literis latinisq; celebrata, in maiori apud priscos ueneratione fuit, nostro seculo secordia, auaritiaq; hominum, quando pro optimis quæstuosißima discuntur, non tam culta quidem, nequaquàm tamen neglecta permansit, habet adhuc nec immerito amatores suos, & sunt qui quamuis nudã frigentemq; pulcherrimarum artium complectantur umbram. Geometria, atq; Arithmetica propter indissolubilem rerum quas docent consequentiam, quodq; tam necessaria est & tam cohærẽs omnium series, ut nihil diuellere suo loco poßis, nihil dimouere, ipsa sua certitudine ingentem præbent animo uoluptatẽ. Itaq; nonnulli hæc sua studia secuti, rerum principia, quod ea firmißima esse oportet, hinc deduxerunt, omnem substantiam numeris constare credentes. Ipsa autem Astronomia præter id quod hanc ipsam quam in his quæ circa nos sunt, difficile erat colligere, certitudinem in cœlo quoq; perspexit. Addidit etiam ut ex ipso tanquam diuinorum interprete consiliorum, uentura prospiceret, & gentium terrarumq;, paces, sterilitatem, copiam, pestes, salubritatem prænunciaret, describeretq; singulis etiam ab ipso uitæ initio, ordinem ipsius, modum, finem, pauperum regna, regum prædiceret paupertatem, ingenti certe miraq; fiducia artis, ut quisquam audeat prædicere, quid is cui dicitur, sperare non audeat, non debeat timere. De Musica quid attinet dicere, post illustrißimi principis nostri iudicium, qui cum ipsi tantum tribuat, quantum omnes uidemus, nõ committam ut uideat, nõ satis laudatũ putare, quod ipse tãtopere probarit, quum ipse talis tantusq; uir, non solum quam habet dignitatem, tueri suo testimonio, sed etiã si nullam habuisset, nouam sibi præbere sui nominis autoritate potuisset: sed partius mihi alioquin de ipsa dicendum est, etiam ob hoc fortasse, ne ipse placere mihi, studijsq; meis mollius uidear esse blanditus. Quid igitur relictum erat animo

eius,

eius,qui per hæc omnia iuerat,nisi ut Theologia duce quæreret,quid id esset,cuius numine potestateq; sustineretur hæc tanta moles,cuius imperio statutis semper certisq; legibus rerum perpetuus duraret ordo. de qua quum dicẽdum mihi,optimum uidetur uti consilio Timantis,qui Iphigeniæ immolationem pictura expressurus,quum dolorem omnem quantum arte sua assequi posset,in aliorum uultibus consumpsisset,desperãs patris Agamemnonis quas par erat,imitari se lachrymas posse,faciem ipsius uelauit,satius putans,prorsus non attingere,quàm parum feliciter tentare. sic ego cum alijs quoq; imparem me uideam,modestissimi credo pudoris de ipsa silere, & maiestatem suam non aliter quàm religiosa stupenteq; taciturnitate mirari. Vna restat ultimaq; philosophiæ pars, quæ uitam atq; mores hominum formandos sibi fingendosq; desumpsit, & nomine inde accepto moralis uocatur. Ea tota in exhortationibus contra cupiditatum,affectuumq; impotentiã primũ,deinde præceptis uitæ tradendis cõsumitur. Maxima ipsius dignitas est maximus usus,tamq; late q̃ hominum uita patet,nec quisquam priuatim, aut publice, nõ ocio aut negocio,pace aut bello,in turba aut solus recte,nisi hac magistra,atq; præmõstrante,gesserit quicquã. Multiq; adeo solam hanc philosophiæ noĩe dignati,aliarũ partium inuestigationem uelut superuacuam,& oblectamentum putauerunt esse animi nõ inerter ociũ suũ perire patientis. Cœlũ enim terrasq; legibus semel acceptis,semper stare,nihilq; nostræ indigere curæ, longamq; illorũ inquisitionem parum nobis,illis nihil prodesse: componere autem uitam, & actiones ad præscriptũ instituere uirtutis, hoc ad nos pertinere,nec quicquam tam hoĩs esse proprium,q̃ res humanas peruidere. Inde præcipuam quoq; ductam Socratis laudem,quod primus euocatam cœlo philosophiam,in urbibus,atq; in hominum cœtu collocarit. Et fatendũ sanè est,si necessitatis sequimur rationẽ,istius partis præcipuam nobis esse curam habendã in uita,sine qua bene prorsus uiuere nequimus,& reliqua magis ad uoluptatẽ animi nostri, quàm usum pertinere. sed ita tamen necessaria quoq;,quod sine cognitione ipsorũ nequaq̃, quæ de moribus præcipiũtur, aut ostendi satis,aut percipi possint. Deinde summa,quam animus ex rerũ illarum tractatu percipit,iucunditate, omne sordidarũ curarum eximunt onus,nec fluxũ quicquam,aut caducum cõcupiscere sinunt ipsum, quodq; in unaquaq; re maximum est,fundamẽta iaciunt, aperiuntq; uirtutibus aditum, quo facilius deditam sibi,docilemq; mentẽ subintrent. Magnus ergo circa moralẽ partem philosophis labor acceptus,ingens doctissimorũ hoĩm effulsit studium, nec una tantũ sentẽtia, aut uia itum: sed scidit in opiniões sese docentium multitudo, atq; inde omnes familiæ philosophorũ,originẽ discriminaq; sumpserunt,hinc paruo læti Epicurei,

hinc horridus Stoicorũ rigor, hinc mitis, & rebus humanis maxime accedens uetus academia, minimumq́; ab academia dißidentes Peripatetici, hinc Cyrenaici, Erythræi, Pheræi, Italici, & quicũq; alij numerãtur hodie magis, q̃ noscuntur. Est ex hac hoĩm diligentia circa ipsam perspicere, magnũ in ipsa momentum esse, magnam uim positã, ad recte beneq́; uiuendũ, & necesse esse sine suo ductu, fluctuare res nostras, & paßim tanq̃ sine gubernaculo, sine rectore iactari, ad quã solã respicientes, uitæ nostræ trãquillum inoffensumq́; dirigimus cursum. Ipsa docet consulere nos recte, omniaq́; prudenter cũ ratione suscipere. Ipsa omni decore modestiaq́; nos cõponit. Ipsa æquabilitatẽ erga cunctos iustitiãq; demõstrat. Ipsa lætis nos immotos, aduersis pares facit: uno uerbo dicã, hoc ipsum quòd queq; dicere nõ pudeat, uiuo: ipsa docẽte præstatur. facies hæc est et imitatio quædã philosophiæ, in peius utique detorta, cuius si uerũ unum daretur exemplar uidere ei, quẽ supra poscentem, querentemq́; de ipsa fecimus: fateretur, haud dubito, tantã esse dignitatem ipsius, tantã pulchritudinẽ, ut nedum nõ satis attolli uerbis pro sua præstantia poßit, sed nec animo cõprehendi, credetq́; omnibus ipsam laudibus eße maiorem, ex cuius fontibus uiderat omniũ laudum defluere riuos. Celebramus aliquem eruditione clarũ, Philosophia docuit: miramur alterius eloquentiæ flumen, è Philosophia hausit. Veneramur prudentiã rempublicã recte gubermantis, Philosophia monstrauit: extimulante ipsa, magnitudine animi ille per omniũ uolitat ora: monente ipsa, iustitia illum cunctis fecit insignem: eadem impellente, reipublicæ patriæq́; ille se uitamq́; suam impendit. Nec uero hæ laudes solæ, quæ propriæ ipsius uideri possunt, oriũtur ex ipsa, sed reliqua etiã, qualia sunt opes, nobilitas, forma, robur, uelocitas, ingenium, & quæcunq; aut à natura ingenita sunt, aut à fortuna tributa, nõ nisi cõmendante ipsa suamq́; illis notã imprimente, laudantur: iudicium omniũ censuramq́; peragit, & seuerißima expendit æstimatione cuncta, pari fide atq; autoritate, nec est quod quisquã dissentiat, aut repugnet, quodq́; de Pythagora qui primis ipsius inuenit nomen, traditur, id proprium certe est suum, ut omnis affirmatio ipsius, impleat fidẽ, sitq́; hoc potißimũ in ea, nec ultra quisquã requirat, amplius dubitet: ipsa dixit. Hactenus suffecerit laudes philosophiæ prosequutũ fuisse. Hactenus demõstrasse quæ sequerentur præmia, quid sperarint, qui illã sibi omnibus alijs putassent præferendã, cõmunia quidẽ hæc, & quæ pertineãt ad oẽs: Quæ dicam aũt, peculiariter nostra sunt bona, qui in pulcherrima hac urbe uersamur, urbs ipsa studijs aptißima, & optimus doctisq; deditißimus princeps. Neq; enim uel ignorãda nobis est hæc tanta nostra felicitas, uel dißimulanda. Equidem Ferrariã, quã rectißime, fere aureã Carbo noster solet interpretari, non alia mihi

uideor nota magis proprie signaturus, quàm si dicam Musarum ipsam esse domicilium, & Veneris, Veneris dico (absit sinister interpres) nõ illius quam flammis furibundisq; facibus armauit uetustas, qua nihil est bonis artibus pernitiosius, aut magis inimicum: sed Veneris, id est uenustatis, ocij, pacis, omniumq; rerum ubertatis, & Musis ob id præsidibus humanitatis atq; eruditionis, quæ ocio gaudẽt, quiete aluntur, merito dicata. Hanc tu optime princeps, optimis temperatam legibus gubernas, & pulcherrimis exornas gloriæ tuæ titulis, nec publicè solum, & in commune prodes, sed singulos quoq; honestissimis emendas uirtutis tuæ, atq; probitatis exemplis. Ignosces tu quidem, si laudum tuarum reueritus pondus, humeros meos à tanto honore subducam, solam eam quæ propria est huius loci, dixisse cõtentus. Quis enim modica oratione tantum uirtutum, gloriæq; cumulum speret à se posse complecti? Qui Herculeum hoc nomen non casu aut temere, sed diuinantiũ quodam præsagio, sis ab ipso incipientis uitæ initio cõsequutus. Nec uanis fabulosisq; commentis, aut occidendis feris, aut monstris domandis, qualis ille famæ uetustate celebratus Hercules: sed ueris illud atq; certis asseruisti uirtutibus, quarum licet quotidie exempla monumentaq; uidere, nec uno tantum genere, sed omnibus pariter tam æquali indiscretaq; laudis comparatione, tamq; singulis in suo genere absolutis, ut quamcunq; quis obuiam sibi arripiat, eam non primam, sed solam putet. Quis in re militari quum præstantiam tuam uideat, ut idem consilio prouidentissimus, idem ubi res poscat, manu promptissimus, idem quoq; tolerãtissimus si asperiora premant, & cum se ostendant letiora, acerrimus instantissimusq; urgere successus, ipsamq; prouocare fortunam, ut nulla pars Italiæ sit, quæ non laborum fuerit tuorũ spectatrix atq; testis. Mars ipse uelut altiorem tibi certioremq; gloriæ suæ notam, inusturus sanguinẽ, grauissimaq; uulnera spectare sustinuit, & nobiles laudaturis populis cicatrices ostendit: quis inquam quum hæc uideat, ullam credat pacis tibi, ciuiliumq; rerũ uel notitiam esse uel curam? At cum hic ipse perspiciat tantam esse circa te quietem, tantam tranquillitatem, neq; (quod militares animi plerunq; solent) concerpi à te, quod postea spargatur, auferri quod donetur, neque multos nudari, ut unius cumulẽtur opes: sed soli tibi decrescere quicquid alijs tua liberalitate accesserit, inde circumspecta frugalitas tua, qua ex te nascenti munificentiæ sufficere possis. Inde modesta circa te moderataq; omnia: Nũc hæc qui uideat, cogatur mirari unde animo classico tubisq;, & omni martio fragori assueto tam pacata quies, unde cõtrà tam sedato tantũ robur, tam acer uigor ardensq; impetus? In tuendis legibus iureq; reddẽdo ea æquitas seueritasq; tua tam pari omnia libra sine ullo cuiusquam respectu, aut gratia expenduntur, tanquam omnes

quorum apud te res disquiruntur, prorsus ignores. Petentium uero à te aliquid aut opem orantiū, tam propensa benignitate preces uotaq; accipis, sic ultro quoq; desyderijs ipsorum occurris, ut nemo non se tibi familiariter existimet charum. Quid? quod principalibus districtum curis, cum tanta quotidie negotiorum circū strepet turba, ut nisi tua tibi prudentia tempora dispenses, nequaquam sint tā multis suffectura rebus. Tu tamen circa diuina cultumq; sacrorum tantus, tam pia iugiq; intentione uersaris, ut mirum sit id posse principem, quod in his etiam qui soli se religioni dicauere miramur. Refers igitur amplissima istarum quoq; uirtutū tuarum præmia: charitatem, primum erga te, curamq; dei, qui dato tibi suauissimo filio, præsenti pignore fidem suæ erga te benignitatis firmauit, & imperium perpetuo stabiliuit, atq; stabiliet hærede. Proximo uero hostili illo tumultu cum tanto astu, tam uaria multipliq; fraude instruxissent nedum consilia sua, sed etiam explicuissent, tam feliciter deus ipse præsens tibi manifestumq; numen ostendit, suaq; potestate tam aperte cuncta discussit, tanquam digito (quod dici solet) indicare uellet, gratiā se iustitiæ tuæ atq; pietati referre. Populus uero tuus quantum te amet, non alia magis re quàm suo de te iudicio cognoueris, qui quum dominus rerū potestate, autoritate sis princeps, hocq; sciat, hoc intelligat: ipse tamen in animis suis reuereri te mauult ut patrem, sentire tanquam de patre, neq; tu minus hac magnitudine tua nomen istud putaris, satis enim fuerit tibi, quod deo maximum est, quādo ipse rerum omnium dominus & princeps, non alio se magis gaudet ab hominibus, quàm nomine coli paterno. Itaq; uelut conatu quodam apud uos, hinc inde suscepto, quod summum quisq; habuit, mihi uidetur attigisse. Tu quidem quantū quis erga deum obseruantissimus erga populū maxime benignus, erga te uero deus quātum homini indulgentissimus, populus quantum optimo principi esse gratissimus posset. Verum ut prædixi tam immensæ laudi nec hoc sufficeret tempus, & maxima utiq; foret opus facundia, & sunt tibi quidam clarissimi Guarini, Carbonesq; tui, est decus illud, & deliciæ Musarum Titus Stroza, sunt alij pleriq; doctissimi disertissimiq; uiri, qui nomen uirtutesq; tuas, quocunq; uisum ipsis fuerit, orationis genere queant non solum commemorare splendide, uerum etiam immortalitate donare. sed & ego quoq; aliquando. Verum autem quid de me dicā, unde queā enim quandoque tam indulgentes huic rigori, tam propicias sperare Musas, ut tentem aliquid, aliquid conet? Vos præstantissimi uiri, uos decebit, pro uirili quenq; eniti, ut hanc principis gloriam omni scriptorum artiumq; genere celebretis, quū ob reliquas innumerabiles ipsius uirtutes, tum ob hanc quæ proxime nos complectitur, queq; huius est propria loci, quod tam beneuola est illi benignaq; cura

nostri

nostri, ut dignetur ex illa se principalis fastigij magnitudine submittere, & non diligenter modo, sed sollicite quoque studiorum nostrorum, id est gloriæ felicitatisq; nostræ agere respectum. Cumulat ingenti nos beneficio, quandoquidem humanitate doctrinaq; dari nullum potest maius, dat id cuius sanè præter meriti sui conscientiam, nullus sit ad ipsum fructus rediturus, nec dat tanquam obliget, sed pro quo ultro quoq; quàm quisq; auidißime acceperit, tam sit plurimum debiturus. Pro quo aliquando sit additurus opes nobis, circundaturus dignitatẽ, & quæ summa humanitas est, tanquam suam uelit imputari sibi bonitatem. Quid aliud dicam? quàm, O optimum erga nos principem, O hoc principe felices: hæc sunt quæ proprie ad nos pertinentia, nos peculiariter respiciunt: hæc itaq; incitent diligẽtiam nostram, studia nostra exacuant, & dignos nos tanta bonitate principis usu probemus. Neq; committamus ut ipse uideatur donare potuisse, quod nos nequeamus sustinere, excipere nesciamus: nec ista quidem ut horter dico, quid enim attinet sponte currentes, sed quia iuuat commemorare bona nostra, atque si non alia uia, hac saltem qua possumus, agnoscendo, fatendoq; uitare ne uideamur ingrati. Vos ergo ornatißima iuuentus largißimos pandite meritis principis nostri sinus, ipse rectorem prudentißimum dedit: ipse doctißimorum copiam uirorum contraxit: ipse titulos, honores, dignitatem, diligentiæ cuiusq; proposuit: quod uestrarum est partiũ, id solum restat, ut studio, uigilantiaq; uestra, hæc omnia cumuletis. Sequimini, ut facitis, hunc generosißimũ uestri pectoris ardorẽ. Hortetur hic uos animus uester, qui quotidie hortatur, obedite illi cui maxime obeditis: ille quid faciendum sit monet, ille semper dies noctesq; instrepit auribus nostris, ille semper suggerit hoc, semper intonat: in quo cunctorum est summa, studeamus.

DICTA A RODOLPHO AGRICOLA Phrisio, in præsentia Herculis Estensis, Ferrariensis ducis. Anno domini M. CCCC. LXXVI.

IN ORATIONEM RODOLPHI DE LAVDIbus studiorum humanitatis, atq; adeo ducis uitæ nostræ philosophiæ, scholia per Alardum Aemstelredamum.



Rudenter hoc & rectè in primis uisum est maioribus nostris.) Rodolphus in quodam ad Langium carmine: Laxanda mens est, nanq; rumpi, Quæ nimium rigeant, uidemus. Amasis Aegypti rex admonitus, quod perfunctus negocijs forensibus potaret, omniq; uoluptatum genere solueretur, respondit: Qui arcus habent, eos non intendere, nisi quum opus est: quos si semper intendant, rumpẽdos esse, ac ne tum quidem fore usui, quum exigit usus: Ita qui nulla relaxatione curas suas soluunt, aut

mente captos, aut corpore male affectos euadere. Post æstiuarum uacationum.) Vacantias pro uacationibus quis non dicit? adeo & Academias hæc sartago loquendi occupauit. Suetonius Augusto: Hanc cum aliquando seuerius quàm cæteras emendasset, præ tumultu recusantum ferre non potuit, nisi adempta leniáue parte pœnarum, & uacatione triennij data, cunctisq; præmijs. A cohortatione commemorãdisq; laudibus studiorum.) M. Tullius prius in Hortẽsio laudata philosophia, accendit ad illius amorem, quàm eam docuit. Extant & consimili argumento orationes aliquot, principio Angeli Politiani: Deinde Ioannis Campani. Ad extremum Martini Dorpij. Extãt & Iacobi Sadoleti de laudibus philosophiæ libri duo. Genus orationis ἐγκωμιαστικὸν est, in quo diligenter obseruauit id quod ipse Rodolphus de laudandi ratione prodidit lib. de inuentio. dialect. 3. cap. 12. Difficilimum est in laude temperamentum.) Eodem quem modo citauimus libro capiteq;. Ego autem ad Oceanum & prope.) Natus est uerò Rodolphus nobili Phrisię oppido Groningę, quã non ita longe à fronte præterlabitur Oceanus. Ita apud industrios superuacuæ fortaſſe.) Ouidius 5. trist. Qui monet ut facias, quod iam facis, ille monẽdo Laudat, & hortatu comprobat acta suo. Tales etiam facere uiros.) Ab efficiẽtium loco est. Cicero: Efficit hoc philosophia, medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. M. Varro: Si quãtum operæ sumpsisti ut tuus pistor bonum faceret panem, eius duodecimam philosophię dedisses: ipse bonus iampridem esses factus. Nunc illum qui norunt, uolunt emere millibus centum: te qui nouit, nemo centussis. Præcipuam utilitatem afferet accuratius expendisse orationem Naziãzeni Theologi ad Hieronem philosophum ab exilio egressum: Etenim, inquit, iuxta sententiam meam philosophandum, honorandaq; est philosophia, si nolimus penitus ab honesto excidere, aut rationis expertes censeri. & quæ sequuntur, ubi perpulchre describit officia pariter & effectus siue euenta philosophiæ. Non enim parit imprudentiã, &c. Lege orationem D. Gregorij Naziãzeni quum post ea quæ cõtra Maximum gesta fuerant, reuerteretur ex agro, in qua non minore facundia quàm copia philosophi actus graphice depingit. Vt uulgus ineptum magno labore magnoq; impendio remedia ab extremis Indis aut Aethiopibus petunt, cũ in hortis nobis nascatur, quo morbis mederi possimus: Ita præsidia beatæ uitæ magno molimine foris quærunt in imperijs, in opibus, in uoluptatibus: cum in animo sit, & philosophiæ studio, quod nos beatos efficiat. Physiognomon qui se profitebatur ex habitu corporis & oris liniamentis posse hominis ingenium certo deprehendere, inspecto Socrate, pronunciauit illum esse hominem bardum atq; stupidum, tum mulierosum ac puerorũ amoribus impurum, uinolentum & intemperantem. Cum amici uehementer indignati minarentur homini, Socrates illos cohibuit, dicens: Nihil, inquit, mẽtitus est: omninò talis eram futurus, nisi me philosophiæ gubernandum tradidissem. Quam summam esse & prope immensam.) Aristippus eos qui liberalibus imbuti disciplinis, philosophiam negligerent, dicebat esse similes procis Penelopes, quòd hi cum Melanthone & Polydora ancillis rem habuerint, & omnia potius habituros se sperauerint, quàm dominę nuptias. Sẽsit liberales disciplinas esse ueluti pedissequas philosophiæ moralis, quæ cum primis sit adhibenda, & cuius gratia reliqua discuntur omnia. Simile quiddam dixisse fertur & Aristoteles de Vlysse, qui quum descendisset ad inferos, ait illum cum omnibus ferè manibus fuisse collocutum, quum ipsam reginam ne uidere quidem potuerit. Nicolaus Damascenus doctrinam peregrinationi similem esse dicere solebat: Sicut enim longe peregrinantes alibi diu, alibi non item morantur, ubi domum cõtigeris ibi demum quiescere: sic in disciplinis alib. breuius, alibi diutius immoramur: philosophiæ tandem tanquam ad scopulos syrenæos adherendũ esse perpetuo. Suidas. Philosophia uerò inuestigatrix.) Cicero lib. de Orat. primo: Philosophi deniq; ipsius qui de sua ui ac sapientia, unus omnia penè profitetur, est tamen quædam descriptio, ut is qui studeat omnium rerum diuinarum atque humana-

humanarum uim, naturam, causasq; nosse, & omnem benedicendi rationem tenere, & persequi: nomine hoc appelletur. Idem in ipso statim exordio lib. offi. 2. & Tuscu. quæst. lib. 5. Plato in lib. qui inscribitur philosophia seu amatores, Politianus in Lamia. Plurimum huc adferet adiumenti & philosophi descriptio, quæ est apud Rodol. Agric. lib. de inuent. dialect. 2. cap. 29. Scrutatrix ipsa quoq; perpetua.) A proprio pariter & differentia, siue (ut uocant) propria passione. Quam malis claudi terminis.) Præcipua regum felicitas est, quod nulli seruiunt, sed quicquid uolunt, facile efficiũt: tum quod nullius egeant: atqui hoc ipsum homini præstat philosophia multo uerius, quàm regnum monarchis. Si herus corpore male affectus auscultat seruo rei medicæ perito, multò magis decet animo ægrũ auscultare seruo philosophiæ perito: quod enim ars medica præstat corpori, hoc philosophia præstat animo. Philosophus item animorum male habentium medicus est. Non ille uilia concupiscit.) Ab actibus. Lucianus in Timone: ὀλιγάρκη γὰρ καὶ μέτριον χρὴ εἶναι τὸν φιλοσοφοῦντα, καὶ μηδὲν ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν, Id est, oportet enim philosophum paucis cõtentum ac frugalem esse, neq; quicquam ultra peram quærere. Quidam multa destomachans in philosophos etiam hoc adiecit, quod conspiceret illos semper obsidere fores diuitũ: cui Aristippus: Et medici, inquit, ægrotantium domos frequentant, nemo tamẽ ægrotus esse mallet quàm medicus. Scite retorsit in diuersum conuicium: philosophi prædicant felicitatem quam uni sapienti uindicant, & tamen assidue uersantur apud diuites, aliquid uenantes ab illis. Vnde colligebat diuites esse beatiores quàm philosophos. Sed ille interpretatus est philosophos ideo potissimum colere diuites, quod ob luxum ac delitias cæteris mortalibus & stultiores, & corruptiores, magis egerẽt præceptis sapientiæ, philosophus autem animorum male habentium medicus est. Porrò beatius est esse medicum quàm ægrotum. Adsum ô Diogenes, inquit Alexander, tibi subuenturus, quandoquidem uideo te multis egentem. Cui Diogenes: Vter nostrum pluribus eget, ego qui ultra peram & pallium nihil desidero: an tu qui non contentus patrio regno, tot periculis temet obijcis, ut latius imperes, adeo ut uix totus orbis tuę cupiditati uideatur satis futurus? Vix credibile est, quod de Aristippo refert Bion, cũ famulus in itinere gestãs pecuniam, onere premeretur: abijce, inquit, quod nimium, & fer quod potes. Non ira illum agitat.) Ab adiacentibus. Vt quidã gemmas quasdam secum ubiq; circumferunt, aduersus morbos maleficia, ebrietatem, tonitrua, ruinas, cæteraq; mala: Ita quædam philosophiæ decreta semper ad manum habenda aduersus incursuros animi morbos, libidinem, iracundiam, ambitionem, auaritiam & his consimiles. Democritus: αἱ μὲν χελιδόνες εὐδίαν ἡμῖν προσημαίνουσιν, οἱ δὲ ἐκ φιλοσοφίας λόγοι ἀλυπίαν, id est, Hirundines quidem serenitatem nobis proxime imminere indicant: Depromptæ autem è philosophia rationes, perturbationum sedationem. Nec domat incurrentia sibi uitia.) Quemadmodum equus indomitus ad omnem usum incommodus est ob insciitiam ac ferociam: ita qui rapitur affectibus, quos solos domat philosophia, ad omnem uitæ consuetudinẽ inutilis est. Nisi superuacuum putarem uetera longeq; posita scrutari.) Cicero lib. 3. de oratore: Sed quid ego uetera conquiram, cum mihi liceat uti præsentibus exemplis atq; uiuis? Qui non sine causa iucundissime dictus est nitere.) Ouidius lib. 1. de ponto: Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat Fumum de patrijs posse uidere focis. Cicero lib. primo de oratore: Ac si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat, &cæ. Idem lib. de finibus 5. Tantus est igitur innatus nobis cognitionis amor, &c. Poteratis enim nobilitate.) Confirmat à circumstantijs. Aërea uidemus ubi cœlo.) ἐπαγωγή est. Pulcherrimam illam deiformemq; naturam) Cicero in 3. de Oratore: Sed ut in plerisq; rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata, &c. Præcipua felicitatis.) ἐπιφώνημα est. At quantò præstantior.) Antithesis est sanè quàm apposita. Dat illa propter quæ.) Ab euentis. Nonne meritò exclamet.) Vir sapiens Celsa mentis ab arce, Erroresq; hominum inconsultaq; gaudia ridet. Docuerunt alij.) Ab antithetis.

Cla-

Clarus Orator.) Cic. 2. Philippica: Sed inter pacē & seruitutem plurimū interest. pax est tranquilla libertas: Seruitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum. Idem in eundem Antonium: Agitur autem ut liberi ne uiuamus, an mortem obeamus, quæ certè seruituti anteponenda est. Seruitutem summus apud nos.) Homerus odyss. ρ ἥμισυ γὰρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα ζεὺς ἀνέρος ἐυ τ' ἄν μιν κατὰ δούλων ἦμαρ ἕλησι, id est, Dimidium mentis Iupiter ijs adimit, quos seruituti facit obnoxios. Lege quintum Ciceronis paradoxon. Diogenes ipsam non fortiter modo) Diogenes percontāti quid lucri caperet ex philosophia: ut nihil, inquit, aliud, certe hoc, quod ad omnem fortunam paratus sum. Hoc dictum uix sapit Diogenem, quanquam illi asscribitur. Quodam die quum populus theatrū egrederetur, Diogenes aduersus populum nitens ingrediebatur: interrogatus quur id faceret: Hoc, inquit, in omni uita facere studeo. Sentiens hoc esse philosophari, in omnibus actionibus quàm maxime à multitudine dissidere, propterea quod uulgus hominum cupiditatibus agitur, non ratione. Posteaquā regno fuit expulsus Agathocles, cuidam dicenti, quid tibi Plato & philosophia profuit? Vt tantam, inquit, fortunæ mutationem facile feram. Neq; enim sibi manus admouit, quod alij solēt, sed Corinthi ludum literarium aperuit. Persuasit Platoni philosophia nauigare.) Cicero περὶ τῶν τελῶν quinto. Et D. Hieronymus in epistola ad Paulinum. Vadit in carcerem ipse moriturus.) Plato iuxta ac Xenophon in Apologia pro Socrate. Philosophiæ igitur nomen.) Cicero in ipsa statim fronte lib. officiorum secundi: Hanc qui expetunt, igitur philosophi nominantur. Nec quicquam aliud est philosophia (si interpretari uelis) quàm studium sapientiæ. Sapientia autem est (ut à ueteribus philosophis definitum est) rerum diuinarum & humanarum, causarumq; quibus hæ res cōtinentur, scientia, & quæ sequuntur. Vide Rodolphum lib. 1. de inuen. dialect. cap. 8. Mihi quidem hac finitione) Rodolphus lib. 3. de inuen. dialect. cap. 9. Vt dicatur quæ sit substantia eorum, quod definiendo fit: Tum quæ partes sint rei. Hinc uis illa qua agit & patitur, & ea ipsa quæ agit, quæq; patitur, & quæ reliqua substantiam rei circumstant. Græci λογικὴν, nostri uero.) Rodolphus lib. 2. de inuent. diale. cap. itē. 2. Tria sunt quibus perfectæ orationis.) Rodolphus lib. de inuent. dialect. 2. cap. 2. Tria ergo constat in omni oratione esse oportere, &c. Seneca in epistola ad Lucilliū 89. Philosophiæ tres partes esse dixerunt & maximi, & plurimi autores, moralem, naturalem & rationalem. Prima componit animum, secunda rerum naturam scrutatur, tertia proprietates uerborum exigit, & structuram, & argumētationes, ne pro uero falsa surrepant. Cicero lib. de oratore primo: Philosophia in tres partes est distributa: in naturæ obscuritatem, in differendi subtilitatem, in uitam atq; mores. Vide quæ annotauimus de philosophiæ diuisione, deq; alijs eōdem spectantibus, in secūdum lib. de inuentione dialect. cap. 11. Cunctarum prorsus artium, si minus uersanda.) Rodol. lib. 3. de inuent. dialect. cap. 16. Sunt autem reuoluendi, &c. Vt non immerito dictum sit.) Fab. Quintilianus lib. primo ca. 5. Plus habet in recessu, quàm fronte promittit. Et rursum: Quæ uel sola ex omni studiorū genere plus habet operis, quàm ostentationis. Atq; regesto persæpe impetu.) Docetur id artificiū libro de inuent. dialect. 2. cap. 2. Regerimus uel in ipsam rem, &c. Minime uidetur abhorrere uero.) Nouè dictum hoc. Vide Vallam lib. 5. cap. 101. Plinius tamen aliquoties ita locutus est, ut annotauimus lib. 1. de inuent. dialect. Terentius Hecyra: Nā omnino abhorrere animum huic uidemus nuptijs. Suetonius in Calig. Nec abhorret à ueritate. Catullus: Sæuaq; abhorrebas prisci præcepta Catonis. T. Liuius lib. 4. ab urbe cond. de Posthumia uirgine uestali: Crimini obnoxia ob suspicionem, propter cultū amœniorem, ingeniumq; liberius, quàm uirginem decet, parum abhorrens famam. Regina rerum.) Quintilianus lib. primo in calce postremi capitis. Hoc dignabimur nomine.) Nam eloquentia aliud nihil est, quàm bene loquens sapientia, teste Cicero ne orato. part. Et Fabius ex uarijs scriptorum finitionibus, maxime probat illā Cleāthis

this & Chrysippi, qui benedicendi dixerunt esse scientiam. Deorum inuentioni.) Ouidius lib. metamorph. primo: Inuentum medicina meum est, opisexq; per orbem Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis. Omnium quorum indagamus.) Hanc indaginem, artiumq; ordinem longe pulcherrimum ubiq; confundi, testatur Rodolphus in præfatione lib. de inuentione dialect. 2. Studijsq; meis mollius uidear esse blanditus.) Rodolphum musices fuisse callentissimum, testantur numeri & cantica quæ eius nomine etiamnum circumferuntur. Optimum uidetur uti consilio Timantis.) Aemulatus est id quod est apud Ciceronem circa mediū libri de oratore perfecto. Fab. Quint. lib. 2. ca. 4. Et Gelliū lib. 19. ca. 3. Præstat, inquit, uituperari, quàm frigide laudari. Atq; inde omnes familiæ philosophorum.) Cicero de oratore, diffusius has enumerat sectas. Inde præcipuam quoq; ductam Socratis laudem.) Cui illud asscribitur, & in primis celebratur: Quæ supra nos, nihil ad nos. Sic enim respondere solet admirantibus quod de moribus semper, de astris, deq; meteorologis nunquam disputaret. Omniaq; prudenter cum ratione suscipere.) Percontanti Dionysio quid eximium haberent philosophi præ cæteris hominibus: Vt, inquit Aristippus, etiam si omnes leges aboleantur, tamen æquabiliter uicturi simus. Vulgus legum præscriptis arcetur à peccando, philosophus rationem habet pro legibus, non ideo quod rectum est faciens, quia lex iussit, nec à scelere temperans, quia lex uetuit: sed quia nouit illud per se rectum esse, hoc per se turpe. Orator quidam Aristippum reum defendit in iudicio, uicitq; litem. Is quum uelut artem suam præferens philosophiæ, diceret, quid tibi profuit Socrates Aristippe? Hoc, inquit, quòd oratio quā pro me dixisti, uera fuit. Defenderat ut uirum bonum & innocētem. Vt autem talis esset, qualis ab oratore prædicabatur, Socrates præstiterat, à quo philosophiam didicerat. Orator non hoc efficit, ut quis sit uir bonus: sed ut talis uideatur iudicibus, etiamsi non sit. Præstantius igitur est quod præstat philosophus, quàm quod orator. Quodq; de Pythagora, qui primus) Pythagoras ille Samius interrogatus quemnam se esse profiteretur, non sapientem se, ut superiores fecerant, sed sapientiæ respondit esse amatorem. Lege Ciceronem lib. 2. de oratore, & Augustinū ciuitatis diuinæ lib. 8. cap. 2. Hactenus suffecerit.) Transitio est. Ipsa dixit.) Allusum est ad prouerbium αὐτὸς ἔφα, id est, ipse dixit. Equidem Ferrariam quam rectissime.) A nomine rei siue notatione. Carbo.) Fortasse is est cuius meminit & Baptista Mantuanus in Fausto: Alter erit Marius, raso ore uidebere Carbo. Qui Herculeum hoc nomen.) Ab etymologia siue interpretatione. Guarini Carbonesq; tui.) Enallage seu ἑτέρωσις numeri est. Sic Martialis: Pythagoras, Zenonas, inexplicitosq; Platonas. Titus Stroza.) Fuit is pater Herculis Strozij, quorum poëmata sanè quàm festiua, nec minus exculta extant ab Aldo excusa. Quid enim attinet.) ἀποσιώπησις est, id est, reticentia: deest enim impellere, aut simile quippiam. Sic Teucer ad Agamemnona apud Homerum ἰλ. θ. ἀτρείδη κύδιστε τί με σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνεις. Agnoscendo fatendoq; uitare, ne uideamur ingrati.) Fertur inter Græcanicas sententias & hic senarius: Dignus malo est, bona qui parum nouit sua.

RODOLPHI AGRICOLAE PHRISII GRATVLATORIA ORATIO, PRO IOANNE

Camerario Dalburgio, Vormacien. Episcopo, ac oratore illustrissimi Philippi Comitis Palatini Rheni, dicta Innocentio octauo Pontifici maximo.



Enimus beatissime pater, iusto uenerationis officio, recens hoc celsitudinis tuæ fastigium prosecuturi, quod ut faceremus gratularemurq; quum sanctitati tuæ, tum felicitati, uel (si rectius est ita dice-

re) uniuersæ reip. Christianæ, misit nos summo religionis, summo pietatis, & in salutẽ tuam, & in sacrosanctã Romanæ Ecclesiæ sedẽ præditus affectu, uir illustrißimus Philippus, comes Palatinus, Rheni, Bauariæ, dux, & sacri Rom. imperij princeps elector. Videtur autẽ præfandũ esse mihi, qđ præfari res ipsa me cogit, hoc est, optandã esse mihi, & ante oĩa huic qualicũq; dictioni meæ ueniã petendã à Sc. tu. & amplißimo ordine senatus cardinaliũ, qui diuinũ tuũ participãt consiliũ. Arbitror aũt orationis gratiã, et quẽuis eloquẽdi cultũ atq; splẽdorẽ, ex homine Germano expectari magnopere neq; posse neq; debere, & mihi quidẽ aduersus hanc solicitudinẽ æquitas est animi uel eo cõstantior, quod persuasum habeo, Sc. tuam de Philippi in te officio studioq; nõ ex hac quæcunq; ea fuerit oratione mea, sed ex rebus illius, operibusq; facturã æstimationẽ. Quod nisi districtus ipse teneretur, multiplici magnorũ negociorũ cura, nec illũ necessaria quædã ratio rerũ suarum reuocasset ab instituto tanto, laborioso quidem, sed tamen illi uotis omnibus expetito, non ille legatis ad Sc. tuam mittendis, aut alienæ uocis uteretur ministerio, sed hoc quamuis longum difficileq; suscepisset iter, & quantum pietas sua, gaudium, quam uoluptatem ex hac publica cunctorum percepisset lætitia, præsenti tibi, præsens ipse declarasset. Credidisset quanquam tenui se tamen indicio perfunctum, quantaquaque teneretur erga sanctitatem tuam sacramq; sedem deuotione, quod illi Christiani nominis studium, qua religionis nostræ cura sollicitudineq; duceretur, nec satisfecisse officio se putaret, sed solum pignus hoc, obsidemq; mentis dedisse, quo respici posset, nihil tantum esse, tamq; arduum susceptu, modo incrementis id tuis usibusq; Ecclesiæ Rom. conduceret, quod non ipse prompto esset animo alacerq; subiturus. Accepit hanc à maioribus suis persuasionem, quam protinus à primis comprehensam annis, & cum successu deinde ætatis auctam, altius subinde pectori suo arctiusq; semper infixit, ut nihil in rebus humanis sanctius, grauius, uenerabilius putaret, quàm sacræ sedis apostolicæ maiestatem. Nec posse quicquam utilius Ecclesiæ, quiquam hominum generi salubrius contingere, quàm ut summa dei benignitate daretur illi prudentißimus gubernator, sanctißimus rector. Aequum est profecto principes omnes hanc tenere sententiam, ut in R. sedis salute contineri suam arbitrentur salutem, & nedum principes, uerum cunctos sic animatos esse oportet, & credere pro sua cuiq; portione excubias agendas esse pro sedis huius incolumitate, & magnitudinem eius quibuscunq; poßint rebus, si cui sunt opes, opibus, cui prudentia consilio, cui robur uiribus prouehere, quod si cui nihil aliud sit, precibus saltem pijsq; ad deum uotis nuncupandis illam iuuare. Sibi nanque maiores nostri Romam communem generis humani esse

patriam

patriam uolebant, nec intelligi potuisse in exilio fuisse eum, qui undecunq; ueniẽs Romæ fuisset, hacq́; ratione, uelut sacro quodam affectu animos omnium beneuolentiamq́; urbi terrarum principi obligant. Quam ergo necesse est esse nunc mentem, quod studium cunctis erga hanc urbem, & sanctissimum illius atq; adeo orbis terrarum antistitem & rectorem? quum nedum terrena cunctorum ea iam sit patria, sed quicunq; bona fide ciues illius fuerint facti, & legibus eius paratas in omnia dederunt manus, eosq́; cœlestis patriæ faciat ciues. Huius in R. Ecclesiã deuotionis, qua omnes Christiani nominis, principes esse spero & opto. Philippo possum locupletissimus esse testis, ut facilimum sit tibi beatissime pater perspicere, quo necesse fuerit illum cumulari gaudio, quantæ se compotem credere felicitatis, cum audiuisset nauiculæ Petri gubernaculis esse Sc. admotam, & ab optimo Deo optimam rerum humanarum ecclesiam esse optimæ tuæ prouidentiæ commissam. Adductus est in eam spem, in quam uideo cunctos in hoc nouo tuo pontificatu concessisse, rem Christianam si quando aliâs, tuo certe ductu, tuis auspicijs illustrem felicissimamq́; futurã. Quid enim non credemus, uel Sc. tuam posse impetrare à deo ad hominum felicitatem, uel uirtutem efficere apud homines, ad dei placationem, quid non prudentia tua instituere, magnitudo animi peruincere, constantia cõsummare, uigilantia uero tua quod institutum, peruictum, cõsummatumq́; fuerit, quid non confirmare poterit ac tueri? Nihil lapsum est aut quassum in Christianæ religionis cultu, cerimonijsq́;, quod non integritas, diligentia, pietas tua, erigere rursus & stabilire poßit, si quid usquam desyderabitur, si qua in parte labanti succurrẽdum erit fidelis populi tutelæ, tua sollicitudo sufficiens in omnes usus præsidium præstabit. Tu publicas priuatasq́; res, tu sacras, tu prophanas, tu temporaria, æternaq́; bona nostra, immenso prouidentiæ tuæ sinu complecteris, exactissimo moderationis tuæ formabis exemplo, & clementissima in omnes dispensabis benignitatis tuæ manu. Dirigis tu quidem pater beatissime, uitam hominum & actiones eorum, moresq́; in saluberrimum habitũ componis, autoritate iubendo, monitis hortando, seueritate castigando, sed ante omnia exemplo uirtutum tuarum ducendo eos, & tanto iam tempore prætentatum à te iter uelut digitis indicando, quis nõ prouidentiæ consilijsq́; tuis, se salutemq́; suam committi tutißime putabit? Cuius cum summa sit prudentia, tum exploratissima semper in omni uita fuit naturæ immensa bonitas, & nunc propensissimus in subditos omnes perspicit amor. Quicquid iusseris, nemo erit qui recusare cupiet, certatim in hoc contendetur ab omnibus, ut quàm maxime dictis tuis audiens quisque conspici poßit. Est tibi quidem à Deo rerum omnium tradita potestas, non tu tamen (quod multis usu uenit)

potestatem iustitiæ titulis inanibus exornas, sed iustitiam pridem tuis conceptam præcordijs, potestate nunc instructam expeditamq; tenes, adeoq; nunquam quid posis, semper quid uelis ostendis. Vis autem, uoluistiq; semper omnibus quàmplurimum prodesse, assecutus es itaque (uel nos potius per te sumus assecuti) ut quantum ante prodesse uolueris, tantum nunc posis, tantum etiam & prosis. Video me beatissime pater in amplissimum campum tuarum laudum esse perlatum, quanquàm initio mihi censuerim abstinendum ab eis, ut quæ non meam modo, sed præstantissimi cuiusuis facundiam & ingenium uincant, satiusq; duxerim modesta eas taciturnitate uenerari, quàm oratione quæ longe inferior futura perstringere. Aegypti sacerdotes accepimus olim inter sacra solitos sonum tantum uocalium literarum decantare: id illis pij, gratissimiq; Deo concentus loco fuisse. Credebant puto nullum se posse dignum Deo carmen canere. Fuso itaque muto illo, & sine mente (ut ita dicam) sono, quum pro rerum dignitate nihil possent, hoc ipsum ut arbitror significabant, nihil se posse, & plurimum uelle. Germanos item nostros proditum est priscos illos, priusquam sacræ Christianæ fidei mysterijs essent initiati, quicquid id erat quod Dei colerent loco, nullis sustinuisse simulacris effingere, quod crederent falsa DEO non conuenire, uera se reperire non posse: adeo uisum est utrisque his rectius esse, prudenter quenque secum reputare quod posit, quàm imprudenter conari quod nequeat. Sic mihi commemorandis laudibus tuis, plenum insolentiæ uidetur, si quis uel conetur eas extollere quæ per se sunt amplissimæ, uel recensere quæ sunt innumeræ, uel quouis modo demonstrare, quantum lumen, & splendor omnium oculos iam mentesq; perstringat. Illa beatissime pater, illa quidem mallem, si commode possem commemorare, quæ protinus cum nouo pontificatu tuo felicitati publicæ prouenere: pax gentium, fœcunditas terrarum, salubritas uitæ: fremebant armis omnia, arx ipsa orbis terrarum Italia, bellis grauissime quatiebatur, Galliæ uelut omine letiore excepturæ pontificatum, tum primum respirabant. Hispaniæ, Britanniæ, Sarmatæ, aut externis, aut domesticis concitæ motibus erant. Iam uero perpetua bellorum comes caritas annonæ, iam sicubi quies ab armis erat, crudelior armis pestilentia sæuiebat, quinetiam ex aliorum comparatione tolerabilius miseri sibi uidebantur qui una tantum, aut altera cladium istarum, & non omnibus urgerentur. Hæc cuncta tam grauia, tam acerba, pontificatus tuus protinus uelut salubre quoddam affulgens rebus humanis sydus repressit, dispulit, abegit. Agitatus est magnis bellorum motibus uir sacræ memoriæ Xistus pontifex Sc. tuæ præcessor, quæ ille summo consilio suscepta, prudentissime administra-

ministrauit, constantissime pertulit, magni hoc uel summi hominis est, tot undique circumfrementibus tempestatibus armorum, non moueri animo, non concuti: sed rectum in omnia constantemq; dirigere uultum, summi hoc ut dico, sed hominis: at hæc cum noua tua dignitate rerum omnium prolata tranquillitas, non hominis solum habet laudem, sed de hominis laude, uirtutibusq; plenum diuini fauoris præ se fert iudicium. Coniunxit quippe deus in tua ad pontificatum uocatione suum cum hominum sententia iudicium, nec id dubijs utiq; colligendum coniecturis. Homines enim præficiendo te rebus humanis rectissime se facere ut uolebant, sic & sperabãt: deus uero quàm recte fecerint, signis maximis ijsdemq; lætissimis indicauit, tam felices enim successus, tantam prosperitatem, copiam, salubritatem nouæ tuæ circunfudit dignitati, ut cum ad eam cuncti te prouehi plurimum uellent, immenso plus tamen gauderent te prouectum. Quod itaq; uulgo de principibus dici audimus aut legimus, dei hominumq; consensu, ad principatum uocatos eos esse, id unius tui uocationem proprie signantissimeq; definit, quis potuit enim esse maior consensus? uolebãt homines pontificem te fieri & facere, quod uolebant, idq; ipsum ut uellent, ut facerent deus instinxit, & quod instinxerat, summa rerum omnium felicitate cumulauit, & incommodis, cladibusq; terrarum omnibus serenissimum hunc tuum, & plenum natiuæ benignitatis opposuit uultum. Quum uero uultũ tuum dico, latine tantum loquor, & non ut auriũ meam gratiã, nec enim in cuiusquam suspicione relictum uelim hoc me non ex integra animi sententia dicere, uidimus enim proximis his diebus corporis tui uires pondere curarũ iniquius affectas, & ut publico te conspectui subduceres, necessaria ualetudinis tuæ ratio coëgit. Quid ergo? Nõne statim uultus tuus ab omnibus est desideratus? nõne senserunt continuo mala publica deesse sibi domitorem suũ, nõne rursus pestilentia, rursus arma prorumpunt? Quin Beatiss. pater diligenter omniq; cura ualetudinem tuam confirmas, recte te fruendum rebus humanis, & uidendum tantum te præbe, simulq; cuncta conspectui tuo incommoda cessisse uidebis. Potuit aditus pontificatus tui mala hæc uetusta & actis altissime radicibus iã firma dissipare. Poterit certe hæc eadem tenera adhuc & uelut in herba reprimere dignitas tua, iam stabilita. Hinc ergo uenit uenietq; maior indies publica, per omne Christianum nomen lætitia, hinc omnium in te affectus, non qui in rectorem aut dominum, quæ nomina per se inuidiæ plerunq; subiacent: sed qui in auctorem salutis, datorem felicitatis, parentem bonorum omnium, aut si quod his aliud arctioris pietatis excogitari uinculum poterit. Noua hinc quoq; spes omnium iã subit mentes, in qua magis ipse quotidie firmor, ut si unquam futurum, nunc certe


imperio & ductu felicitatis tuæ perpetuus ille & perniciosissimus Christiani nominis hostis Turca retundatur. Quum sit enim malis nostris hactenus abusus, & dissentiones armaq; Christianorum suam crediderit occasiõem, quis dubitet quin quorum creuit aduersis, eorum rursus sit felicitate præceps iturus? Vidimus quidem quàm grauiter multos iam annos deus immissis in Christianos principes bellis, mutuis eos certaminibus attriuerit & profligarit, nec licet dissimulare nobis quorsum pertinuerit tantum in nos effundi malorum, modo uidere uelimus quid sit ea secutum, infestissimus ille latro, qui pridem boni consulebat, & intra angustissimum Asiæ angulum licere tuto sibi latere, quiq; sæpe sine Christianarũ uiriũ præsidio, se non satis munitum, intra regni sui fines putabat, tandem tot regnis, prouincijs, rebus publicis expugnatis, & in ditionẽ execrandam redactis, eo magnitudinis processit, ut quorum ante perhorrescebat mentionem, illis nunc sit ultro timori: Parum dico, imo quibus antea ne nomen quidem illius satis fuerat notum apud eos, nunc omnia ferro illius misceãtur, flammis colluceant, sanguine redundent. At qui iam tandem placatioris animi signa nobis dat deus, reddita cum pontificatu tuo quies est temporum, æstus armorum resedit. scire cupimus, an temerè hæc lætiora contingant, respiciamus quare contigerint tristiora. Quod ergo reliquum est, non expergiscetur omne nomen Christianum, non arma cuncti rapient, non obuiam ibunt crudelissimo hosti, immanissimo tyranno, dum tu beatiss. pater innocentia, sanctitate, religione, pietate præes, peculiare quoddã præsidium terris. Orabis tu quidem, & sacris precibus militum tuorum mouebis ac animabis arma. nullius, tuo ductu in hostes irritum decidet telũ, nullius frustra gladius uibrabitur, nullum sine uulnere iaculum mittetur. omniũ uulnera torrens sanguinis, omnium sanguinem perfidorum anima sequetur, dumq; tu castas, ut Moyses ad deum, leuabis manus, nullus erit metus, ne aut impius hostis impetum nostrorum perferat, aut pius noster exercitus illius cæde lassetur. Oportet tales bellorũ exitus de cuiusuis pontificis pietate sperare, cum uero tuæ dignitatis initijs tanta bene gerendarum rerum affulserint omina, cessare ultra, & occasiones perdere, non iam cunctantium, sed segnium, ignauorum & indormientium felicitati suæ potest uideri. Possum quidem Beatiss. pater hoc T. Sc. de Philippi principis nostri promittere deuotione, nihil esse quod ille cupiat æque, quàm quicquid est opum armorumq; sibi, in hanc tam piam conferre militiam. Non ille laboribus aut periculis, non sanguini aut uitæ suæ parsurus erit, modo profundere hæc in aliquos Christiani populi sibi contingat usus, nec uero hac in re solum, sed ubicunq; possit aliquid R. ecclesiæ tuæq; Sc. uel dignitati astruere, uel fortunis, id illi tam gratum

esset futurum, ut immensi muneris duxerit loco, suum hac in pietate officium, studiumq; deposci. hoc ille cum iustum religiosumq; putet, tamen uelut hæreditate à maioribus susceptum propemodū necessarium esse sibi persuadet. Nullū est adeo genus uirtutum, aut ullius illustrioris rei, sed ne cultus quidē & obseruantiæ in sacram R. sedem, cuius non ipse domi suæ plurima sit clarissimaq; reperturus exempla. qua de re si ad institutum orationis huius id pertinere putarem, & nisi præterea uererer, ne hac tua abuterer audiendi benignitate, maxima mihi nasceretur copia dicendi. Possem ab illo Ario iusto literarum monumentis insigni initium facere, qui cum Bauariæ præesset fidei & uirtutis, ergo à senatu rex est & amicus populi R. appellatus, uir fortissimus, & ab omnibus inuictus præterquam ab uno, sed eo à quo non tam turpe fuit uinci, quàm gloriosum cum illo decertare, & eo quidem cuius uiribus & armis orbis terrarum & urbs hæc orbis uictrix atq; domitrix cessit. Dicerem Carolum, qui gloria rerum gestarum magnus cognominatus, Germanis primus imperij habitus est autor, commemorarem Hēricum, qui cū coniuge sua Romanorum pontificum decreto, inter sanctos est relatus. Recenserem alios itidem Henricos, Ludouicum etiam & Robertum Philippi proauum, omnes Romanos aut reges, aut imperatores, eosdemq; ingentibus in uniuersam rempublicam Christianam, & in sacram hanc sedem beneficijs illustres. Fuit Robertus item auus principis nostri, qui cuius uenerationis fuerit in Ro. antistitem, uel uno illius facto licet æstimare: erat ei collata in matrimonium filia ducis Sabaudiæ, eius quem felicem nominatum, pleriq; Romani pontificis specie ambiebant. Erant id temporis plena erroris omnia, alijs aliò quocunque spes aut fauor rapuisset inclinantibus. Robertus tamē posthabitis charissimæ sibi coniugis affectibus, & omni affinitatis iure relicto, priuatis necessitudinibus suis, publicam Romanæ ecclesiæ prætulit dignitatem. Pater autem Philippi Ludouicus ea religionis et uirtutum omnium iecerat fundamenta, ut nisi præmatura foret morte defunctus, nullius præ eo in Romanam sedem merita laudarentur. Huius frater Fridericus Philippi per ætatem tutor, difficile dijudicatu est prudentior, fortior an felicior fuerit, qui crebro admodum collatis cum hoste signis, cum præsens ipse dimicauerit, uictoriā quæ natura incertissima est ut ubiq; industriæ suæ certa esset, uirtute pfecit. Quindecim Germaniæ principes bellum illi uno eodemq; tēpore cupidissime indixerunt, id quum acerrime gererent inferrentq;, tres ex eis una acie uictos cepit, eoq; res perducta est, ut conditiones pacis à nullo acciperet, omnibus daret. Primus is ueterem rei militaris disciplinam quantum temporum ratio passa est renouauit, primus Germaniam post Augustum Cæsarē purgare latrocinijs

est adorsus. Fuit tempus quo simulatè & fictione hostiũ coactus est alienioris animi in sacram hanc sedem de se opinionem præbere, tempori & urgenti se necessitati cessit. Postea uero quàm datus est liberior de omnibus cognoscendi locus, tum quidem est illius accepta excusatio, præstititq; deinde quod semper antè præstiterat, ut ecclesiam Romanam nullo in loco fidei obsequijq; sui pœniteret. Horum uestigia clarissimorum uirorum cum Philippus sectanda sibi uirtutibus omnibus & recte factis instituerit, adsumus Beatiss. pater illius nomine, & omne obsequium, studium, pietatemq; illius, & quicquid est quo obedientia sacræ R. sedi à Christiano principe debita præstari uberrime amplißimèque potest, id illius iussu tuæ proferimus dicamusq; Sc. Putes si quid opũ illi, si quæ sunt fortunæ, si quæ uires: nec ea modo quæ sua sunt, sed quibu cunque gratia, meritis, neceßitudine deuinctis, pro suis utitur, ea omnia ante tuæ Sc. esse deposita pedes, & hanc deuotionem suam ut clemens atq; benignus accipias precatur. Orat quoq; se, liberos, familiam, domumq;, & quicquid est ditionis suæ, Sc. tua ea uelit indulgentia humanitatéque complecti, quã semper ipse maioresq; sui ab sacra sede petiuerunt semperq; sunt assecuti: ipse dabit operam, proq; uirili enitetur, ut quoniam munificentia meritisq; in Sc. tuam conferendis, quantum cupit, præstare non potest, quod potest, cul tu certe & obsequio omnia præstet, quumque deuotione erga sanctitatem tuam, alteri quidem cesserit memini, tum ipse quotidie secum omni obseruantiæ genere decertet.

Dicta anno post natũ Christum M. CCCC. LXXXV. Pridie No. Iul.

IN GRATVLATORIAM ORATIOnem scholia per Alardum Aemstelredamum.



Venimus beatissime pater.) Quòd autem Pontifex Romanus beatissimus dicitur, nõ est nouum uocabulum. Sic enim scribit Hieronymus ad Damasum, Augustinus ad Bonifacium, & Erasmus in institutione principis Christiani mirum in modum probat morem, quo Romanũ pontificem sanctissimi titulo honorant. Dum enim hoc audit, assiduè commonetur, quid ab illo præstari oporteat, & quid in illo sit pulcherrimum: non si ditissimus sit, aut latissimè imperet, sed si sanctimonia praecellat. Recens hoc celsitudinis tuæ fastigium prosequuturi.) Diligenter obseruat in hac oratione id quod li. de inuent. dialect. 2. cap. 13. docet in gratulatione obseruãdum: In gratulatione, inquit, personas primũ necesse est beneuolas esse. Res uerò erit, ut aliquid eius cui gratulamur commodis aut dignitati accesserit. Conatus autem, quoniam ob beneuolentiam fauemus rebus illius, ut ostendamus nos lætari. Quæstio ergo erit, an illius p̃senti commodo lætemur. Lege D. Erasmi opus de conscribendis epistolis, de gratulatoria epistola, ad calcẽ ferè. Dumq; tu castas, ut Moyses ad Deũ, leuabis manus.) Historia refertur Exod. 17. & 32. Psal. 105. Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, ut auerteret irã eius ne disperderet

humanarum uim, naturam, causasq; nosse, & omnem benedicendi rationem tenere, & persequi: nomine hoc appelletur. Idem in ipso statim exordio lib. offi. 2. & Tuscu. quæst. lib. 5. Plato in lib. qui inscribitur philosophia seu amatores, Politianus in Lamia. Plurimum huc adferet adiumenti & philosophi descriptio, quæ est apud Rodol. Agric. lib. de inuent. dialect. 2. cap. 29. Scrutatrix ipsa quoq; perpetua.) A proprio pariter & differentia, siue (ut uocant) propria passione. Quam malis claudi terminis.) Præcipua regum felicitas est, quod nulli seruiunt, sed quicquid uolunt, facile efficiũt: tum quod nullius egeant: atqui hoc ipsum homini præstat philosophia multo uerius, quàm regnum monarchis. Si herus corpore male affectus auscultat seruo rei medicæ perito, multò magis decet animo ægrũ auscultare seruo philosophiæ perito: quod enim ars medica præstat corpori, hoc philosophia præstat animo. Philosophus item animorum male habentium medicus est. Non ille uilia concupiscit.) Ab actibus. Lucianus in Timone: ὀλιγάρκη γὰρ καὶ μέτριον χρῆ εἶναι τὸν φιλοσοφοῦντα, καὶ μηδὲν ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν, Id est, oportet enim philosophum paucis cõtentum ac frugalem esse, neq; quicquam ultra peram quærere. Quidam multa destomachans in philosophos etiam hoc adiecit, quod conspiceret illos semper obsidere fores diuitũ: cui Aristippus: Et medici, inquit, ægrotantium domos frequentant, nemo tamẽ ægrotus esse mallet quàm medicus. Scite retorsit in diuersum conuicium: philosophi prædicant felicitatem quam uni sapienti uindicant, & tamen assidue uersantur apud diuites, aliquid uenantes ab illis. Vnde colligebat diuites esse beatiores quàm philosophos. Sed ille interpretatus est philosophos ideo potissimum colere diuites, quod ob luxum ac delitias cæteris mortalibus & stultiores, & corruptiores, magis egerẽt præceptis sapientiæ, philosophus autem animorum male habentium medicus est. Porrò beatius est esse medicum quàm ægrotum. Adsum ô Diogenes, inquit Alexander, tibi subuenturus, quandoquidem uideo te multis egentem. Cui Diogenes: Vter nostrum pluribus eget, ego qui ultra peram & pallium nihil desidero: an tu qui non contentus patrio regno, tot periculis temet obijcis, ut latius imperes, adeo ut uix totus orbis tuę cupiditati uideatur satis futurus? Vix credibile est, quod de Aristippo refert Bion, cũ famulus in itinere gestãs pecuniam, onere premeretur: abijce, inquit, quod nimium, & fer quod potes. Non ira illum agitat.) Ab adiacentibus. Vt quidã gemmas quasdam secum ubiq; circumferunt, aduersus morbos maleficia, ebrietatem, tonitrua, ruinas, cæteraq; mala: Ita quædam philosophiæ decreta semper ad manum habenda aduersus incursuros animi morbos, libidinem, iracundiam, ambitionem, auaritiam & his consimiles. Democritus: αἱ μὲν χελιδόνες εὐδίαν ἡμῖν προσημαίνουσιν, οἱ δὲ ἐκ φιλοσοφίας λόγοι ἀλυπίαν, id est, Hirundines quidem serenitatem nobis proxime imminere indicant: Depromptæ autem è philosophia rationes, perturbationum sedationem. Nec domat incurrentia sibi uitia.) Quemadmodum equus indomitus ad omnem usum incommodus est ob insciciam ac ferociam: ita qui rapitur affectibus, quos solos domat philosophia, ad omnem uitæ consuetudinẽ inutilis est. Nisi superuacuum putarem uetera longeq; posita scrutari.) Cicero lib. 3. de oratore: Sed quid ego uetera conquiram, cum mihi liceat uti præsentibus exemplis atq; uiuis? Qui non sine causa iucundissime dictus est nitere.) Ouidius lib. 1. de ponto: Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat Fumum de patrijs posse uidere focis. Cicero lib. primo de oratore: Ac si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat, &cæ. Idem lib. de finibus 5. Tantus est igitur innatus nobis cognitionis amor, &c. Poteratis enim nobilitate.) Confirmat à circumstantijs. Aërea uidemus ubi cœlo.) ἐπαγωγή est. Pulcherrimam illam deiformemq; naturam) Cicero in 3. de Oratore: Sed ut in plerisq; rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata, &c. Præcipua felicitatis.) ἐπιφώνημα est. At quantò præstantior.) Antithesis est sanè quàm apposita. Dat illa propter quæ.) Ab euentis. Nonne meritò exclamet.) Vir sapiens Celsa mentis ab arce, Erroresq; hominum inconsultaq; gaudia ridet. Docuerunt alij.) Ab antithetis.

Clarus Orator.) Cic. 2. Philippica: Sed inter pacẽ & seruitutem plurimũ interest: pax est tranquilla libertas: Seruitus postremum malorum omnium, non modo bello, sed morte etiam repellendum. Idem in eundem Antonium: Agitur autem ut liberi ne uiuamus, an mortem obeamus, quæ certè seruituti anteponenda est. Seruitutem summus apud nos.) Homerus odyss. ρ ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα ζεὺς ἀνέρος εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσι, id est, Dimidium mentis Iupiter ijs adimit, quos seruituti facit obnoxios. Lege quintum Ciceronis paradoxon. Diogenes ipsam non fortiter modo) Diogenes percontãti quid lucri caperet ex philosophia: ut nihil, inquit, aliud, certe hoc, quod ad omnem fortunam paratus sum. Hoc dictum uix sapit Diogenem, quanquam illi asscribitur. Quodam die quum populus theatrũ egrederetur, Diogenes aduersus populum nitens ingrediebatur: interrogatus quur id faceret: Hoc, inquit, in omni uita facere studeo. Sentiens hoc esse philosophari, in omnibus actionibus quàm maxime à multitudine dissidere, propterea quod uulgus hominum cupiditatibus agitur, non ratione. Posteaquã regno fuit expulsus Agathocles, cuidam dicenti, quid tibi Plato & philosophia profuit? Vt tantam, inquit, fortunæ mutationem facile feram. Neq; enim sibi manus admouit, quod alij solẽt, sed Corinthi ludum literarium aperuit. Persuasit Platoni philosophia nauigare.) Cicero περὶ τῶν τελῶν quinto. Et D. Hieronymus in epistola ad Paulinum. Vadit in carcerem ipse moriturus.) Plato iuxta ac Xenophon in Apologia pro Socrate. Philosophiæ igitur nomen.) Cicero in ipsa statim fronte lib. officiorum secundi: Hanc qui expetunt, igitur philosophi nominantur. Nec quicquam aliud est philosophia (si interpretari uelis) quàm studium sapientiæ. Sapientia autem est (ut à ueteribus philosophis definitum est) rerum diuinarum & humanarum, causarumq; quibus hæ res cõtinentur, scientia, & quæ sequuntur. Vide Rodolphum lib. 1. de inuen. dialect. cap. 8. Mihi quidem hac finitione) Rodolphus lib. 1. de inuen. dialect. cap. 9. Vt dicatur quæ sit substantia eorum, quod definiendo fit: Tum quæ partes sint rei. Hinc uis illa qua agit & patitur, & ea ipsa quæ agit, quæq; patitur, & quæ reliqua substantiam rei circumstant. Græci λογικὴν, nostri uero.) Rodolphus lib. 2. de inuent. diale. cap. itẽ. 2. Tria sunt quibus perfectæ orationis.) Rodolphus lib. de inuent. dialect. 2. cap. 2. Tria ergo constat in omni oratione esse oportere, &c. Seneca in epistola ad Lucilliũ 89. Philosophiæ tres partes esse dixerunt & maximi, & plurimi autores, moralem, naturalem & rationalem. Prima componit animum, secunda rerum naturam scrutatur, tertia proprietates uerborum exigit, & structuram, & argumẽtationes, ne pro uero falsa surrepant. Cicero lib. de oratore primo: Philosophia in tres partes est distributa: in naturæ obscuritatem, in differendi subtilitatem, in uitam atq; mores. Vide quæ annotauimus de philosophiæ diuisione, deq; alijs eòdem spectantibus, in secũdum lib. de inuentione dialect. cap. 11. Cunctarum prorsus artium, si minus uersanda.) Rodol. lib. 1. de inuent. dialect. cap. 16. Sunt autem reuoluendi, &c. Vt non immerito dictum sit.) Fab. Quintilianus lib. primo ca. 5. Plus habet in recessu, quàm fronte promittit. Et rursum: Quæ uel sola ex omni studiorũ genere plus habet operis, quàm ostentationis. Atq; regesto persæpe impetu.) Docetur id artificij libro de inuent. dialect. 2. cap. 2. Regerimus uel in ipsam rem, &c. Minime uidetur abhorrere uero.) Nouè dictum hoc. Vide Vallam lib. 5. cap. 101. Plinius tamen aliquoties ita locutus est, ut annotauimus lib. 1. de inuent. dialect. Terentius Hecyra: Nã omnino abhorrere animum huic uidemus nuptijs. Suetonius in Calig. Nec abhorret à ueritate. Catullus: Sæuaq; abhorrebas prisci præcepta Catonis. T. Liuius lib. 4. ab urbe cond. de Posthumia uirgine uestali: Crimini obnoxia ob suspicionem, propter cultũ amœniorem, ingeniumq; liberius, quàm uirginem decet, parum abhorrens famam. Regina rerum.) Quintilianus lib. primo in calce postremi capitis. Hoc dignabimur nomine.) Nam eloquentia aliud nihil est, quàm bene loquens sapientia, teste Cicero ne orato. part. Et Fabius ex uarijs scriptorum finitionibus, maxime probat illã Cleãthis

this & Chrysippi, qui benedicendi dixerunt esse scientiam. Deorum inuentioni.) Ouidius lib. metamorph. primo: Inuentum medicina meum est, opifexq́ per orbem Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis. Omnium quorum indagamus.) Hanc indaginem, artiumq́ ordinem longe pulcherrimum ubiq; confundi, testatur Rodolphus in præfatione lib. de inuentione dialect. 2. Studijsq́ meis mollius uidear esse blanditus.) Rodolphum musices fuisse callentissimum, testantur numeri & cantica quæ eius nomine etiamnum circumferuntur. Optimum uidetur uti consilio Timantis.) Aemulatus est id quod est apud Ciceronem circa mediũ libri de oratore perfecto. Fab. Quint. lib. 2. ca. 4. Et Gelliũ lib. 19. ca. 3. Præstat, inquit, uituperari, quàm frigide laudari. Atq; inde omnes familiæ philosophorum.) Cicero de oratore, diffusius has enumerat sectas. Inde præcipuam quoq; ductam Socratis laudem.) Cui illud asscribitur, & in primis celebratur: Quæ supra nos, nihil ad nos. Sic enim respondere solet admirantibus quod de moribus semper, de astris, deq; meteorologis nunquam disputaret. Omniaq́ prudenter cum ratione suscipere.) Percontanti Dionysio quid eximium haberent philosophi præ cæteris hominibus: Vt, inquit Aristippus, etiam si omnes leges aboleantur, tamen æquabiliter uicturi simus. Vulgus legum præscriptis arcetur à peccando, philosophus rationem habet pro legibus, non ideo quod rectum est faciens, quia lex iussit, nec à scelere temperans, quia lex uetuit: sed quia nouit illud per se rectum esse, hoc per se turpe. Orator quidam Aristippum reum defendit in iudicio, uicitq́ litem. Is quum uelut artem suam præferens philosophiæ, diceret, quid tibi profuit Socrates Aristippe? Hoc, inquit, quòd oratio quã pro me dixisti, uera fuit. Defenderat ut uirum bonum & innocẽtem. Vt autem talis esset, qualis ab oratore prædicabatur, Socrates præstiterat, à quo philosophiam didicerat. Orator non hoc efficit, ut quis sit uir bonus: sed ut talis uideatur iudicibus, etiàmsi non sit. Præstantius igitur est quod præstat philosophus, quàm quod orator. Quodq́ de Pythagora, qui primus) Pythagoras ille Samius interrogatus quemnam se esse profiteretur, non sapientem se, ut superiores fecerant, sed sapientiæ respondit esse amatorem. Lege Ciceronem lib. 2. de oratore, & Augustinũ ciuitatis diuinæ lib. 8. cap. 2. Hactenus suffecerit.) Transitio est. Ipse dixit.) Allusum est ad prouerbium ἀυτὸς ἔφα, id est, ipse dixit. Equidem Ferrariam quam rectissime.) A nomine rei siue notatione. Carbo.) Fortasse is est cuius meminit & Baptista Mantuanus in Fausto: Alter erit Marius, raso ore uidebere Carbo. Qui Herculeum hoc nomen.) Ab etymologia siue interpretatione. Guarini Carbonesq́ tui.) Enallage seu ἑτέρωσις numeri est. Sic Martialis: Pythagoras, Zenonas, inexplicitosq́ Platonas. Titus Stroza.) Fuit is pater Herculis Strozij, quorum poëmata sanè quàm festiua, nec minus exculta extant ab Aldo excusa. Quid enim attinet.) ἀποσιώπησις est, id est, reticentia: deest enim impellere, aut simile quippiam. Sic Teucer ad Agamemnona apud Homerum ἰλ. θ. ἀτρΐδη κύδιστε τί με σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνεις. Agnoscendo fatendoq́ uitare, ne uideamur ingrati.) Fertur inter Græcanicas sententias & hic senarius: Dignus malo est, bona qui parum nouit sua.

RODOLPHI AGRICOLAE PHRISII GRATVLATORIA ORATIO, PRO IOANNE *Camerario Dalburgio, Vormacien. Episcopo, ac oratore illustrißimi Philippi Comitis Palatini Rheni, dicta Innocentio octauo Pontifici maximo.*



Enimus beatißime pater, iusto uenerationis officio, recens hoc celsitudinis tuæ fastigium prosecuturi, quod ut faceremus gratularemurq́; quum sanctitati tuæ, tum felicitati, uel (si rectius est ita dicere)

re)

re) uniuersæ reip. Christianæ, misit nos summo religionis, summo pietatis, & in salutē tuam, & in sacrosanctā Romanæ Ecclesiæ sedē præditus affectu, uir illustrißimus Philippus, comes Palatinus, Rheni, Bauariæ, dux, & sacri Rom. imperij princeps elector. Videtur autē præfandū esse mihi, qđ præfari res ipsa me cogit, hoc est, optandā esse mihi, & ante oīa huic qualicūq; dictioni meæ ueniā petendā à Sc. tu. & amplißimo ordine senatus cardinaliū, qui diuinū tuū participāt consiliū. Arbitror aūt orationis gratiā, et quęuis eloquēdi cultū atq; splēdorē, ex homine Germano expectari magnopere neq; posse neq; debere, & mihi quidē aduersus hanc solicitudinē æquitas est animi uel eo cōstantior, quod persuasum habeo, Sc. tuam de Philippi in te officio studioq; nō ex hac quæcunq; ea fuerit oratione mea, sed ex rebus illius, operibusq; facturā æstimationē. Quod nisi districtus ipse teneretur, multiplici magnorū negociorū cura, nec illū necessaria quædā ratio rerū suarum reuocasset ab instituto tanto, laborioso quidem, sed tamen illi uotis omnibus expetito, non ille legatis ad Sc. tuam mittendis, aut alienæ uocis uteretur ministerio, sed hoc quamuis longum difficileq; suscepisset iter, & quantum pietas sua, gaudium, quam uoluptatem ex hac publica cunctorum percepisset lætitia, præsenti tibi, præsens ipse declarasset. Credidisset quanquam tenui se tamen indicio perfunctum, quantaquaque teneretur erga sanctitatem tuam sacramq; sedem deuotione, quod illi Christiani nominis studium, qua religionis nostræ cura sollicitudineq; duceretur, nec satisfecisse officio se putaret, sed solum pignus hoc, obsidemq; mentis dedisse, quo respici posset, nihil tantum esse, tamq; arduum susceptu, modo incrementis id tuis usibusq; Ecclesiæ Rom. conduceret, quod non ipse prompto esset animo alacerq; subiturus. Accepit hanc à maioribus suis persuasionem, quam protinus à primis comprehensam annis, & cum successu deinde ætatis auctam, altius subinde pectori suo arctiusq; semper infixit, ut nihil in rebus humanis sanctius, grauius, uenerabilius putaret, quàm sacræ sedis apostolicæ maiestatem. Nec posse quicquam utilius Ecclesiæ, quiquam hominum generi salubrius contingere, quàm ut summa dei benignitate daretur illi prudentißimus gubernator, sanctißimus rector. Aequum est profecto principes omnes hanc tenere sententiam, ut in R. sedis salute contineri suam arbitrentur salutem, & nedum principes, uerum cunctos sic animatos esse oportet, & credere pro sua cuiq; portione excubias agendas esse pro sedis huius incolumitate, & magnitudinem eius quibuscunq; poßint rebus, si cui sunt opes, opibus, cui prudentia consilio, cui robur uiribus prouehere, quod si cui nihil aliud sit, precibus saltem pijsq; ad deum uotis nuncupandis illam iuuare. Sibi nanque maiores nostri Romam communem generis humani esse

patriam

patriam uolebant, nec intelligi potuisse in exilio fuisse eum, qui undecunq; ueniēs Romæ fuisset, hacq; ratione, uelut sacro quodam affectu animos omnium beneuolentiamq; urbi terrarum principi obligant. Quam ergo necesse est esse nunc mentem, quod studium cunctis erga hanc urbem, & sanctißimum illius atq; adeo orbis terrarum antistitem & rectorem? quum nedum terrena cunctorum ea iam sit patria, sed quicunq; bona fide ciues illius fuerint facti, & legibus eius paratas in omnia dederunt manus, eosq; cœlestis patriæ faciat ciues. Huius in R. Ecclesiā deuotionis, qua omnes Christiani nominis, principes esse spero & opto. Philippo possum locupletißimus esse testis, ut facilimum sit tibi beatißime pater perspicere, quo necesse fuerit illum cumulari gaudio, quantæ se compotem credere felicitatis, cum audiuisset nauiculæ Petri gubernaculis esse Sc. admotam, & ab optimo Deo optimam rerum humanarum ecclesiam esse optimæ tuæ prouidentiæ commissam. Adductus est in eam spem, in quam uideo cunctos in hoc nouo tuo pontificatu concessisse, rem Christianam si quando aliâs, tuo certe ductu, tuis auspicijs illustrem felicißimamq; futurā. Quid enim non credemus, uel Sc. tuam posse impetrare à deo ad hominum felicitatem, uel uirtutem efficere apud homines, ad dei placationem, quid non prudentia tua instituere, magnitudo animi peruincere, constantia cōsummare, uigilantia uero tua quod institutum, peruictum, cōsummatumq; fuerit, quid non confirmare poterit ac tueri? Nihil lapsum est aut quassum in Christianæ religionis cultu, cerimonijsq;, quod non integritas, diligentia, pietas tua, erigere rursus & stabilire poßit, si quid usquam desyderabitur, si qua in parte labanti succurrēdum erit fidelis populi tutelæ, tua sollicitudo sufficiens in omnes usus præsidium præstabit. Tu publicas priuatasq; res, tu sacras, tu prophanas, tu temporaria, æternaq; bona nostra, immenso prouidentiæ tuæ sinu complecteris, exactißimo moderationis tuæ formabis exemplo, & clementißima in omnes dispensabis benignitatis tuæ manu. Dirigis tu quidem pater beatißime, uitam hominum & actiones eorum, moresq; in saluberrimum habitū componis, autoritate iubendo, monitis hortando, seueritate castigando, sed ante omnia exemplo uirtutum tuarum ducendo eos, & tanto iam tempore prætentatum à te iter uelut digitis indicando, quis nō prouidentiæ consilijsq; tuis, se salutemq; suam committi tutißime putabit? Cuius cum summa sit prudentia, tum exploratißima semper in omni uita fuit naturæ immensa bonitas, & nunc propensißimus in subditos omnes perspicit amor. Quicquid iusseris, nemo erit qui recusare cupiet, certatim in hoc contendetur ab omnibus, ut quàm maxime dictis tuis audiens quisque conspici poßit. Est tibi quidem à Deo rerum omnium tradita potestas, non tu tamen (quod multis usu uenit)

potestatem iustitiae titulis inanibus exornas, sed iustitiam pridem tuis conceptam praecordijs, potestate nunc instructam expeditamq; tenes, adeoq; nunquam quid possis, semper quid uelis ostendis. Vis autem, uoluistiq; semper omnibus quàmplurimum prodesse, assecutus es itaque (uel nos potius per te sumus assecuti) ut quantum ante prodesse uolueris, tantum nunc possis, tantum etiam & prosis. Video me beatissime pater in amplissimum campum tuarum laudum esse perlatum, quanquàm initio mihi censuerim abstinendum ab eis, ut quae non meam modo, sed praestantissimi cuiusuis facundiam & ingenium uincant, satiusq; duxerim modesta eas taciturnitate uenerari, quàm oratione quae longe inferior futura perstringere. Aegypti sacerdotes accepimus olim inter sacra solitos sonum tantum uocalium literarum decantare: id illis pij, gratissimiq; Deo concentus loco fuisse. Credebant puto nullum se posse dignum Deo carmen canere. Fuso itaque muto illo, & sine mente (ut ita dicam) sono, quum pro rerum dignitate nihil possent, hoc ipsum ut arbitror significabant, nihil se posse, & plurimum uelle. Germanos item nostros proditum est priscos illos, priusquam sacrae Christianae fidei mysterijs essent initiati, quicquid id erat quod Dei colerent loco, nullis sustinuisse simulacris effingere, quod crederent falsa DEO non conuenire, uera se reperire non posse: adeo uisum est utrisque his rectius esse, prudenter quenque secum reputare quod possit, quàm imprudenter conari quod nequeat. Sic mihi commemorandis laudibus tuis, plenum insolentiae uidetur, si quis uel conetur eas extollere quae per se sunt amplissimae, uel recensere quae sunt innumerae, uel quouis modo demonstrare, quantum lumen, & splendor omnium oculos iam mentesq; perstringat. Illa beatissime pater, illa quidem mallem, si commode possem commemorare, quae protinus cum nouo pontificatu tuo felicitati publicae prouenere: pax gentium, foecunditas terrarum, salubritas uitae: fremebant armis omnia, arx ipsa orbis terrarum Italia, bellis grauissime quatiebatur, Galliae uelut omine laetiore excepturae pontificatum, tum primum respirabant. Hispaniae, Britanniae, Sarmatae, aut externis, aut domesticis concitae motibus erant. Iam uero perpetua bellorum comes caritas annonae, iam sicubi quies ab armis erat, crudelior armis pestilentia saeuiebat, quinetiam ex aliorum comparatione tolerabilius miseri sibi uidebantur qui una tantum, aut altera cladium istarum, & non omnibus urgerentur. Haec cuncta tam grauia, tam acerba, pontificatus tuus protinus uelut salubre quoddam affulgens rebus humanis sydus repressit, dispulit, abegit. Agitatus est magnis bellorum motibus uir sacrae memoriae Xistus pontifex Sc. tuae praecessor, quae ille summo consilio suscepta, prudentissime ad-

ministra-

patriam uolebant, nec intelligi potuisse in exilio fuisse eum, qui undecunq; ueniēs Romæ fuisset, hacq; ratione, uelut sacro quodam affectu animos omnium beneuolentiamq; urbi terrarum principi obligant. Quam ergo necesse est esse nunc mentem, quod studium cunctis erga hanc urbem, & sanctißimum illius atq; adeo orbis terrarum antistitem & rectorem? quum nedum terrena cunctorum ea iam sit patria, sed quicunq; bona fide ciues illius fuerint facti, & legibus eius paratas in omnia dederunt manus, eosq; cœlestis patriæ faciat ciues. Huius in R. Ecclesiā deuotionis, qua omnes Christiani nominis, principes esse spero & opto. Philippo possum locupletißimus esse testis, ut facilimum sit tibi beatißime pater perspicere, quo necesse fuerit illum cumulari gaudio, quantæ se compotem credere felicitatis, cum audiuisset nauiculæ Petri gubernaculis esse Sc. admotam, & ab optimo Deo optimam rerum humanarum ecclesiam esse optimæ tuæ prouidentiæ commissam. Adductus est in eam spem, in quam uideo cunctos in hoc nouo tuo pontificatu con ceßisse, rem Christianam si quando aliâs, tuo certe ductu, tuis auspicijs illustrem felicißimamq; futurā. Quid enim non credemus, uel Sc. tuam posse impetrare à deo ad hominum felicitatem, uel uirtutem efficere apud homines, ad dei placationem, quid non prudentia tua instituere, magnitudo animi peruincere, constantia cōsummare, uigilantia uero tua quod institutum, peruictum, cōsummatumq; fuerit, quid non confirmare poterit ac tueri? Nihil lapsum est aut quassum in Christianæ religionis cultu, cerimonijsq;, quod non integritas, diligentia, pietas tua, erigere rursus & stabilire poßit, si quid usquam desyderabitur, si qua in parte labanti succurrēdum erit fidelis populi tutelæ, tua sollicitudo sufficiens in omnes usus præsidium præstabit. Tu publicas priuatasq; res, tu sacras, tu prophanas, tu temporaria, æternaq; bona nostra, immenso prouidentiæ tuæ sinu complecteris, exactißimo moderationis tuæ formabis exemplo, & clementißima in omnes dispensabis benignitatis tuæ manu. Dirigis tu quidem pater beatißime, uitam hominum & actiones eorum, moresq; in saluberrimum habitū componis, autoritate iubendo, monitis hortando, seueritate castigando, sed ante omnia exemplo uirtutum tuarum ducendo eos, & tanto iam tempore prætentatum à te iter uelut digitis indicando, quis nō prouidentiæ consilijsq; tuis, se salutemq; suam committi tutißime putabit? Cuius cum summa sit prudentia, tum exploratißima semper in omni uita fuit naturæ immensa bonitas, & nunc propensißimus in subditos omnes perspicit amor. Quicquid iusseris, nemo erit qui recusare cupiet, certatim in hoc contendetur ab omnibus, ut quàm maxime dictis tuis audiens quisque conspici poßit. Est tibi quidem à Deo rerum omnium tradita potestas, non tu tamen (quod multis usu uenit)

potestatem iustitiæ titulis inanibus exornas, sed iustitiam pridem tuis conceptam præcordijs, potestate nunc instructam expeditamq́; tenes, adeoq́; nunquam quid posis, semper quid uelis ostendis. Vis autem, uoluistiq́; semper omnibus quàmplurimum prodesse, assecutus es itaque (uel nos potius per te sumus assecuti) ut quantum ante prodesse uolueris, tantum nunc posis, tantum etiam & prosis. Video me beatissime pater in amplissimum campum tuarum laudum esse perlatum, quanquàm initio mihi censuerim abstinendum ab eis, ut quæ non meam modo, sed præstantissimi cuiusuis facundiam & ingenium uincant, satiusq́; duxerim modesta eas taciturnitate uenerari, quàm oratione quæ longe inferior futura perstringere. Aegypti sacerdotes accepimus olim inter sacra solitos sonum tantum uocalium literarum decantare: id illis pij, gratissimiq́; Deo concentus loco fuisse. Credebant puto nullum se posse dignum Deo carmen canere. Fuso itaque muto illo, & sine mente (ut ita dicam) sono, quum pro rerum dignitate nihil possent, hoc ipsum ut arbitror significabant, nihil se posse, & plurimum uelle. Germanos item nostros proditum est priscos illos, priusquam sacræ Christianæ fidei mysterijs essent initiati, quicquid id erat quod Dei colerent loco, nullis sustinuisse simulacris effingere, quod crederent falsa DEO non conuenire, uera se reperire non posse: adeo uisum est utrisque his rectius esse, prudenter quenque secum reputare quod posit, quàm imprudenter conari quod nequeat. Sic mihi commemorandis laudibus tuis, plenum insolentiæ uidetur, si quis uel conetur eas extollere quæ per se sunt amplissimæ, uel recensere quæ sunt innumeræ, uel quouis modo demonstrare, quantum lumen, & splendor omnium oculos iam mentesq́; perstringat. Illa beatissime pater, illa quidem mallem, si commode possem commemorare, quæ protinus cum nouo pontificatu tuo felicitati publicæ prouenere: pax gentium, fœcunditas terrarum, salubritas uitæ: fremebant armis omnia, arx ipsa orbis terrarum Italia, bellis grauissime quatiebatur, Galliæ uelut omine lætiore excepturæ pontificatum, tum primum respirabant. Hispaniæ, Britanniæ, Sarmatæ, aut externis, aut domesticis concitæ motibus erant. Iam uero perpetua bellorum comes caritas annonæ, iam sicubi quies ab armis erat, crudelior armis pestilentia sæuiebat, quinetiam ex aliorum comparatione tolerabilius miseri sibi uidebantur qui una tantum, aut altera cladium istarum, & non omnibus urgerentur. Hæc cuncta tam grauia, tam acerba, pontificatus tuus protinus uelut salubre quoddam affulgens rebus humanis sydus repressit, dispulit, abegit. Agitatus est magnis bellorum motibus uir sacræ memoriæ Xistus pontifex Sc. tuæ præcessor, quæ ille summo consilio suscepta, prudentissime administra-

ministrauit, constantissime pertulit, magni hoc uel summi hominis est, tot undique circumfrementibus tempestatibus armorum, non moueri animo, non concuti: sed rectum in omnia constantemq; dirigere uultum, summi hoc ut dico, sed hominis: at hæc cum noua tua dignitate rerum omnium prolata tranquillitas, non hominis solum habet laudem, sed de hominis laude, uirtutibusq; plenum diuini fauoris præ se fert iudicium. Coniunxit quippe deus in tua ad pontificatum uocatione suum cum hominum sententia iudicium, nec id dubijs utiq; colligendum coniecturis. Homines enim præficiendo te rebus humanis rectissime se facere ut uolebant, sic & sperabāt: deus uero quàm recte fecerint, signis maximis ijsdemq; lætissimis indicauit, tam felices enim successus, tantam prosperitatem, copiam, salubritatem nouæ tuæ circumfudit dignitati, ut cum ad eam cuncti te prouehi plurimum uellent, immenso plus tamen gauderent te prouectum. Quod itaq; uulgo de principibus dici audimus aut legimus, dei hominumq; consensu, ad principatum uocatos eos esse, id unius tui uocationem proprie signantissimeq; definit, quis potuit enim esse maior consensus? uolebāt homines pontificem te fieri & facere, quod uolebant, idq; ipsum ut uellent, ut facerent deus instinxit, & quod instinxerat, summa rerum omnium felicitate cumulauit, & incommodis, cladibusq; terrarum omnibus serenissimum hunc tuum, & plenum natiuæ benignitatis opposuit uultum. Quum uero uultū tuum dico, latine tantum loquor, & non ut auriū ineam gratiā, nec enim in cuiusquam suspicione relictum uelim hoc me non ex integra animi sententia dicere, uidimus enim proximis his diebus corporis tui uires pondere curarū iniquius affectas, & ut publico te conspectui subduceres, necessaria ualetudinis tuæ ratio coēgit. Quid ergo? Nōne statim uultus tuus ab omnibus est desideratus? nōne senserunt continuo mala publica deesse sibi domitorem suū, nōne rursus pestilentia, rursus arma prorumpunt? Quin Beatiss. pater diligenter omniq; cura ualetudinem tuam confirmas, recte te fruendum rebus humanis, & uidendum tantum te præbe, simulq; cuncta conspectui tuo incommoda cessisse uidebis. Potuit aditus pontificatus tui mala hæc uetusta & actis altissime radicibus iā firma dissipare. Poterit certe hæc eadem tenera adhuc & uelut in herba reprimere dignitas tua, iam stabilita. Hinc ergo uenit uenietq; maior indies publica, per omne Christianum nomen lætitia, hinc omnium in te affectus, non qui in rectorem aut dominum, quæ nomina per se inuidiæ plerunq; subiacent: sed qui in auctorem salutis, datorem felicitatis, parentem bonorum omnium, aut si quod his aliud arctioris pietatis excogitari uinculum poterit. Noua hinc quoq; spes omnium iā subit mentes, in qua magis ipse quotidie firmor, ut si unquam futurum, nunc certe

Imperio & ductu felicitatis tuæ perpetuus ille & perniciosissimus Christiani nominis hostis Turca retundatur. Quum sit enim malis nostris hactenus abusus, & dissentiones armaq; Christianorum suam crediderit occasiõem, quis dubitet quin quorum creuit aduersis, eorum rursus sit felicitate præceps iturus? Vidimus quidem quàm grauiter multos iam annos deus immissis in Christianos principes bellis, mutuis eos certaminibus attriuerit & profligarit, nec licet dissimulare nobis quorsum pertinuerit tantum in nos effundi malorum, modo uidere uelimus quid sit ea secutum, infestissimus ille latro, qui pridem boni consulebat, & intra angustissimum Asiæ angulum licere tuto sibi latere, quiq; sæpe sine Christianarũ uiriũ præsidio, se non satis munitum, intra regni sui fines putabat, tandem tot regnis, prouincijs, rebus publicis expugnatis, & in ditionẽ execrandam redactis, eo magnitudinis processit, ut quorum ante perhorrescebat mentionem, illis nunc sit ultro timori: Parum dico, imo quibus antea ne nomen quidem illius satis fuerat notum apud eos, nunc omnia ferro illius misceãtur, flammis colluceant, sanguine redundent. At qui iam tandem placatioris animi signa nobis dat deus, reddita cum pontificatu tuo quies est temporum, æstus armorum resedit. scire cupimus, an temerè hæc lætiora contingant, respiciamus quare contigerint tristiora. Quod ergo reliquum est, non expergiscetur omne nomen Christianum, non arma cuncti rapient, non obuiam ibunt crudelissimo hosti, immanissimo tyranno, dum tu beatiss. pater innocentia, sanctitate, religione, pietate præes, peculiare quoddã præsidium terris. Orabis tu quidem, & sacris precibus militum tuorum moucbis ac animabis arma. nullius, tuo ductu in hostes irritum decidet telũ, nullius frustra gladius uibrabitur, nullum sine uulnere iaculum mittetur. omniũ uulnera torrens sanguinis, omnium sanguinem perfidorum anima sequetur, dumq; tu castas, ut Moyses ad deum, leuabis manus, nullus erit metus, ne aut impius hostis impetum nostrorum perferat, aut pius noster exercitus illius cæde lassetur. Oportet tales bellorũ exitus de cuiusuis pontificis pietate sperare, cum uero tuæ dignitatis initijs tanta bene gerendarum rerum affulserint omina, cessare ultra, & occasiones perdere, non iam cunctantium, sed segnium, ignauorum & indormientium felicitati suæ potest uideri. Possum quidem Beatiss. pater hoc T. Sc. de Philippi principis nostri promittere deuotione, nihil esse quod ille cupiat æque, quàm quicquid est opum armorumq; sibi, in hanc tam piam conferre militiam. Non ille laboribus aut periculis, non sanguini aut uitæ suæ parsurus erit, modo profundere hæc in aliquos Christiani populi sibi contingat usus, nec uero hac in re solum, sed ubicunq; possit aliquid R. ecclesiæ tuæq; Sc. uel dignitati astruere, uel fortunis, id illi tam gratum

esset

esset futurum, ut immensi muneris duxerit loco, suum hac in pietate officium, studiumq; deposci. hoc ille cum iustum religiosumq; putet, tamen uelut hæreditate à maioribus susceptum propemodū necessarium esse sibi persuadet. Nullū est adeo genus uirtutum, aut ullius illustrioris rei, sed ne cultus quidē & obseruantiæ in sacram R. sedem, cuius non ipse domi suæ plurima sit clarissimaq; reperturus exempla. qua de re si ad institutum orationis huius id pertinere putarem, & nisi præterea uererer, ne hac tua abuterer audiendi benignitate, maxima mihi nasceretur copia dicendi. Possem ab illo Ario iusto literarum monumentis insigni initium facere, qui cum Bauariæ præesset fidei & uirtutis, ergo à senatu rex est & amicus populi R. appellatus, uir fortissimus, & ab omnibus inuictus præterquam ab uno, sed eo à quo non tam turpe fuit uinci, quàm gloriosum cum illo decertare, & eo quidem cuius uiribus & armis orbis terrarum & urbs hæc orbis uictrix atq; domitrix cessit. Dicerem Carolum, qui gloria rerum gestarum magnus cognominatus, Germanis primus imperij habitus est autor, commemorarem Hēricum, qui cū coniuge sua Romanorum pontificum decreto, inter sanctos est relatus. Recenserem alios itidem Henricos, Ludouicum etiam & Robertum Philippi proauum, omnes Romanos aut reges, aut imperatores, eosdemq; ingentibus in uniuersam rempublicam Christianam, & in sacram hanc sedem beneficijs illustres. Fuit Robertus item auus principis nostri, qui cuius uenerationis fuerit in Ro. antistitem, uel uno illius facto licet æstimare: erat ei collata in matrimonium filia ducis Sabaudiæ, eius quem felicem nominatum, pleriq; Romani pontificis specie ambiebant. Erant id temporis plena erroris omnia, alijs aliò quocunque spes aut fauor rapuisset inclinantibus. Robertus tamē posthabitis charissimæ sibi coniugis affectibus, & omni affinitatis iure relicto, priuatis necessitudinibus suis, publicam Romanæ ecclesiæ prætulit dignitatem. Pater autem Philippi Ludouicus ea religionis et uirtutum omnium iecerat fundamenta, ut nisi prematura foret morte defunctus, nullius præ eo in Romanam sedem merita laudarentur. Huius frater Fridericus Philippi per ætatem tutor, difficile dijudicatu est prudentior, fortior an felicior fuerit, qui crebro admodum collatis cum hoste signis, cum præsens ipse dimicauerit, uictoriā quæ natura incertissima est ut ubiq; industriæ suæ certa esset, uirtute pfecit. Quindecim Germaniæ principes bellum illi uno eodemq; tēpore cupidissime indixerunt, id quum acerrime gererent inferrentq;, tres ex eis una acie uictos cepit, eoq; res perducta est, ut conditiones pacis à nullo acciperet, omnibus daret. Primus is ueterem rei militaris disciplinam quantum temporum ratio passa est renouauit, primus Germaniam post Augustum Cæsarē purgare latrocinijs

est

est adorsus. Fuit tempus quo simulatè & fictione hostiũ coactus est alienioris animi in sacram hanc sedem de se opinionem præbere, tempori & urgenti se necessitati cessit. Postea uero quàm datus est liberior de omnibus cognoscendi locus, tum quidem est illius accepta excusatio, præstititq; deinde quod semper antè præstiterat, ut ecclesiam Romanam nullo in loco fidei obsequijq; sui pœniteret. Horum ue stigia clarissimorum uirorum cum Philippus sectanda sibi uirtutibus omnibus & recte factis instituerit, adsumus Beatiss. pater illius nomine, & omne obsequium, studium, pietatemq; illius, & quicquid est quo obedientia sacræ R. sedi à Christiano principe debita præstari uberrime amplissiméque potest, id illius iussu tuæ proferimus dicamusq; Sc. Putes si quid opũ illi, si quæ sunt fortunæ, si quæ uires: nec ea modo quæ sua sunt, sed quibu cunque gratia, meritis, necessitudine deuinctis, pro suis utitur, ea omnia ante tuæ Sc. esse deposita pedes, & hanc deuotionem suam ut clemens atq; benignus accipias precatur. Orat quoq; se, liberos, familiam, domumq;, & quicquid est ditionis suæ, Sc. tua ea uelit indulgentia humanitatéque complecti, quã semper ipse maioresq; sui ab sacra sede petiuerunt semperq; sunt assecuti: ipse dabit operam, proq; uirili enitetur, ut quoniam munificentia meritisq; in Sc. tuam conferendis, quantum cupit, præstare non potest, quod potest, cul tu certe & obsequio omnia præstet, quumque deuotione erga sanctitatem tuam, alteri quidem cesserit memini, tum ipse quotidie secum omni obseruantiæ genere decertet.

Dicta anno post natũ Christum M. CCCC. LXXXV. Pridie No. Iul.

IN GRATVLATORIAM ORATIOnem scholia per Alardum Aemstelredamum.




Enimus beatissime pater.) Quòd autem Pontifex Romanus beatissimus dicitur, nõ est nouum uocabulum. Sic enim scribit Hieronymus ad Damasum, Augustinus ad Bonifacium, & Erasmus in institutione principis Christiani mirum in modum probat morem, quo Romanũ pontificem sanctissimi titulo honorant. Dum enim hoc audit, assiduè commonetur, quid ab illo præstari oporteat, & quid in illo sit pulcherrimum: non si ditissimus sit, aut latissimè imperet, sed si sanctimonia præcellat. Recens hoc celsitudinis tuæ fastigium prosequuturi.) Diligenter obseruat in hac oratione id quod li. de inuent. dialect. 2. cap. 13. docet in gratulatione obseruãdum: In gratulatione, inquit, personas primũ necesse est beneuolas esse. Res uerò erit, ut aliquid eius cui gratulamur commodis aut dignitati accesserit. Conatus autem, quoniam ob beneuolentiam fauemus rebus illius, ut ostendamus nos lætari. Quæstio ergo erit, an illius p̄senti commodo lætemur. Lege D. Erasmi opus de conscribendis epistolis, de gratulatoria epistola, ad calcẽ ferè. Dumq; tu castas, ut Moyses ad Deũ, leuabis manus.) Historia refertur Exod. 17. & 32. Psal. 105. Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, ut auerteret irã eius ne disperderet

deret eos. Hieronymus aduersus Vigilantium: Vnus homo Moyses sexcẽtis millibus armatorum impetrat à deo ueniam. Lege Numeri cap. 16. Quo obedientia sacræ R. sedi.) Apud Germanos magna ex parte hodie excussa est obediẽtia episcoporum, sed ita, ut ne prophanis quidem magistratibus pareatur. Nemo hodie est, qui non ecclesię oppedat eiusq; pręcepta rideat, & episcopos ipsos exibilet, atq; suggillet, ex animo item magistratui nemo obtemperat, miserabilia enim inobedientiæ mancipia facti sumus omnes. Habet uulgus aures prurientes, suos prophetas, qui prætextu libertatis euangelicæ, episcopis præcipiendi autoritatem auferunt, qui equo feroci (uulgũ puto) chamum & frenum remittunt, ut effrenis sessorem excutiat, seséq; per præcipitia ipse dedat. In qua re, ut in alijs item multis, uidemus spiritum nostratium prophetarum, à catholicorum spiritu præter modum discrepare. Catholici obedientiã cum primis illustrarunt, eius in cœlo maximum meritum esse docuerunt. Nullum ergo in ecclesia catholica locum habet, qui autoritati rectorum detrahit, quiq; obedientiæ merito derogat, ut dicitur. 8. q. 1. Sciendum. Primi Regnorum cap. 15. Melior est enim obedientia, quàm doctrina: & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatrię, nolle acquiescere. Sola igitur obedientia, est quæ fidei meritum possidet, sine qua, quisquis is erit, infidelis cõuincitur, etiamsi fidelis esse uideatur.

ALARDVS AEMSTELREDAMVS Rutgero Rescio S. D.

OLim suauissime Resci, quum perquàm iuuenis unà cum Bartholomeo Coloniensi, uiro cum Latine, tum etiam Græce (ut temporibus illis) satis erudito, Alcmarię bonas literas profiterer, uix credas quanti pauculas admodum Rodolphi epistolas, lucubratiunculasq;, & fragmenta hæc ceu τῶν λαχάνων προσθήκας auctarij uice uindicata redemerim, idq; ab Antonij Susatensis filia Barbara, uirgine cum primis Latina & facunda, principio apud Campos, deinde Aemstelredamum, postremo Alcmariam patrum memoria cum patre optimo formandæ iuuentutis magistro, publicè docente. Quam opinor Daphnen tibi, sic satis fuisse familiarem sub id temporis, cum Alcmariæ, perquàm adolescens, Græce doceres. Nactus has opes quibusuis gemmis mihi chariores, pulchrè mihi uisus sum, quicquid erat peculij in eas expendisse, tantisper dum non ita multò postea elegantissimam Ciceronis orationem pro Q. Ligario euoluissem. In cuius calce cum ita scriptum reperissem: Nihil est enim tam populare, quàm bonitas: nulla de uirtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior misericordia est: homines enim ad deos nulla re potius accedunt, quàm salutẽ hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua maius, quàm ut possis: nec natura melius tua, quàm ut uelis conseruare quàm plurimos. His uixdum degustatis, mox mihi detractæ sunt cristæ, sensiq; me (quod aiunt) χάλκεα χρυσείων, id est, ærea pro aureis coëmisse. Proinde quæso te, mi Resci, diligenter excusso Demosthene, scrupulum hunc mihi quàm ocyssime uelim eximas, hoc est, suppositítios nec an non, fœtus hos esse censeas. Bene ualebis, Alcmariæ.

AD ALEXANDRVM MACEDONVM REGEM DEMOSTHENIS *simul & Aescinis oratiunculæ aliquot* Rodolpho Agricola *interprete.*



Ihil habes, rex Alexander, uel fortuna maius, quàm ut poßis: uel natura tua melius, quàm ut uelis seruare quàm plurimos. Nulla enim de uirtutibus tuis quamuis multæ sint, uel generosior misericordia, uel admirabilior clemẽtia. Nec per aliud accedere ad deos propius

potes, quàm ut salutem conferas hominibus, uel dando si eguerint: uel parcendo si deliquerint: uel indulgendo si supplicauerint. Cũ enim uincamur à dijs in omni munere, uel uirtute: sola clementia est quæ nobis deos reddit æquales. Proinde gaude, tam excellenti bono tibi ingenito fruere, fruere tum fortunæ tuæ gloria, tum excellentia clementiæ, quam expendere debes ad omnes, & ad eos maxime, apud quos educatus fuisti, & eruditus scientiæ lumen accepisti, & hunc celsitudinis principatum & fortunam sumpsisti. Nemo siquidem tam iniustus erit rerum æstimator, qui dubitet quin parua fuerit Atheniensium in recipiendis Thebanis aduersum te delinquendi uoluntas: tum statim cognito serenitatis tuæ nubilo, supplices ad te uenimus. Is enim quem delicti pœnitet, profecto declarat se maluisse non peccare, quàm pœnitere. Verum si aliqua tenemur culpa, expertes tamen facinoris sumus. Thebanos tam miseros, quàm miserabiles, urbe nostra recepimus, non ut hostes tuos, sed ut tuos, sed ut tuæ tantæ uictoriæ reliquias, & quasi de naui confracta delapsos seruauimus. Victis à te portas aperuimus. Aduersus te tamen arma non sumpsimus: humanitate potius iudicabis deliquisse, quàm scelere. Non odio tuo, sed errore. Non prauitate aliqua, sed forsan fatua pietate. Adde, quòd animus tuus his angustis terminis, quos natura dedit mortalibus ad uiuendum, nunquam potuit esse contentus: sed immortalitatis amore flagrauit, nec uita tua dicenda est, quæ solum corpore continetur & spiritu, sed diuina est. Domuisti Græciam, fregisti Lacedæmoniam, Thebas destruxisti, Persas postmodum debellaturus & Indos. Sed hæc omnia sunt hominum, quæ & naturam, & conditionem, ut fieri possunt habent: uerum animum uincere, sibi imperare, iracundiam cohibere, uictoriam temperare, uictis indulgere supplicantibus: quisquis hoc facit, non hic summis comparandus, sed Deo similimus iudicandus. Ne credas igitur iracundiæ, quæ inimica est naturæ consilio. Ne credas uictoriæ, quæ natura sui est insolens & superba: sed uince teipsum, qui cæteros & gloria uincis & uirtute. Quis enim uel nobilitate, uel probitate, uel optimarum artium studio, uel clementia, seu aliquo alio laudis titulo te præstantior? Quis clarißimorum regum, magnitudine bellorum, præliorum numero, uarietate uictoriarum, celeritate conficiendi, mentis amplitudine, pertinacia, clementia in subditos, liberalitate in omnes, tibi potest conferri, æquari gloria? Gloria siquidem tanta est tua, licet maior sit futura, quòd tropheis tuis & monumentis allatura finem non sit ætas, nec ullius fulmen ingenij.

AESCHINIS IN ATHENIENSIVM senatu habita Oratio.

REminiscor Athenienses, Alexandrum hac nostra in urbe liberalibus artibus eruditum, & Aristotelis disciplinis institutum, mores nostros, & ingenia nostra, apud nos didicisse. Ars regnandi ei tradita est, nos quoque nouimus ipsius magnitudinem, & constantiam, nouimus liberalitatem, & clementiam. Proinde mitigandus est, ut mihi uidere uideor obsequijs, non expectandus rebellionibus aut contumelijs. Illam indignationem animi quam in nos armauit, in beneuolentiam facile conuersurus, si nos obsequentes sibi supplices inuenerit.

DEMOSTHENIS ORATIO.

ADmirans uehementer admiror uiri Athenienses, quonam modo timiditatem nobis incutiens Aeschines, in deditionem & pueri potestatem monet nos uenire, quòd à bellorum studijs, quibus semper inclinati fuimus, suadet nos abstinere. Cum olim contra Persas non immerito suasit assumendum. Vos uiri Athenienses, uiri fortes, & inclyti, bellum Alexandri horrebitis, qui Magetas fudistis, uicistis Corinthios, Lacedæmones superastis, qui tot millia Persis regis à finibus uestris uirtute uincendo uestra propulsistis? Quibus mare ad nauigandum nō sufficiebat, portus ad applicandum, terra ad consessum, flumina ad potandum, qui montes in planiciem deducebant, ualles montibus coëquabant, maria pontibus sternebant. Quos tota Græcia uix capiebat: quorum iacula & tela uix aër admittebat: rem ridiculam, si huic puero inconsulto obuiare non audemus: qui tot prælijs, tot uictorijs pollemus? Profecto subtili consilio, duces & oratores nostros sibi dari postulat, ut spoliatam urbem suis*

DEMOSTHENIS IN EODEM senatu oratio.

APud uos in quæstione uerti uidere uideor, utrum sumenda sint arma nobis aduersus Alexandrum, an eius conditionibus & mandatis sit obsequendum. Super quo sententia Aeschinis laudanda, nec Demadis (si res exegerit) improbanda. An uires nobis non desint, si necesse esset ad bellum, sed nec præsentis pacis commodum, quod est finis belli, uidetur negligendum. Monet nos Demas exemplo antiquarum uictoriarum arma sumere. Sed exhibeat quæso tres duces, quales priscis temporibus constat nos habuisse. Non adest qui spolijs Persarum insignibus urbem nostram ditauit. Non adest Meltiades, qui Darium cum sexcentis millibus equitum in campis Marotonijs uictum turpiter fugauit.

Non adest Themistocles, qui Xerxen decies centenis millibus equitum elatum, quatuor milium & ducentorum numero terribilem, exigua latentem nauicula fugere coegit. Nunc aliud tempus est, aliud pro tempore ineundum est consilium. Videte, ne dum libertatem quærimus, seruitutem amittamus. Videte, ne si quosdam noluerimus, uniuersos tradamus. Cæterum qui uult in bello felicem consequi uictoriam, necesse est ut bellum præparet, militem instruat. Hostis timidus & insolens, in portis est cum exercitu non timido & imbelli, sed robusto & audaci: nos imperitos, non satis paratos inuenit. Proinde non prouocemus eum, nec reuocemus. A Persis sinamus eum abire, forsan non reuersurum. Ne forte impetum & iram, quam dudum concepit in Persas, cogatur in nos parturire. Nec dicamus nolle parere Alexandro, qui seruimus Philippo. Ne forte similes efficiamur Thebanis.

ROD. AGRICOLA ANT. LIBERO SVSATENSI S.



Vid est suauissime Antoni, quòd tamdiu nullæ mihi ex te redduntur literæ, quam ergo causam uis ut esse credam? Oblitũ te nostri putẽ? Dilectiores certè tibi sumus, quàm ut id mihi de te persuadere possim. An fugisse te laborem? Ne hoc quidem credere possim, hominẽ cui nulla temporis pars ocio surripitur, nulla hora sine honestissimorum studiorũ labore perit, tantillæ huius operæ tedium cepisse. An non fuisse qui perferrent? Nihil minus. Tam crebri enim eunt, atq; redeunt quotidie, ut cum alijs ex rebus tibi occasio fuerit scribendi fortasse quærenda, hæc etiam commoditas uel nolenti sese ingerit ultro. Quid igitur suspicabor? nouum aliquid, magnũ aliquid, & tale quiddã, quod quale sit, nec cõiectura assequi possum. Age ergo exime hunc mihi scrupulum, & ut hac quæ me acerrimè torquet, sollicitudine exoluas: scribe. Scribendũ est aũt tibi, primum ut hæc nostra familiaritas, ita ut pariũ studiorũ est cõciliata consensu, sic quoq; eodẽ, quo cœpit, literarũ amore firmetur. Quòd si in teneris adhuc puerorũ animis, quos eisdẽ scholis fortuna cõiunxit, tantã habet uim eisdẽ studijs erudiri, ut cõtractas inde amicitias ad extremã usq; senectã uideamus sanctissime durare: Quãtò magis id erit nobis adnitendũ, quos non casus, sed optimarũ artium cõmisit ardor: ut sicut honestissime hanc amicitiæ nostræ fidẽ colere cœpimus: ita diligentissime etiã in reliquum uberibus eam incremẽtis roboremus? Deinde etiã scribendũ est tibi, & amici desiderio mos gerendus. Quid enim iucũdius mihi, aut quid gratius esse poterit, quando res nostræ non simul esse nos sinũt: quàm amorem erga me tuum, ex tuis cognoscere literis? Hoc enim epistolarum munus est, quòd absentium beneuolentiam intercidere non permittit, hoc etiam

magno-

magnorum damna temporum sarciuntur, hoc quamuis ingentia locorum interual la cōiungit. Quicquid multis diebus, multis quinetiam annis egimus: modica com plectimur charta, & cum longissime disiunctis, ea fide, eoq; affectu, uelut si coram adessent, secunda, aduersaq; omnia communicamus. Et hæc quidem multis nobiscum communis est causa. Mihi uero tuæ literæ singularem quandam suggerunt desiderij propriamq; rationem, libet tenere eas, & quàm lōgissime iterū iterumq; perlegere, libet uerba omnia pensare, perspicere sensus, rerum uim intueri. Et quicquid est ingenij tibi atq; eruditionis, omni ex parte quàm pressissime conside rare. Ecquid enim aliud libeat mihi, quàm tuam illam humanarum artium peritiā, tota animi intentione tractare, gaudeamq; id mihi aliquando contigisse, ut tam ho nesto amicitiam uinculo necterem, talemq; me reperisse amicum, cuius & ego studia iure probem, cui & mea quoque probari posse confidam. Postremo quoq; scri bas oportet, & si non aliam ob causam, tamen uel ideo ut scribas. Scis tu quidem quantas laudes scribendi exercitationi tribuerit uetustas, utq; stilum optimum di cendi artificem semper uocarit, ex hoc omnem eloquentiæ & copiam & facultatem uelut fonte manare. Quicquid admiramur in Cicerone, laudamus in Quin til. in Plinijs, Liuio, Salustio prædicamus: Oratores, Historici, poëtæ, omneq; eru ditorum genus his est initijs profectum. Nec est, quod credamus, seculis istud esse mutatum, quandoquidem hac nostra ætate omnis eloquendi non profectus solum, sed & fructus atq; laudes ad has est angustias scribendi redacta. Aeschini inter oratorias laudes est habitum, quòd splendidæ fuerat uocis. Ipse quoq; de Demosthene dixit: Quid si audissetis ipsam bestiam sua uerba resonantem? Interrogatusq; Demosthe. cui primas in eloquendo partes tribueret: Et primas, & secundas, & tertias quoque pronunciationi se dare respondit. Hinc Cicero est regnare in iuditijs dictus. Hinc Hortēsius magis quàm cum legeretur placuit auditus. Hinc Periclem non dicere, sed fulgurare solitum & tonare ueteres tradiderunt. Quid igitur nos, quibus hæc benedicendi sunt præsidia atque adiumenta sublata: Quid inquam faciemus? tacebimus? nequaquam. Sed nitamur diligentius, atq; cum tempo rum iniuria certemus, contendamus discere, & uere ingenuas illas humanitatis ar tes toto nisu conemur amplecti, excudereq; aliquid, & relinquere, aut quod non spreuissent priores, aut quod non improbet posteritas, & ut (si quid minus fecerimus) non nostræ socordiæ, sed senescentis & prope ruentis seculi uitium fuisse uideatur. Tu igitur (ut redeam unde digressus sum) ut scribas aliquid, quàm creberrime tuas ad me literas dato, poteris grauiora, poteris tibi fortasse utiliora scribere: Mihi certe non poteris gratiora. Vale. Anno LXXI. Nonis Februar.

SCHOLIA.

QVID est suauissime Antoni.) Tota epistola hæc schematum flosculis scatet, & in his primas sibi uendicat ἀπόφασις, id est subiectio, exornatio cum primis utilis, & elegans, ut si qua alia, ad exercendiam iuuentutem augendamq; eloquentiam maxime necessaria. Ea est cũ quærimus quid responderi aut possit, aut debeat. Deinde subijcimus id quod dici potest aut oportet. Vide rhetoricam Herennianam, libro quarto. Quid igitur suspicabor.) Vtitur similiter desinenti, repetitione conuersione. Age ergo exime mihi scrupulum.) Plinius ad Seuerianũ tertio: Exime mihi hunc scrupulum, cui par esse non possum. Vide adagium: Scrupulum inijcere. Scribe scribendum.) ἀναδίπλωσις est. Ita ut parum studiorum conciliata.) Vbi absoluta similitudo, ibi uehementissimus amor, unde est illud: ὁμοιότης τῆς φιλότητος μήτηρ, id est, similitudo mater amoris. Eisdem studijs.) Quintilianus: Neq; enim est sanctius sacris eisdem, quàm studijs initiari. Quòd si in teneris adhuc.) A minori. Hoc enim epistolarum munus est.) D. Hieronymus in epistola ad Marcellã: Epistolare officium est de re familiari, aut de quotidiana conuersatione aliquid scribere: & quodam modo absentes inter se præsentes fieri, dũ mutuo quid aut uelint, aut gestum sit, nunciant, &c. Quamuis ingẽtia.) Id est, quamlibet.. Tota animi intentione.) Ita utitur & Cicero in Tuscul. Vt onera contentis corporibus facilius feruntur, remissius opprimunt: simillime animus intentione sua pressum depellit omne pondus, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. Vtq; stilum optimum dicendi artificem.) Cicero in primo de oratore. Idem C. Fabio Gallo: Vrgeo igitur transuersum unguem (quod aiunt) à stilo, is enim est dicendi opifex. Et Quintilianus libro decimo: Vt laboris, sic utilitatis etiam plurimũ affert stilus. Nec immeritò M. Tullius hunc optimum effectorem ac magistrũ dicendi uocat. Erasmus adagio: Exercitatio potest omnia. Lege quæ annotauimus in Rodolphum Agricolam libro tertio de inuent. dialect. capi. 16. ubi idem argumentum tractat, & quidem copiosissimè. In Cicerone laudamus.) Confirmat ab exemplis. Aeschini.) Is Demosthenis æmulus fuit, qui cum Demosthenem diceret omnem in oratione fiduciã habere, tibijs assimulauit eum, quibus si collũ dematur, reliquum corpus inutile est, & ille contrà Aeschinem trutinæ similem, quæ à quacũque parte infunditur, eò inclinat. Quod splendidę fuerat uocis.) Plinius in epistolis: Erat Aeschines si Demostheni credimus μεγαλοφωνότατος, uel ut alibi legitur, λαμπροφωνότατος, hoc est clara pspicuaq; uoce. Quid si audissetis ipsam bestiam sua uerba resonantem.) Hic locus est in epistolis Plinij iunioris libr. epistolarum 11. τί δὲ εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου ἀκηκόειτε, id est, quid si ipsam bestiam audissetis? Citatur à Diuo Hieronymo in epistola ad Paulinũ. Interrogatusq; Demosthenes.) Quintilianus libro undecimo. Hinc Cicero.) Socratica est inductio siue ἐπαγωγή. Hinc Hortensius.) Cicero in Bruto, & Quintilianus libro undecimo, cap. de pronunciatione. Hinc Periclem.) Hic est Pericles ille, qui bellis Peloponesiacis princeps fuit Atheniensium, nactus hũc dignitatis gradum eloquentia, quæ tanta fuit, ut poëtę, adeoq; Cicero ipse, non eum loqui dixerint, sed fulminare, tonare, & permiscere. Plinius iunior: Verba sunt poëtę, ἤστραπτ' ἐβρόντα συνεκύκα τὴν ἑλλάδα. Vide Rodolphum libro secundo, capite 13. & 24. & quæ in ea annotauimus loco.

Rodolphus Agricola suo Antonio Libero S. P. D.

ANnam matrem imprimendam dedi: quô plures testes stultitiæ meæ domestico præconio (ut Ciceronis uerbis utar) colligerẽ. Quid facerem enim? Nolui deesse mihi ipse, & uel concessam omnibus, uel correptam iã uindicatamq; libere

libertatem quiduis audendi non placuit amittere. Recte nec ne, illi uiderint, quorum periculo ista facio. Quum nemo meae turbae non scribat aliquid, & nomen cupiant proferre omnes: si laudandum est, amplector communem conditionem: sin uitio dandum, erit mihi iustior uenia uel hinc, quòd sequor exemplum, non probo. Hanc itaque culpam praestabunt hi qui coeperunt: ego ut neque honorem cupio, si bene cesserit: sic neq; fraudi mihi erit, si aliter uisum fuerit eis, quibus huius rei permissa est cẽsura. Oro autem, ut ad hanc formulam, id quod apud te reliqui, emendes diligenter. Fuit apud me quidã magister Gerardus Gaudensis, qui tecum locutum se esse aiebat de commentario quodam Vergilij, quod nuper è Gallia attulisset quidam sodalis suus. Vix sperare ausim politius quippiam futurum, quia tam exacte minima quaeq; in eo explicari Gerardus praedicabat: quicunque doctiores enim sunt, circa ea ferè quae reconditiora sunt laborant: & quae uulgus latent: ea proferunt in lucem, & summa magis (ut Vergilij ipsius uerbis dicam) sequuntur fastigia rerum. Quicquid tamen erit, si ad me miserit, ut affirmabat se facturum: non fraudabo eum sententia mea. Coloniae imprimuntur quaedã rhetorica nouiter condita: magnum sanè, & loquax uolumen, ut deprehendere ex annotatione capitum totius operis potui: sed quod male de summa rei sentire cogit, est: quòd is, quisquis demum ista scripsit: uidetur mihi fortè copiosius de arte potuisse dicere, quàm ex arte. Erant enim ea quae uidi horrida, & (quid aliud dicam) barbara, & scholarum nostratium sordes redolentia. Continget tamen illi fortasse, quod ferè stultis solet: ut & suam turbam inueniat, & alijs errorem suũ allinat. Habẽt enim uel praecipuum hoc malum deteriora, quòd non intra autores suos subsistunt: nec ferè quicquam tam peruerse fit: cui non modo patronus, sed etiam sectator non sit paratus. Vale. Ornatissimis & amantissimis uerbis meo nomine salutem dices magistro Ioanni Bernhardi, & magistro Iacobo Silio. Magister Alexander Hegius, qui hic ludo literario praeest, saluere te iubet. Iterum uale. Datum Dauentriae VII Idus Aprilis, anno LXXXIIII.

VT Ciceronis uerbis utar.) Cicero libro de oratore secundo: Hominis est ut tu Catule de quodam declamatore dixisti, stultitiae suae quàm plurimos testes domestico praeconio colligentis. Quicunque doctores enim sunt, circa ea.) D. Hieronymus: Doctiss. quiq; uix singulas quęstiões explicare possunt multis uoluminibus. & indocti quiduis audent. Et uel concessam omnibus, uel correptam iam uindicatamq; libertatẽ quiduis audendi.) Profecto ingenerosum est, ut ait Seneca, sapere solum ex commentario, & quasi maiorum inuẽta nostrae industriae uiam praecluserint, quasi in nobis effoeta sit uis naturae, nihil ex se parere, quod ueritatem si non demonstret. saltem innuat uel de longinquo: Hęc ille. Horatius in arte: Pictoribus atq; poëtis, Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. Hanc itaq; culpam praestabũt.) Id est, autore Cardinale Hadriano stabũt pro culpa. Cicero de oratore: Perge modo

Crasse

Crasse, inquit Mutius: Istam enim culpam quam uereris, ego præstabo. Idem Tuscu. disputat. Cum id quod ab homine non poterit præstari, euenerit, id est, caueri & prohiberi. Sic neq; fraudi mihi erit.) Id uitio uertetur, aut mihi ascribetur. Cicero pro Cluentio: Quæ res nemini unquam fraudi fuit. Idem in Philippicis: Quibus certè pietas fraudi esse non debet. Quędā rhetorica.) Ita Quintilianus ferè lib. orat. instit. primo. Magnum sanè & loquax uolumen.) Inscriptum hoc titulo, ars dicendi siue perorandi, alba (quod aiunt) amussi, quiduis congerens, quo longius redderet uolumen. Cuius totus sermo est infans, incompositus, insulsus, diffluens, sordidissimis uerborum portentis scatens. Quorum uel recordatio nauseam moueat generosis ac bene natis ingeniis. Videtur enim potius habuisse studium, ut liber magnus, quàm bonus esset. Rodolphus Agricola libro tertio de inuentione dialect. capit. 12. Implentur ingentia uolumina librorum: & totis paginis dicũtur, quæ singulis interdum uersibus poterant absolui. Sed summa sequar.) Vergilius libro Aeneid. primo: Longa est iniuria, longæ ambages, sed summa sequar fastigia rerum. Continget tamen.) Seneca: Nunquam tam bene cũ rebus humanis agitur, quin pessima placeant plurimis, optima paucissimis. Hieronymus in proœmio libro 12. comment. in Esaiam: Nullus tam imperitus scriptor est, qui lectorem non inuenerit similem sui, multoq; pars maior est Milesias fabellas reuoluentium, quàm Platonis libros. In altero enim ludus & oblectatio est: in altero difficultas, & sudor mixtus labori.

Videtur mihi forte copiosius de arte potuisse dicere, quàm ex arte.) Cicero in proœmio libri ad Herennium quarti: Tum quis est qui possit id quod de arte scripserit, nisi aliquid scribat? & quæ sequuntur.

RODOLPHVS AGRIC. RODOL. LANGIO S.

GAudeo humanissime Rodolphe, cõmuniũq; studiorum nostrorũ nomine plurimum lætor, tum uero gratulor gloriæ tuæ, eamq; in primis admiror. Ita consentiente, ac propè publica omnium uoce, tuæ ad me doctrinæ summæq; eruditionis laudes perferuntur. Quocunq; me uerto, quemcunq; doctũ conuenio, omnia tui plena sunt, oẽs te narrant, neq; ullus, qui de literatis est, te præterit sermo. Rem facis me hercule ut arduam, ita quoq; pulcherrimam, & hac claritate nominis tui dignissimam, qui ueterem illam & uerè ingenuam eruditionem excitare, in hac præsertim barbarie, assereręq; audes. Equidem ingenij tui uim, honestissimamq; animi institutionem, quibus digne prosequar uerbis, nõ inuenio. Vnum hoc tibi affirmo (neque uelim id à me dici blandius credas) ingentem de te concipio fiduciam, summamq; in spem adducor, fore aliquando, ut priscam insolenti Italiæ et propemodum occupatam benedicendi gloriam extorqueamus: uindicemusq; nos & ab ignominia, qua nos barbaros, indoctosq;, & elingues, & si quid est his incultius, esse nos iactitant, exoluamus, futuramq; tam doctam atque literatam Germaniam nostram, ut non latinius uel ipsum sit Latium. Proinde quæso adnitere, et cura omni, omnibusq; (ut aiunt) neruis contendito, ut quanto studio hanc tibi gloriam parasti, tanta eam constantia tueare atque confirmes. Aude sapere ita ut facis, & quamuis magnam indoctorum manum aude contemnere. Nihil te multitudo

tudo mouerit, ipsa plerunq; sibi obstat turba, & rarum est, ut inter se consentiāt, quibus non conuenit cum ueritate: prouocandi sunt hostes isti literarum, & in faciem coarguendi, ne sic quidem facile erit, ut in uiam redeant, & desipere desistant. Ego quidem, quanquam & molliore sum fronte, & propter conscientiam tenuioris ingenij, minus audeam: inardesco tamē nonnunquam, & bilem feruentis stomachi quandoq; acerbius effundo. Mallem hæc præsens tecum agere, & spero si in patria hāc hyemem manebo, tēporisq; ratio patietur, fore, ut te conueniam: est enim mihi si quid aliud, certe hoc desideratißimū, ut te uideam, aliquotq; tecū exigā dies, utinā totam ætatē liceret, quod si unquam licebit, malo id doctior & dignior tuis literis, faciā, poßimq; quāto te animo ante colere cœpi, tāta cōmoditate atq; concordia eruditionē tuā & studia sectari. Vale. Datū Ziloe 7. Kal. Nouēb.

Rodolphus Agricola Ioanni Reuchlin S.

Ἔγραψάς μοι, ὡς τῇ δευτέρᾳ ταῖν σοῖν ἐπιστολαῖν κατὰ τὸ τοῖς ῥήτορσι εἰθισμένον πρότερον ἀποκρίνωμαι, ἀκούειν μέν σε, ἐπαγγέλλεσθαί με τὴν ἀρετήν, τὸ δὲ πρᾶγμά σοι οὐχ ὁρᾶσθαι· πιστεύω γε ταῦτα λέγοντί σοι, ἀλλὰ εἴπερ οὕτως ἔχει τὸ ἀληθές, λόγων μάτην καὶ κενῶν δὴ ἀκήκοας ῥημάτων. οὔτε γὰρ ἐπαγγέλλομαι τὴν ἀρετήν, οὔτε δυναίμην ἂν πῶς γὰρ ἢ πόθεν; καίτοι ἡγοῦμαί σε τούτων ἢ τοιούτων τινῶν ἀκοῦσαι τῶν λόγων. ἀλλὰ ὑπὸ τῶν ταῦτα μὲν ἀντὶ ἐμοῦ τε καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ λεξάντων πρὸς τοῦτο δέ, ἤτοι διὰ τῆς εὐνοίας τῆς πρὸς ἐμέ, ὅτι οὖν εὐλέγχειν με προῃρημένων, ἤτοι διὰ τῆς τῶν πραγμάτων ἀγνοίας ἐσφαλμένων, ἔγωγε περὶ ἐμαυτοῦ οὐδὲν οὔτε γενναιότερον οὔτε λαμπρότερον ἂν ἐπαγγέλλεσθαι τολμῴμι. οὐδὲ ὦ θεὸς βουλοίμην, ἀλλὰ πρὸς ταῦτά γε εἴ τι βέλτερον ἐδυνήθην ἄν, νυνὶ κατὰ τὴν ῥαψῳδοῦ γνώμην, βεβαρβάρωμαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις, χρὴ γὰρ οἶμαι τἀληθῆ λέγειν, ἄλλως τε καὶ αὐτῶν τῶν πραγμάτων τὴν ἀλήθειαν περὶ αὐτῶν ἐνδειξάντων ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἅλις, καὶ ἄγαν ἔτι κατὰ τὸ δυνατόν μοι ἑλληνιστὶ ὡς πρὸς τὰ σὰ ἑλληνικά, τὰ δὲ λοιπὰ τῇ ἡμετέρᾳ τε καὶ γνωριμωτέρᾳ φωνῇ ἐμοί γε ἄμεινον γράφειν.

Postulas à me uir doctißime, uti literas ad te dem, idq; prope conuitio à me efflagitas: ego contrà, ad dandū cunctatior sum. Sapimus uterque, tu quòd quicquid est hoc studiorum meorum, mauis tuo iudicio quàm alienæ credere prædicationi. Ego quòd haud temere mihi uideor cōmittere debere, ut iudicium tuum subeā hominis tā multiplicibus disciplinarū literarumq; ornamentis expoliti. Quarum rerum abunde locupletes testes tuæ mihi literæ fuerunt. Gaudeo (ita me deus amet) uicem tuam, & quum animi naturæq; tuæ felicitati, tum uero in primis fortunis Germaniæ nostræ gratulor, quam si unquam, nunc aliquando expergefie-

ri oportebit, & ab hac barbarie qua tot iā sęculis uelut stupido sopore uel potius λυθάργῳ τινὶ oppressa tenetur excitari. Quod aūt eruditißime simul prudētissimeq; sententiā tuam de Hebraicis literis ad me perscribis, facis tu quidē humanißime, credo etiā uera te dicere, quid faciā tamen? si aliud mihi uidetur, scis enim quot hoīes tot sententiæ, ut in rebus humanis persæpe in mentē mihi ueniat dubitare, sit ne uerū id quod priscis nōnullis uisum est, eße id optimū in eis quod sit animo cuiusq; gratißimū. Itaq; mirū in modum sententia ea Græci poëtæ mihi probatur hac in parte οὕνεχ' ὑπέρθεν ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια θεῶν ἐν γούνασι κεῖται μοίρης εἰς ἓν πάντα μεμιγμένα καὶ τὰ μὲν οὔτις δέρκεται ἀθανάτων ἀλλ' ἀπροτίοπτα τέτυκται, ἀχλύϊ θεσπεσίῃ κεκαλυμμένα, τοῖς ἐπὶ χεῖρας οἴη μοῖρα τίθησι, καὶ οὐχ ὁρόωσ' ἀπ' ὀλύμπου ἐς γαῖαν προΐησι τὰ δ' ἄλλυδις ἄλλα φέρονται, πνοιῇ ὣς ἀνέμοιο. Itaq; adducar ut putē satis iustā causam mihi esse, quare debeant eæ literæ mihi placere, hoc ipsum ꝙ placent. Vt tamē scias quanq̄ nō recte, non tamen sine ratiōe me errare, puto uos magnos uiros qui clarum uobis splendidūq; ex illustrioribus studijs parastis nomen, etiā sine his literis facile rationē uitæ uestræ posse reddere. Quæ quidē si desint uobis, nō magnopere desiderentur, sin aßint uero, magnæ laudi dentur, acceßionē tamen quandā & uelut appendicem clariorū studiorum minores has artes & eße uultis & æstimari. At ego qui mihi sterilē hanc (ut ita dicā) arenam excolendā sumpsi, nisi aliquid amplius q̄ uulgus solet coner, quid erit quo à segniciæ noīe hæc mea studia defendā? Itaq; si minus in unoquouis eorū præstare possum, numero me tuear oportebit. Et hæc causa mihi cōis forte cū multis est, id qd' dicā proprie meū est. Reliquas literas alijs didici, cupiui enim pro uirili mea si qua possem literariæ Reipub. patriæ nostræ prodeße, qd' nisi spectassem, erat mihi eadē quæ omnibus uia & ad res parandas uberior, & ad noīs claritatē illustrior, & ad hoīm cōmendationē gratior. Has aūt mihi discā, statui enim senectutis requiē (si modo ea me manet) in sacrarū literarū perquisitiōe collocare, quū itaq; necesse habeā tūc libros eos legis intēte pēsiculateq; lectitare, uideor mihi eadē opa & literas hebraicas discēdo eos legere, & legēdis eis hebraice discere posse, simulq; τὴν ἰδιότητα ἐκείνου τοῦ λόγου μυστηρίοις πολλοῖς γέμουσαν pernoscere. Basilius quoq; noster quē deterruiße te scribis, acriter me incitauit, secutus tamē fortasse impetū meum, & calcaria (ut dicitur) currenti subdēs. Quin tu quoq; qui contraria sentis, nescio an acerrimis me facibus extimules, turpe nanq; fuerit mihi uel nolle id, uel non posse percipere in hoc studiorum ocio, quod tu tantis tamq; diuersis districtus studijs discere potuisti. Basilius de quo scribis, in patria est, fuit mihi arctißima cū eo familiaritas,

nuncius

nuncius interpellat. Vale, Heidelbergæ, quinto Idus Nouemb.

Rodolphus Agricola Ioanni Reuchlin Phorcensi S.

QVum Plinius meus uel noster potius (quid enim debeo non commune utriq; nostrum putare præter inscitiam meam) & cum præsertim quem quantum mihi longus usus familiaritasq; uitæ conciliauit, tantum tibi studia præclara uirtutesq; deuinxerunt tuæ. Is ergo quum ad te proficisceretur, non potui sine meis ad te literis eum dimittere, non quod certa aliqua aut digna causa esset scribendi, sed ut memorem me tui perspiceres, hoc est, ut tantum scriberem, quanquam hoc ipsum scribere, tibi præsertim homini cuiusmodi te censeo, αὐταύτωρ ἑαυτῷ ὅσι καὶ αὐταρκὴ ἔχει τὴν πρόφασιν ἀεί. Audio duxisse te uxorē, quod ut felix faustumq; tibi sit, eueniatq; uotis omnibus precor, laudoq; sententiam tuam & uehementer (ita me deus amet) probo. Ipse quoq; in priori ætate id facturum me destinauerā, sed postea quàm iam incepi diligentius me ipse introspicere, auersus sum ab eo consilio, non incommodis rei uxoriæ quæ multi κακότεχνοι multis uerbis prosequuti sunt, sed deterruit me potius genus uitæ meæ, & animus leuissimis etiam curis impar, καὶ φιλήσυχόν τι τῆς φύσεώς μου ἤγε μᾶλλον ἀπραγμοσύνη καὶ ὡς ἀληθέστατον εἰπεῖν ἡ ῥαθυμία παντὸς τοῦ βίου. Quid enim necesse est mihi uitia mea speciosis circundare nominibus: itaq; fortem te felicemq; hoc ipso instituto tuo iudico, tamen ut pro hac ipsa fortitudine tua in reliquum par tibi respondeat felicitas, id quantum quicquam mihi, tantum tibi doctissime, humanissime opto atq; semper optabo. Implerem chartam, sed nuncius interpellat. Vale. Datū pridie Non. Februarias Heidelbergæ.

Rodolphus Agricola Alexandro Hegio suo S.

REdeūti mihi domū redditæ sunt literæ tuæ. Abfuerā enim quindecim dies, negotij cuiusdam obeundi causa, à senatu nostro in Hollandiā nomine reip. nostræ ablegatus. Quòd acceperis autem, Antuerpiæ uisum me fuisse: id secus, atque res habet, tibi narratum scito. Quòd aperire ludum literarium Dauentriæ auspicatus es, ut felix id, faustumq; tibi eueniat, opto. Quanquam non ignorē hanc primam huius negotij frontem, parum blande tibi respondere, & locus ipse pestilentia uastatus, & proinde horridus, & uelut abominandus tibi uidetur: quodq; hinc sequitur: necesse est, auditorium tibi infrequens, & penè desertum, nedum non celebre, & expectatione tua dignum contingere. Quanquam id damnum facile, & breui quidem, ut spero, tibi resarciet & felicior temporum ubertas, & redditum salubrius cœlum. Ego intra oppidum hactenus me continui, quanquam nonnunquam reprehendar, & sint, qui in temeritatis parte hanc, uel fir-

mitatem, uel uerius forte contumaciam animi mei numerent, soleo uidere, hocq; tantum respondere: Si finis hic me manet, ut pestilentia defungar, non esse subeundum mihi periculum, ut sint perforandæ mihi nares penna, quemadmodum pullis pituita laborantibus. Quid quæris? Ego puto omnia futura esse, non quidem necessario, neque enim in ea sententia sum: sed tantū futura esse, moriar ego pestilentia, aut non moriar, utrum horum uerum est, id eueniet, quicquid autem faciam, uerum id est, quicquid igitur faciam, itidem & eueniet. Scio quid respondeas. Si uerum, quod futurum dicitur, atque proinde futurum est, futura etiam sunt, quæ uiam aditumq; præbent ad id quod uerè futurum dicitur. Vides parum dialecticè hoc responderi, cum propositorum nihil possis negare, neq; culpare argumentandi formulam. Deinde licebit eandē controuersiam facere de medijs illis, per quæ ad finem peruenitur: quæ de fine facta est: an & per se uerum sit, futura ea esse, & an per ea ad finem futurum uerum sit peruentum iri. Postremo ut scrupulosam hanc cauillationē missam faciā, & apertius loquar, quod futurū dicitur, extra scientiam meam iacet, iacet & extra arbitrium meum: ut sit mei autem arbitrij ea eligere, per quæ credam futurū illud prehendi uel uitari posse, quis mihi uates, uel quis deus potius perducentium eò quò uolumus, aut contra auferentium ab eo, hoc est, utilium inutiliumq; certam, & exploratam ostendet notā, quum uideamus ab una uia multos prouenire exitus, & contrà multas uias eodē persæpe tendere: itaque cum omnia fecimus, omnia curauimus, quæ credimus in rem fore: tum id demum assecuti uidemur, ut rectius speremus, & maiora fiducia faciamus uota, hinc scilicet uulgò dicitur fortunā in omni re dominari. Hinc Iuuenalis ait: Ille crucem precium sceleris tulit, hic diadema. Tragicus quoq; exclamat: Multi ad fatum uenere suum, dū fata timēt. Quòd si uere igitur futurū aliquid dicitur, futurum id certe est, sequar quidem, futurum utiq; est, fugiam licet, futurum tamen est. Sed potest, inquis, non fieri: possit sanè: quid ad rem, possit, necne fieri, si idē utriusq; sit exitus, aut quid mea interesse credis interea me cū possim uiuere, quàm cum non possum, nisi iuxta hanc potestatem perpetuo tormento spes metusq; pectus meum diuellant, & alternis sibi uendicent, sollicitiorq; perueniam eò, quò & uolenti, & nolenti est utiq; perueniendum. His rationibus cū inanem repuli metum, facio tamen quæ profutura puto, & quantum mediocri cura, diligentiaq; consequi possum, conor: ut fortasse (quanquam nihilo tutius, quàm qui periculosissime) securus tamen sic in hac luce quomodocunque degam. Sed unde, aut quorsum nobis hæc intēpestiua philosophia? Fuit ad me Henricus frater missus à domino Bartomagensi, dedi illi libros meos portandos Heidelbergam, per quem scire

scire uelim, fuerit'ne allocutus te ex itinere, id enim facturum se dixit: & si fuit, quid de eo tibi sit uisum. De pestilentia quàm primum potes, facito me certiorem, quomodo apud uos aut cesset, aut saeuiat. Cupio enim ut primũ commode potero, iter suscipere, & te Dauentriae, si tutũ putabis, cõuenire. Vale. Datũ Groningae.

Rodolphus Agricola Ioanni fratri S.

RODOLPHUS Philippi ex literis quas ad eum dederas, pertulit ad me nuncium, quem illi mandasti cupere te, si qua possem, ut ad te uenirem: addidit etiam coniecturam, quid id esse crederet, quod tantopere ex me scire uelles: quod ego quoque credo coniectare me posse. Videor enim intelligere quid apud uos egerit Nicolaus caduceator, uel (ut uulgatiori uerbo utar) Heraldus Maximiliani. Quod si quid hac de re scripsisses, possem siquid certi haberẽ de his quae scire uelles, respondere: nũc nihil tibi interroganti respondere me, ut superuacuũ, sic stultum uidetur. Quòd autem cupis, ut ad te ueniam, non est mihi nunc facile factu, nam & tempus quod sit, ipse uides: & res meae non patiuntur, ut scis, hinc me temere abire. Quod si tamen tale quicquam sit, quod ad res, aut negotia clarissimae foeminae dominae tuae pertineat, libens, paratusq; aut omnia diligentissime scribã, aut ipse quocunque illa iubebit, ueniam. Secutus sum aulam Maximiliani dimidiũ hunc annum, & tantorum laborum, & itineris molestiam pertuli, & cum mendacissimis illic, & auarissimis perinde monstris aliquibus hominum conflictatus sum: impetraui nostris cõmeatum fidei publicae pro hoc autumno qui praeterijt: praeterea effeci, ut si uelimus prosequi denuo causam illam, in qua iampridem per contumaciam condemnati sumus, ut nosti: possimus rursus experiri de iure nostro: releuabimurq; à priore sententia, per contumaciam lata, omniaq; nobis facilime ex sententia nostra cedent: nisi nobis ipsi, quod plerunq; solemus, uelimus deesse. Nihil est opus ut quaeras, quam gratiam pro hac solicitudine mea, quam beneuolentiam apud ciues nostros meruerim: scis morem & ingenia nostrorum hominum: quae quanquam & antehac iamdudum cognoui: tamen nũc prolixissime, & uberrime expertus sum. Itaque statui in futuram aestatem, si qua possum, diuellere me hinc, & aliquo loco sedem inclinanti se & labenti circumspicere aetati: quod nisi bellum hoc Traiectense ubique omnia turbaret: fortè iam prouidissem aliquid quò me reconderem: nunc pendeo animo, & omnia circumspecto, & quocunque spes me uberior rapiet, illuc accedam. Vtinam casus me in meliorem aliquem portum impingat, quia fortasse, si modo quicquam tolerabile eueniat, in primo cadauere, quemadmodum coruus ex arca Noë emissus, haerebo. Perueneram in aula Maximiliani in summam & arctissimam familiaritatem Cancellarij

Burgundiæ, quem superiore anno Bruxellæ uidisti: item & Cancellarij Brabantiæ, non pecudis illius mutilæ, quæ hactenus fuit, sed alterius docti & insignis uiri, qui in locum illius suffectus est, adeò ut Cancellarij Burgundiæ, ubicunq; is adesset, ferè quotidianus essem conuiua. Præter hos, & alij erant & uetere consuetudine studiorum, & nouo usu & familiaritate in amicitiam adducti, qui omnes, & ante omnes Cancellarius Burgundiæ, summopere conati inserere me familiæ Maximiliani, nihil nõ promittebant mihi, si modo scirem uti fortuna mea, habitaq; est crebra apud Maximilianũ de me mentio, cum tanta prædicatione rerũ mearũ, ut ipsum me puduerit laudum mearum. Itaq; inter multa respondi semper gratissimum tale tantorum uirorum esse mihi de me iudicium, sed nondum posse me constituere, quid facturus essem, quum adhuc ministerio oppidi nostri addictus essem, & non satis honestum mihi uideretur, si alteri adhuc deuinctus, alteri me etiam obligarem. In summa, nosti ἀπραξίαν, hoc est (quomodocunq; latine dicere possum) lentitudinem meam, uel amorem quietis, & difficile esse mihi qui totam ætatem in studijs consumpsi, illa nunc relinquere, quum iam confugiendum mihi ad ea esset. Itaq; malui adhuc retinere quietem meam, & in libertate hac permanere. Fui Aquisgrani apud dominum N. qui humanissimè me excepit, mihiq; apud illum triduum aderat illic Theodricus Plinius noster, & Adolphus, D. Bartolomeus à Vuelda, fuimusq; lætissimi, & in omnem pristinam nostram consuetudinem libertatemq; uitæ effusi sumus, iusseruntq; ut te amplissimis uerbis suo nomine salutarem. Fui Antuerpiæ, diuertiq; illic in eadem domo quindecim dies cum nostro magistro Iudoco, qui priore anno nobiscum Bruxellæ fuerat, uiximusq; familiarissime unà: motusq; impulsu eius, scripsi oblata occasione, nonnullos uersiculos, epitaphia & hendecasyllabos de ipso, tam gratos ei, ut affirmaret nolle pro eo locum se in Martialis epigrammatis habere, & alia nõnulla, quæ si nũc ad manum habuissem, misissem tibi: is tibi etiam iussit salutem dicerem, itidem & Bruxellæ omnis familia diuersorij nostri. Tu quæso quod semper dicere & monere te sum solitus, fac sacra gratijs, & ingenijs hominum te accommoda, semper quòd summissius agas, quàm potes, neq; unquam gratiæ, aut fortunæ tuæ extrema linea uelis uti, quoniã summitati rerum, præcipitium proximum est. Vale feliciter, & honestissimo æquiti, D. Magistro Hiccio obsequium meum commenda.

NOmine reipub. ablegatus.) Haud scio an non rectius legatur, legatus aut allegatus. Nam ablegare est ferè in exilium eijcere, aut à conspectu remouere. Plautus in Cass. Hinc adolescentem peregre ablegauit pater. Terentius in Hecyra: Aliquò est mihi ablegandus dum parit Philumena. Et proinde horridis.) Proinde non raro

capitur pro eo quod est ideo uel potius, itaq; quapropter semper dependet à superiore sententia. Pestilētia defungar.) Id est, moriar atq; liberer ita uitæ laboribus, idq; pestilentia. Vt sint perforandæ mihi nares.) Remedium aduersus pituitam, Plinius subindicat lib. 10. cap. 57. Non quidem necessario.) Neq; enim quia futurum quid est, proinde necessario erit. Nam etsi futurum potest, tamen non esse.) Vide Gellium libro tertio, cap. primo. Fortunam in omni re dominari.) Salustius in Catilinario. Tragicus quoq; exclamat.) Verba sunt Senecæ Tragici in choro quinti actus Oedipi, legendum arbitror, non ut scriptum offendimus: Multis precium me tuisse nocet, Sed multis ipsum tinnuisse nocet, factum scilicet.

Rodolphus Agricola Alexandro Hegio suo S. P. D.

NOn facile dixerim, quantum mihi uoluptatis literæ tuæ attulerunt, quum quod tuæ, id est charißimi mihi hominis erant, tum quod intelligo quotidie politiorem te, limatioremq; fieri, & summam in spem adducor, aut tuo ductu, tuis monitis & institutione, aut nullius præterea uiribus cultiores literas in Germaniam peruenturas, & arcem aliquando occupaturas: ostendi eas domino Vormaciensi, qui itidem ut ego Germaniæ nostræ spei gratulatus est, atq; Macte uirtute, inquit, sic itur ad astra. Quod petis, ut Luciani Mycillum, quem Latinum feci, tibi mittam, dedicemq; tuo illum nomini, utrunq; si non petisses etiam, facturus erā: sed uereor ne tam celeriter illum tibi mittere queam, nondum recognoui, aut è prima schæda illum repurgaui, adeo ne respexi quidem, postea quàm traduxi. Occupant me studia domini, quanquàm parum, quia parum uacat ei propter multitudinem negociorum, quibus quotidie distinetur: deinde nonnihil temporis absumit mihi, quod prælego publicè, tametsi idipsum satis suspensa peragam manu. Est auditorium mihi, ut hoc loco, satis frequens, sed tamen sunt eiusmodi ferè, qui propēsius cupiant hæc studia, quàm commodius poßint: maxima pars magistri sunt, aut scholastici (ut nos dicimus) artium, quibus necesse est omne tempus illis suis cauillationibus impendere, angustißimum & uelut subcisiuum diei fragmentum quoddam in hæc studia patet illis, quo fit, ut ipsi minus poßint, & ego segnius coner. Ergo hæc quæ dico, quanquàm leuiter quidem, occupant me tamē. Accedunt, præter Latina & Græca, quæ mihi quocunq; poßum modo, tuenda sunt, quanquàm & nōnihil damni in eis me facere intelligo. Sed accedūt ad hæc (ut dico) studia Hebraicarum literarum, quæ mihi nouum & plenum molestiæ negocium exhibent, ut mihi uidear cum Antæo luctari, & multo plus laboris in his (id quod minime arbitrabar futurum) quàm in Græcis exhaurire, nisi fortè tamen æquiore animo, præteritorum meminimus laborum, quàm præsentes subimus. Verum utcunq; sit, decretum est persistere. Primum, quia cœpi, ut constantia tuear errorem, deinde quia in Græcis, in quibus quantumuis parum effecerim, poßumus tamen affirmare, neq;

re, neq; operæ me, neq; impēsæ pœnitere. Quia in his ergo uoluptas maxima, quā capiebam, & adhuc capio, deflorescit nonnihil, & eo ipso fortaßis ad fructum tēdit, putaui mihi rursus animum nouis quibusdam studiorum illecebris excitādum. Ad hæc puto mihi illustriori aliquo peruincendum esse, ut quòd sterilia hæc literarum studia, tota uita consector, iudicio uidear id, non segnicia facere. Sed ut (qđ uerißimum & perinde rectißimum esse puto) dicam, destinaui senectutem meam (si modo me manet senectus) studio sacrarum literarum, uideorq; mihi una opera nunc ueteris, &c. Nosti enim stomachum meum, ut nequeam sectari barbarorum impuritatem, horrorem eorum, qui nunc omnia occuparunt. Nosti contrà quoq; stomachū illorū, ut clament, ut insaniant, & contumeliæ ducāt loco, si quis audeat scita illorū cōuellere, & conari docere: pueros se, superuacua, deprauata, quæq; senibus sibi rursus dediscenda sint, didicisse, possunt tamen hæc facere, ut deberem: ut desistam, non poterunt. Vale, honestißimis uerbis salutato meo nomine hospitem tuum M. Richardum, & modestißimam fœminam coniugem eius. Datæ præpropere, Vormaciæ, tertia septimanæ, sic uisum est mihi uocare, quod nos uel barbare Feria secunda, feria tertia, uel ἐθνικωτέρως, Lunæ, Iouis, Martis, Mercurij dicimus.

MActe uirtute inquit.) Vide prouerbium βάλλ' οὕτως. Satis suspensa peragam manu.) Erasmus adagio: Suspensa manu. Quæ mihi nouum & plenum molestię negocium exhibent. D. Hieronymus in epitaphio Paulæ matris ad Eustochium uirginem: Hebręam linguam, quam ego ab adolescentia, multo labore ac sudore ex parte didici, & infatigabili meditatione non desero, ne ipse ab ea deserar. D. Hieronymus in prȩfatione in Danielem: Deniq; & ego adolescentulus post Quintiliani & Tullij lectionem ac flores rhetoricos: cum me in linguæ huius pistrinum reclusissem, & multo sudore, multoq; tempore uix cœpissem anhelantia stridentiaq; uerba resonare, & quasi per cryptam ambulans rarum desuper lumen aspicerem: impegi nouissime in Danielem, & tanto tædio affectus sum, ut desperatione subita omnem laborē ueterem uoluerim cōtemnere. D. Hieronymus in epistola ad Marcellam: Nos ut scis Hebræorum lectione detenti, in Latina lingua rubiginem obduximus, in tantum, ut loquentibus quoq; nobis stridor quidā nō Latinus interstrepat. Vt mihi uidear cum Antæo luctari.) Plautus in Persa: Cum Antæo deluctari mauelim. Superauit erumnis suis erumnas Herculis. Boëtius lib. 4. de laboribus Herculis: Strauit Antæum Libycis Harenis. Fuit autem Antæus terræ filius, qui lucta cōgressus est Herculi. Quod certamen Diotinus ita depinxit:

τὰν ἥβαν ἐς ἄεθλα πάλας ἤσκησε κραταιάς
 ἀλλ' ποσειδῶνος, καὶ διὸς ἁ γενέα.
κεῖται δὲ σφιγγάγων, οὐ χαλκὶς ἀντὶ λέβητος
 ἀλλ' ὅστις ζωὰν, οἴσεται, ἢ θάνατον.
Ἀνταίου τὸ πτῶμα, πρέπει δ' ἡρακλέα νικᾶν
 τὸν διὸς, ἀργείων ἁ πάλα οὐ λιβύων.

Id est, Angelo Politiano interprete:
Incaluere animi dura certare palestra
 Neptuni quondam filius, atq; Iouis,

Nec

Nec certamen erant operoso ex aere lebetes,
Sed quod uel uitam, uel ferat interitum.
Occidit Antaeus; Ioue natum uincere fas est,
Estq; magistra pales Graecia, non Libya.

Quod uerissimum & perinde rectissimum.) Perinde aliquoties significat aequè ac pariter. Cicero: Et Dolabellā perinde diligo. Plinius in epistolis: Funus Ruffini clarissimi uiri & perinde felicissimi. ἐθνικοτέρως.) Id est, gentilius siue magis ethnicè. Augustinus in psalmū 93. in praefatione psalmi: Dies nostri à dijs uocantur, & male nonis Mercurij, melius esset si ab ecclesia dicerētur feria 2. & 3. Vide Iacobum Fabrum Stapulensem in commentarijs in Paulinas epistolas.

Rodolphus Agricola suo Alexandro Hegio S. D.

Dolui suauißime Alexander (si quid mihi credis) & quàm potui aegerrime tuli, ut ex literis tuis accepi, fuisse te hic interea, quum ego abessem. Nec id *tam quod tu spe profectionis tuae frustratus es congressu, sermonibusq; nostris, q̄ quod mihi usus studiorum meorum, licet breuis, licet exiguus, aliquis tamen ereptus est, quantuluscunq; is fuisset. Putassem enim magnum eum, quando nihil mihi iam non magnum est quicquid occasionis mihi datur ad studia, & omnibus carenti pro maximo est quodcunq; contingit. Difficile est, ut explicem tibi, quàm mihi omnia mea, & ipse ante omnia displiceam. Perit mihi quotidie studiorum, nescio amor an usus dicam, certe usus, & ob id fortasse paulatim & amor. Sentio q̄ magnum damnum fecerim literarum, posteaquam ex Italia deceßi, si tamen eae sunt literae meae, in quas magnum poßit damnum cadere. Iam labi memoria autorum, iā historiae excidere, iam uerborum proprietas, copia, decor defluere incipiunt. Si quid soluta oratione tento scribere, difficulter sententias, & eas pigras inertesq;, & quae tantum impleant locum, suppedito. Oratio ipsa horrida, disiecta, incomposita, qualis fortasse semper, sed nunc tamen solito magis, talisq; quae rem, quam dicere cupio, designet potius quàm explicet. Versum rarißime quidem, sed si tamen facio, non pedes in ordinem, non sonus carminis, non spiritus respondet, & utcunq; prouenere, non qualia probem, sed qualia poßum effundo, aut exprimo (uerius dixerim) & reluctanti pectore euello. Cuius rei, praeter alia, haec mihi causa est, quam quum alijs magnam credo, tamen mihi maximam esse intelligo: deest enim acerrimus mihi studiorū stimulus, exactor eorū & socius, qui cū cōmunicē, in cuius aures ego, ut itidē in meas ille deponat qcquid cogitādo inuenerit, scribēdo effecerit, legēdo didicerit, & uel laude dignū, uel acriori iudicio annotarit, quiq; semp ingerat aliquid, percōtetur, dubitet, disceptet, modo negligētiū liberiori reprehēsiōe cōstringet, modo conatū benigniori proucbat laude, utq; semel syncere omnē inter studia beneuolētiae fructū cōplectar, q dicere uerū, quiq; audire sciat et*

uelit,cũ quũ te mihi esse persuadeã.pro summo tuo studiorũ amore,proq; candore animi tui, nihil est omniũ quod malim,q̃ posse unà nos ætatẽ degere.qđ quia p res nostras nobis non licet,facile æstimabis,quod nobis solũ restat,cõgredi quandoq; et colloqui, q̃tum mihi doluerit id proxima mea profectione nobis esse præreptum. Quia uero hunc usum amicitiæ rariorem nobis prospicio futurũ,ad literas redea mus censeo,oculorũq; damna,animorum uoluptate resarciamus. Interea tamen ne qua cessare beneuolẽtiam tuã patiar, aliud mihi pignus animi tui deposcam,quod quale sit,paucis dicam. Est mihi frater Henricus,minor q̃ Ioannes natu,huic desiderium incessit discendi literas,nescio an satis consulte,tamen quia dehortari nequeo,deterrere eũ nolo. Fuit Monasterij ad Fridericũ nostrũ, dimidium paulò amplius annũ, ibi prima ætate percepta rudimenta, quãtum per id temporis potuit, recollegit. Iam Fridericus aliò profectus est, datus cuidam domui pater. Henricus in patriam rediijt,orat instatq; ut rursus cum aliquò ad studia mittam. Circumtuli mentem quorsum,uisumq; est potissimum ad te. Exploratũ enim habeo, libenter te mea causa,quicquid poteris,gratum illi facturum. Admouebis interim oculos,dabisq; operam,si modo uerus est amor discendi,quem præfert, ut illum præceptoris diligentia confirmet,uictui necessaria,ut solent nostrates,secum afferet, pecuniæ pro tempore mittentur,diuersorium,ubi tibi commodum uidebitur, prospiciet. Reliqua omnia ex tua sententia. Hoc quoque perquàm uelim scire,ecquis apud uos sit, qui subsiciuis operis doceat adolescentes, ubi à schola publica uacant,quemadmodum scis Fridericum nostrum solere, & sit ne liberum quibusuis non capitiatis adire,datis mercedibus. Valde enim cuperem prima cum elementa q̃citissime perdiscere. Quoniam mea sententia,longiore circa hæc mora,non tantum tempus amittunt pueri, sed quẽadmodum à nostris scis tradi,horrore quodã barbarieq; imbuuntur,ut postea non serius modo, sed difficilius meliora percipiant. De his omnibus me q̃ primum poteris,fac,oro,certiorem, mittã eum proximis diebus ad te,ubi literas tuas accepero. Plinium,quẽ petis à me,quanquam crebro in manibus habeam,perferendum illi ad te dabo. Possum uideri transijsse,nedum impleuisse iustum epistolæ modum, quam Demetrius Phalereus breuem uoluit esse,alioqui si lõgior sit, librum potius,cui salus præscripta sit,q̃ epistolam uideri. Mihi uero (qui facilius epistolæ, q̃ amicitiæ nostræ leges uiolauero) contra, magnus est autor, qui stultũ dicat esse certũ epistolæ finẽ imperari, quum pro rerum modo necesse sit magnã eam minorémue fieri. Quid inquit,necesse est sapientiã uel puerilibus cubitis, uel schœnis Persicis metiri? Quo æquiore animo in hanc legem committã. Quod & si nõ essent mihi multa quæ scriberẽ,abunde tamẽ iusta

causa

causa, multa scribendi, hoc ipsum esset quod tibi scribo. Quaeris quid inter mimũ, histrionẽ, & personã intersit. Mimũ & histrionem idẽ crediderim esse, eum dico qui fabulas in scena agit. Nisi quod mimus à graeco μιμέω, id est imitor, originem ducit, Histrionis Thuscum uerbum esse autores affirmant. Fuit tamen & poëma apud ueteres, quod mimos uocarent, salibus tantũ & dicacitate gratũ, & humillimi inter omnia δραματικὰ generis. unde ego etiã mimi nomen ferè humilius q̃ histrionis apud autores inuenio, quanq̃ tamen Paridem Iuuenalis histrionẽ uocet, Quod non dant proceres, dabit histrio. ideq; pantomimus fuerit. Persona à personando dicta, est id quo histriones faciẽ suam in scena tegebant, alienamq; praeferebant. Vt est apud Iuue. Personã thyrsumq; tenent, & sublegat acti: ut sit quod Graeci προσωπεῖον uocant, uel μορμολύκιον, quanq̃ της μορμολυκίας nomẽ ad terrorẽ incutiendũ magis pertineat. Dicitur etiã persona, is qui p̃sonam sustinet κατὰ συνεκδοχὴν, ut: Est mulier, nempe ipsa uidetur, nõ persona loqui. Scurrae latinum nomen esse eius, quod parasitũ Graeci uocant, puto, nulloq; distare, nisi q̃ parasitus ἀπὸ τοῦ παράσιτεῖσθαι uelut honestiore parte nomen habet. Scurra à libertate, licentiaq; linguae dici uidetur. Vterq; uerò is, qui uictus quaerendi causa, omniũ se ludibriorũ patientiae addixit. De parasito Iuuen. Viridẽ thoraca iubebit Afferri, minimasq; nuces, assemq; rogatũ Ad mẽsam quoties parasitus uenerit infans. De scurra, Populi frõs durior huius. Qui sedet & spectat triscurria patriciorũ. Subijcit deinde quae sint ea: Planipedes audit Fabios, & quae sequũtur. Nebulo quid sit, idẽ autor docet: Et eodẽ iure natãtes, Mergere ficedulas didicit nebulone parente. quanq̃ nebulonis noĩe, quod ex uerbis Gellij significari uidetur, proxime accipiantur hi, qui hodie retia circũferunt, & dicacitatis certamine uictum quaerunt. Nepos dicitur (ut arbitror) quasi nõ potẽs gulae, idẽ ferè qui apud Graecos ἄσωτος. Leccatoris nomen germanicũ est, ut pleraq; alia apud nos corrupta: quale est reisa, burgimagister, scultetus. Sicut è Gallia, p̃ ssagiũ, pro expeditione bellica, guerrã pro bello, treugam pro inducijs accepimus: ἀνθρώπου nomẽ unde ducatur apud Graecos, aeque ineptum puto quaerere, q̃ apud nos unde hoĩs, quasi ullius rei nominandae debeat hominibus antiquior fuisse cura, q̃ sui ipsorum, siue ab ἀνὰ καὶ τρέπω, siue (ut alij) ἕρπω, κατὰ μετάθεσιν τοῦ, siue τρέφω dicĩ quis uelit, ingenij magis, q̃ ueritatis opus crediderim, quocũq; modo dicatur. Vesper extremũ diei est. Salust. in Iugurti. Iã diei uesper aderat. Catul. Vesper adest iuuenes, cõsurgite uesper olympo, Expectata diu uix tandẽ lumina tollit. Nã quod tu uespere apud Ouidiũ pro plaga occidẽtali legis, τροπικῶς dictũ est, ut apud eundẽ, Eurus ad Aurorã Nabatheaq; regna recessit. Aurorã enim proprie coeli

faciē dicimus, rubore propinquantis solis suffusam, deinde tēpus diluculi, tamen etiam κατὰ συνεκδοχὴν orientis partē. Vespera quoq; apud Plin. est in 8. li. epist. Varijs, inquit sermonibus uespera extēditur. Et sub uesperū dicit Cæsar in comment. belli ciuilis: nā quod nos uesperas pro uespertino officio, quemadmodū pro matutino, quomodo ueteres locuti sunt, matutinas dicimus: nō satis latine dici puto. Bonū sero, sit ne latinū, quemadmodū bonū mane, addubito. nā mane aduerbiū quū sit, inuenimus tamen apud Persium: Iā clarū mane fenestras intrat, & angustas ostēdit &c. Sic etiā fuerit ne sero, apud ueteres aliquādo in locū nominis: nō quin sciā apud nullū autorem, qui extet, huius locutiōis esse exēplum. Illud certū est, quemadmodū ad uerā loquendi legem corruptū est, ita bonū serum nō male dici, sic enim est apud Suetoniū in Augusto: Et iā diei serum erat. Rubeus audio, qui putent barbare dici, ego apud Pliniū inuenio, nisi tamen sit erratū in litera, & u pro n positū, & debeat rubens esse, ego quū rubri nomē habeam, tutius malim, q̃ licētius loqui. De analogia deriuandorum cōponendorūq; nominum, uix mihi permiserim quicq̃ fingere, qđ non apud autores inuenerim. Varia multiplexq; res est eaq; de qua nihil præcipi perpetuū possit, & in qua nihil audeā, nisi sit fortasse (ut inquit Horat.) necesse indicijs mōstrare recētibus abdita rerum: tamē ego & Socratitas & Platonitas & entitas forte dixerim, q̃uis repugnet Vallensis noster. Quid ni tā libere, quū necesse sit, q̃ Cicero nulla necessitate, Appietatē & Lentulitatem, & Pollio Patauinitatē quandā dixit sonare T. Liuiū? Tignum est lignū minus trabe, cui tecta domorū incumbunt, forte à tegendo dictum, quanq̃ dicat Cæsar, tigna bina sequi pedalia paulū ab imo præacuta, & reliqua quæ sequūtur. Deinde subdit, hæc utraq; insup bipedalibus trabibus immissis. ut mihi uideātur ista nō mensura, sed usu in ædificijs distare, ut tignū sit cui incumbat aliquid, trabs cui tabulata insternantur. Asser ab asserendo, id quo gestamē aliquod, aut libitinā manu asserimus, hoc est prehēdimus, nomen habet: nā quod uulgo asserem uocamus, tabula dicitur proprie. Cōtignatio, cōclauatio tignorum est. In Pandectis est titulus de tigno iniuncto, cū legas censeo. Diœcesis ἀπὸ διοικοῦμαι διοίκησις, id est, administratio uel procuratio dicitur, quo nomine & Cicero usus est ad Atticū: Mihi Cāpaniæ diœcesis attributū est: debetq; latino sono pronunciari, circūflexo in penultima accentu, quēadmodum & paracletus dicere, qđ græce παράκλητος est, debemus. Scribis cupere te ut dialectica mea ædatur. Dialectica fœmineo genere ars ipsa est, ἡ διαλεκτική, ut ἡ ἀριθμητική. τὰ διαλεκτικά, τὰ ἀριθμητικά, quēadmodū georgica, & bucolica, libri sunt. Vnde M. Manlij libri astronomicωn, nō astronomice, & Arist. ethicωn, non ethice inscribitur. Scribis etiam

quanto

quanto tēpore eum ad te redire iubebis, ne dubita, quin si in illis literis, & reliqua, Latinum est illud, quanto tēpore: sed in ea significatione, qua tu uis, impropriū est. Nō enim quæris quanto tēpore, hoc est, q̄ celeriter, aut q̄ tandē profectionē ad me redeundi explicaturus sit, sed intra quantū, aut post quantū temporis ad me rediturus sit: ut si dicas eandē figuram orationis alijs uerbis, duobus ad te mensibus redibit, intelliges duobus eum mēsibus in itinere futurū. sin dicas: intra duos menses (nam infra duos, in tēporis significatione barbarū est) aut post duos mēses redibit, iam planū est dicere te, post duos eum mēses ad me reditūrū. Deinde est, ut plura breuibus cōplectar: rectius erat, ut plura paucis complectar. Breuia uerba sunt, quæ paucis syllabis cōstant, sicut longa quæ multis: ex multis paucisq; uerbis longa proinde breuisq; fit oratio. Est etiā iuuenū institutores. Iuuenes scis uulgo uocari, quicunq; sunt minores natu, & ego scio: mallē adolescentiū aut puerorū dixisses. iuuenes enim sunt, qui uiro proximi sunt, qui iam nō admodū in ludū literarium eunt. Præterea scribis quid tignū, quidúe cōtignatio, & reliqua. Subijcis deinde in fine, ubi ex te rogauero, quærēdi finē faciam, hoc si præcessisset interrogationē, scite per uerbū futuri de futuro pronunciasses, ut esset, reliqua sunt, quæ ubi ex te rogauero, quærēdi finē faciā. deinde sequeretur, quid tignū, quidúe cōtignatio: nunc quum res præterijt, de qua interrogaturus eras, mallē dixisses, quod quū rogauerim, dicendi finē faciam. Nec latet me, id κατ' ὑπέρβατον dictū esse, & nullam aliā esse frequentiorē figuram in omni genere exornādæ orationis: sed multa eueniūt, quæ repugnēt, aut uerborū genere, aut struēdæ orationis ratione, quo minus omnis ornatus omni loco cōueniat. Habes quid facere te uelim, & ad interrogata respōsum, & de epistola tua censurā, quæ si tibi parū grata sunt futura, desines posthac exhibere mihi negociū, aut si perges molestus esse, nimirū paria pro paribus expectabis. Apud Græcos in prouerbio est, cicadā alis prehendendā non esse, quæ ut cœperit strepere, desinere nesciat. ita ubi qd' uelis ex me audire quæsieris, sæua etiā mercede quod nolis audiendū est, faciliusq; loquacitatē meā euoces, q̄ cōpescas. Quin tu calamū arripis, hocq; inultū me ferre nō sinis, & quū fines tuos defenderis, tum meis infer bellū, meoq; me cōfode exēplo, cuius rei diligētes uigilatiq; labores mei, nedū negligētius profusa epistola plenā tibi atq; uberē præbuerit materiā. nec est qd' offensum iri me uereare. Agam etiā gratias ultro, idq; in præcipua beneuolētiæ tuæ parte numerabo. Nec tā nihil tibi displicuisse in ea, si totam probaris, q̄ totā contēpsisse, si nihil improbaueris, putabo. Vale, Arnoldo nostro presbytero & philosopho, meo nomine salutem dicas. Ioānes frater honestissimis uerbis saluere te iubet. Iterū uale. Datū Groningæ, XX. Septēb. Anno LXXX.

DEest enim acerrimus mihi studiorum stimulus.) Idem propemodum conqueritur & Cicero libro familiar. epistolarum 4. ubi subindicat quæ nam sit ratio cur doleat se non posse studiis uacare. Demetrius Phalerius.) De quo diximus in epistola Rodolphi de formandis studiis. Qui stultum dicat esse certum epistolæ finē.) Erasmus in opere de conscribēdis epistolis. Vel σχοίνοις persicis metiri.) σχοῖνον mensura terræ 50. continens stadia. Herodotus libro 11. Hermogenes in paragrapho περὶ μεθόδου δεινότητος παρασάγγης ἐθνικόν ἐστι καὶ περσικὸν ὁδοῦ μέτρον οἱ τριάκοντα στάδιοι, σχοῖνος δὲ αἰγύπτιον οἱ ἑξήκοντα στάδιοι, id est, Parasanges gentile nomē nimirum Persicum est mensura uiarum quantum triginta stadij. At schœnos Aegyptium est similiter sexaginta continens stadia. Quæris quid inter Mimum, Histrionem.) Erasmus Roterodamus in scholiis in Hieronymum: Histrio tantum agit: Mimi quod scribunt hoc idem agunt. Hæc ille. Cicero: Histrio si paululum se moueat extra numerum aut si uersus pronunciatus est una syllaba breuior aut longior exibilatur & exploditur. Rursus in tertio libro de fin. bonorū & malorū: Vt enim Histrioni actio, saltatori motus, nō quiuis sed certus quidam est datus: sic uita agenda est certo genere quodam non quolibet. Idem de oratore: Histrio quid deceat quærit, & non idem facit orator. D. Augustinus libro primo de doctrina Christiana capite 28. Histrionis Tusculum uerbū esse.) Hister appellatus fuit is, qui primus ab Hetruria Romam accersitus Histrionicam artem exercuit, Liuius 7. Quod Mimos uocarent.) A. Gellius de Publianis Mimis, & Diomedes lib. 2. Mimus, est sermonis cuiuslibet motus siue reuerentia, uel factorum cum lasciuia imitatio. Idemq; παντόμιμος.) παντόμιμοι sunt, qui gestibus corporis in omnem partem flexis, nullam sententiam non imitantur. Id quod uocis ratio indicat, siquidem πᾶν omne sonat Græcis, μιμῶ imitor. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 25. Illa enim signa quæ saltando faciunt histriones, si natura, non instituto & consensione hominum ualerent, non primis temporibus saltante Pantomimo præco pronunciaret populo Carthaginis, quid saltator uellet intelligi. Persona.) Vide adagium: Fucum facere. Cicero: Nec adhuc quam personam teneant, aut quid profiteātur intelligere potuerunt. μορμωλύκιο.) De quo diximus in scholiis in Axiochum. Qui apud Græcos ἄσωτος.) Asoti populus luxu perditus, ex re nomen habens: Græcis enim ἄσωτος dicitur intemperans, parumq; sobrius. Cicero lib. de finibus primo: Nolim enim mihi fingere asotos, ut soletis, qui in mensam uomant, & qui de conuiuiis auferantur, crudiq; postridie se rursus ingurgitent, qui solem (ut aiunt) nec occidentem unquam uiderint, nec orientem, qui consumptis patrimoniis egeant. Vt pleraq; alia apud nos, quale est reysa, burgimagister, scultetus.) Lege farraginem sordidorum uerborum, siue Augiæ stabulum, repurgatum per Cornelium Crocum Aemstelredamum. Auroram enim proprie.) Vergil. lib. Aen. 11. Aurora interea miseris mortalibus almam Extulerat lucem, referens opera atq; labores. Idem 12. Puniceis inuecta rotis aurora rubebit. Vallensis noster.) lib. 1. in dialecticen cap. 4. Appietatem. Lentulitatem.) Cicero familiarium epistolarum li. 3. in epistola ad Appium. Et Pollio Patauinitatem.) Quintilianus lib. 1. ca. 10. Rursum idem lib. 8. cap. 1. & Rodolphus Agricola lib. de inuentione dialect. 2. capi. 9. Tignum, est lignum minus trabe.) Tigni appellatione in lege 12. Tabularum, omne genus materiæ ex qua ædificia constant, significatur, de uerborum & rerum significatiōe. ff. nou. Tit. 3. L. Lex duodecim. §. Tigni appellatione. Græcos in Prouerbio est, Cicadam alis præhendēdam non esse.) Vide adagium: Cicadam alis corripuisti. Vt olympiæ porticus uocem acceptam arte septies reddit, unde Heptaphonō oppidum uocant: Ita quosdam si uno tangas conuicio, sexcenta regerunt: aut si paucis ad loquendum prouoces, garriendi finem non faciunt.

Rodolphus Agricola Iacobo Barbiriano suo S. P. D.

Dedi

DEdi Colonia discedens literas Ioanni Rinko, communi amico nostro, quas tibi redderet, quibus literis epistolæ tuæ paucis, ut tum tempus ferebat, & festinatio mea patiebatur, respondi. Respondi uero eis, quæ & negocij minus habebãt, & te quoq; certum habeo minoris fecisse. Nam quibus ego maluissem, quæq; te magis expectasse scio, prorsus tibi ut responderem, id temporis non uacabat. Scribis suauißime Iacobe, idq; optas dari tibi facultatem degendæ mecum uitæ, quo posses, id quod maxime cupis, uelut ductu auspicijsq; meis, studia tua instituere atq; formare. Vellem equidem tantæ mihi eruditionis, tam magni in literis doctrinisq; usus conscius essem, ut istud tam iure meritoq; deberes cupere, quàm te scio uere id atq; ex animo optare. Hortarer te, ut rebus omnibus relictis, quæcunq; uel utilitatis specie te deuinciunt, uel uoluptatum illecebris blandiuntur, eruditionem studiaq;, me duce, sequerere. Et incisis omnibus, uel abruptis etiam uinculis, quibus alligatus teneris, prona præcipitiq; ad optima tenderes uia. Facerem id non modo tua causa, cuius maxime & deberem & uellem, sed & mea quoque, quum sperarem tantum nominis opinionisq; apud multos cõsequi posse, tantumq; fuisse me plerisq; persuasum iri, quãtum te monitis præceptioneq; mea factum uiderent, quantumq; fieri te posse exploratum habeo, & de te ingenij uis, amor studiorum, naturæq; tuæ felicitas, mihi promittunt. Nunc quum ad nullam tantam spem mei uocare te poßim, quæ ullo incommodo rerum tuarum tibi sit redimenda: rebus ipsis pareamus oportet. utq; optabile nobis esset, si unum aliquem in locum nos felicior casus contulisset, sic hoc desyderium nostrum est nobis hac commoda rerum tuarum conditione leniendum, & iucundißima putanda, quæ optima sunt. Vt tamen interea præceptoris apud te munere fungar, & per literas qua datur ostendam, qua ratione tibi putem studia tractanda, paucis, & quantum epistolæ capit angustia, quod optimum censeo, explicabo. In studijs formandis duo præcipuè spectanda crediderim, prius, quod studiorum maxime genus cuiq; sectandũ sit. Deinde qua ratione quis in eo quod elegerit, plurimum efficiat. De utroq; ordine dicam. Studiorum genus alteri neceßitas uel rerum, uel naturæ suæ aßignat. Alter uoluntate sua ad id quod optimum censet, sese adiungit. Vt enim cui angustior res familiaris contingit, eas ferè sequitur artes, unde promptißimum putat posse neceßitatibus suis præsidium se parare. Vt etiam cui segnior natura, obtusior mentis acies est, si modo perdere nolit operam, ea sequi debet, non quæ maxime cupit, sed quæ rectißimè potest. Sic is cui facultatum uberior copia, & felicior ingenij uis tributa est, nimirũ errabit, si non totis uiribus ad optima feretur. Quandoq; ad summa pertingere poßit, malit inter secunda potius tertia'ue subsistere.

Ergo ciuile ius alius, alius pontificum sanctiones, alius medicinæ artem discedam sumit. Pleriq; etiam loquaces has, & inani strepitu crepitantes, quas uulgo artes iam uocamus, sibi uendicant. Et perplexis disputationum ambagibus, uel etiam (ut uerius dicam) ænigmatibus diem terunt. Quæ tot iam seculis nullum inuenerũt Oedipodem, qui ea solueret, nec inuentura sunt unquam. His miseras adolescentiũ onerant aures, hæc subinde ingerunt, inculcantq;. Et in plerisq; meliorem ingenij spem, atq; frugem in tenerioribus adhuc annis, uelut in herba enecant. Laudo eas omneis tamen, plus certe laudaturus, si recte ordineq; tractarentur. Nec enim tantum desipio, ut solus damnem, quas tam multi laudant. Quid ni laudem uero? quibus uideam multos summas opes, amplißimos honores, autoritatem, famam, dignitatem consecutos. Et quas certe uendibiliores (ut Ciceronis uerbo utar) sciam, & planè fatear, alijs nonnullis, quas steriles & ieiunas uocant, ut quæ magis possunt animum explere, quàm arcam. Si lucri ratione itaq; duceris, habes ex illustrioribus illis aliquam quam sequaris, ut diues fias, dum tamen scias hanc laudem, ut contingant, tibi cum fœneratore fore communẽ. Sin rectius credis, quæ honesta sunt, propter se expetenda, & quas habes facultates, suffecturas putas modestiæ tuæ, quandoquidem immodestiæ, & quantumuis paruæ, nimiæ sunt, & quantumuis magnæ non sufficiunt: censeo ut ad philosophiam te conferas, hoc est, enitaris ut recte de rebus omnibus sentias, & quæ sentis, commode ut poßis eloqui. Sentire autem recte duplex est, proinde & duplex conditio rerum, quas inquirimus. Aliæ nanq; res ad actiones moresq; nostros pertinent, quibus omnis ratio uitæ, recte riteq; degẽdæ continetur, quam philosophiæ pars ea quæ moralis uocatur, tradit. Huius prima nobis, & præcipua habẽda est ratio. Hæc aũt est petẽda tibi nõ modo à philosophis qui literis eã tradidere, ut sunt Aristoteles, Cicero, Seneca, & si qui sunt alij, uel Latini, uel Latine ita redditi, ut digni sint qui legãtur: sed ab historicis etiã, & poëtis, & oratoribus. Quoniã ij & benefacta laudãdo, & quæ cõtra facta sint uituperando, nõ docẽt quidẽ, sed quod efficacißimũ est, exẽplis propositis, quæ rectè secus'ue fiant, uelut in speculo ostendunt. Per hæc gradus ad sacras literas faciendus est, & ad illarum præscriptum dirigendus uitæ nobis ordo, saluberrimisq; illis ducibus de nostra salute credendum. Reliqua omnia aliorum tradita, plus minusúe, erroris tamen habent admixtum aliquid. Neq; enim contingere potuit eis, ut rectum, & nulla aberrantem parte cursum uitæ instituerent, qui quis esset uitæ præpositus finis, aut nescirent, aut ueluti per nubem spectantes suspicarentur, dicerentq; constantius quàm crederent. At sacræ literæ, tam longe ab omni errore remotæ, quàm qui eas tradidit, deus, hæ sunt quæ solæ nos certa, solida,

rectaq; ducant uia, quæq; omni discussa caligine, sequentem se non falli, non excidere, non usquam aberrare patiantur. Sunt & alia res, quarum cognitio magis ad ornamentum animi nostri, honestamq; uoluptatem, quàm ad necessarium utique usum pertineat, cuiusmodi est omnis disputatio de natura rerum, multiplex certe uariumq; negocium, & multipliciter quoq; à multis summo ingenio, facundiaq; uiris tractatum. Quæ ut non necessaria sit ad boni uiri mentem formandam, effingendamq;, non parum tamen contulerit, uel eo quod ubi hæc cura perquisitioq; rerum, bona fide sibi cuiusquam uendicauerit animum, nullum sordidis, uilibusq; curis locum relinquit. Deinde quod docet contemnere, atq; pro nihilo putare ea, ad quorum cõspectum uulgus stupet, per quorum possessionem etiam eis qui felices putantur, misereatur, quando ostendat, quàm uanis omnia futilibusq; constent causis, dicatq; nullam rerum naturæ posse perniciem contingere maiorẽ, quàm si omnes eius uel sordidissimæ partes tales fiant, quales nunc sunt aurum, gemmæq;, quibus publica humani generis insania, summum esse precium uoluit. Postremo, quia quando intelligimus hac monstrante, fragilis huius, caduciq; corporis nostri habitum, omnibus casibus obnoxium, discimus omnem curam nobis ad animam esse transferendam. hancq; excolendam, in qua nulla nobis opera frustra, aut peritura colatur, quippe in quam quicquid collatum sit, immortale sicut ipsa est, æternumq; sit mansurum. Transeo multa, neq; enim epistola esset, sed uoluminis opus omnia complecti, quæ in hanc possent sententiam dici: hoc satis est ostendisse, quod tute minime ignoras dignam hanc partem esse studiorum, in qua uiri boni mens elaboret. Nec ego aditum tantum, primaq; initia harum artium percipere te uelim, quod nunc uulgo in scholis fieri uidemus, quodq; tu pridem cum magna laude pulchrè prolixeq; præstitisti, sed res ipsas attingendas censuerim. Iam terrarum, marium, montium, fluuiorum situs, & naturas, gentiumq;, in his mores, terminos, conditionem, imperia uel accepta, uel prolata, iam arborum herbarumq; uires, quas Theophrastus, iam animantium historiam, generationem, partes, quas Aristoteles literis mandauit, perquirendũ. Quid dicam, quæ de re rustica tractata sunt? quid, quæ de medicina? alius rem militarem, alius architecturam, alius pingendi, fingendiq; rationem conscripsit, quas artes tametsi non sum nescius, non intra partẽ eam disciplinarum claudi, quæ rerum naturam scrutatur, tamẽ quia cognatæ sunt illi, & ab eisdem ferè prodeunt fontibus, non est quòd nunc in eo magnopere sim sollicitus, quando ad eundem ordinem redigendas putem. Hæc ergo omnia quæ dixi, & ad mores nostros, & ad rerum naturam pertinere, ex eis discenda tibi sunt autoribus, qui rebus cognitu dignis, clarissimum eloquentiæ lumen addiderunt, ut

una opera & rerum notitia tibi, & quod post eam proximum feci, commode eloquendi ratio contingat. Qua quidem de re scis multa à summis uiris tradita esse præcepta. Quod tamen ad corruptam institutionem loquendi emendandam pertinet, quam pueri in scholis accepimus, huius mihi admonendus uideris. fac suspectum tibi sit quicquid hactenus didicisti, dānes omnia, atq; abijciēda putes. nisi meliorū autorū testimonio, & uelut decreto rursus in eorū mittaris possessionē. Præterea quicquid apud emēdatos autores leges, utilissimū fuerit idipsum q̄ maxime proprijs & idē significantibus uerbis reddere uernacudo sermone. hac enim exercitatione assequeris, ut quoties dicendū tibi aliquid scribēdumue fuerit, quando cōcipiēdis uerbis apud animū tuū, sese quo natura fert, uernaculus sermo protulerit, statim quoq; Latina uerba iampridē illi hoc usu accommodata sequantur. Ad hæc quoq; si quid scribere uoles, optimum erit idipsum quàm plenissime rectissimeq; patrio sermone intra animum tuum formare, deinde Latinis pure proprieq; id significantibus explicare. Sic fiet ut omnia aperte, & quàm maxime plene dicantur. Omnes enim si quid in dicendo est uitij, facillime in eo perspicimus sermone, ad quem sumus nati. & si quid uel dilucide parum, uel breuius quàm conueniat, uel contorte nimium, nec satis cum re proposita cohærens, dictum fuerit, in eo sermone expeditius annotabit quisq;, quem notissimum habebit. Postremo ut hunc locum concludam, quicquid eris scripturus, des operam, ut quàm purissime id recte tantum, Latineq; inter initia eloquaris. ornate dicendi posterior erit cura quod contingere certe, nisi sana & integra sit oratio, non potest. Euenit enim eloquentiæ, quod corpori, in quo si non omnia membra sint suo quodq; loco disposita, si sint à recto habitu detorta, si magnitudinis suæ modum egressa, frustra illi circumdederis ornatum. Pugnabit enim cum ornamentis suis corpus, & illustriorem deformitatem eius decor externus faciet illi comparatus. Sed de hac parte, quæ tibi studia potissimum sectanda putem, hactenus. Reliquum est ut dicam, quo pacto plurimum in studijs fructus consequuturum te credam. Alius aliter fortasse ego ita sentio: Quisquis in percipiendis doctrinis cupiet dignum aliquem laborum fructum adipisci, illi tria esse præcipue præstanda, ut plane recteq; percipiat quod discit, ut fideliter quod percepit, contineat, ut & ex eo aliquid ipse deinde parere proferreq; ualeat. Primum, diligentis lectionis est opus, secundum fidæ memoriæ, tertium assiduæ exercitationis. In lectione id conandum in primis est, ut id quod legimus, quàm maxime fieri poterit, intelligamus, & penitus habeamus perspectum nec rem tantum quæ traditur, sed & uerborum in disertis autoribus uim, proprietatem, structuram, ornatumq; perspicias

spicias

ſpiciamus, quis decor, quod pondus ſententiarum, quæ uis explicandi, & res reconditas proferendi uerbis, & uelut in lucem conſpectumq; protrahendi. Nec tamen iſtud eò pertinet, ut ſi uel per ſe obſcurior, uel nobis ignotus occurrerit locus, ſtatim reſiſtendum illic, nec progrediendum ultra putemus, aut (quod nonnulli) ſtatim proijciamus librum, damnemusq; ſtudia, & ingenium noſtrum deploremus, diligentia enim, non indignatione ad profectum eſt opus. Tranſeundum ergo ſi quid erit ubi intellectus non poßit erui, & in aliud reſeruandum tempus, donec uel homo, uel liber nobis contingat, qui id aperiat, uel alia lectio, quod crebrum eſt, doceat, dies enim (quod dicere ſoleo) diem docet. Quod ſi Quintilianus inter uirtutes grammatici numerandum putauit aliqua neſcire, quantomagis nobis, ut non dicam neceſſarium, ſaltem cum uenia erit nonnulla ignorare. Nolim tamen uideri cuiuſquam deſidiæ patrocinium me his commemorandis parare, nam contra uideor mihi nulla re alia, cuiuſquam ſtudium poſſe uehementius accendere, quàm ſi oſtendam ipſam ſibi lectionem aperire uiam, & omnem legendi laborem legendo ſuperari. Proximum eſt, ut memoria firmiter, quod accepit, aſſeruet. Conſtat autem memoria in primis natura, ea tamen adiuuatur arte, quam alij quidem aliter tradidere, ſed ſic tamen, ut ſumma rerum eodem ferè redeat. Eam artem duobus maxime uſibus accommodam arbitror, aut enim ſubito dicendum eſt, & maior aliquis rerum numerus commemorandus, in quo periculum adeundum eſt, ne uel ordine, uel numero deſtituamur, ut quum legati apud principem, aut ſenatum aliquem, uel proponimus petita noſtra, uel partis aduerſæ cogimur reſpondere poſtulatis, tunc certe ab hac arte commodißime præſidium petetur: aut quando exercere memoriam uolumus, id hac uia facile & quàm minima moleſtia facere licebit: quod ſanè ad memoriam firmandam utilißimum eſſe, & Quintilianus autor eſt, & rei uſus (ſi quis experiri uolet) expedite docebit. Si quod aliud enim, memoria uel maxime eſt, quam creber uſus auget, quamq; incuria negligentiaq; deſtituit. In ijs uero quæ perpetuo animo noſtro cupimus hærere, optimum contenderim eſſe, quàm intentißima cura primum complecti ea, deinde quàm creberrime ab animo noſtro repoſcere, & ſubinde admonendo eum ad fidem præſtandam cogere. Poſtremo ut animo uacuo, & (quantum datur) ab aliarum curarum turba ocioſo, id agamus, quod quidem in actionibus omnibus & negocijs, quicquid id eſt, quod ulla parte noſtri fieri debet, exploratum eſt, ut nemo pluribus æque ſufficere poßit: ingenium certe, id eſt, quod ubi intenderis (ut inquit Saluſtius) ualet, quod ei in

multas diducto curas, contingere minime potest. Tertium est, & quod proposueram postremum, quo pacto ex ijs quae discendo percepimus, ipsi excudere aliquid proferreq; ualeamus, neue studia nostra apud animum segnia, & (ut ita dicam) sterilia reponantur, sed quod semina solent in terra condita, fructum aliquem uberiorem cum foenore profundant. Amplus, copiosusq; est hic locus, & dignus, qui pluribus diceretur, quemq; ego aliquando exactiori cura mihi puto dicendum, quando hic praecipuus esse uidetur longi laboris, sollicitudinisq; in studia collatae fructus: quòd si nihil ipsi ad posteros mandare poterimus, nihil extra ea quae didicimus, ad praesentes proferre, quid tandem inter librum & nos intererit? nisi quia liber quidem ea, quae semel in illum cōgesta sunt, bona fide semper seruat, redditq; nobis, ut quae accepimus, continere possimus, iteranda sunt toties, & subinde in animum inculcanda. Complectitur sanè locus hic duo, quorum utrunq; per se, quando sit magnum, coniuncta certe plurimum in studijs laudis merentur. Horum alterum est, ut quae didicimus, in usum prompta habeamus, & ubicunq; res postulat, parata. Plerosq; enim uideas, qui quando multa didicerint, multorum habeant memoriam: ubi proferendum tamē sit aliquid eorum, tum nihil succurrat eis, nihil queant meminisse, adeo sciunt quidē, sed idipsum scire se nesciunt. Alterum est, ut ex eis quae accepimus, ipsi praeter haec inuenire aliqua possimus, & cōficere, quae nobis asseramus, nostraq; esse queamus affirmare. Duo sunt autem, quae praecipue huic parti profutura crediderim. Horum unum est, ut certa quaedam rerum capita habeamus, cuiusmodi sunt uirtus, uitium, uita, mors, doctrina, ineruditio, beneuolentia, odium, & reliqua id genus, quorū usus ferè communis ad omnia, & tanq̄ publicus sit, haec crebro iteremus, & omnia quae didicimus, quantum fieri potest, certè quaecunq; discimus, ad ea redigamus, ut repetēdis capitibus illis, ea quoq; quae ad ea redegimus, repetantur. Sic fiet tandē ut omnia quae discimus, certa nobis, praesentiaq;, & propè sub conspectu maneant. Poterit autē persaepè uel exemplum unum, uel una sententia, in multa capita conferri, ut quod de ui illata Lucretiae, apud Liuium est, primum de pudicitia, quanti scilicet ea faciēda sit, cuius damnum Lucretia morte putauit pēsandum, post de pulchritudine, quantorum malorum ea saepè sit causa, quantum etiam pudicitiae ab ea periculi sit. Iam de morte, ut ea mala non sit habēda, quā Lucretia impudicae uitae praetulerit: hinc de libidine, quas clades, quae bella ea mouerit, utq; etiam ingentia mala magnorum saepè bonorum praebeant causam, quando ex eo scelere populo Romano sit libertas quaesita: Sententia itidem diuidetur, ut est uirtus placitis abstinuisse bonis, ad uirtutis caput ducetur, dicit enim uirtus est placitis bonis abstinuisse,

ducetur ad caput boni, non omnia bona expetenda esse, quoniã placitis bonis abstinuiße, est uirtus, ducetur ad caput abstinentiæ, quia abstinuiße placitis bonis, est uirtus. Secundum quod huic parti adiumento erit, id est, ut in ijs quæ discimus, diligenter pensimq; uerba omnia conferamus inter se, & latiori quodam tractu explicemus. sumamus exempli gratia, quod apud Vergilium est, Optima quæq; dies miseris mortalibus æui, Prima fugit. Primum optima, inquit, qualia sunt putanda bona humana, quando optima prima sint, eaq; nedum abeant, sed fugiant, & semper peiorum expectatione torqueant, quæ etiam duriora uideantur, necesse est, ex meliorum, quæ præcesserunt comparatione. sequitur dies æui, id est uita nostra, ea quàm parui est faciẽda, si fugax est, & optima protinus initio, uelut in flore consumitur. Quæ potest autem esse felicitas in uita, quando qui fruuntur ea, mortales nedum, sed & miseri sint? Hinc iam miseris mortalibus, quid ni miseri, quorum talia bona sunt, talis est uita, quiq; morti obnoxij sunt? Postremum est, prima fugit, prima ergo nondum usu cognita, non ulla perfunctione possessa, ut semper quæ sequitur, quantumuis forte per se bona, tamen melioris collatione durà uideatur. fugit etiam, nõ dimittitur, nõ abire iubetur, quàm fallax ergo, quàm incerta, quàm nequaquam nostri iuris aut arbitrij est. Quod si quis latius ista et per omnes locos dialecticos fuderit, quatenus cuiusque natura capax eorum est, ingẽs utiq; copia & ad dicendum, & ad inueniendum se præbebit. quod quomodo faciendum sit, maius est, quàm ut epistola id capiat, & copiose est à me ea de re in tribus libris eis, quos de inuentiõe dialectica scripsi disputatum. Quisquis ergo prius id recte, & cum cura tractauerit, præsertim si rationem dialecticæ inuentionis illi adiũxerit, ingẽs illi, paratißimaq; de omni ferè proposita re disserẽdi facultas continget, modo ea res illa ex parte ad eas pertineat, quas didicit artes. Hocq; pacto ueteres illos professores artium, quos Græci sophistas, id est doctores uocabant, exercuisse deprehẽdo, quantum ex Aristotele, & Platone conijcere licet, atq; ad eam eruditionem, promptitudinemq; dicendi peruenerunt, ut de qua re audire quis uellet proponi iuberent, dicerentq;, quandiu, quantumq; uideretur de eo, quod esset propositum. sic Gorgias Leontinus, primus tam audacis cœpti autor, sic Prodicus Chius, sic Protagoras Abderites, atq; Hippias Eleus, & instituti, & alios docuere. At id quod secundum feci, multum iudicij parabit in ijs, quæ discuntur, & nouas argumentationes, nouasq; sententias, aut ueteres, sed quibus noua facies sit, inueniet. estq; eiusmodi, ut si stilus ei addatur, statim exercere eloquentiam poßit, & ad bene dicendum aditum parare. Sed hæc hactenus, ut pro rerum conditione pauca, ut pro modo epistolæ nimis multa. Vt enim Demetrio Pha

tereo uisum est in libro, quē περὶ ἑρμηνείας, id est, de explicatiōe scripsit, epistola quae grandior facta est, non tā epistola dici debet, quàm liber, cuius initio sit salus adscripta. Verū id utcunq; aestimari poterit, haud ponam equidem in magno discrimine, mihi statutum est aliquo modo, quocunq; possum, studia tua iuuare, quod ipsum si non potero, ostendere tamen ut me uoluisse intelligas, quod uoluisse, ut in multis, quae effectū exigūt, parum est, ita in amicitia, cui pro effectu est animus, tale est, ut nihil plus exigi, nihil maius praestari possit. Veni Heidelbergam (ut de meis etiam rebus certiorem te faciā) postridie Calendas Maij, excepit me episcopus dominus meus benigniter, & omnibus humanitatis beneuolentiaeq; officijs cumulatissime prosequitur. Vide ineptiam meam quaeso, uel (ut uerius dicam) stultitiam, constitui discere Hebraice, tanquam non satis temporis & operae in paucculis ijs Graecis, quas scio, mihi perierit, Consequutus sum praeceptorem quendam, intra paucos annos ad fidem nostram conuersum, cui Hebraei etiam in omni laude eruditionis, disciplinarumq; suarum primas deferebant, & quem praecipue solebant doctoribus nostris opponere, si quando ad disputationem de fide uocarētur. Hunc episcopus mea causa, domi suae alendum suscepit, experiar quantum potero, spero fore, ut aliquid efficiam, & forte uel ob idipsum efficiam aliquid, quia spero. Ioannes Rincus narrauit mihi acerbiorem casum tuum, quem pertulisti ea parte, qua minime uoluisses scio, dolui nescio an uicem tuam, an illius improbitatē, dolui tamen, & elegijs aptissimo talibus querelis carmine, dolorē tuū prosequutus essem, si modo tam quietus animo, compositusq; fuissem, ut potuissem ad scribendū aliquid coēgisse manus aut mentem. Oro te mitte ad me aliquid ex ijs, quae ad canendum composuisti, sed quod accuratum sit, & cum laude ostendi uelis. Habemus & hic cantores, apud quos crebram mentionem tui facio, eorum magister nouem & duodecim etiam uocibus canendos modulos componit, sed nihil suorum audiui quod tribus aut quatuor uocibus caneretur, quod magnopere placeret mihi, nec ego tamen animum meum iudicij loco pono, potest enim fieri, ut meliora sint, quàm ego possim intelligere. Vale, & me tui amantissimum tibi persuade. Saluere iubeas meo nomine, ornatissimum doctissimumq; uirum magistrum Ambrosiū Dinter, Nicolaum item Hagam nostrum, humanissimum uirū magistrum Iacobū Crabbe uicinum tuum. In primis uero toto animo deditissimum tibi Ioannē Rincum, suauissimum adolescentem, meis uerbis saluta. Versiculos quos ad te misi, postea recognoui, deprehendiq; in Anna matre tres aut quatuor mendas, quòd uitio impressorum permutatae sunt literae, eas castigaui, dediq; ea gratia hunc ad te codicem, ut & huius quod apud te est exemplar emendes. Haec cum literis da operam, ut

ram, ut reddantur Adam Iordano, canonico regulari ad sanctum Martinum Louanij. Iterũ optatißime uale. Datæ Heidelbergæ, septimo Idus Iunij. Anno 84. diligẽter me & loquacißime fac de omnibus rebus tuis certiorem, per hunc ipsum, qui has tibi reddat.

ARGVMENTVM PRAECEDENTIS EPISTOLAE.

Illud indicãdum paucis, ea quæ hac epistola cum primis erudita de formandis studijs docet Rodolphus, eadẽ esse aut ferè eadem, quæ tradit & D. Erasmus in quadã protreptica ad Petrum Viterium epistola, de ratione studij puerisq; instituendis, & idem posteriore Copiæ commentario de exemplis: Quæq; sunt apud Rodolphum lib. inuent. dialect. 3. capi. 16. Eruditionem studiaq; me duce sequerere.) Diogenes eruditionem omnibus hoc sermone commendabat, quod diceret eam iuuenibus adferre sobrietatem, senibus solatium, pauperibus diuitias, diuitibus ornamentum: propterea quòd ætatem suapte lubricam coërceat ab intemperantia, senectutis incommoda honesto solatio mitiget, pauperibus sit pro uiatico. non enim egent eruditi: diuitum fortunas ornet. Qua ratione tibi putem studia tractanda.) Vt citius fatigatur, qui quàm longum sit iter nescit, ita minore tędio rem gerit, cui studij suscepti ratio, modusq; præcognitus. Vnde promptissimum putat posse necessitatibus suis præsidium se parare.) Vt frequentius conuenitur ad spectaculum, ubi nonnihil theatricæ stipis confertur: Ita disciplinæ à pluribus coluntur, quæ præter uoluptatẽ ac dignitatem, emolumentum etiam & commoditatem afferunt. Vt etiam cui segnior natura.) Adagio: Aulœdus est, qui cytharœdus esse non possit. Quam summam esse & prope immensam.) Aristippus eos qui liberalibus imbuti disciplinis, philosophiam negligerent, dicebat esse similes procis Penelopes, quòd hi cum Melanthone & Polydora ancillis rem habuerint, & omnia potius habituros se sperauerint, q̃ dominæ nuptias. Sensit liberales disciplinas esse ueluti pedissequas philosophiæ moralis, quæ cum primis sit adhibenda, & cuius gratia reliqua discuntur omnia. Simile quiddam dixisse fertur & Aristoteles de Vlysse, qui quum descendisset ad inferos, ait illum cum omnibus ferè manibus fuisse collocutum, quum ipsam reginam ne uidere quidem potuerit. Pleriq; etiam loquaces has, & inani strepitu crepitãtes.) De quibus abunde satis annotauimus in præfationem libri secundi de inuentiõe dialectica, similiter & in secundum librum D. Augustini de doctrina Christiana capite 31.

Et perplexis disputationum ambagibus.) Diogenes Platonis διατριβὴν, id est, exercitationem, κατατριβὴν, id est, contationem, uoce deprauata uocabat, quòd à communi uita semotus disputationibus insenesceret, quum Diogenes in publico uiuens, mallet philosophiæ uiuere quàm disputare. Quas uulgo artes.) libro 3. de inuentione dialect. cap. 12. Vt quæ magis possunt animum explere quàm arcam. Vide μωρίας ἐγκώμιον. Et Prouerbium: οὐδὲν πρὸς ἄλφιτα. Suffecturas.) Αἰσχίνης οὐδεὶς γὰρ πλοῦτος τρόπου πονηροῦ περιγίνεται, id est, nullæ enim diuitiæ satis magnæ esse possunt corruptis moribus. Nullum inuenerunt Oedipodem.) Plautus Sticho: Nã isti quidem hercle orationi Oedipo opus.) Est coniectore, qui Sphyngi interpres fuit.

Laudo eas omnes.) Et nos earum laudem compendio perstrinximus in annotationibus nostris in præfationem libri secundi de inuentione dialectica. Hoc est, enitaris ut de rebus omnibus sentias.) Copiosius id indicat Rodolphus in oratione in laudem philosophiæ. Aliæ nanque res ad actiones.) Libri secundi de inuentione dialect capit. 2. & in ea quam modo citauimus oratione. Sed quod efficacissimum est, exemplis propositis.) Lib. inuentionis dialect. 2. cap. 19. Præceptis enim aures ferè imbuuntur, exempla docent oculos. Reliqua omia aliorum tradita. Tradit id inge-

lereo uisum est in libro, quē περὶ ἑρμηνείας, id est, de explicatiōe scripsit, epistola quae grandior facta est, non tā epistola dici debet, quàm liber, cuius initio sit salus adscripta. Verū id utcunq; aestimari poterit, haud ponam equidem in magno discrimine, mihi statutum est aliquo modo, quocunq; possum, studia tua iuuare, quod ipsum si non potero, ostendere tamen ut me uoluisse intelligas, quod uoluisse, ut in multis, quae effectū exigūt, parum est, ita in amicitia, cui pro effectu est animus, tale est, ut nihil plus exigi, nihil maius praestari posit. Veni Heidelbergam (ut de meis etiam rebus certiorem te faciā) postridie Calendas Maij, excepit me episcopus dominus meus benigniter, & omnibus humanitatis beneuolentiaeq; officijs cumulatissime prosequitur. Vide ineptiam meam quaeso, uel (ut uerius dicam) stulticiam, constitui discere Hebraice, tanquam non satis temporis & operae in pauculis ijs Graecis, quas scio, mihi perierit, Consequutus sum praeceptorem quendam, intra paucos annos ad fidem nostram conuersum, cui Hebraei etiam in omni laude eruditionis, disciplinarumq; suarum primas deferebant, & quem praecipue solebant doctoribus nostris opponere, si quando ad disputationem de fide uocarētur. Hunc episcopus mea causa, domi suae alendum suscepit, experiar quantum potero, spero fore, ut aliquid efficiam, & forte uel ob idipsum efficiam aliquid, quia spero. Ioannes Rincus narrauit mihi acerbiorem casum tuum, quem pertulisti ea parte, qua minime uoluisses scio, dolui nescio an uicem tuam, an illius improbitatē, dolui tamen, & elegijs aptissimo talibus querelis carmine, dolorē tuū prosequutus essem, si modo tam quietus animo, compositusq; fuissem, ut potuissem ad scribendū aliquid coēgisse manus aut mentem. Oro te mitte ad me aliquid ex ijs, quae ad canendum composuisti, sed quod accuratum sit, & cum laude ostendi uelis. Habemus & hic cantores, apud quos crebram mentionem tui facio, eorum magister nouem & duodecim etiam uocibus canendos modulos componit, sed nihil suorum audiui quod tribus aut quatuor uocibus caneretur, quod magnopere placeret mihi, nec ego tamen animum meum iudicij loco pono, potest enim fieri, ut meliora sint, quàm ego possim intelligere. Vale, & me tui amantissimum tibi persuade. Saluere iubeas meo nomine, ornatissimum doctissimumq; uirum magistrum Ambrosiū Dinter, Nicolaum item Hagam nostrum, humanissimum uirū magistrum Iacobū Crabbe uicinum tuum. In primis uero toto animo deditissimum tibi Ioannē Rincum, suauissimum adolescentem, meis uerbis saluta. Versiculos quos ad te misi, postea recognoui, deprehendiq; in Anna matre tres aut quatuor mendas, quòd uitio impressorum permutatae sunt literae, eas castigaui, dediq; ea gratia hunc ad te codicem, ut & huius quod apud te est exemplar emendes. Haec cum literis da operam, ut

ram, ut reddantur Adam Iordano, canonico regulari ad sanctum Martinum Louanij. Iterũ optatißime uale. Datæ Heidelbergæ, septimo Idus Iunij. Anno 84. diligẽter me & loquacißime fac de omnibus rebus tuis certiorem, per hunc ipsum, qui has tibi reddat.

ARGVMENTVM PRAECEDENTIS EPISTOLAE.

ILlud indicãdum paucis, ea quæ hac epistola cum primis erudita de formandis studijs docet Rodolphus, eadẽ esse aut ferè eadem, quæ tradit & D. Erasmus in quadã protreptica ad Petrum Viterium epistola, de ratione studij puerisq; instituendis, & idem posteriore Copiæ commentario de exemplis: Quæq; sunt apud Rodolphum lib. inuent. dialect. 3. capi. 16. Eruditionem studiaq; me duce sequerere.) Diogenes eruditionem omnibus hoc sermone commendabat, quod diceret eam iuuenibus adferre sobrietatem, senibus solatium, pauperibus diuitias, diuitibus ornamentum: propterea quòd ætatem suapte lubricam coërceat ab intemperantia, senectutis incommoda honesto solatio mitiget, pauperibus sit pro uiatico. non enim egent eruditi: diuitum fortunas ornet. Qua ratione tibi putem studia tractanda.) Vt citius fatigatur, qui quàm longum sit iter nescit, ita minore tędio rem gerit, cui studij suscepti ratio, modusq; præcognitus. Vnde promptissimum putat posse necessitatibus suis præsidium se parare.) Vt frequentius conuenitur ad spectaculum, ubi nonnihil theatricæ stipis confertur: Ita disciplinæ à pluribus coluntur, quæ præter uoluptatẽ ac dignitatem, emolumentum etiam & commoditatem afferunt. Vt etiam cui segnior natura.) Adagio: Aulœdus est, qui cytharœdus esse non possit. Quam summam esse & prope immensam.) Aristippus eos qui liberalibus imbuti disciplinis, philosophiam negligerent, dicebat esse similes procis Penelopes, quòd hi cum Melanthone & Polydora ancillis rem habuerint. & omnia potius habituros se sperauerint, q̃ dominæ nuptias. Sensit liberales disciplinas esse ueluti pedissequas philosophiæ moralis, quæ cum primis sit adhibenda, & cuius gratia reliqua discuntur omnia. Simile quiddam dixisse fertur & Aristoteles de Vlysse, qui quum descendisset ad inferos, ait illum cum omnibus ferè manibus fuisse collocutum, quum ipsam reginam ne uidere quidem potuerit. Plerisq; etiam loquaces has, & inani strepitu crepitãtes.) De quibus abunde satis annotauimus in præfationem libri secundi de inuentiõe dialectica, similiter & in secundum librum D. Augustini de doctrina Christiana capite 31.

Et perplexis disputationum ambagibus.) Diogenes Platonis διατριβὴν, id est, exercitationem, κατατριβὴν, id est, contationem, uoce deprauata uocabat, quòd à communi uita semotus disputationibus insenesceret, quum Diogenes in publico uiuens, mallet philosophice uiuere quàm disputare. Quas uulgo artes.) libro 3. de inuentione dialect. cap. 12. Vt quæ magis possunt animum explere quàm arcam. Vide μωρίας ἐγκώμιον. Et Prouerbium: οὐδὲν πρὸς ἄλφιτα. Suffecturas.) Αἰσχίνης οὐδεὶς γὰρ πλοῦτος τρόπου πονηροῦ περιγίνεται, id est, nullæ enim diuitiæ satis magnæ esse possunt corruptis moribus. Nullum inuenerunt Oedipodem.) Plautus Sticho: Nã isti quidem hercle orationi Oedipo opus.) Est coniectore, qui Sphyngi interpres fuit.

Laudo eas omnes.) Et nos earum laudem compendio perstrinximus in annotationibus nostris in præfationem libri secundi de inuentione dialectica. Hoc est, enitaris ut de rebus omnibus sentias.) Copiosius id indicat Rodolphus in oratione in laudem philosophiæ. Aliæ nanque res ad actiones.) Libri secundi de inuentione dialect capit. 2. & in ea quam modo citauimus oratione. Sed quod efficacissimum est, exemplis propositis.) Lib. inuentionis dialect. 2. cap. 19. Præceptis enim aures ferè imbuuntur, exempla docent oculos. Reliqua oĩa aliorum tradita. Tradit id

inge-

ingeniosissime D. Augustinus libro de doctrina Christiana secundo. Nullum sordidis, uilibusq́.) Plutarchus de auditu. Deinde quod docet contemnere.) Rodolphus in oratione in laudem artium. Quando ostendat.) Lege Hypocratis epistolam ad Damegetum à nobis latinitate donatam. Iam terrarum, marium, montiumq́.) D. Erasmus in methodo ueræ theologiæ. Iam arborum herbarumq́ uires.) Augustinus 3. de doctrina Christiana libro. Et rerum notitia tibi, & quod post eam.) Horatius in arte: Recte scribendi sapere est, & principium, & fons.

Ad corruptam institutionem loquendi emendandam pertinet.) Ad eam rem iam iacta sunt fundamenta per Cornelium Crocum nostrum, in eo coactu, in farragine sordidorum uerborum. Apud emendatos autores.) Cicero libro de oratore pri. Statim quoq; latina uerba.) Horatius in arte: Verbaq; prouisam rē non inuita sequentur. Quisquis in percipiendis doctrinis cupiet dignum aliquem fructum adipisci.) Richardus Pacæus de fructu qui ex doctrina percipitur. Ipse deinde parere.) Plutarchus in commentario, quomodo pueri debent audire poëmata. Sed & uerborum.) Quintilianus lib. 2. cap. 5. Dies enim (quod dicere soleo) diem docet.) Adagiis: Discipulus est prioris posterior dies: Si crebro iacias, aliud aliâs ieceris: Senesco semper multa addiscens. Quòd si Quintilianus.) Lib. pri. cap. 10. Argumentatio est à maiori ad minus. Nonnulla ignorare.) Hieronymus aduersus Vigilantium: Non parum est scire q̄d nescias. Cicero prima disp. Tuscula. Nec me pudet ut istos, fateri nescire quod nesciam. Quintilianus libro primo: Non uult omnes omnium schedas excutere, ne illic inmodica lectione obruatur iudiciū. Quam alij quidem aliter tradidere.) Cicero libro de oratore secundo ad calcē. Quintilianus libro decimo, capite secundo. Et autor ad Herennium libro 3. Quintilianus autor est.) Libro modo citato. Vt inquit Salustius.) In Catilinario. Quam intentissima cura.) Quintilianus in prologo libro decimo. Quando hic præcipuus esse uidetur.) Plutarchus in comment. quomodo iuuenes debent audire poëmata. Vt certa quædam rerum capita habeamus.) Perinde atq; in domestica suppellectile, haud aliter in re literaria quoq; utilissimum fuerit, seorsum habere singula quæq; distincta, ut ad id quod uelis, ilico manus possis absq; errore porrigere. Columella libro de re rustica 12. cap. 2. Preparatis igitur receptaculis, oportebit suo quicq; loco generatim, atq; etiam speciatim nonnulla disponere, quo facilius, quum quid postulabit usus recipere possit. Nam uetus prouerbium est, Paupertatem certissimam esse, quum alicuius indigeas, uti eo non posse, quia ignoretur ubi proiectum iaceat, quod desideratur. Hactenus Columella. Sentit autem, ni fallor, si quis habeat domi, quod quum utendum est, inueniri non potest: eum magis egere eo quod habet, quam si non haberet. Etenim qui non habet, rogat alicunde commodato: qui habet, ubi uentum est ad articulum, quo sit utēdum: nec suum habet, quod ubi sit, nescit: nec alienum habet quo possit uti. Scribit D. Erasmus in uita D. Hieronymi eum cuncta in locos communes retulisse, q̄ memoratu digna legisset, hoc ipsum quoque testatur de se & ipse D. Hieronymus in epistola ad Rusticum: Hæc omnia, inquit, quasi pulcherrima scripturarum prata discurrens in unum locum uolui congregare, & de speciosissimis floribus coronam tibi texere pœnitentiæ, quam impones capiti tuo. Hinc paratum est colligere lecta apud authores eum solitum esse in locos redigere. Quintilianus libro 10. capite 3. sub calcem. D. Erasmus posteriori Copiæ commentario de ratione colligendi exēpla. Idē in methodo siue compendio theologiæ de locis theologicis parandis. Idem libro 4. de ratione concionandi. Philippus Melanthon in rhetoricis libro primo. Idem in opusculo quod inscribitur, Philippi Melanthonis de locis communibus ratio. Huc refer, quod memorabiles dicti sunt tituli librorum, tanquam memoriæ præsidia, cuiusmodi etiam illi, de quibus ait Fabius libro secundo qui ex singulis locis singulos titulos faciebant, ut si quando opus esset ex tempore, inde quod liberet depromeret. Vide Gellium libro ultimo, capite item ultimo, de titulis. Sed de his satis. Nec enim

omnia

omnia omnium testimonia complecti in animo est, nec possum. Sufficiat hoc pacto quærere uolentibus aperuisse uiam, qui plura super hac re uelit legere, legat ea quæ scripsimus in posterioris Copiæ commentarij caput de ratione colligendi exempla.

Virtus uitiū, uita mors, doctrina ineruditio.) Cōueniet capita rerū, iuxta rationē affinitatis & pugnantiæ digerere. Nam Quintiliano autore lib.12.cap.1.& 5. Virtus quid sit, aduersa ei malitia detegit, & equitas fit ex iniqui contēplatione manifestior.

In multa capita conferri.) Erasmus lib.cop.2.de exemplo fabuloso. Est uirtus placitis abstinuisse bonis.) Ouidius in epistola Helenæ ad Paridē. Aul. Gellius lib.6. cap.8.de Alexandro: Victi hostis uxorem facie inclyta mulierem uetuit in conspectū suum deduci, ut eam ne oculis suis quidem contingeret. Lege scholia nostra in Bucolicon D. Erasmi ubi compendio perstrinximus locum communem de uitando pernitioso libidinosoq; aspectu. Quod apud Vergiliū est.) Georgicon 3. Optimo quæq; dies.) Istuc ipsum exemplum Vergilianum, & Seneca lib.19.epistolarū, epistola 109. fusius explicat, & perinde explicat & accommodat, atq; hic præcipit Rodolphus. Vnde non dissimile ueri, Rodolphū è Seneca mutuatū esse quicquid faciat ad hanc præceptionem. Et per omnes locos dialecticos fuderit.) Rodol.lib.2. ca.28.de inuen. dialect. In tribus libris eis, quos de inuen. dialectica.) Peruasit quidem iam multos ista persuasio, tres præterea libros de inuentione dialectica etiamnū desiderari, sexq; numero ab Rodolpho Agricola scriptos fuisse. Quem porrò rumorem per uniuersum terrarum orbem Iacobus ille Faber Dauentriensis, auidior aliquanto quàm par erat famę, cætera uir perinde bonus ac studiosus: disseminauit in quadam ad Gulihelmum Medicum epistola, huic Rodolphi epistolæ præfixa. Illius etiam, inquit, de inuentione dialectica, sex libros quando oportunitas, publicaturus, de quibus in fine παραινέσεως ipse meminit. Hæc ille. Principio cum ista legissem, atq; ita rem serio habere credidissem, nihil cunctatus, per confertissimos gregariorum militum cuneos, tanquam Corycæos auscultatores è regione arcis Hattēniensis hærentes, nō sine magno uitæ periculo, maiore etiam rerum dispendio elapsus, Dauentriam usq; peruenimus tandem. Ibi in ædibus Theodorici Bornæi, uiri perhumani, inter prandendum sciscitanti mihi à Fabro nostro nunquid haberet sex illos de inuent. dialect. libros, respōdit etiam, & quidem manu ipsius Agricolæ descriptos. Postridie eius diei cum ad tempus mihi constitutum bene mane adfuissem, mox pro recepta consuetudine sua bibliothecam suam per transennam modo dedit introspiciēdam, addiditq; nemini cuiquam quamuis charo fidoq; in eam unquam aditum patuisse, ac proinde non ægre ferrem, si foris cogerer hærere. Hic simul atq; libros suos omnes, mihi librorum helluoni excutiendos, atq; adeo deuorandos obiecisset, tandem uice auctarij, Rodolphi Agricolæ libros ὡς τῶν λαχάνων πρωσθῆνας tanquam assem daret elephanti, in manus dedit, eosq; mutilos & multorum manibus descriptos, nec plures itidem tribus. Tum ego, quid est, inquam, in causa, cur scripseris te εἰ λάχῃ εὐκαιρίαν sex æditurum, quorū in calce παραινέσεως nullā esse prorsus factā mētionem, nemini non notissimum. Hoc si notius est, quàm ut negari possit, fatearis ingenue necessum est, cum hæc scriberes, te somniasse, ne quid dicam acerbius, id quod miror equidem excidere potuisse tibi homini integerrimo, quando neutrum ex ijs uel ulla ex parte uerum esse facile deprehendere est. Profecto, inquit, ita mihi hactenus rudis indigestaq; moles uoluminis huius imposuit. Equidem putabam eum & reliquos absoluisse, de quibus aliquando se scripturum pollicetur libros. Ac (ut ingenue dicā) quemadmodum per febrim somniaui, ita id somnij epistolæ alleuimus eo prætextu, ut uendibiliores essent nostrę nobis merces. Nondum enim diligenter expendimus, nec adhuc item per occupationes licet expendere. Quo nam, inquam, istuc modo? Nam tot tantisq;, inquit, distineor negocijs, ut ex his memet nequeam expedire. Proinde quando ea gratia non sine maximis impēsis huc ueneris, & symbolum dederis, tamq; liberalem deprædicaris Theodoricum Alostensem Louaniensium typographum: quæso te, mi Alarde, ut unà cum

Dd tuo

tuo D. Martino Dorpio Theologo, uiro undecunq; literatissimo hosce libros tres pro be restitutos Louanij cures ocyus excudẽdos, fabulamq; illam de sex libris à me edẽdis studiosorum animis eximas, & quid tibi de librorum numero uidetur, lectorem admoneas. Illud interim tamen uelim sedulo accures, ut Theodoricus Alostẽsis (quæ est hominis liberalitas) pro exemplari nobis ducatos aliquot ut minimum 20. annumeret. Habes, optime lector, unde sex librorum rumor emanauit, nunc quo pacto fidem meam (iusiurandum enim conceptis uerbis dedi) de eo refellendo liberem, accipe, Rodolphus Agricola lib. de inuentione dialectica .1. cap. 2. Sed uos de priore illa quæ ad inueniendum pertinet, his libris loquemur. Idem lib. 2. ca. 10. Sed ista, inquit, tenuiora sunt, nec huius instituti, alijs libris si quando de argumentationum lege, hoc est, de iudicandi parte scribendi otium dabitur, copiosius simul & apertius ista dicemus. Hæc ille. Quos sanè libros si maxime absoluisset ut porrò non absoluisse uerisimillimum est, tamen ex illo nõ continuo posset ostendi atq; conuinci, præter hos quos iampridem dedimus integros, tres adhuc de inuentione dialectica scripsisse, & proinde opus quod ad autographum exemplar per nos accuratius emendatum, Coloniæ curauimus ædendum apud Ioannem Gymnicum, mutilum esse, nihiloq; retractatius atq; castigatius esse prioribus æditionibus. Sic enim sycophantas aliquot clãcularios audio susurrare. Deum immortalem quem stomachum effunderem in hos polymythos, nisi me Christianus prohiberet pudor. Ad extremum, neminem quenquam tam stupidum esse crediderim, quoniã (si modo dialecticæ inuentionis commentarios nuper æditos diligenter excutiat) deprehendat tãdem, prorsus esse absolutos. Cuius rei quod potest esse manifestius testimonium, quam quod ipse Rodolphus in calce lib. 3. scribat: Ista, inquiens, ferè sunt, quæ de parte illa dialectices (quam inueniendi uocant) arbitror potuisse dici. Porrò si quid desideretur, ut certè desideratur etiamnum, id operis non de inuentione dialectica, sed de iudicãdi parte fuerat inscribendum. Vt Fabro nostro suum condonemus somnium. Illud quis ferat, adhuc reperiri, magnos alioqui nominis professores, non uulgariter in hisce libris uersatos, qui id reuocent in dubium, omnes ne libri an non, extent. Extant autem omnes, nempe tres, elegantissimi iuxta ac absolutissimi. His alias poteram, & plures subnectere causas, si ambitiose testimonia conquirerem. Verum quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? Sed harum nœniarum plus satis. Quanquam quid tam multa in re perspicua? nisi quòd apud quosdam religio sit uel latum (quod aiunt) culmum à quãlibet alioqui falsis discedere rumoribus. Quos Græci Sophistas.) Lege principium commentariorum nostrorum in Aphthonium Sophistam. Exercuisse se deprehẽdo.) Rodolphus Agricola lib. de inuentione dialectica, 2. cap. 25. Sic Gorgias Leontinus.) Proposita enim quæstione primum rei genus quærebant, deinde speciem, tum proprium, præterea totum & partes, postea coniugata, & externa adiacẽtia & actus, & reliquos item locos. Postremo per communes locos argumentorum, nascebatur eis incredibilis ad discendum & copia & materia. Gorgias Isocratem docuit primus huius iactabundi instituti autor, ut testis est Valerius Maximus. De Prodico diximus in scholijs, in Axiochum. Abderites Magorum Persarum auditorum pessime sensit de dijs. Hippiæ omniiugam eruditionem, describit L. Apuleius libro secundo floridorum, & Cicero quoque libro tertio de oratore, in ipso statim operis frontispicio. Vt enim Demetrio Phaleræo uisum est in libro.) Δημήτριος φαληρεὺς περὶ ἑρμηνείας: αἱ δὲ ἄγραν μακραὶ καὶ πρὸς ἔτι κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ὀγκωδέστεραι οὐ μάτην ἀλήθειαν ἐπιστολαὶ γίνοιτο ἂν ἄλλα συγγράμματα τὸ χαίρειν ἔχοντα προσγεγραμμένον, καθάπερ τὰ πλάτωνος πολλὰ καὶ ἡ θουκυδίδου. Efficiam aliquid quia spero.) Vergilius: Possunt, quia posse uidentur.

RODOLPHVS AGRICOLA

Iacobo Barbiriano suo, S. P.

REdditæ sunt mihi, suauissime Iacobe, in itinere simul quaternæ literæ tuæ. Quarum alijs quid à me fieri cupias, alijs quod neque ipse ueniam, neq; literis quid facturus sim, certiorem te faciam, acerbius conquereris. Eis omnibus quo apertius respondeam, & tu simul quid faciendum mihi sit, facilius cognoscas, paulò altius necesse est rationem itineris mei repetam, quod facientem me tuæ literæ depræhenderunt. Est oppidum uicinum nobis, quod Campos uocant. Eò pridie decollationis Baptistæ, negocij cuiusdam, tum animi quoq; leuandi causa, domo profectus eram. Illic redduntur mihi literæ ex Theoderico Plinio, ornato homine, & mei amantissimo, qui iuris ciuilis doctor in primis eruditus, in consilio est Comitis palatini. Credo uidisse te illum superiore anno in comitatu domini Augustensis, quia perpetuo magistrum Adolphum nostrum assectabatur. Iuuenis decora facie, & flauis crispantibusq; capillis insignis. Is itaq; scribebat Cancellariũ Comitis palatini, cui Ioanni Dalburgio nomen est, hominem nobilem apprime, atque egregie eruditum, & mihi longa uitæ consuetudine, summa beneuolentia, summo studiorum consensu, charum, atq; perinde deuinctum, ad Vormaciensis ecclesiæ episcopatum postulatum esse. Orare illum & summopere hoc à me, summoq; studio contendere, ut ad se uenirem, quàm primum id facere possem. Acturum se mecum ea fide, ea beneuolentia, quam iampridem in eo cognouissem, & experimento compertam haberem. Munificentia uero tanto propensiore futurum, quãto paratior eius nunc sibi facultas esset, quàm antea fuisset. Curaturum se, & omni enixurum opera, ut intelligerem non sibi magis ipsum honore rebusq; auctum esse quàm mihi, diuisurumq; cuncta mecum, & (quæ lex amicitiæ apud ueteres sancita est) omnia nos communia habituros. Addebat ad hæc Theodericus preces suas, monere, rogare, exposcere, ut uenirem, iuncturos nos rursus uetus contuberniũ, nam & ipse domi domini Cancellarij degit. Repetituros pristina studia, omnẽ intermissam consuetudinem, alacritatemq; lætioris uitæ reuocaturos. Abrumperem modo quicquid morari me posset, & uenirem, daremq; hoc uel amicitiæ nostræ, si minus utilitate rerum, uel utilitati, si minus amicitia permouerer. Aut certe potius his utrisq; concederem, quorum utrumuis crederet ut peruincerer, sufficere posse. Has literas cum perlegissem, cœpi dubitare mecum, ecquid statim ad eum proficiscerer. Deterrebat me itineris longitudo, decem enim iam milas domo aberam, & ferè septuaginta restabant. Quia tamen iter auspicatus eram, &

pedem e limine protuleram, quod uulgato prouerbio, maxima profectionis pars est, statui persistere in incepto, & si non aliud, adire eum, & salutare hominem amicissimum, & illius fortunæ dignitatiq; gratulari. Profectus ergo sum, ueni Heydelbergam, id oppidum est studijs omnium illustrium artium (ut apud Germanos) non ignobile, illicq; ferè semper Palatinus statiua habet. Ibi tum cancellarium inueni, exceptus sum ab eo humanissime, & summo (ut præ se ferebat) gaudio, summa etiam multorum doctorum hominum expectatione, quibus illius prædicatione nomen meum erat notum. Ipse etiam princeps uir æquitate, iustitia, moderatione, clementia, religione, omni uitæ morumq; suauitate, & (ut semel dicam) omni principis priuatiq; hominis laude consummatissimus meo iudicio. Is quoque ea benignitate se mihi, ea humanitate præbuit, ut neque ille plus facere debuerit, nec ego tantum potuerim sperare. Hortabantur multi cancellarium, curaret prorsus ut manerem, neue quouis me pacto ab se dimitteret, futurum me magno usui studijs multorum, multos & diligentes auditores habiturum, & honesta me laborum præmia manere, siue auditorum profectum, siue lucrum, siue principis gratiam spectare uellem, siue simul omnia, quæcunq; modesti hominis uoto sufficerent, nequaquam mihi defutura. Cancellarius itidem omnia quæ Theodericus illius nomine antea ad me scripserat, coràm pollicebatur. Noscere se animum meum dicebat, ut cupidus essem libertatis, nec facile alieno me imperio addicerem. Victurum itaque me domi suæ meo more, meo arbitrio, æquè ac si in mea essem. Nihil oneris se mihi iniuncturum, nisi quo studia eius (si quà possem) iuuarem, cui rei certum haberet me haud grauate operam præbiturum. In reliquis ut mihi aptissimum uideretur, facerem, irem, redirem, cũcta ex animo meo uersarem. Quàm ego maxime pro mea uoluntate uiuerem, tam id illi gratissimum futurum. Quid multa? Puduit tandem tam multis liberalibusq; pollicitis, tamq; multorum desiderijs claudere me aures, & ultro proferenti se fortunæ subducere sinum. Ita quaquam nec ad id ueneram, nec eam spem attuleram mecum, cessi tamen, & exorabilem ea in re me præbui, quam ipse sanè (ut uerum fatear) summo studio orare debueram. Dixi rediturum me in patriam, & compositurum res meas, deinde Aprili uel Maio mense, cum aptius iam faciendo itineri tẽpus esset, eos me repetiturũ, nisi si qua necessitas, uel quod æquam necessitati habeat excusationẽ, interueniret. Hac conditione discedens, quum in itinere essem, uenissemq; naui ad id oppidũ, quod uulgus Baccarachũ uocat, ego quia primæ nobilitatis uinum Rhenense illic prouenit, ob hoc uelut Baccho sacrum, Bacchi aras, ueteres id uocasse puto. Illic ingressuro nauem mihi nuncius occurrit,

quem deditißimus tibi, Ioannes Rinck tuus, præcipiti festinatione in id miserat, reddidiq; mihi, ut prædixi, quaternas literas tuas, nuncias certe animi amorisq; erga me tui, noti quidem mihi, atq; perinde iucundi, & maximopere desiderati. Quibus literis quantum sim permotus, hinc conijcias licebit, quod perlectis eis, omnium eorum quæ hactenus tibi tam uerbosa, molestaq; narratione recensui, fuerim oblitus. Et oblitus propè eius, quod parum deest, quin facturũ me spoponderim, id est, rediturum me unde discessi. Quum eodem uespere ad Confluentes uenissem, correpta subito charta, epistolam exaraui ad Plinium meum, qua planè dubium eum, incertumq; animi mei reliqui, ut qui ipse non possem tam propere constituere quid facturus essem. Addidi tamen, quum Coloniam uenissem, ibi ex amici cuiusdam sententia, quem illic haberem, prudentem admodum hominem, et amantem mei, consilium me sumpturum. Simulq; binas literas tuas intra illius epistolam complicui, quo planius omnia perspicere posset. Post hæc ut ueni Coloniã, contuli cũ uno aut duobus familiaribus consilia, & quantũ potui, omnia expendi, elegiq;, an optimum nescio, fortuna uiderit: certe non quod mallem, sed quod illis maxime probabatur. Qua de re has ad te literas dedi octauo die q̃ tuas acceperam. Quod ergo pertinet ad id, quod ab Senatu Antuerpiensi mihi offertur, & tu ut accipiam, enixißime oras, uellem suauißime Iacobe, si quid aliud in omni uita, amori certe, beneuolentiæq; tuæ morem gerere, & quacunq; possem in re, animo tuo obsequi. Cuius animi mei quũ possem indicia multa colligere, & proferre genus uitæ nostræ, animosq; earundem artium studio concordes, officia, beneuolentiam obseruantiamq; item erga me tuam, meum etiam in te amorem, meum studiũ, debitum quidem, cum his ipsis meritis in me tuis, tum certe tibiipsi, id est, uirtutibus tuis, & ingenio pulcherrimarum artium ornamentis expolito. Verum ut hæc missa faciam, unum hoc satis magnum testimonium mihi esse arbitror huius meæ uoluntatis, quod superiore anno tantopere concupiui operam meam Reip. uestræ locare, & id ferè præter morem meum propensius, & maiore ambitu expetebã, si modo id quod usus rerum mearum poscere uidebatur, hoc est centum coronatos uoluissent de publico dare, quum tantis monitis, suasibus, impulsu, & (quod superbum est dicere, sed tu uerum dicere me nosti) propemodum blandimentis & promißis uir amplißimus, & honestißimus Cancellarius Burgundiæ, ut aulæ me Maximiliani insererem, pellicere nequierit. Quid tu? oppidi ne uestri pulcherrimi quidem illius, sed tamẽ qualemcunq; aspectum, tanti fuisse mihi putas: an iocundiorem hominum consuetudinem, quæ propè nulla mihi adhuc parata erat: an lucrum, quod maius etiam uberiusq; neglexeram: quàm hic uel peterem, uel sperarem?

rem? Quid ergo? Libera studijs quies, & tu inquã tu studiorũ socius. Quẽ ego in laudem meam educare, & ut illustres artifices solent ueluti præstantius quoddam diligentiæ meæ monumentum relinquere cupiebam. Hæc erant, cur tantopere habitare Antuerpiæ desiderauerim. Quare igitur, inquis, nunc quod datur, non accipis? Primum non est id iam liberum mihi, quum alteri promiserim. Quanquã autem fidem meam nondum eo nodo astrinxerim, quem nequeã expedire, si res poscat, ille tamen uelut promiserim, hanc sibi non aliter ac certam induit persuasionem. Quem frustrari me non minus mihi esset durum, quàm fidem fallere inhonestum, Deinde etiam nõ datur quod petebam. Datur schola, res acerba, difficilis, morosa, aspectu ipso, accessuq; tristis, & dura, ut quæ flagris, lachrymis, eiulatu, perpetuam carceris faciem præ se ferat. Quod si cui alij rei, huic, uel maxime nomen à contraria uerbi interpretatione potest inditum uideri? Græci enim scholã, id est ocium dicunt, Latini ludum literarium uocant eam, quum nihil sit aut ocio sum minus, aut seuerum, & ab omni ludo magis abhorrens. Rectius sanè Græcus comicus Aristophanes, qui φροντιστήριον, id est, curarum locum appellat. Scholam ergo ego? Vbi tempus impartiendum studijs? ubi ocium, ubi quies ad aliquid inueniendum, uel excudendum necessaria? Vnde una aut duæ horæ (ut scribis) explicando autori alicui impendendæ? cum præcipuam temporis partem cura puerorũ ad se uocet, & usqueadeo omnẽ tolerantiam magistri conturbet, ut quicquid temporis reliquum est, non tam studijs tribuere possis, quàm ut respires, atq; mentem resumas. At possum remissiore illam solicitudine curare. Possum quidẽ, sed si ego negligens fuero, quis tandem ministrorum diligens erit? Quasi uero, quum ego, cuius negotium geretur, curam atq; operam laxauero, alius, cui licet etiã meo periculo segni esse, sit uigilantius partes suas executurus. Ego ita puto, primam prudentiæ partem esse etiam atq; etiam uidere quid suscipias. Proximam, quod suscepisti, grauiter administrare. Id uero quod tu in præcipua lucri parte numeras, honestorum ciuium munificentiam, qui explicando alicui autori, unam, aut duas horas sibi in diem poscerent, haud sanè satis paratum illi rei futurum esset ociũ, quoniam præcipua diei pars cum pueris terenda esset. Quod si huic etiam spei satis fuissem ausus incumbere, maluissem eam conditionem superiore anno accipere, & nunc quoq; eam solam, quàm scholæ coniunctam mallem. Sed res est fluxa, labilis, & incerta. Primo enim feruore (id quod sæpe in alijs expertus sum) multi se proferunt, deinde ubi usu res parumper refrixit, & ille primi ardoris impetus elanguit, quosdam aliæ occupationes auocant, quosdam satietas capit, quæ ardentissimis plerunq; desiderij proxima est. Nonnulli numerũ sequuntur, & quod faci

entes

entes alios uident, recte fieri putant. Alium labor, alium merces grauat. Sic fit, ut ex magno sæpe numero uix quartus quisque, quintusue remaneat. Tandemque opera luditur, ut non unquam grauis ære domum mihi dextra rediret. Possum ego tibi iamdudum communis hominum sensus ignarus, & expers omnis humanitatis uideri, ut qui deberem pro munere ultro oblato mihi gratissimum ostendere me, & id honestioribus uerbis prosequi, & laudibus adornare, nūc insecter illud, & propemodum contemnam. Faterer profecto, & hanc culpam agnoscerem, nisi propositum esset mihi, male tibi fidem beneuolentiæ meæ probari, quàm laudari orationem, utque intelligeres tantum apud me ualere amorem desideriumque tuum, ut quū uideres in re ipsa parum momenti esse, propter quod expetere eam tanti putarem. Tu tamen unus pro omnibus facile mihi satisfaceres. Et quod causis negaturis essem, id tamen haud cunctanter beneuolentiæ tuæ tribuere uellem, nisi prior ille me occupasset, qui sibi tantum iuris in pectore nostro uendicat, quantum tibi concedo. Nunc quoque, nisi itinera ubique armatis infessa essent, & omnia bellū occuparet, uenissem ad te, coramque pro te satisfecissem his, quibus uenturum me promisisti, ostendissemque facile te, & hoc, & quoduis aliud apud me potuisse conficere, nisi eo tempore mihi literæ tuæ redditæ essent, quo non possem ipse iam quod uellem, de me amplius polliceri. Quod possum autem suauissime Iacobe, maximas tibi, uberrimasque & habeo, & ago gratias, pro hac tam diligenti enixaque cura rerum mearum, quod intelligo te omni opera, omni studio conari, aut quacunque posses, aliquid semper uelles incrementis meis adstruere. Deinde nihil æque cupio, quàm dari aliquādo tempus mihi, atque facultatem, quo possim honestissimis illis uiris, qui tuo de me iudicio amorique crediderunt, & hoc munere auctum ornatumque me uoluerunt, gratus & tanti memor beneficij uideri. Quod scribis tuo more iocans, esse eos qui maiore expectatione aduentus mei teneantur, quàm si dux Carolus domum aliquando esset rediturus, id tale est, ut magis audire me delectet, quàm credere libeat. Sed de Carolo quando in eius mentionem uenisti, quia omnibus locis multus est uariusque de illo sermo, & quidam est qui magna uulgi persuasione Carolus esse creditur, qui Bruxellæ, quod Sueuiæ oppidulum est, genus uitæ supra humanum morem horridum, atque asperrimum peragit, scito fuisse me plus octo diebus loco, qui una tantum mila ab eo distat oppido. Et iuissem eò, allocutusque hominem fuissem, nisi grauiores uiri, & quibus res exactius poterat esse cognita, affirmassent mihi Carolum eum non esse. Deinde rediens in naui casu in colloquium familiaritatemque cuiusdam insinuaui me, qui triginta amplius annis domus Burgundiæ minister fuerat. Is se dicebat apud Nancium postrema illa clade, quæ

accepta

accepta est, ordines duxisse, & captum fuisse cum multis, & Caroli corpus sine ulla dubitatione, certißimisq; signis illic agnitum sepultumq; esse. Præterea se cũ hoc uiro longum habuisse colloquium, sed & illum constantißime negare Carolũ se esse, & neq; staturam, neq; loquendi, non dico sonum, qui mutatur multis casibus, sed habitum & formam illam uerborum conuenire. Deinde barbam huic modicam esse, quæ Carolo latißima erat. Hunc rudes & crassas prorsusq; rusticas habere manus, quum Carolo teretes atq; subtiles essent. Præterea neque cicatrices, neq; reliqua quæcunq; essent signa, conuenire: itaq; si qui illa spe teneantur, deceptum eos iri, & uanam esse exitu inuenturos. Vulgus tamen (qui mos illius est, libentißime incredibilia quasi comperta, & loqui, & credere) constantißime hunc Carolũ esse asseuerat. Sed ut finẽ aliquando faciã epistolæ, quia respublica uestra pueris suis, & teneræ illorum, primæq; ætati præceptorem quærit, suntq; eis uelut fundamenta totius reliquæ iacienda, & instituendi molles eorum & anni & animi, qui facile dirigentis manũ in omnes flexus sequũtur, utq; ab initio bene sensusue formati fuerint, ita deinde omnium studiorũ ferè omnis futuræ ætatis spem de se præbebunt. Admonebis ciues, & quantum poteris, adhortabere, ut non splendidos titulos, nec grandia nomina, nihilq; huic curæ profutura sectentur, hoc est, ut Theologum aliquem, uel physicum, quem uulgo artistam uocant, huic rei præficiant. Qui quum uideatur multa sibi de omnibus rebus posse dicere, dicere ipsum nescit, ut qui literarum & loquendi rationem & leges ignoret. Quid enim Theologus uel physicus in literario puerorum ludo? Profecto (ut græco diuerbio utar) id ipsum quod canis in balneo. Quærant ergo ubicunq; possunt aliquem, qui, ut apud Homerũ Phœnix Achillis ille magister, docere poßit, dicere & facere, eũq; si inueniant, omni sibi parent mercede. Nec enim consilium est eis de re uili atque contempta, sed de filijs suis, quorum utilitati futuræq; uitæ omnis illorũ labor inuigilat. In quos ut bona sunt hæreditate transmissuri, ita uitam, si possint, transfundere uelint. Quorsum autem hæc omnia eis? Si sic instituantur, ut ferè sint his ipsis indigni, adde, quòd ut filiorũ illis, sic primæ in filijs ætatis exactißima est illis habenda cura. Quæ quemadmodũ omnium quæ traduntur, capacißima est, ita omnium quæ cepit, siue profutura, siue noxia sint, tenacißima. Non est autẽ de re ulla diligentius statuendum, quàm quæ post se facilimum pœnitentiæ locũ, & difficilimum ad meliora regressum relinquit. Sed finis sit. Habes magnam & molestam epistolam, cuius longitudini antequam totam perlegas, quater irasceris scio. Volui autem primũ paria tecum facere, quumq; tu multas ad me literas dedisses, nequiremq; itidem multas ad te dare, statui multarũ numerum unius huius magnitudine

dine æquare. Deinde uisum est mihi quàmplenißime reddere tibi rationem rerum mearum, quo ferres æquiore animo, si quod tu cupis, & ego, quia cupis, ob id maxime uellem, cogerer tibi negare. Postremo iuuit me fabulari tecum, & omnia non dico quæ in animo habebam (illis enim non liber, nedum hæ literæ sufficerent) sed quæ una epistola complecti possem, ea profundere apud te, & in amici pectore collocare. Vale. Iudocum Besselium humanißimum & ornatißimũ hominem & ornamentum Musarum omnisq; eruditionis, si quando poteris, meo nomine accuratißime saluta. Nicolao Hagæ plurimam item salutem ex me dicito. Festiuum etiã corpusculum illud, & facetiarum leporumq; omnium arculam, amores tuos scis, quomodo meo nomine salutabis. Sed heus tu, penè hoc oblitus eram, non poßis credere quantum mihi placuerit simplex illa puritas & integritas literarum tuarũ. Studes uideo, recte facis, laudoq; te, & ut instas moneo prorsus, hortorq;, & præceptorem, quẽ tibi occasio rerũ negat, tuo studio, tua tibi diligentia teipsum præbe. Iubeo bene te sperare. Noui enim ingenium tuum, nihil erit quod id diligenti cura non efficiat, quodq; non intento studio peruincat. Iterum atq; iterum uale. Datum Coloniæ, Calendis Nouembris. Anno. XCII.

ARGVMENTVM PRAECEDENTIS EPISTOLAE

Epistola hac longe doctissima Rodolphus Agricola senatui Antuerpiensi summa tum fide, tum facundia suadere conatur, ut ludo literario præficiat aliquẽ, qui bonas literas didicerit, nec uti solẽt, aut Theologo, aut infanti physico id muneris cõmittat, qui cũ se quacq; de re dicere posse confidant, ipsum dicere quid sit, ignorent. Et quum nondum didicere quid sit scire, nullius rei sibi non arrogent scientiam. Lege adagium: Inscitia confidentiam parit. Qui autem Theologo quidem, sed solũ Theologo committit puerum in grammaticis rudimentis instituendum, lanam in officinã fullonis (ut habet diuerbiũ) ferre dicitur. Magistrum Adolphum nostrum.) Quocum Rodolphus communem habebat bibliothecam, multò instructissimam, quam nunc Aemstelredami asseruat Pompeius ille noster Occo Phrysius, relictã ei ab Adolpho Occone auunculo uiro rei medicæ experientissimo. Atq; egregiè eruditum.) Testãur hoc præter alia & epitaphia Græcanica Rodolpho conscripta. Vt apud Germanos.) Id est, secundum quod nunc sunt Germani. Valla 2. lib. elegant cap. 28. Cicero de senectute: Multæ etiam ut in homine Romano, literæ erãt. Octauo die quam.) De hac phrasi lege Vallam lib. 3. cap. 59. Vt cupidus essem libertatis.) Quã dulce bonum est libertas, quæ morte emitur, ꝙ misera res seruitus, cui mors anteponitur. Quid igitur mentis dicemus his esse, qui se sponte dedunt in eam seruitutem, unde nec dato peculio possunt redimi, nec gratuita manumissione liberari? Quod uulgus baccarachum uocat.) Eundem sane ad modum & apud Harlemum amœnissimum Hollandiç oppidum, uicus ceruisiarĳs admodum ꝙ celebris, dicitur Bacchanes. Pro Bacchus est, quẽ deũ olim ibi arcem occupasse, testãtur etiamnum asoti crudiq; bibones, hoc est, abbates amphoræ (sic enim isti lurcones loquũtur) quotannis ibidẽ alĳ atq; alĳ publicitus è priscis usq; seculis designat. Vnde non iniuria quidam denobilitauit eiuscemodi uentres, ut qui nihil prius habent quam quotidianis adesse cõpotationibus, & ĳs in multam usq; noctem extractis, καὶ παρὰ πότον βακχεύοντας μεγά-

λας κύλικας ἐκπιεῖν ἀναγκαζόμενοι μόλις καὶ συνοῦντες τὰ πρόσωπα διαστρέφοντες ἐκπίνουσι τὸ προστατόμενον. Arce sedet Bacchus, neglectus cessit Apollo. Nil est hic aliud uiuere, quam bibere. Id quod usus rerum mearum.) Vsum quandoque accipimus pro commoda facultate administrandarum rerum. Horatius: Pauper enim non est, cui rerũ suppetit usus, id est administratio. Datur schola.) Recusat munus, tanquam humilius, parumque sese dignũ. Quemadmodum apud Homerum odyss. ρ. οὐ γὰρ ἐπὶ σταθμοῖσι μένειν ἔτι τηλίκος εἰμί, id est, Nam ut maneam in stabulis, iam non mea postulat ætas. Cicero de oratore perfecto: At dignitatem docere non habet certe si quasi in ludo, sed si mouendo, si cohortando, si percontando, si communicando, si interdũ etiã una legendo, audiendo, nescio cur non docendo etiam aliquid aliquãdo si possis meliores facere, cur nolis? Res acerba, difficilis, morosa.) Diogenes Euclidis scholã, quod arguta quidem, sed ad recte uiuendum inutilia docere uidetur, χολὴν, id est, bilem ac molestiam appellabat, quum schola Græcis sonet ocium. Plato in Phædro: Ἐμοὶ δὲ πρὸς ταῦτα οὐδαμῶς ἐστὶ σχολή. τὸ δὲ αἴτιον ὦ φίλε τούτου, τόδε. οὐ δύναμαί πω κατὰ τὸ Δελφικὸν γράμμα γνῶναι ἐμαυτόν. γελοῖον δή μοι φαίνεται τοῦτο ἔτι ἀγνοοῦντα τὰ ἀλλότρια σκοπεῖν. ὅθεν δὴ χαίρειν ἐάσας ταῦτα, id est, mihi uerò ad hæc ocium non est, ob eam ô amice causam, quia nondum queo, scilicet Delphicum præceptum, meipsum cognoscere. Ridiculum igitur puto, cum mea ipse ignorem, aliena perscrutari uelle, quare hæc ualere sinas. A contraria uerbi interpretatione.) Quintilianus libro primo capite 10. & Augustinus Dathus de uocibus per Antiphrasin dictis. Græci enim scholam.) Ausonius Grato schola nomine dicta est. Iusta laboriferis tribuantur ut ocia Musis. Græci propriè σχόλας uocant non ipsum discendi locum, sed magis disputationes, quam lectiones, atque id genus alia. Quæ res Platonis dialogos legenti statim est obuia. Aristophanes qui φροντιστήριον.) Retulit quod est apud Aristophanem in nubibus. Vide adagium de fumo disceptare. Cum præcipua temporis cura.) Documento fuerit optimus ille formandę pueritiæ artifex Lydus in Bacchidibus Plautinis. Quæ ardentissimis plerunque desiderijs.) Cicero 3. de oratore: Difficile enim dictu est, quænam causa sit, cur ea quæ maxime sensus nostros impellunt uoluptate, & specie prima acerrime commouent, ab eis celerrime fastidio quodam & facietate abalienemur, & quæ sequuntur. Nonnunquam grauis ære.) Versus est Vergilianus è Tityro, qui mihi hoc loco suppositițius esse uidetur. Artistam.) Id est, τεχνόλογον, siue ἑπτατεχνον, id est, septem artium peritum, tot enim numerantur artes liberales.

Quàm si dux Carolus domum aliquando esset rediturus.) D. Erasmus adagio: Glaucus comesa herba habitat in mari. Dictum apparet per iocum de ijs qui cum perierint, tum uulgo creduntur uiuere, qualis opinio complures annos nostratium animos occuparat ad insaniam usque de principe Carolo Burgundiorum duce, qui cum interisset in bello, tum hauddeerant qui non dubitarent magno periculo rerum suarũ asseuerare illũ adhuc in uiuis. Qui facile diligentis manũ in omneis flexus sequuntur.) Diuus Hieronymus in epistola ad Gaudentium de infantulæ institutione: Vt enim qua in areola digitum sequitur præcedentem: ita ætas mollis & tenera in utranque partem flexibilis est, & quocunque duxeris, trahitur. Illic congruunt.) Cũ ab alijs permultis, tũ uerò ab eius medico Gard. Lusitano (ut Græco diuerbio utar) τί κοινὸν κυνὶ καὶ βαλανείῳ. Vtitur eo adagio & Lucianus in sermone aduersus indoctum longa librorum suppellectile tumẽtem, rursum in parasito. Vide prouerbium: Quid cani & balneo? Quadrabit in eos, qui ad rem quampiam prorsus sunt inutiles, ita ut in balneo nullus est omnino canum usus. Vt apud Homerum Phœnix.) Cicero in tertio de oratore: Nam uetus quidem illa doctrina eadem uidetur & recte faciendi, & benedicendi magistra, neque disiuncti doctores: sed idem erant uiuendi præceptores atque dicendi, ut ille apud Homerum Phœnix, qui se à Pelæo patre Achilli iuueni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem uerborum, actoremque rerum: Homerus Iliad. ι. Διδασκέμεναι τάδε πάντα μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρα

πράττι ἔργων. Quintilianus libro secundo capite 18. rursus libr. undecimo cap. primo. Ita omnium quae.) Quintilianus libro primo. Non est autem de re ulla diligentius statuendum.) Plato in Euthyphone: Iuuenum in primis rationẽ habere conuenit, ut in optimos uiros adolescãt: Idem κεφάλιον δὲ παιδείας λέγομεν τὴν ὀρθὴν τροφήν.

RODOLPHVS AGRICOLA IAcobo Barbiriano suo, S. P.

Qvid est suauißime Iacobe? tam celeriter oblitus es nostri? tam facile ex animo tibi effluximus? ergo multa alia quae parauimus, quae instituimus, quum essemus unà, tantum † & praeter uerba nihil fuere. Quomodo possum adduci, ut credam te tam penitus oblitum esse, nedum familiaritatis, & illius breuis quidem, sed (ut mihi uisum est) iucundißimae consuetudinis nostrae, uerumetiam spei tuae & destinationis ad studia, quam ipse tibi iam fingebas, & cuius etiam iam tũ futura fruebaris uoluptate? Quoniam ego quoq; statueram (si id quod cupiebam, euenisset mihi, ut ad uos me reciperem) omni cura atq; diligentia te instruere, & uelut in peculiarem quandam gloriam meam in studijs educare. Et cò te perducere, quo soleo nunquam putare me peruenire potuisse, si quis mihi cũ essem ea aetate, qua tu nunc es, dux formatorq; studiorum fuisset. Fieri certe non potest, ut putem ista tam cito excedisse tibi. Itaq; meipsum praebeo iudicem tibi, nescio an iustum, certe mitem & clementem, fingoq; excusationes pro te, & contra meipsum causam tuam defendo. Cogito te nõ habere quenquam, cui poßis literas ad me perferendas dare. Rarißimum enim est, ut quisquam istinc ad nos proficiscatur. Et nostri adhuc propter nostrã illã quã ego prosequebar, nõ audẽt istuc uenire. Praeterea uenit in mentẽ mihi, nihil potuisse te de re nostra cõficere, quã curandã susceperas, propter bella, quae nunc geruntur. Et idcirco in alios usus pecuniae necessariae. Et quod publica tractant pleriq; indocti, & ultro contemnentes literas. Vel aduersantes etiã, & quod ego aberã, qui ut praesens aliquorũ cõmonere studia potuißem, ita absens facilius memoriae eorum elapsus sum, & desiderium segnius effeci. Haec omnia persuadeo mihi obstitisse coeptis tuis, quo minus id quod conabaris assequi posses, & conatus tuos irritos permansisse, atq; quũ id quod maxime cuperes scribere, ereptum esset, tibi factum esse etiam, ut nihil scriberes credo. Haec ego ut dico, mihi pro te fingo. Et ingenium meum in excusationẽ tui adduco, quòd an iuste & uero faciam, tu quidem potes scire, qui haec quomodocunq; se habent, rectius quàm ego nosti. Facio certe humaniter & modeste, & ut dignum est animo atq; beneuolentia in te mea. Malo enim omnia suspicari, & cre-

† Deesse aliqd oportet.

Ee 2 dere

dere potius, quàm putem aut de uoluntate tua quicquam mutatum, aut de beneuolentia detractum. Est enim simplicis & erecti animi, non temere quicquam sinisterius opinari. Et quàm quisq; plurimum fidei præstare paratus est, tam facillime de aliena sibi fide persuadet. Sanè inceptũ illud non pro uoluntate nostra cessisse nobis, eo æquiore animo fero, quòd initio ut crebro tibi dicebam, parum spei capiebam quicquam futurum esse. Tu quidem ad sperandum paratior fuisti, sed ego (quod exitus docuit) certior augur. Sed de hac re satis superq;. Quàm uellem scire quid agas, hoc est, quid ualeas, quæ bella, quam pacem habeas, quomodo tibi cum letißimo & lepidißimo corpusculo illo, quod Veneres omnes Cupidinesq; finxerunt, conueniat, quorsum reliqui conatus tui, recentes illos dico, quum ego discederem, quorsum (inquam) concesserunt? Meæ Musæ non tacent solũ, sed prorsus obmutescunt. Ideo neq; uel unum uersum, posteaquam Antuerpia decessi, feci. Neq; uel cano, uel psallo, aut ullam partem illius studij attingo, ut uidear aliquando mihi meipsum perdidisse. Oro ut hocipso nuncio quomodo ualeas, & quid actum de re ea, quam cœperamus, & quid tibi impedimento fuerit perscribas. Spero fore, ut hac æstate crebriores ad te dem literas, si modo tutus comeatus fiat mercatoribus nostris in Brabantiam. Et ipse si forte hinc diuellere ad tempus aliquod me potero, ad te ueniam. Tanto enim desiderio loci illius teneor, ut facile omnia mihi ex illius comparatione sordescant, & uilia fiant. Eam humanitatẽ hominum, eum cultum, gratiamq; rerum omnium, eam ante omnia sanitatem & beneuolentiam, ut quũ nulla re minus frui mihi concedatur, nihil est quod æque tamen, non audeo dicere sperem, sed uel cupiam, uel optem. Vale. Salutem dicito honestißimo uiro, meo nomine, Hieronymo de Tiel, M. Ia. Engel. & ne per ambages te morer, omnes notos, ubi uidebis, & ubi commodũ erit. Etiam atque etiam uale. Datæ Groningæ, biduo post Annunciationis Mariæ.

QVum essemus unà, tãtum.) Deesse aliquid oportet. Non temere quicquam sinisterius opinari. Cicero: Ut quisque est uir optimus, ita difficulter alios improbos suspicatur.

RODOLPHVS AGRICOLA
Ioanni fratri S.

FVi in aula Palatini apud Dalburgium nostrum, & Theodericum Plinium, qui Dalburgij contubernalis est uiginti circiter dies, acceptus non modo ab his, sed à plerisque alijs humanißime: qui horum prædicatione nomen meum norant.

Multum

Multum mihi placuit aula illa, quum summa principis ipsius mansuetudine, & ingenij suauitate, tum amicorum omnium modestia, concordiaq; uitæ. Itaq; quum Dalburgius obnixe mecum ageret, ut ad se uenirem, atq; domi suæ agerē: illa mea quam semper soleo expetere libertate, pollicenturq; se curaturum ne quicquam mihi deesset ad commode uiuendum, neq; id mihi ex meo parandum esse: gessi morem illi, & prima æstate, quum aptum faciendo itineri tempus erit, uenturum me promisi. Mouit me & occasio perpetua studiorum, & qualiacunq; literarum mearū, non inhonesta exercitatio: Palatinus enim semper ferè Heidelbergæ degit, paratumq; erit mihi semper habere aliquos, qui uel doceant aliquid, uel discāt. Fuit oblata mihi conditio Antuerpiæ, opulenta certe: poterā enim lucrari circiter trecētos Renēses annuos, sed ministerium parum liberale erat, præfuturus enim scholis literarijs eram, quæ res quum ipsa per se sordidior sit: tū studijs meis plurimū impedimenti fuisset allatura. De sorore nostra nescio: quid statueris, aut uelis statuere: commouisti rem, quam perficere non uideris mihi posse. Parum bellè fecisti: sed hæc aliâs, & plura, nuncius enim festinabat, ne uacaret mihi in præsentia plura scribere. Cupis ut ad te ueniam, nescio quid sit illic negocij mihi futurum, aut quid faciam ibi. Hyems est, & pigrior sum. De discessu meo nemini dixeris: Nolo id ab omnibus sciri. Vale. Pridie D. Thomæ Anno LXXXII. Illustrißimæ dominæ tuæ obsequium meum commenda.

Rodolphus Agricola Ioanni fratri. S. P. D.

Misi fratrem nostrum Henricum in patriam, cupijt enim ipse eo proficisci: postquam nunciatum nobis est de morte sororis nostræ. Doleo grauiter et ægre fero casum illum, ut par est quia soror erat, tum quod multum ingenium, moresq; eius si uiuere potuisset placebant, nunc quia Deo aliter uisum est, querelæ omnes molestæ sunt, & superuacuæ, & cum necessitate deliberandum est, & ferendum quod res cogit. Quod ad res meas pertinet. ueni Heidelbergam expectatus omnibus & expetitus, humanißimeq; exceptus sum à domino Vormatiēsi: qui me summa benignitate, & mansuetudine prosequitur. facio quicquid mihi libet, eo, uenio, ago, quiesco, prorsus ex meo arbitrio, sed nescio quo pacto hic tam inuitus, & prorsus contrà animum meum sum, ut non uidear mihi tota uita ullo loco fuisse: cum quo minus mihi conueniret: aut in quo ægrius degerem, quàm hic sum. Difficile est mihi seruitutem discere iam increscente ætate, & quamuis seruitus nulla à me exigatur, tamen nescio an eò grauius onus incumbat mihi, quòd necesse habeo quam alius mihi remittat: eam mihi ipsi imperare, & ipsa me libertas in

grauiorem seruitutem adducit. Deinde semper quasi Horatij illud per os mihi redit. Patriæ quis exul, se quoq; fugit: assueram iam regioni nostræ, & illa etiam mihi, uidebarq; iam mihi quietem aliquo loco circumspicere, & uitam aliquam in partem collocaturus esse: nunc reuulsus iterum, & eò perductus, ubi omnia ferè noua, aut ignota mihi, & rursus uelut deintegro uita est ordienda, & ea uita, in qua non mihi uideor permansurus: ita huic etiam me assuefaciet, adhuc tamen non potuit, & magis me inquietum reddidit mora, quàm composuit. Fortè mollientur ista tempore, & dies sicut omnibus omnes: ita quicquid huius rei perferendū est mihi: fratris causa perferam oportet: cuius rebus possum hac uia maxime consulere. Est in domo ampla satis, & familia numerosa: in qua nihil non ignoscitur ei, & ut ita ne fiat ab omnibus, petiui: & tamen in gratiam meam plus illi sæpè, quàm uellem permittitur. Satis studiosus est, & ingenio satis prompto, & expedito: si modo probum & modestum esset, & tam honorem, bonamq; existimationem hominum cuperet, quàm inanem & stultam ostentationem cupit. Potest tamen fieri, ut hæc usu & ætate leniantur. Nam ut tollantur, uix audeo sperare. Tu quomodo ualeas, & qua ratione res tuæ agantur, cupio scire. Fac uigiles oro, si quo modo posses aliquid inuenire, unde tibi uitæ præsidium esset: nam fauorem principum ut mereri, sic multò magis tueri laboriosum, & multæ operæ est, ut scis: deinde etiā res per se anceps & lubrica, & quam persæpè fortunæ magis, quàm meritis imputare possis. Coloniæ quum essem, ad cœnam semel uocatus sum à Vastardo hospite. D. Veonis. Video adhuc non satis eum posse rusticum illum pudorem, quem apud uos didicit, exuere: & de ea re querelam etiam domesticorū inter se, quum abesset ille, audiui quanquàm ambagibus loquerentur, & crederent non intelligere me: quam rem agerent. Fac me de rebus tuis certiorem. Vale. Illustribus dominis obsequium meum commenda: Magistrum Hiccium meo nomine, & benignissime saluta: & suauissimam fœminam hospitam tuam G. Etiam atq; etiam uale. Datæ Heidelbergæ X. Calend. Augusti, anno LXXXIIII. Plinius noster plurimam salutem tibi dici iussit. Sumus adhuc contubernales. Palatinus alit ei duos equos, & habet salarium centum aureorum quotannis. Est industrius, & gratus Principi, & omnibus aulicis: & qui ut nunc usum prompti, & prudentis iuuenis præstat, ita spem magni uiri promittit.

Rodolphus Agricola Ioan. fra. S. P.

REdditæ sunt mihi literæ tuæ, quibus idem de sorore nostra scripsisti, quod in mandatis dederas Agneti, quæ superioribus apud uos fuit. Sunt (puto) quin

decim

decim aut amplius dies, ex quo pater ad me fuit. Narraui illi rem, iußiq; mittere ad me eam. Dixit intra triduum aut quatriduum missurum se, postea nec misit hactenus, nec mandauit quicquam. Suspicor nolle eam ad nos redire. Itaq; nihil habeo: quod possum explorate de ea re scribere: quod siue faciat, siue non faciat: non est quod ei uelim magnopere molestus esse. Vtcunq; enim res ei bene aut secus cesserit, suum erit commodum, sua querela. Valeto. Datum Groningæ.

Rodolphus Agricola Ioan. fra. S. P.

IOannes Vuiardi frater Dominæ Prioriße uenit ad me, dicens audisse se magnificum D. Ennium dominum tuum quæsisse habere sibi tonsorem proprium, inter ministeria sua. Nunc uti res Ioannis sunt, uellet, si quomodo poßit, hoc ministerij munus, apud te eum consequi. Orauit me ut se tibi commendarem, quô curares pro eo apud Dominum Ennium, ut hoc nomine eum in familiam suam acciperet. Commendo tibi eum, & suo nomine: nosti enim modestiam eius, & sororis, cui omnem commendationem debeo, & nulla satis est. Iuua eum si quid potes, aut si aliud nequis, tamẽ honesta eum excusatione dimitte, ut sentiat nihil ei minus, quàm commendationem meam defuisse. Sororem nostram pater tandem post festa Pentecostes misit ad oppidum, quum ferè omnis occasio discendi aliquid in hac breuitate temporis, præerepta esset: scis enim quicquid pelliceorum operum fit, ad festorum aduentum solere parari. Nunc tamen diligenter discit quantum potest: & præterea texturam puluinariam, quam ipsam egregie scit Bela uxor Ioannis ministri mei, cuius auus domi diuertitur. Accepi literas Henrici fratris nostri, ad me, & ad te datas, quas tibi mitto: de quo (ut semel dicam) ego prorsus eum quicquàm bene facturum despero. Vale datum Groningæ. Anno LXXXII.

SALVE.

HOdie proficiscor in Holandiam nomine Reip. nostræ cum Euerhardo Hubbeldingo: ut componamus causam, tam diu tamq; multipliciter semper frustra tractatam, cum Dederico Hockelem. Quorsum res casura sit, difficile est uaticinari, quod tamen spem aliquam pollicetur, ultro literis Reip. Dordracensis scriptis, nomine Dederici uocati sumus ad rem transigendam. Mihi hoc iter incommodè accidit: nam aut debebat metus me pestilentiæ à profectione deterrere, aut si hunc timorem contemnere auderem, satius esset me eò proficisci, quò ipse mea causa decreui pergere. Sed tamen nolui negare orantibus, quia tantò arctius nũc eos mihi obligaturus eram hoc merito meo (si tamen ij sunt qui ullo merito obli-

gari

gari possunt (quantò nunc mihi liberius erat & iustius negare) quum primum re-
diero, si duret hæc cœli serenitas, ipse ad meum iter parabo. Biduum est ut acer-
bißimus mihi nuncius allatus est, Adelheidem hospitam nostram Nouimagij, Agne
tem filiam, & huius maritum fato functos esse. D. Rodolphus Runt item diē suum
obijt. Elisabeth filia in cygno, grauiter & suprà spem uitæ ægrotat. Tu quid de
omnibus rebus tuis constitueris, aut constituturus uideris, facito quum primum re
diero, certiorem. Vale. Illustribus dominis tuis obsequium meum commenda. Ma-
gistrum item Hiccium, si apud uos est honestißimis uerbis meo nomine saluta. Etiā
atq; etiam uale.

Rodolphus Agricola Ioanni fratri, S.

VEnit ad me nudiustertius pater tuus turbatus & gemens. Et prope cum lachrymis questus est mihi, Henricum fratrem nostrum Pridie eius diei, clàm sibi abstulisse cētum florenos nostræ monetæ, ex pecunia sacra, cuius, ut scis, curam ille gerit. Orauit ut quàm primum ad te literas darem, ut si quo casu ueniret ad te Henricus, teneres eum, pecuniamq; rursus ab eo extorqueres: sic enim uidetur hactenus significasse uerbis, cupere se si quà posset, in Saxoniam studiorum causa proficisci: itaq; credidit eum peruenturum ad te esse, oraturumq; aliquid in subsidium uiatici: tu si ad te ueniat, censeo, si modo occultè potes & honeste, ita ut facile arbitror futurum, ut poßis acerbißime tractato illum, & uel in carcerē conijci facito. Destinaueram apud me iam Louanium mittere illum, & quomodocunq; potuissem comparcere, & corradere, quæ sumptui eius suppeditassem. Veneram in spem ætate iam, & liberaliori hominum studiorumq; consuetudine, iam debere ad meliora respicere, & mentem aliquando honestiorem induere: sed quē neq; tot tamq; acerba conuicia & castigationes emendant, neq; emendant nostra exempla, neq; beneficiorum meorum, uel priorum memoria, uel spes futurorum: nescio quid dicam: desperare in fratre durum: sperare in tam perdito, propemodum stultum: uellem duplum illius damni accepisse me, ut id ille non fecisset. Consolatus sum patrem, quàm lenißime potui, dixiq; cogitaret se illi hæreditatem maternam (id quod iure cogere potuisset) tradidisse. Nos illi in tempore, uel auxiliū, uel consilium inuenturos, quo pecuniam illam alicunde reperiret. Haberet modo rem occultè si poßet, neq; damnum infamia cumularet. De Traiectensibus ingentia mendacia fuēre hic, & acceptarum & illatarum cladium: nunc post omnia fuit hic tabellarius Ducis Cliuensis, qui dixit, in eo tumultu, de quo scio te audiuisse, quum tot occisi dicerentur, non plus ducentos quinquaginta captos, uel cæsos.

sos. Reliqua omnia ficta esse. Arnhem Dux Cliuensis, item & Hattem occupauit: de oppido Gelriæ itidem sunt qui dicant. Vale, & illustribus dominis tuis obsequiũ meum commenda. Datum Groningen. Agnetis.

Rodolphus Agricola Ioanni fratri suo salutem.

REddidit mihi literas tuas, cui eas dederas: Aenius dominus tuus Vormaciæ: coactus enim fuerat manere illic, & quiescere quindecim, aut amplius dies, quod unum illi, & si rectè memini, sinistrum genu intumuerat. Itaq; quum ad sacrum Paschæ diem, cum domino meo illuc uenissem, allocutus sum eum sæpius, & curaui ut dominus dißimulanter inuitaret eum: quanquam tamen anteà quis esset: occultè Domino dixissem. Posteà quum dominus noster orator Comitis Palatini ad urbem proficisceretur, cum sedecim equis, & ego essem unà: allocutus sum eum in urbe sanum, & bene habentẽ, fuimus in itinere Ferrariæ, sed parum mansimus: uenimus enim decima nona hora, & reliquum exegimus ibi. Mirum est, quomodo omnis ager Ferrariensis, qui circa Rodigium erat Venetias uersus, uastatus sit. Villæ omnes dirutæ & exustæ, arcum in quo feræ principis erant, totum uastum, feræ omnes cõsumptæ, arbores desectæ, murus eius subuersus, monasterium angelorum & Cartusia, magna ex parte desolata, arbores omnes in uia angelorum excisæ, plateæ Ferrariæ confractæ adhuc & plenæ multis locis luto, & fimo: mortua sunt Ferrariæ partim famæ, partim pestilentia, partim casibus bellorum, plus quàm quindecim hominum milia. N. noster allocutus est me cum summa cupiditate, & gaudio, & iußit tibi plurimam salutem dici: adhuc est illi uetus consuetudo, quæ fuit cum Diamanta tua: ea uidua est facta, ipse docet filios. D. Theophili. Diotesaluus, Aloisius Tita omnes mortui sunt Romæ, Ioannes Plinius noster est in contubernio Cardinalis ad uincula, assecutus est plus quàm quadringentos aureos annuos ex beneficijs, pater eius hac æstate est mortuus: nouerca triennio antè. Spero circa nundinas nostras Groningenses uenturum me in patriam: quod si non potero, ad festum Paschæ sequens haud dubiè ueniam, quod & mallem, & mihi commodius esset. Honestißimæ fœminæ Gertrudi tuæ meo nomine ornatißimam salutem dices, & sorori eius Nobili, & præstantißimæ fœminæ Dominæ tuæ obsequium meum commenda. Vale, properanter scriptum Romæ, secunda septimana antè diem corporis CHRISTI. Anno LXXX.

Rodolphus Agricola Ioanni fratri Salutem.

CVratores hospitalis Sanctae Gertrudis oppidi nostri, diligenter me orauerunt, ut accurate causam eorum commendarem tibi. Cupiunt, ut mos eorum est, publicè apud uos à populo rogare stipem, uel (ut nos loquimur) eleemosynam in sumptus pauperum: quos, ut nosti, numero plures quàm pro facultatibus suis alunt, quumq; non liceat uestris locis iniussu Dominae, cuiquam publicam stipem petere: poposcerunt à me, ut meis literis illorum ad te preces perferrē, quo adiutor illis & intercessor ad Dominam fieres: ut ea permittat eis populi sui beneficentia uti. Itaq; si quid potes hac in re apud Dominam, uel suadendo, uel monendo, uel orando: uides facile quicquid est huius beneficij uel meriti, eius impensas apud alios: apud te uerò laudem futuram. Henrici fratris nostri literas accepi, qui ubi sit, & quid agat, facile ex literis ipsis intelligere est. Ad patrem suum itidem literas misit, quibus ordinem rerum uerbosissimè scripsit, quo ordine ad Dalburgum nostrum peruenerit: sed quantum conijcere possum, magnā partem ementitus est, orauit enim patrem, ut diligentissime rogaret me, ignoscerem sibi, quòd dixisset Dalburgo nostro: se illuc à me missum esse: quum tamen totum ordinem, alium narrauerit. Possem omnibus uicijs eius ignoscere: sed uanitas illa, & mentiendi ad omnem occasionem facilitas, & par impudentia: ea sunt quae non solum animum meum ab eius auertunt amore, sed etiam de eius salute ferè cogunt desperare, & timeo ne anteà quàm illuc ueniam, aliquid dedecoris moliatur: neque iam ex nonnullis quae dixit: quantum ex literis illius conijcio: satis integram institutionem rerum mearum illic reliquit: & adeò nonnunquam eò me adducit, ut ambigam mecum, an propter eum illuc proficiscar. Satius tamen puto proficisci, si ulla uia ad sanitatem poßit reduci. Timidus enim est natura, & illic parata facultas, & libera est quocunq; uelim modo eum castigandi, & emendandi, aut si id frustra id erit extra fines Palatini eijciendi. Credo fermè post mensem hinc me abiturum: nisi quid aliud eueniat. Abeo sanè inuitus: sed perdere rationem omnem uitae hoc loco sine ullo fructu aut uel re, uel spe bona: Vides cuius dementiae sit. Quòd si ad certam aliquam diem scirem Emedae te futurum, darem operam ut eò uenirem, ut Auricam ueniam nullam rationem inuenio: malo me fastui hominum uestrorum aestimandum: quàm iudicandum relinquere. Soror Remmaka neptis nostra diem extremum obijt: cura ut oretur pro ea. De Episcopo Dauid ut captus sit, pridem audiuistis scio: conuentus publicus est Amersfordiae, omnium oppidorum diocoesis: Miserunt nostri hodie manè duos illuc, Assuerum Eater, & Garnodum Allema; quia à reliquis oppidis diocoesis enixißime, ut id facerent, roga-

bantur

bantur. Credo Dauid episcopatu cessurum. Dux Cliuensis, & Maximilianus itidem legatos suos ad componendas res suas Buscumducis misere, aut cito pax erit, quantum uideo, aut in atrocius quàm unquam bellum res erumpet. Vale, Illustri Dominae tuae obsequium meum commenda. Datum properantißimè, sabbato post corporis CHRISTI. Anno LXXXIII.

IN EPISTOLAS AD IOANNEM FRAtrem scholia.

RODolphus Philippi.) Quae sequuntur abijcienda censerem (sunt enim eiusmodi, ut ex eis plus Rodolphi nostri gloriae decessurum quàm accessurum uideatur) Nisi D. Erasmus Roterodamus ubi illi Nicolai nostri Cannij iuuenis aeque literati atque incorrupti obsequium commendassem, transmissa cum eodem in laudem Matthiae Richili oratione, in calce illius adiecisset. Hanc orationem fortè nacti caeteris adiecimus, quod nihil sit eius uiri, quamuis ex tẽpore, quamuis alieno stomacho scriptum quod non diuinitatem quandam prae se ferat.

NOstri ἀπραξίαν.) Plutarchus hoc genus hominum ignauum, quod tecto gaudet et umbra quodq; semper amat desidere domi οἰκουροὺς appellat, quasi dicas custodes domus. Et in libello περὶ τῆς εὐθυμίας non probat hanc οἰκουρίαν καὶ ἀπραξίαν. Lege Prouerbium ἀνάπαυσις ἐστὶ τῶν κακῶν ἀπραξία.

POtest tamen fieri ut haec usu & aetate leniantur.) Naturalia uitia, inquit, Seneca: Leniri quidem arte possuntu, inci & extirpari non possunt, uitia aetatis cum aetate deponuntur Seneca epistola 10. lib. epistolarum primo: Quaecunque, inquit, attribuit conditio nascendi, & corporis temperatura, cum multum se diuq; animis composuerit haerebunt. Adagijs: Ipsa olera olla legit. Naturam expellas furca, tamẽ usq; recurrit. Influit quod exhauritur, Podex peruincens loturam.

RODOLPHI AGRICOLAE TRAductio in epistolam de congressu imperatoris Friderici, & Caroli Burgundionum ducis.

ANTHONIO SCROFINEO, ROdolphus Agricola salutem dicit.

INiuxisti mihi, ut literas illas quas de cõgressu imperatoris Friderici, & Caroli Burgundiorũ ducis, Gallice perscriptas legisse me tibi narrauerã, in Latinũ sermonẽ cõuerterẽ. Gessi morẽ uoluntati tuae, nõ tamẽ uerbũ è uerbo exprimens, sed latius nonnunq̃, contractius ue res explicans. Ordinem quoq; rerum sicubi commodius uisum est, commutaui. Tu si-

quæ parum Latina tibi uidebuntur, aut nesciisse me meliora, aut ut excusationem aliquam ignorantiæ meæ prætextam, rerum culpam putabis, quarum nonnullas, quod nostro æuo repertæ sunt, difficile crediderim priscis appellare nominibus. Neq; enim fieri potuit. Vetustati quæ res ignorarentur, &c. nota earum essent rerum nomina. Sed hæc utcunque sint, una eademq; maxima excusatio mihi tu, qui iußisti. Malui enim audacter suscipiendo obsequi tibi, quàm offendere negãdo prudenter. Hæc erat sententia epistolæ.

ARNOLDVS DE LALAING, PRAEpositus D. Mariæ Brugensis, Paulo Bænst, rectori Papiensi, S. D

PErspectum mihi fuit, summo te studio, summaq; uoluptate conuentum imperatoris & ducis nostri auditurum. Idcirco rem omnem quàm potui diligentißime perquisitam exploratamq; scripsi. Certior factus ab imperatore dux uelle se magnis arduisq; de rebus coram secum agere, compositis rebus ducatus Gelrensis, quem bello subegerat, in Lothoringiam aduenienti imperatori est obuiam profectus. Erat secum ferè dimidia e. . rcitus sui pars, quem in dicta expeditione habuerat. Metense oppidum est Lothoringorum clarum ijs locis, & natura opereq; egregie munitum. Id cupiebat ingredi dux. ciues reputantes, & armato, & potentiori, & inter hostem amicumq; dubio credere periculosum, quum non nisi præfinito numero comitum, & quibus (si uim pararet) pares se crederent, illum admissurum se dicerent, respondit maluisse se quod cogere posset, impetrare. Esse sibi claues portarum in promptu, arma exercitumq; significans. Statiua habet in agro Treuerensi. Exercitus, per uillas tectaq; uicorum sparsus, tres in longitudinem, in latitudinẽ binas continet leucas. Tertio Calend. Octobris Imperator Treuiros uenit, comitatus filio suo, & Turchi filio. Treuirorum ciuitas ad Mosellam flumen sita, sexaginta suprà Mosellæ & Rheni confluentem milibus, & rerum gestarum magnitudine, & uetustate urbis (quippe quam circa Troiana conditam tẽpora ipsi affirmant) præclara. Gallica olim gẽs, & quæ diu ambitiose inter Germanicas uideri uoluerit, donec tandẽ promotis finibus Germani, & occupato quicquid Galliarum ad Rhenũ pertinet, Treuiros quoq; in imperiũ nomenq; suum adegere. Huc cum uenisse Imperatorem dux accepit, ipse proficisci postridie parabat. Quem ubi appetere auditum est, simul ipse Imperator cum omni strepitu fortunæ suæ, simul episcopus Treuirensis, & quicquid nobilitatis dignitatisq; tota in ciuitate fuit, paulò minus leuca, obuiam processit. Postquam in conspectum utrinq; uentum

uentum est, dux uenerabundus detecto capite, equo desilijt. Itidem imperator faciens, procumbentem in genua ducem amplexus sustulit. Dicta ergo redditaq; salute, & à duce reliquis etiam, quibus hic debebatur honor, saluere iussis, rursus equos inscendunt. Ibant iuncto gradu imperator atq; dux, sequebantur filius imperatoris & Turchi, Post hos ut cuiq; nobilitas uel claritudo erat. Ingens numerus utriq; principi, qui tubis buccinisq; præcinerent. Tributa hæc quoq; duci ab imperatore dignatio, ut ducis ipsius primi agminis essent, soliq; canerent. Præcedebant ducem pro numero gentium, quibus imperat (caduceatores nescio an nomenclatores dicam) uulgus Galloru Hiraldos uocat, genus hominum Galliæ Germanisq;, & reliquis ad occidentem nationibus usitatum, Italiæ nō perinde cognitum genus, nobilitatem, decus pri..cipum, insigniaq; per gentes familiarum nosse, ipsorum muneris habetur, quibus maioribus nobilißima quæq; domus propagata, quid in quaq; honeste, egregie, fœde, turpiter factum patratúmue, ipsi præcipue uel norunt, uel nouisse creduntur. Tuti, ac uelut sacrosancti, in pace honorati, in bellis quoq;, quamuis sæuis, intacti. Libertas ac licētia scelerate facta principum reprehendēdi, minor nunc quidem, olim maxima. Ausi adire mensas regum, & resupinatum (summæ id ignominiæ loco habebatur) panem apponere, & linteum, quo mensa insternitur, medium perscindere, & alia dedecoris notandi causa facere. Sed hæc, quemadmodum pleraq; robustior in uita posteritas, magna ex parte neglexit. Nomen tantū, & uetustæ uenerationis potius memoria, quàm præsens autoritas remansit. Hi insignia singularum gentium, nomenq; præferentes, ducem (ut diximus) præcedebant. Gladium dux maiori (ut par erat) potestati concedens, imperatori submisit, Erat uidere cuncta opulētiæ, maiestatisq; plena. Strepebant tubæ buccinæq;, & funalia, flammantesq; obiter cerei, noctē incenderāt. Iam fremitus, & ardor hominum equorumq;, & omnia ostro atq; auro fulgētia. & hæc per tranquillitatem, tanquam exposita spectaculo notabiliora, omnium in se aures oculosq; conuerterant. Imperator uestiebatur textili auro, uestis ad pedes profusa, & circum collum replicita, perq; humeros more Thurcorum sparsa, limbo circum pedes, manusq; ingentis precij margaritis picturato. Ipse grandis natu, sed uirenti adhuc atq; solida senecta. Dux autem circiter quadraginta natus annos, in ipso ætatis robore, medio rerum gloriæq; cursu conspicuus, armis se totum texerat. Fulgebat desuper chlamys, unionibus, carbunculis, adamantibus distincta, quam qui paucißime ducentorum millium scutatorum æstim.uerunt. Tā multorum paupertate constat, ut unus uestiatur. Scias necesse sibi esse, uelut ex immenso & inexplebili cupiditate haurire, cui tantum libeat in re modica profun-

dere. Filius imperatoris decimumoctauũ agens annum, insigni facie, egregio præ ætate & capacißimo paternæ fortunæ ingenio, indutus sanguineum intertextum argento. Thurci filium aiunt captum in bello, quod cum imperatore Trapezuntio rex Thurcorum geßit, Romæ dehinc ad pontificem maximũ missum esse, mox ab eo imperatori dono datũ. Amictus patrio more, ueste aurea figurata erat. Crinem in nodum collegerat, sicut Sarmatæ solent, toruus aspectu, prorsusq; horror, & patria uastitas uultu apparebat. Iam plerię; alij duces, comites atq; principes, uiri magni memorandię;, si soli fuissent, nunc solum tantorum nominũ acceßio. Præcipui quoq; honore, aut opibus, populi Treueren. propè sexcenti equites, amicti omnes rubeis uestibus, iactãtes duci officiũ suum, & imminentes forte metus præuijs beneficijs occupaturi. Imperator & dux multo & (quantũ ex uultu cõijcere erat) benigno sermone iter emetiẽtes, quũ tandẽ per mediã urbẽ ad forũ uentũ est, lõgis inter se precibus utrinq; lõga obsequiorũ ostẽtatiõe, uter alterũ domũ comitaretur, contẽderũt. Cõcedẽte uero neutro, & ambobus tantũ honorẽ obstinate abnuẽtibus, ualefaciẽtes inuicẽ discedũt. Imperator in ædes amplas atq; magnificas in prospectu fori, dux extra muros urbis ad S. Maximinũ (cœnobiũ id est diui Benedicti) diuertit Calẽdis Octob. Quũ prandissent, dux iã pridẽ opperientem se imperatorẽ domi suæ conuenit. Stabat imperator in aula aureis sericisq; tapetibus instructa, innixus abaco, & cogitabundo similis. Vtq; aduenientẽ ducẽ conspexit, obuiam in medium atrium progressus, humanißime salutatum, dexterã apprehendens, in aulam perduxit. Ibi adhibito uno principali ducis scriba, diu multumq; incertum qua de re colloquuti, ubi satis uisum est, circumlatum ex more uinum & bellaria, discessumq;. Ibi iterum instare imperator, uelle foras comitari ducem, abnuere uero dux, neq; ulla id ratione pati. Tandem uictor dux, cum medias scalas transisset, imperatorem sequi parantem, propere rediens, inq; mediam reducẽs aulam, absceßit. Postridie dux rursus reuisit imperatorem, abduxitq; secum ad sanctum Maximinũ, ubi diuertisse ipsum prædiximus. Induebatur imperator purpura intertexta auro, dux præter pileum, uestem gestabat ducalem, filius imperatoris damascenam uiridem uestierat. In reliquo comitatu tantũ textifabrefactię; auri, quantum uel his gentibus, uel hoc seculo difficulter, nisi qui uidisset, putaret fuisse. Non errauerunt forte qui dixerunt, peregrina luxuria patriam gloriam commutasse Germanos. Quis credat horũ maiores sago, aut pellibus, quas feris detraxerãt, uestitos, toties Romana arma exercitusq; fudisse, & quaqua uersum trans flumina, maria, montesq;, auxisse fines? Ingreßi sunt conclaue quoddã imperator, unaq; episcopus Moguntiacus, secretorum suorũ inti-

mus ara

tius arbiter, & dux cũ principali scriba. Cœpit noĩe imperatoris episcopus dicere de re Christiana, quo loco, quãq; difficili in statu esset, tũ duci de maiorũ suorũ splendore, tũ præcipue quoq; de sua laude rebusq; gestis subnectere causas, hortariq; ut opẽ ferret. Dignũ prorsus eo uigore, eo uiriũ & animi impetu opus, cõsulere in cõmune sacro Christiano nomini, & una opa de deo hoĩbusq; optime mereri. Pulcherrimũ idẽ tutißimũq; inceptũ, extra fortunæ incerta, supraq; liuorẽ detractionis positũ. Quippe in quo aduersa reprehẽsione, secũda carerent inuidia. In hanc sententiam cum multa dixisset Moguntiacus, respondit dux, cupere quo possent à pluribus, quæ pro se dicenda uiderẽtur, exaudiri, in locum ampliorem se reciperent. Concessum in cœnaculum quoddam grande, ornatum aulæis, in quibus exactißimo opere res Alexandri eius, qui orientem perdomuit, erant intextæ. Huius rei præcipua admiratione, qui curas, studiaq; sua interius norunt, aiunt ipsum teneri. In medio sella eminentior, gradusq; quibus adibatur, subsellia quoq; instrata auro. Consedit imperator, ad dexterã erant episcopi, Magonciacus, Treuerensis, Metensis, filius imperatoris, Marchio balnearũ, post Lodouicus & Albertus duces Bauariæ, Comites montis uigilantis & Vuirtenbergẽsis, filius Thurci, & clarißimorum uirorum magnus, quantum locus capere poterat, numerus. Ex altero latere dux Burgundiæ, episcopi item Leodiensis, & Traiectensis, reliquaq; aulicorum nobilitas. Astabat proxime ducẽ scriba amictus purpura uillosa, uir (ut apud Gallos) eloquẽs, & promptior quàm facundior. Is Latine orsus dicere, primum orationẽ Moguntiaci recensuit, tum de rege Francorum, beneficia Philippi patris in ipsum, meritaq;, ex quo exul paternam fugiens iram, hospitio ab eo exceptus, hinc ut opera sua reductus in regnum, post hæc cœpta compositaq; bella, & quæ alia ad hãc rem pertinebant, multis uerbis commemorabat. Tũ de principe Aquitaniæ subiecit, diligentißime omnia explicans. Postremo ad postulata respondit, dolere principem suum communem uicem Christianorũ, & recenti memoria acceptas clades, se si quem alium grauißime ferre. Quanquam autem ipse id sibi non sumeret in ea regum principumq; magnitudine, & opibus, ut se eum esse putaret, qui uel auxilio uires firmare posset aliorũ, uel autoritate commouere mentes deberet, si tamen tuti populi sui salue res permittantur, effecturũ se, ut nemo in ipso quicquam, præter successus, felicitatemq; desideret. Intelligãtq; omnes ad hanc rem nec uiro sibi animos, nec principi opes, nec Christiano religionem defuisse. Facto dicẽdi fine, dux imperatorem ad ædes suas usq; reduxit. Dux Aquitaniæ (de quo supra mentio) frater regis erat inuisus sibi atq; infensus. Huius causa quod rex prope pro exhærede ipsum habebat, susceptum inter ducem

Burgundiæ & regem bellum iactabatur. Postea uero quàm dux uictum in acie regem, & obsidione Parrhisijs pressum ad conditiones accipiendas coëgit, maiora diuersioraq; quàm pro hoc incepto uictoriæ præmia recepit, ut crederent qui malignius interpretabantur, cuicunq; cupiditati suæ speciosum hunc titulum circundedisse. Ipse frater autem proximis annis miseranda peste consumptus, mortem obijt. Aegrotabat grauiter & morbi ignoto genere, decidere ungues, capilliq; defluere, ut suspitionem præberet hausti ueneni. Et ut est uulgus, ad optima facienda tardū, ad dicenda pessima promptissimū, ingensq; libido de maximo quoq; turpissime æstimandi, autorem necis eum uideri uoluerunt, cui fuerat, dum uixit, inuisus, & ad quem mortis prœmia redibant. Paucos post dies oratus à duce imperator, secum pransus est. Conuiuium maximo apparatu magnificentiaq; instructum erat, ut propemodum nuptijs suis, quarum ferè per omnem Galliam Germaniamq; celebratur fama, exæquaretur. Hactenus epistola, & si qua uisum est mihi rerum cognoscendarū adijcere causa. Reliqua ex his qui affuere. Agebatur ut filio imperatoris in matrimonium ducis filia locaretur, nec satis conuenit. Hactenus imperator procuratorem, seu (ut ipsi dicunt) uicarium imperij ducem, perinde ut ipse poscebat, creare paratus erat, si modo dux antea nuptias firmasset. Dux contra procurationem præsumere uelut ex tuto uolebat, deinde de nuptijs cōmuni se sententia statuturos, procurationis huius hoc aiunt esse munus debere, adnisurum ducem studio uiribusq;, quantum posset, omnia quæ usquam imperio ablata sunt, ad priscam Romani principatus maiestatem rursus redigere. Ingens materia & audenti, & prospero, & ad quoduis audax cœptū in speciem abunde multum iuris. Præterea alia quædam petisse ab imperatore dicitur, quorum nihil neq; negatum, neq; tamen satis pronis auribus auditum. Spectacula quotidie, atq; ludi equorum, concertatio, hastatorum concursus, simulacra pugnarū, & in certamen opulentia, fortunarumq; fulgor ostentatus. Maior imperatori clarorum uirorum numerus atq; nobilitas, apparatu splendoreq; rerū dux effusior. Equidem audiui, qui affirmaret æmulatione inter ipsos agi. Et utrunq; oblitum mensuræ suæ, illum quidem inuidere minori, hunc uero contemnere maiorem.

IN EPISTOLAM DE CONGRESsu imperatorum Frederici & Caroli.

HAc epistola sanè q̃ graphice describitur, quo nam pacto Carolus Philippi filius Burgondorum Dux, cum Frederico tertio Augusto, Maximiliani patre, patrum memoria Nouesij sit congressus. Qui postea Maximilianus Mariam Caroli unicā filiam duxit, è quibus natus est Philippus, ex q̃ & Ioanna Hispaniensi Carolus quintus Cæsar, q nunc rebus præest. Leucas.) Gallicū uocabulū sicut passagiū, pro expeditione bellica. Guerrā pro bello: treugam ꝓ inducijs, sic & Leucam siue milā, pro miliari accepimus. Treuiros uenit.) Vbi D. Hieron. fatetur se suis manibus Hilarium

fiū descripsisse. Filio suo.) Maximiliano. Treuirorū ciuitas.) τοπογραφία est. Gallica olim gens.) Ita fere Cæsar in cōmentarijs. Ausi adire mēsas regum.) His ad plenū intelligendis nonnihil momenti attulerit lectus Erasmi libellus, cui linguam fecit titulum, in q̄ idem copiosius refertur: Si qs, inquit, orsus fuisset sermonem obtrectatoriū in conuiuijs principū, ius erat olim caduceatori, quē Heraldum uocāt, panē impositū inuertere. Tam multorū paupertate.) Appositissimū est ἐπιφώνημα. Trapezontio.) Trapezus, urbs est in ponto. Tantorū nominum accessio.) Hoc est, imperatoris & ducis comites, & uelut appendices, ac ut sic dixerim, umbræ. Vno principali ducis scriba.) Quem uulgo Cancellariū uocāt. Quis credat horum maiores sago aut pellibus.) Cæsar 4. belli Gallici, & Cornelius Tacitus de moribus Germaniæ. Vir apud Gallos eloquens.) Id est, secundum q̄d nunc sunt Galli. Vide Laurent. lib. 2. elegan. cap. 68. Tum de rege Francorū.) Ludouicus undecimus cū è domo à patre turpiter esset eiectus, ad Philippum se contulit, à quo, quādiu uixit pater, amice habitus est. à morte uero patris, in regnū reductus, ad q̄d profecti sunt & Philippus, & Caroli filius. Acceptas clades.) Byzantion captum & Græcorum imperium. Frater regis.) Ludouici undecimi. Nuptijs suis.) Quibus duxit Isabellam Lusitanam.

Rodolphus Agricola Ioanni Agricolæ suo fratri S. D.

Nihil habeo, mi frater, quod uel ego aptius tibi pro nostra necessitudine (ut qui frater sim tuus) afferre possim, uel tu potius pro tua ætate (ut qui prima iuuentæ spacia ingrederis) ex me expectare debeas, q̄ ut undecūq; possim, ea tradā tibi, quibus & oratione ornatior, & eruditione melior euadas. Idq; dignū ego studijs meis, dignum amore nostro arbitror munus, ea parare tibi, quorū usus non tempore intercidat, non casibus obnoxius sit. Sed quemadmodū natura perpetuo nos pignore deuinxit, ita illa quoq; quæ à me accipis, solida proinde sint, ppetuoq; tibi adiumento futura. Quod si pulchre ille apud Poëtam monuisse filiū uidetur, qui inquit, Disce puer uirtutē ex me, uerumq; laborem, Fortunā ex alijs: Et ille quidem, cuius omnis conatus pendebat ex fortuna, omnis ad fortunā labor dirigebatur: Non immerito uirtutis ego tibi hortamenta colligam, qui uitā hactenus eis impendi studijs, quæ uera certissimaq; ad uirtutem ducunt uia. Quæq; in rebus humanis quid expetendū sit, quid fugiendū, q̄d rectè secúsue fiat, uelut in speculo conspiciendū nobis, considerandūq; proponunt. Cum sint aūt permulta, quæ ad uitæ pertineant institutionē, Græcis Latinisq; literis conscripta, egregia imprimis, & admirabilis Isocratis ad Demonicū Parænesis mihi uidetur. Ea enim suauitas est dicēdi, is ornatus, & (ut ita dicā) sculptura oratiōis, tanta præterea maiestas, utilitas, decor præceptorū, ut si quemadmodū pugiles meditatos quosdā nodos, nexusq; habent, quibus inter certamina subito uel nō cogitātes etiā utantur; ita nos quoq; oporteat certa quædā, & ad manum posita uitæ habere præcepta, quæ oēs nostras, uelut ad filū dirigāt actiones, quorumq; tenax infixa mētibus nostris me-

moria, recti nos limitē egredi ubiq; uetet, hic libellus aptus, uel maxime ad hāc rē atq; accommodatus mihi uideatur. Eum itaq; in latinum sermonem è Græco conuerti, rē scrupulosam conatus, ut numeros quoq;, quorū ille fuit obseruantissimus, & schemata, uel (ut nos dicimus) exornationes orationis, quoad possem, imitarer. Per similiter enim cadentia, & desinentia, & æquata, & contraposita, & reliquos id genus ornatus, uoluitur oratio. Quorū ut studiosius præcipue Gorgias Leontinus, præceptor ipsius aliiq; ætatis illius Sophistæ fuerunt, ita diligentior ipse, ut sequuta ipsum, non affectata uiderentur. Hunc ego legendū tibi etiā & ad uerbum quoq; ediscendū censeo, semperq; ante oculos, tanquā regulam quandam, uitæq; præscriptum, habendū. Ita fiet, ut non solum instruat os tuū, uerum animum quoq; emendet. Quemadmodum enim ad doctrinam præcipuum, intelligere quæ legas: ita ad uirtutem maximum facere, quæ intelligas. Vale.

VT numeros quoq; quorū ille fuit obseruātissimus.) Cicero in Bruto: Isocrates cū cætera melius, quā superiores, tum primus intellexit etiam in soluta oratione dū uersum effugeres, modum tamen & numerū quendā oportere seruari. Rursus, Isocrates, inquit, primus omnium repperit etiam orationem solutam numeris, & modulis quibusdam illigandam esse, ita tñ ut à uersu, qui mensuris constet, orationē discerneret. Gellius lib. 18. capit. item 18. Et Isocrates in oratione de retributione. Per similiter enim cadētia & desinentia.) ὁμοιοτέλευτον καὶ ὁμοιόπτωτον intelligit de quibus Herenniana rhetorica in 4. & Diomedes libr. 2. capite 7. & Georgius Trapezontius de morata oratione. Erasmus Roterodamus libro 3. Ecclesiastę de similitudinibus. Aequata.) Quintilianus lib. 9. cap. 3. Etiam ut sint q̃d est quartum, membris ęqualibus quod ἰσόκωλον dicitur. Si quantum in agro locisq; desertis audacia potest, tātum in foro atq; iudiciis impudentia ualeret: ἰσόκωλον est & ὁμοιόπτωτον sed ὁμοιοτέλευτον & παρονομασία est, nemini modo posse alteri dare matrimonium nisi quem penes sit patrimonium. Contraposita.) Contrapositū idem ꝙ contentionem uocāt. Quintilianus 9. cap. 3. sub finem: Controposita aūt uel ut quidam uolunt contentio ἀντίθετον dicitur. Præcipue Gorgias Leontinus.) Cicero in oratore ꝑfecto: Super hæc quæ Græci ἀντίθετα nominant cū contrariis opponuntur cōtraria, numerum oratorum necessitate ipsa efficiunt & eum sine industria. Hoc genere antiqui iā ante Isocratē delectabantur & maxime Gorgias cuius in oratione plerunq; efficit numerum ipsa concinnitas. Inter oratiōes Isocratis Atheniensis oratoris & philosophi clarissimi, à Ioāne Lonicero uersas extat etiam parænesis ad Demonicum eodem interprete: circūfertur itidem eadem, denuo cum Græcis collata per D. Erasmum. Quod autem post illud: Adulantes aduersare & cętera quæ sequuntur, sit additū: Si amplexus fueris amicos quia pessimum gratificantur, non habebis unquam qui tibi ad ea qui sunt optima sequendum obsistant, siue ut uertit Ioannes Lonicerus: Si recipias amicos qui ad pessima tibi gratum faciunt: non habebis, qui optima tibi in uita infensi sint. Hoc est, Si te pessima conantem, amici non deserunt, quāto magis si præclaris rebus operam nauaris prę sto erunt, & ita præsto erunt ut inde plurimum uoluptatis capiant, tantum abest, ut uirtutem tibi inuideant. Hæc cum neq; in Græco nec in in ἀντιγράφῳ exemplari latino habebantur, seu notha seclusimus.

ISOCRATIS AD DEMONICUM PARAENESIS, Rodolpho Agricola interprete.



N multis Demonice rebus, multum inuenimus distantes bonorum mentes, atque malorum cogitatiões, multo uero maximum accepere discrimen circa mutuam consuetudinem uitæ. Hi enim præsentes solum amicos uenerãtur, illi eos quoq; qui longe absunt, beneuolentia prosequuntur. Et malorũ quidem amicitias tempus exiguum dissoluit, at bonorũ ne omnis quidem æui tractus extinguat. Quũ putem igitur eos qui gloriam expetunt, quiq; suos eruditioni conatus destinant, bonos, & nequaquam malos decere sectari, hãc orationem dono tibi misi, indicium erga te beneuolentiæ, signumq; cum Hipponico familiaritatis. Decet enim liberos quemadmodũ facultatũ, ita amicitiæ quoq; paternæ hæreditatem suscipere. Video autem occasionem nobis conuenientem, et præsentis nos opportunitatem temporis adiuuantem. Tu enim erudiri cupis, ego erudire alios adnitor: tu sapientiæ studio teneris, ego deditos illi recta uia deduco. Quicunque autem exhortatorias ad amicos suos orationes conscribunt, pulchrũ illi quidẽ opus assumũt, nõ tamẽ circa id quod est in philosophia præstãtissimũ, laborãt. Qui uero adolescẽtibus præmõstrant nõ ea, qbus uehemẽtiã in dicendo conquirãt, sed quo pacto uita moribusq; industrij fiãt, tanto magis q̃ illi audiẽtibus prosunt, quantũ interest, qđ illi ad sola eos uerba cõfirmant, hi uero ipsorum quoq; facta emẽdãt. Quãobrẽ nos nõ exhortationẽ tibi parãtes, sed institutionẽ tibi scribentes, pergemus nostri te cõsilij participẽ facere, quas res oporteat adolescẽtes desiderare, & quæ rursus opera uitare, qualibus itẽ hominibus se coniungere, & quomodo suam ipsorum uitam instituere. Quicunque enim uitæ cursum hoc itinere fecerunt, hi soli ad ipsam uirtutem ingenue adire potuerunt. Qua nõ res honestior, non constantior est ulla. Pulchritudo enim uel ualetudine perit, uel tẽpore flaccescit. Diuitiæ, uitiorũ sunt potius q̃ integritatis ministræ, facultatem nẽpe desidiæ præbentes, & ad uoluptates curã iuuẽtutis excitãtes. Robur prudẽtiæ coniunctum profuit, sine illa uero sæpius qui id habet, offendit, & corpora quidẽ eorũ qui se exercẽt, adornat, industriã uero mentis obscurat. Virtutis autẽ possessio, quorũ bona fide mẽtibus ipsa coaluerit, sola consenescit, diuitijs potior, utiliorq; generis splẽdore. Quæ fieri nequeunt ab alijs, ea suis uiribus subdens, & multitudini metuẽda cõstãter expectãs, desidiã dedecus, laborẽ laudẽ arbitratur.

Hocq; cognitũ perfacile est ex gloria certaminũ Herculis, operũq; à Theseo gestorũ. Quibus morũ præstantia tantũ laudis insigne operibus adiecit, ut omnis temporũ posteritas rebus, quas gesserũt, offundere nequiuerit obliuionẽ. Sed & tu quoq; memor patris cui, tui uiuẽdi sectæ studuerit, pulchrũ habebis atq; domesticũ eorũ, quæ à me tibi debentur, exẽplum. Neq; enim parui uirtutẽ faciens, neq; socordiæ deditus, egit ætatẽ: sed corpus laboribus exercebat, animo pericula subibat. Neq; extra modũ diuitias expetebat, sed præsentibus quidẽ fruebatur bonis ueluti mortalis, gerebatq; curã futurorũ uelut immortalis. Neq; uero contẽpte uitã instituerat, sed elegans erat, & magnificus, simulq; expositus amicis. Impensiusq; laudabat officio ipsum prosequentes, q̃ generis sibi necessitudine deuinctos. Persuadebat enim sibi multo ad amicitiã efficaciorẽ esse naturã lege, mores genere, electionem necessitate. Tempus in præsentia nos deficeret, si omnes illius actiones enumerare pergamus, exacteq; de illis alio nobis erit loco disserẽdum. Nunc signũ quoddam Hipponici sustulimus naturæ, ad quẽ, uelut exemplar, uitam formes oportet. Legemq; tibi mores illius putes, & imitatorẽ te, æmulumq; uirtutis paternæ præbeas. Turpe nanq; fuerit, pictores pulcherrima quæq; exprimere animantum, & liberos non imitari industriam parentum. Existimes autem nullum ita pugilẽ contra aduersarios suos decere meditari, sicut te considerare, quo pacto cum patris tui uiuendi ratione decertes. Fieri autẽ non potest, ut animũ quisquam taliter formet, nisi multis ante honestisq; præceptis fuerit expletus. Corpora nanq; moderatis laboribus, animus uero actionibus honestis roboratur. Experiar igitur breuiter ea tibi exhibere, quibus obseruandis, in uita plurimum mihi uidearis uirtutibus additurus, & gloriam cunctos apud homines consequuturus.

PRimũ quidẽ pie diuina colas, nõ solũ sacrificans, uerumetiã quod iuraueris, præstans, illud enim affluentiæ opũ est signum, hoc morũ probitatis indiciũ.

Numen uenerare semper quidem, præsertim uero quod ciuitas, sic enim simul uideberis sacra deo facere, legibusq; obtemperare.

Talẽ te exhibeas erga parẽtes, quales exhibere se tibi optaueris ex te prognatos.

Firma exercitationibus te corporis, non eis quæ robori, sed quæ sanitati conducunt. Id assequeris, si desinas laborare, tolerando adhuc labori sufficiens.

Neque in risum procliuis esse uelis, neque in uerba confidens: illud enim stulti est, hoc uero furentis.

Quæ factu turpia sunt, ea ne dictu quidem putes honesta.

Fac assuescas nõ tristis esse, sed cogitabundus: propter illud enim ferox, propter hoc prouidus esse crederis.

Putes in primis decere te modestiam, pudorem, iustitiam, temperantiam, istis enim omnibus excellere probitas adolescentium uidetur.

Neq; latiturũ te, si turpe quippiã feceris, speres: ut enim alios celes, teipsum tamen conscium habes.

Deũ time, parentes honora, amicos reuerere, legibus obedi, uoluptates sectare gloriæ iunctas: oblectatione enim cum honestate nihil est melius, sine illa uero nihil est peius.

Obtrectationes deuites, etsi fuerint falsæ: uulgus enim ueritatẽ ignorat, opinionemq; potius spectat.

Sic facito cuncta uelut neminẽ cœlaturus: tametsi enim parumper occultes, postea tamen detegeris.

Plurimũ tibi opinionis adiunges, si appareat ea te non facere, quæ si fuerint ab alijs facta, reprehendas.

Si cupide didiceris, multa quoq; disces. Quorum habes doctrinã, ea meditationum custodias curis: at quæ discis, ea perceptis adiunge doctrinis. Aeque nanq; turpe est eum, qui utilem audit orationem, non addiscere, & cui datur ab amicis munus aliquod, non accipere.

Vitæ ocium studio participandæ eruditionis impende: sic enim difficulter ab alijs inuenta, facile tibi percipere continget.

Puta multitudinem præceptionũ, multis opibus esse potiorem: istæ enim celeriter delabuntur, illæ in omne permanent tempus. Sola enim rerum omnium immortalis est sapientia.

Non te pigeat longũ facere iter ad eos, qui conducibile se aliquid docere profitentur: turpe nanque fuerit mercatores tanta transire maria, quo cumulatiores suas opes efficiant: adolescentes autem ne terra quidem sustinere proficisci aliquò, quatenus meliorem suam faciant mentem.

Moribus fac ut sis comis, uerbis autẽ ut affabilis. Est autem comitatis, benigne obuios appellare: affabilitatis, familiariter cum ipsis uerba communicare.

Benignum te præbeas cunctis, optimis autem utaris: sic enim & illis inimicus non eris, & istis amicus fies.

Neq; crebro conuenias eosdem, neq; diu cum eis agas de eisdem: satietas enim est omnium.

Exerce spontaneis teipsum laboribus, ut adactos quoq; perferre queas.

A quibus turpe est animũ uinci: eorum omnium temperantiã exerce, lucri, iræ uoluptatis, doloris. Id autem tibi continget, si lucrum putaris id quo gloriam au-

gras, non quo diuitijs addas. In ira, si talis sis aduersus peccantes, quales delinquenti tibi esse alios uelles. In iucundis: si turpe putaueris, seruis te tuis imperare, uoluptatibus uero seruire. In aduersis, si alienas respicias calamitates, tibiq; quòd homo sis, in memoriam subinde deducas.

Verborum magis quàm pecuniarũ deposita tuere, decet nanq; bonos uiros mores se iureiurando fideliores uideri præstare.

Consentaneũ puto, perinde malis non credere, quẽadmodũ fidẽ bonis habere.

Quæ nolis efferri, nemini dixeris, nisi tantundẽ expediat ea taceri, & tibi dicenti, & illis qui audierint.

Iusiurãdum adactũ propter duas accipito causas, uel ut teipsum turpi crimine exoluas, uel ut amicos tuos in magnis periculis serues. Pecuniarum autem gratia nullum numen iuraueris, etiamsi iuste iures, uideberis enim alijs peierare, alijs pecuniarum cupidus esse.

Nullum fac amicũ, nisi exploraueris antè quo pacto prioribus sit usus amicis: spera nanq; ipsum erga te futurum talem, qualis & erga illos fuit.

Tarde fias amicus, factus autem da operam ut permaneas, tantũdem aũt dedecoris est, & nullum amicum habere, & crebros amicos subinde mutare.

Neq; cum damno amicos probes, nec inexpertus ipsorum esse uelis, hoc aũt facies, si & cum nullius indigeas, te simules indigere, & illa quæ uulgari nihil referat, uelut occultanda concredas: deceptus enim opinione nihil offendes, non deceptus, mores illorum rectius nosces.

Amicos proba & ex uitæ aduersitate, & ex periculorũ societate: aurum enim igne perspicimus, amicos uero inter aduersa cognoscimus.

Amicis uteris hoc pacto commodissime, si non ut ab ipsis rogeris expectes, sed oblatus ultro ipsis in tempore succurras.

Aeque putes turpe & ab inimicis superari iniurijs, & ab amicis beneficijs.

In familiaritate proba non solum malis tuis indolentes, uerumetiam bonis non inuidentes: multos enim qui cũ infelicibus mœrent, prosperitatis illorum inuidia torquet.

Absentium amicorum fac memineris apud præsentes, ut rationẽ eam istorum quoque absentium habere uidearis.

Circa uestitum elegans, non splendidus esse uelis: est autem elegantis quidẽ magnificum, splendidi uero profusum.

Ama rerum non immensam possessionem, sed moderatam perfruitionem.

Contẽne diuitiarum studio occupatos, atq; eis quæ habẽt uti nescientes. Simile

nanq;

nanq; contingit illis, quod equum poßidenti bonum, & equitare nescienti.

Adnitere diuitias tibi, pecunias scilicet atq; posseßiones apparare.

Sunt autem pecuniæ illorum, qui recte ipsis frui sciunt: posseßiones, qui ipsis uti queunt.

Dilige quas habes facultates, duas ob causas, ut & magnū aliquod damnum resarcire, & amicis laborantibus poßis opem ferre: ad reliquum uitæ usum, nō plus æquo, sed moderate ista concupisce.

Amplectere quidem præsentia, quæras q; meliora.

Nulli calamitatē exprobraris, cōmunis enim est fortuna, & futurū incertum.

Bonis benefac, honestus enim thesaurus est gratia, quæ à bono uiro debetur.

Si malis benefacias, simile tibi cōtinget, quod qui alienos canes pascūt: illi enim danti, sicut temere occurrenti allatrant, mali quoq; eos, qui prosunt, sicut qui nocent, similiter offendunt.

Adulantes auersare perinde ac fallentes: utriq; enim quum fides ipsis habetur, iniuria afficiunt eos, qui sibi crediderunt.

Comem te præbe eis, quibus cum uersaris, & non insolentē: superborū enim fastum uix serui quoq; perferant, at morum comitatē, cuncti benigniter acceptant. Eris autem comis, si neq; iurgator sis, neq; implacidus, neq; cum omnibus contendas, neq; iræ eorum, cum quibus agis, celeriter occurras, ne si iniuste quidem fuerint irati. Sed efferuescentibus concedas, deinde ipsos, ubi relanguerit ira, repræhendas. Neq; inter ridicula serijs, neq; inter seria ridiculis gaudeas. Intempestiuū enim ubiq; est molestum. Neq; ingrate gratiam ineas, quod multis euenit, qui faciunt quidem, sed ægre tamē amicis inseruiunt. Neq; cupidus fueris uel culpandi, quia graue est, uel castigandi, quia est acerbum.

In primis caue tibi à bibendi consuetudine. Quod siquando tulerit tēpus, ante ebrietatē surge. Cum fuerit enim mēs uino corrupta, patitur idem quod currus solent, qui suos effuderunt aurigas, illi nanq; nullo ordine (suis destituti rectoribus) feruntur, animus quoq; plurima peccat ratione subuersa.

Immortalia sentias, magnitudinem animi præ te ferendo, mortalia uero moderate præsentibus perfruendo.

Tanto modestiam meliorē immodestia putes, quantum est quod alia quidē omnia peruerse facta, lucro sunt eis qui illa admittunt. Sola autem immodestia damno afficit ipsam habentes, plerunq; enim quos uerbis offenderunt, illis rebus pœnas luunt.

Quorū conciliare tibi amicitiā uelis, boni quippiā de eis prædices apud illos,

qui

qui sint renunciaturi. Principium enim amicitiæ laus est, inimicitiæ uituperium.

Quum consulis, præterita sumas in exemplum futurorum. Latẽs enim ex eo quod apertum est, expeditißime poterit cognosci.

Delibera diu, celeriter uero confice quod decreuisti.

Optimum puta contingere nobis à Deo prosperitatẽ, à nobis ipsis prudentiã.

Quibus de rebus libere te proloqui pudet, uisq; cum amicis aliquibus de eis cõmunicare, uerbis uelut de alieno negocio utere. Sic enim & illorum sententiam nosces, teq; ipsum haudquaquam manifestum reddes.

Quando super tuis rebus aliquẽ in consiliũ tibi assumes, considera primũ, quo pacto suas ipse res gesSit. Qui enim male administrauit suas, nunquam bene consulet in alienis.

Ita poteris maxime ad consulendum excitari, si calamitates, quas affert temeritas, spectes. Sanitatis nanq; tunc præcipue curam habemus, quam ualetudinis aduersæ dolorum recordamur.

Regũ imitare mores, illorumq; uitæ rationẽ sectare: uideberis enim amplecti illos, uel æmulari. Itaq; apud multitudinem tibi maiorem continget laudem assequi, & constantiore ipsius beneuolentia perfrui.

Obsequere legibus, quas reges statuunt. Firmißimã tamen legem mores illorũ putes. Sicut enim qui remp. gubernat, opus habet populum obseruare: ita sub principatu uiuentem, maxime regem decet honorare.

Magistratu præditus, nemine ad obeunda ministeria malo utere: quæ enim ille deliquerit, eorum in te culpa referetur.

Ex publicis administrationibus abeas non opibus cumulatior, sed gloria honestior. Multis enim opibus præstantior est multitudinis laus.

Nullam rem inhonestam, neque dicto, neq; facto iuueris. Videberis enim ipse talia facere, qualia facientes alios tueris.

Sic te compara, ut alijs superior esse poßis: sis tamen æquo contentus, ut iustitiam uidearis expetere, non propter imbecillitatem, sed propter æquitatem.

Elige iustam potius paupertatẽ, quàm diuitias iniustas, tanto enim præstantior est opibus iustitia, ut illæ solis uiuentibus prosint, hæc uerò defunctis etiam gloriam præstet: & illæ paßim improbis contingant, hæc malis prorsus sit inaccessa.

Neminẽ tibi iunxeris eorũ, quibus iniustitia lucro est, sed potius eos qui propter iustitiam ferunt iacturas. Iusti enim & si nulla alia re superent iniustos, honesta tamen spe ipsos antecellunt.

Omnium curã gere, quæ ad uitam pertinẽt, maximeq; omnium prudentiã exerce.

erce. Maximum enim in minimo est mens bona in humano corpore.

Operam da, ut sis corpore laborum patiens, animo sapientiæ appetens, ut illo facere poßis decreta, hoc decernere facienda.

Quicquid dicturus es, prius apud animũ tuum expende, multorũ enim lingua præcurrit cogitationem.

Puta rerum humanarum nihil esse firmum, ita nec in prosperis lætitia gesties, nec in aduersis dolore concides.

Duo tibi tẽpora ad dicendũ deputa, uel cum sint aliqua, de quibus exploratum habeas, uel de quibus dicere sit necesse. In solis enim istis potior est silentio sermo. In reliquis melius fuerit tacere, quàm loqui.

Gaude quum tibi contigerint bona, moderateq́; dole ubi inciderint mala, neutrius tamẽ animi alijs esse uelis manifestus. Absurdũ enim est recõditas in domibus opes asseruare, & cogitationem in propatulo positam circumferre.

Magis dedecus uites quàm periculum. Oportet enim malis formidabilẽ esse finem uitæ, probis uero uitam cum turpitudine coniunctam.

Conare imprimis uitã in tuto collocare, quod si tamẽ contigerit in periculum te deuocari, quære in bello salutem cum honesta opinione, & non cum pudenda fama. Mori nanq; cunctis prouidentia decreuit, sed honeste uita decedere, tantummodo bonis uiris proprium natura conceßit.

NEC mirum tibi uideatur, si multa quæ diximus, haud quaquàm præsenti tuæ conuenient ætati, non enim id me latebat: sed statui eadem opera & præsentis uitæ consilium tibi proferre, & futuri tẽporis monita relinquere, quæ quanto tibi sint usui futura, facile cognosces: qui uero cum beneuolentia tibi consulat, difficulter consequeris. Vt ergo reliqua non ex alio requiras, sed hinc uelut ex ærario proferas, decreui nihil eorum prætermittere, quæcunque tibi possent in consilium afferre. Gratiam autem habeo Deo ingentem, si quam de te concepi non me fallat opinio, plerosq; enim uidemus, ut cibis iucundißimis potius, quàm saluberrimis delectari, ita seducentibus à uero amicis potius accedere, quàm illis qui ad meliora hortentur. Te uero puto contraria instituisse pergere, indicio mihi tuam circa reliquum uitæ cultum industriam sumens. Qui enim rectißima sibi ipse agere indicit, consentaneum est eum aliorum ad uirtutem exhortantium monita non segniter amplecti, præcipue excitabit te, ut rerum honestarum amore tenearis, si prospexeris quod & ex ijs imagines habemus. In secordia nanq;, faciandarum libidinum studio continuo sunt labores uoluptatibus adiuncti. Enixus uero ad

ro ad uirtutem conatus, modestaq; uitæ institutio, synceras semper, certioresq; referunt oblectationes. Et illic quidem gauisi primum, postea dolemus, hic post dolorem uoluptates capimus. In cunctis autem rebus non ita principij meminimus, quemadmodum exitus sensu mouemur. Plurima enim in uita non propter res ipsas agimus, sed consequentium gratia elaboramus. Cogita autem quod malis conuenit paßim quicquid obuium est agere, hanc enim protinus uitæ sibi regulam præscripserunt. Bonos uero oportet nequaquam uirtutem negligere, uel in multorum currere repræhensiones. Cuncti enim non perinde oderunt eos, qui se fallunt, sicut qui probos esse se iactant, nullaq; in re uulgo hominum sunt præferendi: rectè quidem, nam si eos, qui solis uerbis fraudem struunt, improbamus, quomodo eos qui tota oberrant uita, non aspernandos putabimus? meritoq; crediderimus istos non solum in seipsos delinquere, sed & animi sui esse proditores. Ipse enim, opes illis gloriamq; & amicos peperit. Illi uero seipsos indignos hac sua felicitate fecerunt. Quod si oportet eum qui mortalis sit, scrutari coniectura cœlestium mentem, arbitror illos in familiarißimis suis maxime ostendisse, quomodo bonis sint malisq; hominibus affecti. Iuppiter enim Herculem & Tantalum genuit, quemadmodum fabulæ tradunt, omnesq; credunt, & illum quidem propter uirtutem immortalitate donauit, hunc propter improbitatem grauißimis calamitatibus oppreßit. Quibus utentem exemplis expetere decet honestatem, & non modo his quæ nos diximus inhærere, sed ex poëtis pulcherrimum quodq; ediscere, & reliquos eruditos, siquid dixerunt utile, scrutari. Quemadmodum enim uidemus apem omnibus flosculis insidentem, & de unoquoq; optima carpentem, ita eos oportet qui uitæ disciplinam expetunt, nullius rei rudes esse, & undiq; quæ sunt utilia, colligere. Vix enim quis hac diligentia, naturæ poterit errata superare.

ISOCRATIS ATHENIENSIS PHILOSOPHI, ET ORATORIS clarißimi libellus de regno, ad Nicoclem Cypri regem, Rodolpho Agricola Phrisio interprete.



Qui solent Nicocles uobis regibus uestes proferre aut æs, aurumue fabrefactum, aliud'ue quicquam huiusmodi rerum, quarũ ipsi inopes sunt, & uos abundatis: admodum aperte mihi uidentur non munus, sed mercaturam facere, multo certiori arte hæc ipsa uendentes eis, qui de professo institoriam exercent. At ego pulchera

cherrimum crederem donũ futurum, simulq; utilissimum, & maxime decorũ danti mihi, tibiq; accipienti: si possem præfinire cuiusmodi institutis consectandis, & quibus uitãdis operibus, optime & ciuitatẽ, et regnũ administrares. Nam priuatos quidẽ multa, quæ intra modestiã comincãt, idq; maxime qđ nõ in uoluptates effunduntur, sed necesse habẽt quotidie circa quærendũ uictũ decertare. Deinde leges quibus in ciuitate regũtur. Ad hæc libertas etiã: quodq; aperte et in amicis reprehẽdere, & in inimicis coërcere alterius in alterũ delicta. Præterea poëtarũ quidã eorũ, q ætate præcesserũt, præcepta, quomodo uiuendũ sit reliquere, ut par sit ex his omnibus eos euadere meliores. Principibus uerò tale nihil existit. Verũ quosdecebat magis q̃ reliquos ad modestiã esse formatos: postea q̃ in principatu constiterint, abhorrẽtes ab admonitionibus perseuerãt. Plurimis nãq; hominibus ad eos nõ datur accedere, qui uero cum eis uiuũt ad gratiã loquuntur. Compotes itaq; facti opũ plurimarũ, rerumq; maximarũ: quoniã parũ rectè his utuntur: his de causis adduxere plerosq; in eã dubitationẽ, utrũ satius sit uitã præferre illorum qui priuati exigunt ætatẽ clemẽter, modesteq; uiuunt: an eorum qui sunt in principatu. Quum respexerint enim ad honores & opes, atq; potentiã: æquales Deo arbitrãtur eos, qui in regno degunt: ubi uerò cogitauerint metus, & pericula, & recẽsentes inuenerunt illos, à quibus minime oportuit perẽptos: hos in familiarissimos sibi sæuire coactos, alijs utraq; hæc accidisse: rursus quouis modo uiuere putant expedire, magis quã cum his calamitatibus, uel Asiæ totius imperio potiri. Huius autẽ inæqualitatis, & perturbationis hæc est causa: quod sicut sacerdotiũ, sic regnum esse cuiusuis hominis arbitrãtur, quod est humanarũ maximũ rerũ, & plurimam prouidentiã deposcẽs. Sanè singulis in actionibus quibus ex rebus maxime quis posset eas more peragere, & cõmoda quidẽ tueri, noxiaq; uitare, id eorũ qui semper assunt, opus est consilio explicare. In cõmune uerò, quæ sectari cõueniat uitæ præcepta, & quibus inhærere, complecti conabor. An sit aũt minus hoc ubi cõsummatũ fuerit, dignũ futurũ instituto, difficile fuerit ab initio peruidere: multa nanq; & metro dimẽsa poëmata, & solutis uerbis cõscripta uolumina, ubi fuerint adhuc ea intra componentiũ cogitationes, magnas expectationes præbuere: consummata uerò, & cæteris ostensa, multo minorem spe gloriam consequebantur. Veruntamen & hoc certe inceptum honestum est: quærere quæ prætermissa sunt, & præcepta principatibus dare. Nam qui priuatos homines instituunt, solis illis prosunt: at si quis eos qui multis imperant, ad uirtutem cohortetur, utrisque sunt usui, & eis qui imperia habent, & eis qui sub illis uiuunt: illis enim tutiores principatus, his uero res publicas faciunt modestiores.

Est igitur primum dispiciendum, quod sit regnantium opus: si enim summam, & uim totius negotij pulchre comprehēderimus: huc intuentes, cōmodius & de cæteris partibus dicemus. Puto uerò cūctos in hoc consentire, officium illorum esse, ciuitati periclitanti finem facere aduersorum, & in felicitate positam conseruare, magnamq; facere ex parua: reliqua enim quæ in diem incidunt, istorum facienda sunt causa. Hoc quoq; perspectum est, oportere eos qui & ista poterunt præstare, & consilio prouidere, nō secordes esse: sed id circūspicere, quo pacto mentis ui cæteris antecellant: certum est enim tale habituros eos regnum, quales suos ipsorum animos firmauerint. Itaq; nulli athletæ conueniet ita corpus suum, sicut regibus animum exercere. Cunctæ nanq; ludorum celebritates nullam partem eorum proponunt præmiorum, de quibus uos in diem quanq; certatis. Quæ cogitantem, animum te aduertere oportet: ut quantum honoribus cæteris præstas, tantum uirtutibus illis emineas. Neq; putes diligentiam in reliquis utilem rebus esse, ad id autem quo meliores nos prudentioresq; fiamus: uim nullam habere. Neque tantæ damnaueris homines infelicitatis, ut circa feras inuenerimus artes, quibus animos earum mansuescere cogamus, & maioris dignas faciamus: nos uerò ipsos nihil ad uirtutem iuuare possimus, quum præsertim institutio curaq; plurimum nostris prodesse mentibus possit. Hoc pacto mentem componas, & eorum qui præsentes tibi sunt, optimorum utere congressu, & aliorum quos quidē possis, accerse. Neq; poëtarum probatorum, neq; sophistarum doctrinas profitentium ullius rudem esse te putes dicere: sed illorum auditor, horum fias discipulus, præbeasq; teipsum his qui intra te sunt, minorum uel inferiorum iudicem, qui supra, maiorum concertatorem: his enim exercitationibus, expeditissime fias talis: qualem proposuimus oportere eum esse qui sit recte regnaturus, & ciuitatem quemadmodum oportet administraturus. Præcipue uerò te ipse excitabis, cohortaberis: si putaueris grauem esse peiores melioribus præesse, & stultiores prudentioribus imperare, quanto nanq; intentius aliorum dementiam contempseris, tantò ualidius mentē tuam exercebis: hinc ergo incipere eos oportet qui quicquam sint recte facturi. Ad hæc & hominum te, & ciuitatis amore teneri oportet, neq; equorum enim, neq; canū, nec hominū, neq; alterius ullius rei fieri potest ut rectè quis principatum gerat: nisi gaudeat eis quorum eum oportet facere curam. Multitudinis habeas rationem, prorsusq; connitere ad gratiam illi præesse, sciens & in paucorum principatibus, & in rebus publicis. hæ ipsæ plurimum tempus perseuerant, quæ quidem commodissime uulgus obseruauerint.

Pulchre quoq; popularis ciuitas: si neq; turbam permiseris facere contumelias,

neq;

neq; passum contumelias contemnas: sed prouideas ut optimi honores assequãtur, & reliqui prohibeantur iniuria: hæc enim elementa sunt prima & maxima com modæ reipublicæ. Decreta mulctasq́; abroga, & permuta quæ non recte sunt la ta, & ipse quidem fac præcipue sis inuentor optimorum: sin minus, imitare quæ apud alios rectè se habent. Quære leges per omnia iustas & utiles, & seipsis probatas. Ad hæc quoque eas quæ minimas habeant ambiguitates, & celerrimas quantum fieri potest, cognitiones ciuibus præstent: hæc enim cuncta insint oportet rectè statutis legibus. Industriæ uerò his ipsis lucrũ, improbitati damnum proponas, ut hanc fugiant, ad illam sint animo propensi. Iuditia rerum de quibus inter se ambigunt, fac non ad gratiam, neq; altera alteris contraria: sed semper eadem de eisdem decerne, decet etenim expeditq; regum mentem circa iusta, sicut bene conditas leges usquequaq; sibi constare. Ciuitatem rege quemadmodum domum paternam, apparatu rerum splendide actionibus diligenter & gloriã simul, opesq́; consequare. Magnificentiam proferas non ullis sumptuosis rebus, moxq́; perituris, sed & in his quæ prædiximus, & rerum pulchritudine, & amicorum beneficijs: hæ nanque tales impensæ tibi ipsi permanent, & post te futuris gratiora, quàm quæ in ea impendisti relinques. Quæ ad rem diuinam pertinẽt, fac quemadmodum maiores tibi tui tradiderunt. Credas autem hoc sacrificium esse pulcherrimum maximumq; cultũ: si quàm optimũ te iustissimumq; præbueris. Certior enim spes tales, quàm multum in sacra profundentes boni aliquid à superis consequaturos. Honoribus prosequere dignissimis quidem coniunctissimos tibi: uerissimis uerò beneuolentissimos. Custodiam corporis tui tutissimã putes esse amicorum uirtutem, ciiumq́; fauorem, & tuam prudẽtiam. Per hæc enim & parare quis, & tueri principatũ potest. Curam gere priuatarum domuũ, putesq́; res suas prodigentes de priuato tuo consumere, & rẽ facientes tuas opes augere, omnia nanq; eorum qui in ciuitate degunt, propria sunt recte gerẽtium principatum. In omne tempus fac uidearis tantum ueritati honorem habere, ut uerba tua sint aliorum iureiurando credibiliora. Cunctis hospitibus tutam ciuitatem tuam præsta, & ad pacta conuenta iustam. Plurimi facito aduentantium eos, nõ qui munera tibi conferunt, sed qui accipere à te deposcunt. Istos nanq; honorans, maiorem etiam apud cæteros gloriam consequeris. Metum ciuibus tuis deme, neq; uelis formidandus esse delinquentibus nihil: quo pacto enim alios aduersum te affeceris: eodem tu quoque aduersum illos eris. Acrem quidem te monstres, nihil eorum quæ fiunt ignorando, ac modestum minora delictis supplici statuendo. Regius sis non asperitate neque grauitate animaduersionis, sed quia omnes

intelligentia tua uincantur, credantq; de sua salute rectius te consulturum. Bellicosus esto peritia, atq; apparatu, pacatus uerò nihil præter æquum tibi arrogando. Sic te exhibeas imbecillioribus te ciuitatibus, sicut potentiores se tibi uelles exhibere. Contende nō de omnibus, sed de his quæ uincenti tibi sint usui futura. Contemnendos puta non eos qui sunt utiliter uicti, sed qui cum calamitate sunt uictoriam consequuti. Magnanimos arbitrare non maiora suscipientes q̄ possint sustinere: sed qui mediocria desiderant, efficere uerò quæ aggressi fuerint, possunt. Aemulus esto non maximum principatum possidentibus: sed rectissime præsenti utentibus. Neq; prorsus felicem te putes futurū, si cūctis hominibus cū metu atq; periculis imperaris: sed si talis sis, qualē oportet, & rebus ut sunt in præsentia usus, moderata cupias, eorumq; nullius egeas. Amicos habe nō cunctos qui uelint: sed ingenio tuo dignos, neq; quorū tibi maxime consuetudo placebit: sed cum quibus ciuitatē rectissimè gubernabis. Diligēter iudica de his qui tecum sunt, idq; scito omnes quibus congressus tui non patet, similē te eis, quibus uteris putabunt. Rebus quas ipse facere non potes, tales præfice, q uelut eorum quæ illi fecerint, sit tibi ipsi ratio reddenda. Fidos puta non quicquid dixeris feceris ue laudātes, sed errata tua reprehēdentes. Da libertatem dicendi prudentibus, ut habeas, qui de quibus dubites, tecum inquirant. Discerne inter eos qui arte tibi blandiūtur, & beneuolētia obsequuntur, ne plus improbi q̄ boni ferant. Audi aliorum de alijs orationes, simulq; conare dicētes cognoscere quales sint: & de quibus dixerunt, eisdemq; coërce pœnis deferentes, quibus & delinquentes, impera tibi ipse nulla parte minus q̄ cæteris, hocq; maxime regiū putes, si nulli seruias uoluptati, sed desideriorum tuorū magis q̄ ciuium sis potēs. Nullam familiaritatē temere aut incōsulte admittas: sed adduc teipsum illis cōsuetudinibus gaudere, ex quibus & ipse doctior fias, & alijs melior esse uidearis. Noli gloriam etiā earū affectare rerū, quas etiā mali facere possunt: sed ex uirtutibus animū sume, quarū improbis pars nulla continget. Illos esse uerissimos putes honores: non qui in aperto cum metu exhibentur, sed quādo secū quisq; magis mentē tuam q̄ fortunam uenerabuntur. Cela si quando contigerit de uili re quapiam te gaudere, proferq; cū circa maxima fueris intentus. Non postules reliquos modeste uiuere, reges aūt intēperantes, uerum tuam continentiam reliquis exemplum propone, scitoq; totius ciuitatis mores regibus similes esse. Signū sit tibi rectè te regnare, si populares uideas tua diligentia opulentiores, modestioresq; factos. Maioris æstima opinionem honestam, q̄ magnas opes filijs tuis relinquere: hæ nanq; mortales sunt, illa immortalis: & gloria pecuniæ possunt acquiri, pecunijs uerò gloria nequit emi: & hæ quidem sorte

dem sordidis etiam affluunt, illam non nisi præstantes assequuntur. Indulge uestibus, & reliquo corporis ornamēto: cæteris in negotijs quēadmodum oportet, reges: rigidā mentē tene, ut qui te uiderint, ex aspectu dignū te principatu credāt, & familiares tui propter tui animi robur eandē quā illi sentētiam habeant. Considera uerba tua & actiones tuas, ut in q̄paucißimis erroribus labaris. Potißima res est, certū in summo positarū tēpus contingere: uerum quando id comprensu difficile est, defectus potius elige, q̄ excessus: moderatiões enim plus in indigētia q̄ excessibus roboris habēt. Facetus esse conare, & grauis: hoc enim principatū decet: illud familiaritatē cōciliat. Est aūt istud oīm rerum difficillimū: inuenies enim plerūq; qui grauitatē præferūt, frigidos esse. quiq; urbani uolūt esse, contēnendos uideri, oportet aūt ambabus his formis uti, & qđ in utraq; noxiū est, euitare. Si quid uolueris exactè cognoscere, eorū quæ ad reges attinet scire, experiētiā assume, & philosophiā. Philosophia nāq; tibi uias ostēdet, exercitatio uerò operibus insumpta, faciet ut rebus uti poßis. Contēplare quæ fiunt acciduntq; priuatis & principibus: si nāq; præteritorū memineris, melius etiam cōsules de futuris. Indignū puta priuatorū nōnullos mori uelle, quo defuncti laudētur, & reges formidare his admonitiōibus, ex quibus uiui gloriā nanciscentur. Imagines uelis uirtutis tuæ potius monumentum q̄ corporis relinquere. Adnitere maxime in tuto te ciuitatēq; tuam seruare: qđ si necesse fuerit in periculū te deuenire: malis honeste mori, q̄ turpiter uiuere. In cunctis operibus memineris, curesq; qua ratione nihil hoc honore facias indignum. Non despexeris tuam uelut totā simul dissolubilē naturā, sed quādoquidē mortale sortitus es corpus, immortalē animā: experire animæ quoq; memoriam immortalē relinquere. Da operam ut de actionibus honestis loquare, ut assuescas similia eis quæ dixeris facere. Quæcūq; reputāti tibi optima uisa fuerint, ea operibus exequere. Quorū imitaris gloriā, facta quoq; imitare. Quæ pueris tuis suaseris, his ipse fac insistas. Vtere his quæ dicta sunt: aut meliora quære istis. Sapiētes arbitrare, nō qui exacte de paruis cōtendūt: sed q̄ benè de maximis dicūt, neq; eos q̄ felicitatē alijs pollicētur: ipsi q̄dē in multa inopia positi: sed q̄ ipsi moderata de se prædicāt, q̄q; rebus se & hoībus accōmodare queūt, & quos nō pturbant pmutatiōes uitæ: sed rectè modesteq; ferre aduersa, & prospera queūt. Nec mirū uerò tibi sit, si pleraq; diximus quæ tute nosti: nec enim hoc me præterijt: uerū sciebā quū tā multi essent numero & priuati, & principes, alij horū dixerint, alij audierint, alij quosdā facientes uiderint, quædā et ipsi sint sequuti: uerū in his oratiōibus quibus institutio uitæ cōtinetur, quærere cōuenit nouas res, in quibus neq; inopinatum, neq; incredibile, neq; ab usu rerum abhorrens

nihil

nihil est inuenire. Sed arbitrari hunc acceptissimum esse, qui in aliorum mentibus dispersa colligere plurima posit, & pulcherrimè eloqui de eisdem: quoniam & huius rei certus sum, poëmata, aliorumq; opera autorum, quæ consulunt, ea omnes utilissima putare, ueruntamen non libentissime illis auscultant, sed id euenit eis quod & circa legumlatores: etenim illos cuncti laudant, uerum congressu illorum uti nolunt, uerum cum peccantibus malunt quàm cum deterrentibus uersari. Cuius rei signum quis statuerit Hesiodi, & Theognidis, & Phocyllidæ poëma, hos etenim aiunt optimos hominum uitæ consultores extitisse: quũq; dicant ista, satius tamen ducunt uitam ad aliorum demẽtiam, quàm ad istorum formare præcepta. Quòd si quis præterea selegerit præstantium poëtarum, eas quæ sententiæ uocantur: hoc eodem pacto erga illas afficerentur, libentiusq; audiuerint uel leuissimam comœdiam, quàm hæc tanta arte elaborata. Quid autem opus singulatim de unoquoq; dicentem immorari, si nanq; libeat nobis in uniuersum naturas hominũ spectare, inueniemus plerosq; non gaudentes cibis saluberrimis, neq; optimis institutis, neq; rebus præstantissimis, neq; utilissimis disciplinis: sed prorsus repugnantes utilitati, uoluptates habentes, idq; seueros & industrios uisos esse, attamen quæ recta sunt factu, quid non prætereuntes? Itaq; quomodo quis talibus istis uel monẽs, uel docens, uel utile quippiam disserens satisfacere posit, qui præter ea quæ dicta sunt, inuident quidem sentientibus rectè, qui insensatos eos simplices arbitrantur, sicq; uerum in rebus fugiunt, ut neq; sua ipsorum sciant: sed dolent de suis cogitãtes, gaudentq; de alienis disserentes: parati corpore potius mala tolerare, quàm animo laborare, & quicquam eorum quæ necessaria sunt, perspexisse. Inueniat autem quis eos ubi conuenerint inter se, uel fundentes conuicia, uel ferentes: in secessu uerò non consultantes. Dico quidem hæc non aduersus omnes, sed aduersus obnoxios eis quæ sunt dicta. Illud ergo manifestum est, eum qui uolet quiduis uel uersu, uel solutis uerbis scribere uulgo magnopere placiturum, necesse habere non utilissimam quærere orationem, sed fabulis confertissimam. Audientes enim ista gaudent: spectantes uero certamina, & contentiones, grauantur. Quapropter Homeri poëma, eosq; qui primi tragœdiam inuenere, dignum est mirari: quoniam perspicientes hominum naturam utriq;, formis his ad poëma utebantur. Ille nanq; contentiones & pugnas deorum fabulis commentus est: hi uerò fabulas in certamen, & actus produxere, ut non solum audiri à nobis, sed spectari etiam possent. Hæc ergo quum sint exempla, abunde demonstratum est eis quibus propositũ est, auditores oblectare ab emendatione, consilijsq; dandis abstinendum esse: illa uerò dicenda scribendaq; quibus uiderint turbam gaudere. Hæc enumeraui, credens

non

non decere te unum de multis, sed principē esse multorum: nec eandē, quam reliqui mentē habere, neq; res graues, neq; prudētes homines uoluptatibus iudicare: sed ex utilibus eos actionibus probare, præsertim quum de exercitationibus dubitent, qui circa philosophiam uersantur, dicuntq; alij contentiosis orationibus, alij politicis, alij alijs quibusdam prudētiores futuros. Illud uerò cuncti fatētur, oportere eum qui rectè sit institutus, ex unoquoq; horum ulm consequi bene consulendi. Oportet igitur dimißis ambagibus, ad confessa ueniētem, eorum confutationē accipere, præsertim ubi tēpus sit suadentes spectare: sin minus, in uniuersum de rebus dicētes, eosq; qui nihil eorum quibus opus nouerunt, nihili putare. Certum nanq; est, eum qui nulla re sibi ipse sit utilis, nunquam alium prudentē facturum. Eos autem quibus præsens est animus, quiq; plus quàm cæteri perspicere possunt: magnifacito colasq;, statuēs bonum cōsiliarium: utilißima est maximeq; rerū omnium regia supellex: putesq; illos amplißimum tibi regnum, qui plurimum poterunt animo tuo prodesse. Ego sane quæ scio, te monui, hisq; quæ mihi sunt copijs te uenero. Tu uerò uelis reliquos, id quod initio dixi, non consueta tibi munera conferre, quæ longe maiore pretio uos à dantibus, quàm uendētibus paratis: sed talia, quibus si instanter utaris, & nullam prætermiseris diem: non absumes, sed maiora indies melioraq; præstabis.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO AC principi D. Erardo à Marca. tt. S. Chrysogoni Card. Archiepiscopo Valent. Episcopo Leodicñ. Duci Bulioñ. Comiti Lossen. &c. Haio Hermannus Phrisius, Cæs. Ma. Cons. S.

CVM nuper è bibliotheca Pompei Occonis soceri mei nactus essem hunc libellum plane aureolum, dignum statim argumentum iudicaui, quod & à principe assidue legeretur, & multo magis in animo ipsius cogitationeq; semper uersaretur. Nam cum infinitis undiq; uitijs dynastarum aulas scatere uidemus, tum nulla me hercule ex ijs delatione capitalior pestis existit. Hinc. n. si uel priscorum annales reuoluimus, uel ad hæc tēpora nostra respicimus, plurimas præclare fundatas familias euersas, plurima item regna pessundata comperiemus, quodq; magis mirere, complures Imperatores cætera continentes & egregie moderatos, nimium delatoribus tamen indulgendo, maximarum rerum gloriam imminuisse: & qui hostiles acies fortiter ferro sæpe contunderant, calumniæ pares utiq; non fuisse. Quinetiam cæteræ animi labes aut præcaueri & deuitari ab homine non omnino stulto, aut sanari ad extremum haud ita difficulter possunt, hæc excellentes etiam atq; optimos uiros ex insidijs adoritur. & quia incautos plerunq; nec opinantesq; opprimit, prorsus insanabile malum est. Iure igitur in cœlum laudibus feruntur, & inter rara moderationis ac sapientiæ exēpla numerantur Cæs. Aug. duo, Alexander Seuerus Neruaq; Traianus, quorum alter delatores partim in unam cymbam impositos in profundum demergi iussit, partim uero relegandos atq; in ultimas; insulas deportandos curauit. alter Turinum familiarem suum consimili fere uitio laborantem, quippe

qui ad nutum suum Impera. cuncta facere iactaret, fumumq; ut ipse dictitabat, uendderet, fumo è stipulis humidis uiridiq; materia excitato exanimari uoluit. Quocirca cum hic liber de non credendis delationibus è Græco elegantissime latinus factus esset ab Rodolpho Agricola uiro omnium qui unquam in Germania literis claruerunt, multorum iudicio cum acumine & doctrina, tum bene dicendi laude & orationis quadam dignitate præstantissimo, eum ego è tenebris erutum, in quibus hucusq; delituit, tui clarissimi nominis auspicio nunc primum inuulgare tibiq; dicare decreui. non quo tu quicquam ijs præceptis indigeas, scio enim tuæ amplitudinis aureis huiusmodi susurronibus minime omniū patere, sed ut reliqui principes per te & abs te delatores adulatoresq; odisse ac fugere discant, intelligantq; uel ex hoc libello quod multarum magnarumq; calamitatum causa hodieq; etiamnum sit & semper fuerit, delatio. Præterea (fatendum est enim) cum tibi inter ecclesiasticos proceres longe optimo & secundum Pontifi. Max. opibus, potentia, gratia maximo florentissimoq; principi aliqua uirtutis significatione notus commendatusq; esse cuperem, commodissime ad id me peruenturum speraui, si Dinocratis illius architecti apprime nobilis solertiam, quoquo possem modo imitarer. Is, ut Vitruuius autor est, cum aditum sibi ad Alexandrum Macedonum regem per purpuratos ac familiares eius patefacere minime posset, cōsilium à suopte ingenio mutuatus est, cumq; esset præstanti ad modum corpore magnamq; oris dignitatem præ se ferret, occasionem captans, quo tempore iuri dicundo rex præsidebat, nudatis membris, oleoq; peruncto corpore, ac populea frōde coronato capite, læuo humero leonis pelle amicto, dextera ipse clauā gestans ad tribunal prodijt, qua nouitate permotus Alexander uiam ei, ut accederet, dari imperat, sciscitantiq; quisnam esset, aut quid tam inusitato cultu sibi uellet? Dinocratem esse se respondit, quæsisse eo habitu aliud nihil quàm regiam commendationem atque audientiam, afferre porro se multas & egregias cogitationes tanti regis maiestate neutiquam indignas, inq; ijs de monte Atho in uirilis statuæ formam redigēdo eo quidem artificio ac positu, uti læua manu urbis amplissimæ mœnia contineret, dextra uero pateram, qua fluuiorum omnium qui ex eo monte profluerent, decursus exciperet. Ego uero præsul eminentissime, quanquam nullis naturæ dotibus magnopere confiderem, tamen incredibili illa tua in tanto fortunæ fastigio humanitate fretus animatusq;, pro montis illius transformatione, quando aliud hoc quidem tēpore nihil possum, Luciani librū περὶ τοῦ μὴ ῥαδίως πιστεύειν τῇ διαβολῇ è Græco in Romanum sermonem ad te tralatum affero. de quo uere illud affirmare possum, multas & quouis principe dignissimas in eo cogitationes inesse, cuiusmodi Dinocrates si ad Alexandrum pertulisset, quis non eum longe præclarius cum de rege ipso, tum de genere humano uniuerso meritum fuisse fateretur? Quàm multos enim ille dum credulitatem suam delatoribus temere nimis accommodat, homines indemnatos indicta causa excarnificari atque interfici iussit? quàm multis item ipse inter epulas manus afferre nō dubitauit? Credo equidem, quanquam erat ille effrenato quodam furore percitus, uastoq; & impotenti nimis ingenio natus, si præcipitem animi impetum, huius lectione libri, intra rationis gyrum coërcere omnino non potuisset, aliqd saltē de tāta ferocia & crudelitate remisisset, neq; amicissimorū atq; etiā innocētissimorum hoīm nefaria cæde manus suas cruētare in animū unquā induxisset. Habet profecto hic libellus multa egregia præcepta, quibus uelut oleo quodā doctrinæ salutari delibuti & instructi, delatorum fraudes & quasi nexus, si qua lucta inciderit, effugere possimus. habet & magnam in perpusillo uolumine exemplorum rationumq; uarietatem. Ea si tanquam Herculis claua pectus obarmaueris, facile eius generis monstra à tuis ædibus (sicuti facis) propelles arcebisq;. Iam cum docet principem ubique simplicem & apertum, & aduersus calumniæ leuitatem, generosa quadam animi altitudine præditum esse debere, an non uelut nudo corpori leoninā pellem circundare uidetur? Qui uero in principatu positus cum sit, Vlyssea quadam pruden-

non decere te unum ...
qui mentē habere, ...
sed ex utilibus cos a...
tem, qui circa philo...
politicis, alij alijs qu...
tere cum qui recte ...
di. Oportet igitur d...
accipere, præsertim ...
rebus dicētes, cosq; ...
nanq; est, cum qui n...
Eos autem quibus p...
magnifacito colasq; ...
nium regia supellex...
runt animo tuo prod...
te ueneror. Tu uerò ...
conferre, quæ longe ...
talia, quibus si instan...
maiora indies melio...

... surda aure
... triumphalem perpetuam
... intermorituri decus
... hactenus. Reliquum
... liberas literatosq; omneis
... multo me in posterum
... immortalitatem parere,
... parare poterunt. Ti-
... primitias consecrare de
... minore fructu quàm uo
... sed & ipse doctissimus es,
... ingenio & rerum cognitione,
... progressus. Tuam in rep.
... quod cum tot tamque di
... in tua ditione habeas, qui ta-
... gubernarit, ante te inuen
... acerbitate iure queri pos-
... liberalitatem in donando, in ædifican
... & in omni uictu regiū splen
... continentia coniunctum. Nam
... quis est qui ignoret ꝙ tu sit
... Sed hæc aliās. Nūc hoc in-
... tempora, in quibus aurem delato-
... Iulius Cæsar si delatorios
... oblatos contempsisset,
... in perpetuum nobili-
... Idus Martias ... miseram esse prin
... Domitiano Imp. dictum sit ... non crederetur nisi
... quibus de coniuratione comperta ... legere
... hunc libellum, si quid ... solum amandū posthac,
... gratiæ prolato non ... Calendis Nouemb.
... putabis. Vale.

ILLVSTRI...
principi D. ...
Valent. ...

CVM nuper ...
lum plane au...
cipe assidue ...
per uersaretur. Na...
tum nulla me hercul...
annales reuoluimus...
tas familias euersas...
rere, complures Im...
latoribus tamen in...
les acies fortiter fe...
am cæteræ animi ...
sanari ad extremu...
uiros ex insidijs ad...
sus insanabile ma...
derationis ac sap...
naq; Traianus, ...
fundum demers...
curauit. alter...

... AGRICOLÆ PHRI-
... Ioannem episcopum Augustensem præfatio.

... uenerande præsul persæpe id euenit, ut cum multæ sint,
... ut unam aliquam præferre cæteris possis, unā tamē
... non quia melior sit, sed quia gratior. Sic & in uirtuti
... omnes & ego cum omnibus illarum maxime laudo,
... ego uero hanc præcipue miror, quod ...
... in principatu positum multas fieri necesse est,
... præstare animum. Hac ego re permo-
... scripsit ex Græco latinū
... quorsum
enim

enim? sed ut te tibi ostendam, testemq; Lucianum faciam, quanta sit ea uirtus tua, qua tam blandam, tamq; insidiosam & prope cognatam pectoribus nostris superas pestē, quæ persæpe clarißimorū uirorū gloriæ maculam ducit, fortißimorum constantiam frangit, consultißimorum prudentiam fallit. Iactentur sanè bellica quantumuis decora, & humano sanguine respersisse manus, moribundiq; hostis membra calcaße, uirtus uocetur, dum tamen constat inuictißimum quenque illorum huic animi malo parem non fuisse. Nam illis quidem sicut periculum de altero est, sic uictoria, sic laus de altero uenit. at quanto maius est uincere seipsum? Sed nos Lucianum ipsum dicentem audiamus.

LVCIANI DE NON FACILE CREDENDIS DELATIONIBVS libellus, Rodolpho Agricola interprete.



Rauis in primis res est ignorantia, malorumq; multorum hominibus causa, quæ uelut caliginem quandam rebus offundens, ueritatem obscurat, & uniuscuiusque uitæ noctem circundat. Similes enim sumus omnes eis, qui in tenebris errāt, potiúsque quod cæci solent patimur, in illud quidem temere incurrentes, istud transeuntes, quum minime sit opus, & quod in proximo & ante pedes est, non uidemus: aliud uero longo à nobis spacio remotum, tanquam offendens metuimus, prorsusq; cauere non possumus, quo minus omnibus in rebus uelut in lubrico lapsemus. Quæ res eis qui tragœdias docent, mille iam fabularum dedit occasiones, Labdaci scilicet Pelopisq; posteros & reliquos id genus. Etenim multo maximam malorum partem, quæ in scenam ascendunt, licet uidere ab ignorantia, uelut tragico quodam numine exhibitam esse. Hæc autem dico quum ad alias res respiciens, tum præcipue ad delationes, quæ falso contra familiares contraq; amicos recipiuntur, per quas & domus euersæ sunt, & urbes pleræq; periērūt, patrumq; contra filios, & fratrum contra germanos, & filiorum contra parentes, & amantium contra charißima sibi corpora furor exarsit, multæq; sunt amicitiæ diremptæ, multæ domus confusæ, propter habitam detractionibus fidem. Vt igitur quàm minimum capiamur ab eis, uisum est mihi hac oratione uelut quadam pictura ostendere, cuiusmodi res sit delatio, & unde proueniat, & quas res efficiat. Sed uerius Apelles Ephesius olim nobis hanc expreßit imaginem. Delatus enim & hic Ptolemæo fuit tanquam

Theo-

non decere te unum de multis, sed principē esse multorum: nec eandē, quam reliqui mentē habere, neq; res graues, neq; prudētes homines uoluptatibus iudicare: sed ex utilibus eos actionibus probare, præsertim quum de exercitationibus dubitent, qui circa philosophiam uersantur, dicuntq; alij contentiosis orationibus, alij politicis, alij alijs quibusdam prudētiores futuros. Illud uerò cuncti fatētur, oportere eum qui rectè sit institutus, ex unoquoq; horum uim consequi bene consulendi. Oportet igitur dimißis ambagibus, ad confessa uenientem, eorum confutationē accipere, præsertim ubi tēpus sit suadentes spectare: sin minus, in uniuersum de rebus dicētes, eosq; qui nihil eorum quibus opus nouerunt, nihili putare. Certum nanq; est, eum qui nulla re sibi ipse sit utilis, nunquam alium prudentē facturum. Eos autem quibus præsens est animus, quiq; plus quàm cæteri perspicere possunt: magnifacito colasq;, statuēs bonum cōsiliarium: utilißima est maximeq; rerū omnium regia supellex: putesq; illos amplißimum tibi regnum, qui plurimum poterunt animo tuo prodesse. Ego sane quæ scio, te monui, hisq; quæ mihi sunt copijs te ueneror. Tu uerò uelis reliquos, id quod initio dixi, non consueta tibi munera conferre, quæ longe maiore pretio uos à dantibus, quàm uendētibus paratis: sed talia, quibus si instanter utaris, & nullam prætermiseris diem: non absumes, sed maiora indies melioraq; præstabis.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO AC principi D. Erardo à Marca. tt. S. Chrysogoni Card. Archiepiscopo Valent. Episcopo Leodieñ. Duci Bulioñ. Comiti Lossen. &c. Haio Hermannus Phrisius, Cæs. Ma. Cons. S.

CVM nuper è bibliotheca Pompei Occonis soceri mei nactus essem hunc libellum plane aureolum, dignum statim argumentum iudicaui, quod & à principe assidue legeretur, & multo magis in animo ipsius cogitationeq; semper uersaretur. Nam cum infinitis undiq; uitijs dynastarum aulas scatere uidemus, tum nulla me hercule ex ijs delatione capitalior pestis existit. Hinc.n. si uel priscorum annales reuoluimus, uel ad hæc tēpora nostra respicimus, plurimas præclare fundatas familias euersas, plurima item regna pessundata comperiemus, quodq; magis mirere, complures Imperatores cætera continentes & egregie moderatos, nimium delatoribus tamen indulgendo, maximarum rerum gloriam imminuisse: & qui hostiles acies fortiter ferro sæpe contunderant, calumniæ pares utiq; non fuisse. Quinetiam cæteræ animi labes aut præcaueri & deuitari ab homine non omnino stulto, aut sanari ad extremum haud ita difficulter possunt, hæc excellentes etiam atq; optimos uiros ex insidijs adoritur. & quia incautos plerunq; nec opinantesq; opprimit, prorsus insanabile malum est. Iure igitur in cœlum laudibus feruntur, & inter rara moderationis ac sapientiæ exēpla numerantur Cæs. Aug. duo, Alexander Seuerus Neruaq; Traianus, quorum alter delatores partim in unam cymbam impositos in profundum demergi iussit, partim uero relegandos atq; in ultimas; insulas deportandos curauit. alter Turinum familiarem suum consimili fere uitio laborantem, quippe

qui ad nutum suum Impera. cuncta facere iactaret, fumumq́; ut ipse dictitabat, uenderet, fumo è stipulis humidis uiridiq́; materia excitato exanimari uoluit. Quocirca cum hic liber de non credendis delationibus è Græco elegantissime latinus factus esset ab Rodolpho Agricola uiro omnium qui unquam in Germania literis claruerunt, multorum iudicio cum acumine & doctrina, tum bene dicendi laude & orationis quadam dignitate præstantissimo, cum ego è tenebris erutum, in quibus hucusq; delituit, tui clarissimi nominis auspicio nunc primum inuulgare tibiq́; dicare decreui. non quo tu quicquam iis præceptis indigeas, scio enim tuæ amplitudinis aureis huiusmodi susurronibus minime omniū patere, sed ut reliqui principes per te & abs te delatores adulatoresq́; odisse ac fugere discant, intelligantq́; uel ex hoc libello quod multarum magnarumq́; calamitatum causa hodieq́; etiamnum sit & semper fuerit, delatio. Præterea (fatendum est enim) cum tibi inter ecclesiasticos proceres longe optimo & secundum Pontifi. Max. opibus, potentia, gratia maximo florentissimoq́; principi aliqua uirtutis significatione notus commendatusq́; esse cuperem, commodissime ad id me peruenturum speraui, si Dinocratis illius architecti apprime nobilis solertiam, quoquo possem modo imitarer. Is, ut Vitruuius autor est, cum aditum sibi ad Alexandrum Macedonum regem per purpuratos ac familiares eius patefacere minime posset, cōsilium à suopte ingenio mutuatus est, cumq́; esset præstanti admodum corpore magnamq́; oris dignitatem præ se ferret, occasionem captans, quo tempore iuri dicundo rex præsidebat, nudatis membris, oleoq́; perunctо corpore, ac populea frōde coronato capite, læuo humero leonis pelle amicto, dextera ipse clauā gestans ad tribunal prodijt, qua nouitate permotus Alexander uiam ei, ut accederet, dari imperat, sciscitantiq́; quisnam esset, aut quid tam inusitato cultu sibi uellet? Dinocratem esse se respondit, quæsisse eo habitu aliud nihil quàm regiam commendationem atque audientiam, afferre porro se multas & egregias cogitationes tanti regis maiestate neutiquam indignas, inq́; iis de monte Atho in uirilis statuæ formam redigēdo eo quidem artificio ac positu, uti læua manu urbis amplissimæ mœnia contineret, dextra uero pateram, qua fluuiorum omnium qui ex eo monte profluerent, decursus exciperet. Ego uero præsul eminentissime, quanquam nullis naturæ dotibus magnopere confiderem, tamen incredibili illa tua in tanto fortunæ fastigio humanitate fretus animatusq́;, pro montis illius transformatione, quando aliud hoc quidem tēpore nihil possum, Luciani librū περὶ τοῦ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν τῇ διαβολῇ è Græco in Romanum sermonem ad te tralatum affero. de quo uere illud affirmare possum, multas & quouis principe dignissimas in eo cogitationes inesse, cuiusmodi Dinocrates si ad Alexandrum pertulisset, quis non eum longe præclarius cum de rege ipso, tum de genere humano uniuerso meritum fuisse fateretur? Quàm multos enim ille dum credulitatem suam delatoribus temere nimis accommodat, homines indemnatos indicta causa excarnificari atque interfici iussit? quàm multis item ipse inter epulas manus afferre nō dubitauit? Credo equidem, quanquam erat ille effrenato quodam furore percitus, uastoq́; & impotenti nimis ingenio natus, si præcipitem animi impetum, huius lectione libri, intra rationis gyrum coërcere omnino non potuisset, aliqd saltē de tāta ferocia & crudelitate remisisset, neq; amicissimorū atq; etiā innocētissimorum hoīm nefaria cęde manus suas cruētare in animū unquā induxisset. Habet profecto hic libellus multa egregia præcepta, quibus uelut oleo quodā doctrinæ salutari delibuti & instructi, delatorum fraudes & quasi nexus, si qua lucta inciderit, effugere possimus. habet & magnam in perpusillo uolumine exemplorum rationumq́; uarietatem. Ea si tanquam Herculis claua pectus obarmaueris, facile eius generis monstra à tuis ædibus (sicuti facis) propelles arcebisq́;. Iam cum docet principem ubique simplicem & apertum, & aduersus calumniæ leuitatem, generosa quadam animi altitudine præditum esse debere, an non uelut nudo corpori leoninā pellem circundare uidetur? Qui uero in principatu positus cum sit, Vlyssea quadam pruden-

dentia, delatorum susurros, non aliter quàm Sirenum exitiales cantus, surda aure præterire potest, huic nō populeam coronam, sed lauream triumphalem perpetuam scilicet apud posteros commendationem, & nominis nunquam intermorituri decus promittit ac præstat. Et hæc quidem ad Dinocratis imaginem hactenus. Reliquum est ut hoc munusculū nostrum, meq́ ipsum in primis, qua literas literatosq́ omneis soles, singulari tua bonitate complectare. Quod si feceris, multo me in posterum alacriorem reddideris ad ea suscipienda, quæ tibi si minus immortalitatem parere, at non mediocrem apud studiosos omneis gratiam & laudem parare poterunt. Tibi enim uelut palatino cuidam Apollini studiorum suorum primitias consecrare debent, quicunq́ Musarum sacris initiati in earum adytis non minore fructu quàm uoluptate uersantur. non enim doctos amas tantum fouesq́, sed & ipse doctissimus es, ut iam dubitari possit, plus ne intelligendo studendoq́ ingenio & rerum cognitione, an agendo uirtute & moribus in omi liberali doctrina sis progressus. Tuam in rep. administranda sapientiam & laudant & mirantur omnes, quod cum tot tamque diuersos populos, & rerum nouarum plus satis cupidos in tua ditione habeas, qui tamen tanta cum æquabilitate & iustitia eos tamq́ pacate gubernarit, ante te inuentus sit nemo, nemo etiam ut sit, qui de tuæ dominationis acerbitate iure queri possit. Mitto reliqua ornamenta laudum tuarum, liberalitatem in donando, in ædificando magnificentiam, in consulendo fidem atq́ prudentiā, & in omni uictu regiū splendorem cum admirabili quadam temperantia uitæq́ continentia coniunctum. Nam quid ego de fidelitate tua & diuina quadā constātia dicā? quis est qui ignoret q̄ tu firmus à Cæsare semp steteris? ut semp in sentētia pmanseris? Sed hęc aliās. Nūc hoc indicasse non erit alienum, incidere nonnunquam tempora, in quibus aurem delatoribus præbuisse plerisq́ saluti fuit. atq́ ut de cæteris sileā, Iulius Cæsar si delatorios libellos ilico lectitasset, neque propter animi magnitudinem oblatos contempsisset, non tot uulneribus in senatu confectus, Idus Martias nece sua in perpetuum nobilitatas reliquisset. ut non incommode à Domitiano Imp. dictum sit, miseram esse principum uirorum conditionem, quibus de coniuratione comperta non crederetur nisi interfectis. Tu nihilominus hūc libellum, si quid subcisiuis horis tibi erit ocij, legere non grauabere, meq́ de eo in tuæ spem gratiæ prolato non solum amandū posthac, sed euendum etiam atq́ ornandum putabis. Vale. Leouerdiæ. Calendis Nouemb. Anno M. D. XXIX.

RODOLPHI AGRICOLAE PHRISij ad Ioannem episcopum Augustensem præfatio.

IN mercibus æstimandis uenerande præsul persæpe id euenit, ut quū multæ sint, quarū in æquo sint precia, nō unam aliquam præferre cæteris possis, unā tamē aliquam præ cæteris eligas, non quia melior sit, sed quia gratior. Sic & in uirtutibus tuis, quas cunctas quidem omnes & ego cum omnibus illarum maxime laudo, inter eas tamen alius aliam fortasse, ego uero hanc præcipue miror, quod aduersus delationes, quas apud te hominē in principatu positum multas fieri necesse est, perspexi tam inuictum te, tamq́ immotum præstare animum. Hac ego re permotus Luciani libellum, quem de delatiōibus non credendis scripsit, ex Græco latinū feci, non quidem ut illius præceptione te uel peritissimum uirū doceam. quorsum

enim? sed ut te tibi ostendam, testemq; Lucianum faciam, quanta sit ea uirtus tua, qua tam blandam, tamq; insidiosam & prope cognatam pectoribus nostris superas pestẽ, quæ persæpe clarißimorũ uirorũ gloriæ maculam ducit, fortißimorum constantiam frangit, consultißimorum prudentiam fallit. Iactentur sanè bellica quantumuis decora, & humano sanguine respersisse manus, moribundiq; hostis membra calcaße, uirtus uocetur, dum tamen constat inuictißimum quenque illorum huic animi malo parem non fuisse. Nam illis quidem sicut periculum de altero est, sic uictoria, sic laus de altero uenit. at quanto maius est uincere seipsum? Sed nos Lucianum ipsum dicentem audiamus.

LVCIANI DE NON FACILE CREDENDIS DELATIONIBVS libellus, Rodolpho Agricola interprete.



Rauis in primis res est ignorantia, malorumq; multorum hominibus causa, quæ uelut caliginem quandam rebus offundens, ueritatem obscurat, & uniuscuiusque uitæ noctem circundat. Similes enim sumus omnes eis, qui in tenebris errãt, potiúsque quod cæci solent patimur, in illud quidem temere incurrentes, istud transeuntes, quum minime sit opus, & quod in proximo & ante pedes est, non uidemus: aliud uero longo à nobis spacio remotum, tanquam offendens metuimus, prorsusq; cauere non possumus, quo minus omnibus in rebus uelut in lubrico lapsemus. Quæ res eis qui tragœdias docent, mille iam fabularum dedit occasiones, Labdaci scilicet Pelopisq; posteros & reliquos id genus. Etenim multo maximam malorum partem, quæ in scenam ascendunt, licet uidere ab ignorantia, uelut tragico quodam numine exhibitam esse. Hæc autem dico quum ad alias res respiciens, tum præcipue ad delationes, quæ falsæ contra familiares contraq; amicos recipiuntur, per quas & domus euersæ sunt, & urbes pleræq; periere, patrumq; contra filios, & fratrum contra germanos, & filiorum contra parentes, & amantium contra charißima sibi corpora furor exarsit, multæq; sunt amicitiæ diremptæ, multæ domus confusæ, propter habitam detractionibus fidem. Vt igitur quàm minimum capiamur ab eis, uisum est mihi hac oratione uelut quadam pictura ostendere, cuiusmodi res sit delatio, & unde proueniat, & quas res efficiat. Sed uerius Apelles Ephesius olim nobis hanc expreßit imaginem. Delatus enim & hic Ptolemæo fuit tanquam

Theo-

Theodotæ coniurationis, quæ facta fuit in Tyro, particeps fuisset. At ne uiderat quidem unquam Apelles Tyrum, nec Theodotes iste quis esset scibat, nisi quantū audierat Ptolemæi quendam esse præfectum, qui res in Phœnice administraret. Verum quidam artis æmulus, cui Antiphilus nomen erat, motus inuidia, quod honorem illi à rege haberi uideret, simulq; laudibus illius propter artem indolens, accusauīt istum apud Ptolemæum, tanquam ei in illa coniuratione cuncta cum illo communia fuissent, quodq; uidisset eum quidam in Phœnice Theodotæ in conuiuio iunctum, & tota cœna ad aurem cum illo colloquentem. demum affirmauit, defectionem Tyri, & Pelusij occupationem ex Apellis factam esse consilio. Ptolemæus uero, ut qui cæteris in rebus prorsus animi nō ualde potens esset, & in adulatione, qua principes solent, educatus ita exarsit, sicq; conturbatus est ab hac inexpectata delatione, ut nequaquam an haberet res aliquid uerisimile reputaret, neq; quōd artis erat æmulus delator, neque quōd minor erat ut tantam posset instituere proditionem pictor, isq; beneficijs à se affectus, & supra omnes eandem professos artem honoratus. Sed neque nauigasset ne unquam Apelles in Tyrum requirens, protinus iræ se permisit, & regiam uociferatione compleuit, ingratū, insidiatorem, coniuratum clamitans. Quod nisi quispiam eorum qui comprehensi fuēre indigne ferens Antiphili impudentiam, misertus fuisset duram Apellis uicem, dixissetq; nihil quicquam ad eum pertinere rerum illarum: recisa foret illi ceruix, & malorum, quorum nulla fuit penes eum culpa, pœnas dedisset. Ptolemæus uero usque adeo pœnituisse fertur pro eis quæ contigerant, ut Apellem quidem centum donaret talentis, & Antiphilum illi daret in seruitutem. Memor autem Apelles periculi sui, tali quadam tabula delationem suam est ultus. Ad dexteram uir sedebat aures habens prægrandes, Midæ propemodum auribus æquales, hic manum porrigebat de longinquo accedenti delationi. astabant duæ mulieres, ignorantia (ut mihi uidetur) & suspicio. Altera ex parte muliercula raræ & admirandæ pulchritudinis accedebat, flagrans animo concitaq; & iram furoremque præ se ferens. In sinistra ardentem habens facem, dextra adolescentem quendam crinibus trahens manus ad cœlum tendentem, & dei fidem testantem. Ducebat illam uir pallidus & deformis acri obtutu, similis eis, qui ex diutina diriguere ualetudine. hunc esse quem inuidentem uocamus, poterit aliquis coniectare. Sed & aliæ duæ pone sequebantur, adhortantes, deducentes adornantesq; delationem. & quemadmodum eas explicabat, qui tabulam illam circumferebat, hæc captatio erat, illa uero deceptio. In proximo ueniebat quædam cultu admodum lugubri, ueste atra, laceraq; cute. hæc erat pœnitentia, sed reprehendebatur

ea, & idcirco retrorsum conuersa flebat, cumq; pudore summo adeuntem respiciebat ueritatē. Hoc pacto Apelles periculū suum pictura imitatus est. Nos quoq;, si uidetur, secundū Ephesij istius pictoris artē delationis cōditiones recēseamus. Primumq; definitione cōplectamur eam, ut & nos hoc modo tabulā quandā consequamur. Est ergo delatio accusatio secreto facta, latens accusatū, & contradicēte nemine, unius tantum partis affirmatione credita. Hæc sit ergo nobis orationis huius materia. Quum sint hic autem tres personæ, deferentis, & delati, & ad quem fit delatio, singulatim dispiciamus earum unamquanque, & qualia uerisimile sit circa illam contingere. Primumq; producamus (si uidetur) eum, cuius primæ sunt in hac (ut dicitur) fabula partes: autorē dico delationis. Hic aūt quod nequaq̄ uir bonus sit, cunctis facile liquere crediderim. Nemo enim qui uir bonus est, alteri malorū fiet causa: sed bonorū uirorū est, beneficijs cōciliare amicos, non per iniuriā alios criminari: nec assumpta beneuolentiæ specie gratiā sibi alieno odio parare. Quod aūt sit iniustus hic & legū transgressor, & impius, & dāno afficiat eos qui utūtur illius opera, facile est uidere. Quis enim nō fateatur in omni re æquitatē, et in nullo præ cæteris eximiū esse, propriū opus esse iustitiæ, inæqualitatē uero & eminentiā iniustitiæ esse? At qui delationē secreto contra absentes instituit, necesse est multū sibi de alterius iure sumat: totū nēpe sibi uendicās auditorē, et illius occupans aures, alterius eas partis orationi præcludit, omnemq; ad eas præscipit aditum, quum prius fuerint delatione repletæ, postremæ improbitatis hoc esse dixerint, quicunq; optimas unquam tulere leges, ut Solon, ut Dracon, qui iurisiurandi religione iudices obstrinxere, quo utrasq; ex æquo partes audirent, paremq; utrisq; beneuolentiam impartirentur, donec posterioris oratio priori comparata, peior melior'ue uideretur: ante uero quàm hinc inde accusatio cum defensione conferreretur, impium prorsus iudicium & indignum religione iudicum arbitrabantur futurum. Deum quoq; laturum id grauius contenderim, si accusatori securo quæcunq; uolet dicere permittemus: claudentes deinde aures accusato, aut ore taciturno, priore uicti oratione sententiam feremus. Non igitur immerito quis cōtra ius & leges, contraq; iudiciorum iusiurandum affirmet fieri delationes. Quod si quis non satis fidei legum latoribus habeat, iubentibus taliter fieri iudicia debere iusta & in neutram propensa partem, uideor adhibiturus orationi meæ poetā quendam preclare hac de re pronunciantem, uel legem potius ferentem, qui inquit: Ius, nisi pars audita sit utraq;, dicere nolis. Arbitror enim & hunc sciuisse, quum multiplices in hominū uita sint iniuriæ, nihil inueniri peius aut iniquius posse, quàm aliquos sine ullo iudicio uel cognitione condemnari, quod quidem pror-

sus

ſus delator facere conatur, eum quem detulit expertem iudicij ſubijciēs audientis iræ, & defenſionem accuſationis ſecreto peruertēs. Timidus enim eſt & oris nē quāq̄ liberi, quiſquis talem ſe præbet nihil in apertum proferens, ſed ſicuti qui inſidias ſtruunt, alicunde iaculantur ex tuto, ut neq; contra reſiſti, nec decertari ſecum poßit, neceſſeq; delato ſit, incerto ignoratoq; bello perire. Quod ſignū quidē eſt maximū ſani nihil à delatoribus dici. Quandoquidē ſi quis ſibi conſcius ſit uera ſe in crimē uocare, nimirū coarguet in aperto, & rationē repoſcet, & uerum oratione diſquiret. quēadmodum è diuerſo quiſquis in aperto nequit uincere, inſidias fraudēq; parat aduerſus hoſtes. Iſtos aūt præcipue eſt in aulis regū uidere, qui principum ſibi potentiūq; amicitias in gloria ponunt, ubi multæ inuidiæ, innumeræ ſuſpitiões, plurimæ adulationū criminationūq; materiæ. Vbicunq; enim ſpes uberior, illic & inuidia moleſtior, & odiū periculoſius, & æmulatio malignior. Omnes enim in alterum quiſq; acres figunt oculos, & quēadmodum ſingulari certamine decertantes obſeruant, ſi quam poßint partem in aduerſarij corpore uidere nudatam, quumq; uelit quiſq; primus eſſe, depellit & uelut cubito proximum quenq; detrudit. Et quiſquis ante ſe eſt, eum ſi poteſt detrahit ac proſternit: ubi iam ſi quis probus eſt, nullo prorſus negocio ſubuerſus, deiectus, expulſusq; diſcedet. At qui promptior in adulationes, & cui ad hanc fraudē fides paratior, hic pœnitus uictor ſubnixus incedit. Homericum itaq; illud planè eſt hac in parte uerum: Mars communis erat, perimens iacet inde peremptus. Nempe quum nō ſit eis de re modica certamen, uarias alter contra alterum excogitant uias, quarum breuißima ſimul & periculoſißima eſt per delationem, principium quidem ab inuidia, & nonnulla efficiendi ſpe capiens, ad miſerandos tragicoſq; exitus, omniumq; plenos calamitatum deducit. Neq; uerò facile quiddam eſt iſtud aut ſimplex, ſicut fortaſſe quis putauerit, ſed multæ artis, experientis ingenij, exactæq; meditationis eſt opus. Nec enim tantam ad nocendum uim haberet delatio, niſi probabili quadam ratione inſtitueretur, neq; fortiorem cunctis ueritatem ſuperaret, niſi multa mentem ducentia probabiliaq; & alia præparaſſet innumera aduerſus audientes. Defertur igitur ut plurimum maxime quiſquis honoratus eſt, & hoc ipſo eorum quos poſt ſe relinquit expoſitus inuidiæ. Cuncti nanq; telis ſuis hunc petunt, uelut obſtaculum quoddam & impedimentum præ ſe uidentes eum, putatq; quiſq; primum ſe fore, ſi modo illum in uertice poſitum expugnauerit, & ab amicitia fuerit amolitus. Quale & in ludicro curſorum certamine fieri uidemus, illic enim protinus demiſſo repagulo bonus curſor tendens ad anteriora ſolum, & ad metam dirigens mentem, inq; pedibus habēs uictoriæ ſpem, nihil aduerſus eum

qui

qui proximus est molitur: neq; est ulla in re concertatoribus molestus. Contrà malus ille & expers præmij certator, proiecta uelocitatis spe, ad malitiam fraudesq; diuertitur: hocq; solum ex omnibus prospicit, quo pacto uel retinens currentem, uel impediens alioqui moretur: quippe qui si decidat ab hac spe, aliam utiq; nullã uictoriam speret. Istorum similia in amicitijs felicium contingunt: qui prior enim est in decursu, protinus sunt illi insidiæ paratæ, & nihil metuens comprehensus in medio, ab eis qui odere, laceratur: at illi cari habentur, & amicorum sibi ex aliorum iniuria induunt opinionem: tunc delationis fidei conducentia comminiscuntur: non temere quidem, sed in hoc omnis opera impenditur, ut ne quid absonum nectant aut à persona abhorrens. Ergo quæ insunt delato, crebro peiorem in partem deflectunt: hincq; nõ incredibiles instruunt calumnias. Sic medicum tanquam ueneficum insimulant, diuitem tanquam tyrannum, potentiorem tanquam proditorem: quin & auditor nonnunquam præbet delationibus occasionem, quas perfidi illi ad istius mores cõcinnantes adaptant. Si nanq; uiderint de uxore sollicitum, innuit, inquiunt, in cœna uxori tuæ, & coniectis in eam oculis suspirauit: rursus in eum Stratonice non aspere quidem, sed prorsus benigne lasciueq; : & huiusmodi quædã ad hunc adulterij crimina parãtur. Quod si poëticæ tenetur studio, hancq; sibi laudem uendicat, repræhendit scilicet uersus tuos Philoxenus, carpsitq;, & enormes contra legem carminis, & incompositos dixit. Ad eum qui religiosus est deditusq; diuinis, impius & irreligiosus esse dicitur amicus, quiq; diuina aspernetur, prouidentiamq; rebus ullam præesse neget: quod simulac audiuit, protinus uelut aculeo in aurem stimulatus incensus rapitur, sicut consentaneum est, & amicum auersatur, non expectata diligentiore rerum peruestigatione. Prorsus enim excogitant eiusmodi, quibus exploratum sit eis ualidissime posse auditoris iram exasperari, & qua procliuis animus cuiusq; est, ea maxime incumbunt, iacula & hastas intorquentes in eum, ut de repente perturbatus ira, ne ocium quidem habeat dispiciendæ ueritatis: sed neq; si paret quis defensionem, admittet eam, oratione, quæ præter spem allata est, tanquam uera occupatus. Esse uero promptissimum aduersario delationis genus audientis studium manifestum est: quando & apud Ptolemæum, cui Dionysio cognomen fuit, non defuit qui Platonicum Demetrium criminaretur, quod aquam biberet, solusq; omnium muliebrem bacchanalibus non sumeret uestem. Quod nisi mane uocatus bibisset inspectantibus cunctis, & sumptis mulcticijs pulsasset cymbala, saltassetq;, perierat tanquam regiæ infensus uitæ, & qui contraria regis uoluptatibus sentiret & doceret. Apud Alexandrum uerò grauissimi criminis loco aliquando fuisset, si quis Hephæstionem statuisset nõ colere

colere neq; adorare. Postquam enim mortem obierat Hephæstion, Alexander ob illius amorem uoluit hoc quoq; reliquæ magnificentiæ adijcere, deumq; facere illum, qui iam homo non erat. Continuo igitur templa statuebant urbes, & luci fiebant, & aræ sacrificiaq; diesq; festi nouo illi Deo sanctiebantur: eratq; cunctis iusiurandum sanctißimum Hephæstion. Si uero quispiam inter hæc rideret, aut non uideretur omni pietatis eum ritu colere, morte pœnas luebat. Colligentes animo iuuenile hoc Alexandri desiderium adulatores incendebant illud mox atq; inflammabant, insomnia narrantes Hephæstionis, & apparitiones eius quasdam, morborumq; curationes tribuentes illi, & uaticinia in uulgus spargentes, sacrificabant demum præsenti illi propicioq; numini: quibus auditis gaudebat Alexander, & tandem uera esse ea sibi persuadebat, gloriæq; ducebat sibi, tanquam non solum ipse Dei filius esset, sed & deos facere posset. Ad quàm multos igitur putamus his temporibus redundasse Hephæstionis diuinitatem delatos, quod non uenerarentur communem hunc omnibus deum, & id propterea depulsos, & ab amicitia regis elapsos? Quin & Agathocles Samius, ordines apud Alexandrum ducens, & apud eum in honore habitus parum abfuit, quo minus in caueam cum leone fuerit coniectus. Deferebatur quod præteriens Hephæstionis sepulchrum illachrymaret: sed illi dicitur auxilio fuisse Perdiccas, omnes deierans deos ipsumq; in primis Hephæstiona apparuisse uenanti sibi conspicuum deum, iußisseq; diceret Alexandro ut Agathocli parceret: non enim fecisse hæc illum tanquam non credentem diuinitati eius, aut pro mortuo flentem, sed pristinæ consuetudinis memoria uictum. Adulatio igitur illo tempore delatioq; præcipue locum sibi uendicabant ad Alexandri compositæ dolorem. Sicut enim in urbis oppugnatione non eminentia, non præcipitia, aut muris tuta inuadunt hostes, sed si quam partem uiderint, uel custodijs uacuam, uel uetustate dirutam, uel humilitate peruiam, ad eam omnibus uiribus intendunt, uelut ea facillime penetrare poßint urbeq; potiri. Sic delatores & quamcunq; partem animi debilem, confractam aut accessu facilem conspexerint, eam quatiunt, ad eam machinas admouent, demumq; expugnant, quippe defendente nemine, neq; conatum præsentiente. Deinde quum semel intra muros irruperint, igni populantur omnia, & ferro, flamma fugaq; cuncta permiscent, cuiusmodi uerisimile est capta mente, inq; seruitutem deducta fieri debere. Sunt autem illis aduersus absentes instrumenta, fraus, mendacium, periurium, blandiciæ, impudentia, milleq; alij apparatus, quorum maximus adulatio est cognata, uel soror uerius delationis. Nec enim quisquam tam generosi roboris est, neq; cui sit usq; adeo adamantino muro mens circumsepta, quem non de

lationes uincant, suffodiente præsertim mentem, fundamentaq; subuertente adulatione. Et hæc quidē extrinsecus sunt. Intus uero multiplices adiumento sunt delationi proditiones, porrigentes manus & ultro portas aperientes, & omnibus comitentes modis ut capiatur auditor. Prima est rerum nouarum cognoscendi cupido, quæ natura cunctis hominibus existit. Deinde mentis humanæ inconstans fastidium. Postremo non expectatæ orationis illecebræ. Lætamur & (nescio quo pacto) clanculum cuncti suspicionibus, & dictis, & significatis aurem præbentes: noui nanq; quosdam, quorum tam gratæ à delatoribus titillabantur aures, uelut si leuiter pennis demulcerentur. Postquam igitur his omnibus auxilijs instructi irruerint, per uim nimirum capiunt: nec difficilis est uictoria, quum nemo repugnet, incursionibus nemo resistat, sed eo qui audit sponte quidem seipsum tradente, & delato periculorum suorum ignaro. Velut enim quum urbs noctu capitur, ut dormientes perimuntur delati. Quodq; est omnium miserrimum, est ille nescius eorū omnium quæ facta sunt. Accedit ad amicum hilaris, ut qui nullius errati sibi conscius sit, & eadem quæ solet cuncta dicit & facit, quum sit omni ex parte miser insidijs clausus. Et hic quidē, si generosum quicquam habeat, aut liberum, animiq; sit erectioris, prorumpit in iram, feruoremq; mentis effundit, & tum demum defensionem præsentiens cognoscit amico se temere succensuisse. Sin uero illiberalior abiectiorq; fuerit, admittit quidem eum, extremisq; labijs arridet, clàm tamē odit, stringitq; dentes, & ut poëta inquit:

In fundo collocat iram.

Quo quidem neq; iniustius neq; sordidius arbitror quicquam, mordentem labia subternutrire bilem, conclusumq; intus odium adaugere, alia clàm gestantem in pectore, alia palàm dicentem, & læta comicaq; persona luctuosissimam plenamq; ueneni tragœdiam agentem. Istudq; potissimum contingit, quotiens ex multo tempore delati amicus habitus fuerit delator, & eadem adhuc speciem præbet: nanq; tunc eorum qui deferuntur nec uocem audire uolunt, nec defensionem, fidem accusationis ex spectata tanti temporis amicitia præsumentes: nec id reputant cum animo suo multas persæpè causas odiorum & inter amicissimos interuenire, quæ lateant alios: & nonnunquam aliquis quorum penes se culpa est ea præueniens in alterum accusatione impingit, hocq; tentat effugium, quo minus ipse deferatur. Sanè nemo tentabit inimicum deferre. Non enim iam credetur accusationi, cuius in aperto est causa: at eos, quibus amicissimi uidentur, adoriuntur, illud captantes, ut suam erga audientes beneuolentiam indicent, pro quorum commodis ne familiarissimis quidem suis parcunt. Sunt autem qui tametsi cognouerint per iniuriam amicos sibi delatos, tamen eorum quæ crediderunt

diderunt pudore, nec admittere deinceps eos nec aspicere sustinent, tanquam iniuriam susceperint ab eis hoc ipso, quod eos nihil aduersus se fecisse cognoscunt. Repleta est igitur multis malis hominum uita propter delationes tam facile tamq; inexplorate receptas. Inquit itaq; Antia: Aut moriaris Proete, aut confice Bellerophontem, Turpia qui inuitam Veneris me pacta poposcit. Quum quidem prior ipsa tentasset eum, contemptaq; fuisset, & tamen iuuenis in commißione pugnæ cum Chimæra prope perierat, periculo continentiam suam & probitatem aduersus hospitem luens, impudicæ fœminæ dolis circumuentus. Phædra quoq; similia priuigno suo obijciens, ut imprecaretur pater diras Hippolyto filio suo effecit, nihil (Deus bone) nihil prorsus impium conato. Recte dicat aliquis: Sed est magna interim autoritate delator, & qui cæteris in rebus iustus prudensq; uideatur, & cui par sit credere, quia nihil sit aliâs tale molitus. An ergo quisquam iustior est Aristide? ille tamen accinctus est contra Themistoclem, & populum contra eum concitauit, suo ut aiebat erga rempub. extimulatus studio. Iustus nempe quantum ad reliquos Aristides, homo tamen erat & qui irasci posset, & amaret aliquos et odisset. Quod si uerum est, quod de Palamede memoratur, prudentißimus Græcorum omnium, & reliquis in rebus optimus, fraudem insidiasq; fertur struxisse uiro cognato sibi & amico, & nauibus ad eorundem societatem periculorum profecto. Vsq; adeo inditus est hic hominibus istis in rebus error. Quid enim memoret aliquis iniuste Socratem ad populum Athenienfem accusatum tanquam impium & insidiatorem? aut Themistoclem, aut Miltiadem post tantas uictorias in suspicionem proditionis Græciæ adductos? Innumera sunt enim exempla, & plurima propemodum nota. Quid faciendum est igitur ei, cuius animus aut de uirtute cuiusquam, aut de ueritate in ambiguo pendet? Id puto quod Homerus in fabula de Sirenibus commenta significat, rectum nauigationis cursum tenere iubens, & præteruehi perniciosas has audiẽdi uoluptates, & aures obturare, neq; incõsulte patefacere eas his, qui sunt aliquo grauiore animi motu præpediti: sed diligentem ianitorem rationem scilicet, præficere cunctis eis quæ dicuntur: & quæ digna quidem sunt admittere & expendere, contrà excludere & depellere indigna: foret etenim ridiculum domibus ianitores præponere, & mentis aditum negligere patentem. Ergo si quando adeat aliquis qui talia afferat, conueniet ipsam rem secũ considerare, neq; dicentis ætatem respicere, neq; reliquam illius uitam, neq; dicendi peritiam. Quanto fuerit enim ad persuadendum paratior, tanto diligentiori cura sunt omnia perquirenda: nec oportet enim alieno credere iudicio, quanto minus accusatoris odio. Sed ueritatis indagationem sibi quisq; reseruet, & delatori

quidem aßignanda est inuidia, utriusq; uero documenta sententiæ conspicua sunt sumenda, hocq; pacto conueniet odisse aut amare, quem fuerit uisum. Prius uerò quàm hæc fiant, ex prima statim permoueri delatione q̃ est mediusfidius puerile: quamq; contemptum & omnium maxime iniustum? Sed horum omnium causa est quod initio diximus ignorantia, quodq; mores uniuscuiusq; uelut in tenebris latent. Quod si Deus aliquis uitas hominum retegeret, abiret fortasse in barathrum delatio, nullum hic inuentura locum, quin forent illustratæ res omnes lumine ueritatis.

IN LVCIANVM DE CALVMNIA scholia.

MAlorumq; multorum hominibus causa.) Quorum bonam partem perstringit D. Augustinus de unico baptismo contra Petilianum cap. 16. D. Hieronymus in calce epistolæ ad Rusticum monachum de uiuendi forma, hoc initio: Nihil Christiano felicius. Scholiastæ item Psalm. septi. D. Erasmus epistola quam præfixit Enchirid. militis Christiani: Nihil inquit, tam circumspecte dici potest, &cæte. Idem Ench. militis Christiani cap. 8. Ibidem canone quinto. Similes enim sumus omnes eis.) Lucretius libro secundo:

Nam ueluti pueri trepidant, atq; omnia cæcis
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
Interdum nihilo quæ sunt metuenda magis, quàm
Quæ pueri in tenebris pauitant fugiuntq; futura.

Labdaci scilicet.) Labdacus fuit Polydori filius, filij Cadmi, & frater Lay. Pelopisq;.) Pelops Tantali regis Phrygum filius fuit. De quo lege Ioãnem Boccacium lib. 12. cap. 3. & lib. 9. cap. 6. & 7. Hæc autem dico quum ad alias res.) Locus est à genere ad speciem, amplificãdi gratia adiunctam. Per quas & domus euersæ sunt, & urbes pleræq; perierunt.) De quibus Erasmus scitissime, ut nihil suprà, in Lingua, medio circiter opere: Nunc consideremus, inquit, quanta pestis humanæ uitæ sit lingua calumniatrix, hoc est, uerè diabolica. Quod enim Latini calumniam dicũt, Græci uocat diabolen, & quæ sequuntur, ad pagellas minimum quatuor. Exod. 21. & Deutero. 19. de pœna calumniæ. Multæq; sunt amicitiæ diremptæ.) Demosthenes: ἡ μάχαιρα μὲν τέμνει, ἡ δὲ διαβολὴ χωρίζει φίλους. Velut quadam pictura.) Lege posteriorem Copiæ comment. de descriptione rei. Cuius modo res sit delatio.) Rodolph. lib. 1. de inuentione dialectica cap. de definitione. Vnde proueniat.) Ibidem de efficiente. Et quas res efferat.) Ibidem de effectis seu euentis. Cui Antiphilus nomen erat.) A nomine rei. Artis æmulus.) Adagio: Figulus figulo inuidet, faber fabro. Animi non ualde potens esset.) Ab adiacentibus. Vt nequaquam an haberet res aliquid uerisimile reputaret.) Docet id artificij Aristoteles lib. rhetorices tertio in locis ad dissoluendum calumniam. Recisa foret illi ceruix.) Thearidas quũ gladiũ cote acueret, rogatus à quopiã, nũ esset acutus: acutior, inquit, calumnia. Grauiter innuens, rerũ omniũ nocentissimã esse calumniã. Midæ propemodũ auribus æquales.) D. Eras. adagio: Midas auriculas asini: Ad dextrã, inquit, uir quispiam sedet auriculis maximis, quales fermè Midæ fuerunt, &c. Hunc esse quẽ inuidentĩ uocamus.) Admiratione dignum est cur non dixerit: quem uocamus Liuorem. Græce enim est φθόνος. Inuidentiam siue inuidiam non potuit appellare. Nam quum Lucianus finxit uirum, uirilem quoq; in eo sexum seruatum oportuit. Sed reprehendebatur

batur & idcirco.) Illachrymans sese in tergum reflectebat, uerecundeque aduertantem ueritatem respiciebat. Primumque definitione cõplectamur.) Illud uide, lector optime, ut egregium sese ostendit artificem Cicero in primo officiorum: Omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disputetur. Vide Rodol. lib. 1. de inuen. dialect. ca. 5. Est ergo delatio.) Laurentius Valla lib. elegan. 6. ca. 50. Cicero lib. 1. officiorum. Quum sint hic autem tres personæ.) A diuisione. Nemo enim uir bonus.) Ab efficiente. Beneficijs conciliare amicos.) Ab actibus. Nec assumpta beneuolentiæ specie.) Hoc quod sæpe testatus sum, nec me sæpius piget testari, mire felicem esse Rodolphi uersionem, uel hic clarissime elucescit. Et in nullo præ cæteris eximium esse.) Melanthon reddidit: Ne quid nimis. Fortasse non prorsus inepte sic uerti poterit: præque cæteris tibi non plus licere, siue præ alijs prærogatiuam habere. Non enim intelligit de excellendo, sed de præter ius usurpando. Qui iurisiurandi religione iudices.) Demosthenes in ipso protinus exordio aduersus Aeschinem. Quo utrasque ex æquo partes audirent.) Copiose iuxata ac luculenter locum hunc explicat D. Erasmus Rotero. adagio: Ne de lite pronuncies. Quod si quis non satis.) A pronũciatis. Poëtam quendã.) Non Hesiodũ aut Theognidem, sed Phocylidẽ, cuius hoc est carmẽ planè aureolum: μήτε δίκην δικάσης, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσης. Id est, Erasmo interprete: Ne iudex fueris, partes ni audiueris ambas. Melanthon ita: Nec nisi librato dirimat sententia litem, Parte quid ex utraque queat, examine causa. Alicunde iaculantur ex tuto.) ἐκ ἀφανοῦς. Quid si ex inprospecto uel improuiso? Melanthon uertit: Ex abdito alicunde specu iaculantur. Istos autem præcipue est in aulis.) A loco, ubi sunt calumniatores. Homericum itaque illud.) Iliados Σ ξυνὸς ἐνυάλιος καί τοι κτανέοντα κάτεκτα. Id est, Erasmo interprete: Communis Mars inque uicem perimit perimentẽ. Vide adagium: ἄρης κοινός. Id est, Mars communis. Neque fortiorem cunctis ueritatem.) Tertio Esdræ tertio item cap. Forte est uinum: fortior est rex: fortiores sunt mulieres. Super omnia autem uincit ueritas. Defertur igitur ut plurimũ maxime quisque honoratus est.) Hactenus de delatore, nunc ad delatũ. Cicero 2. de oratore: Inuident aũt homines maxime paribus aut inferioribus, cũ se relictos sentiunt, illos aũt dolẽt euolasse, sed etiã superioribus inuidetur sæpè uehementer, & eò magis, si intolerãtius se iactant, & æqualitatẽ cõmunis iuris præstantia dignitatis, aut fortunæ suæ transeunt. Aristoteles lib. rheto. 3. in locis ad calumniã dissoluendã. Et adagio: Liuor ut ignis semper alta petit. Quale & in ludicro.) A similibus. Nihil aduersus eũ qui proximus est molitur.) Cicero lib. officiorum 3. Scite Chrysippus, ut multa, qui stadium inquit, cucurrerit, eniti & contendere debet, quàm maxime possit, ut uincat: supplantare eum, qui cũ certet, aut manu depellere, nullo modo debet: Sic in uita sibi quenque petere quod pertineat ad usum, non iniquum est: alteri subripere, ius non est. Reprehendit scilicet uersus tuos Philoxenus.) Philoxenus poëta usqueadeò non potuit crimina Dionysij probare, ut maluerit reduci ad fodinas lapidarias. Historia refertur adagio: In lapicidinas. Esse uerò promptissimum aduersario.) Efficacissimum delationis genus est, quum id in calumniam uocetur, quod auditoris studio planè repugnat. Quãdo & apud Ptolemæum.) Ad faciendam fidem non uulgariter adiuuant exempla, præsertim cum per inductionem, quam Græci uocant ἐπαγωγὴν, adhibentur. Quo in genere plurimus est Socrates Platonicus. Solusque omnium muliebrem.) Cum Dionysius in conuiuio iussisset, ut singuli in ueste purpurea saltarent: purpura uerò tum regũ erat gestamen, nunc sutoribus etiã cõmunis. Id Plato facere recusauit his trimetris è fabula quapiam: Muliebri ego haud quaq̃ indui queã stola, Vir natus ipse, & ex uirili germine. Deut. 22. Nõ induetur mulier ueste uirili, nec uir utetur ueste fœminea. Et sumptis multitijs) Multitia, indumẽta dicebãtur minutissimis filis contexta. Vnde à multis filio & propterea subtilibus, nomẽ inditũ, uel à mulcendo, quoniam carnem demulceant. Pulsassetque.) Adagio: Dithyramborum poë-

tis insanior. Alexander ob illius amorem.) Alexander autem inter amicos quos habebat præcipuos ac potentissimos, omnium maxime uidebatur honorare Craterum, sed omnium maxime diligere Hephæstionem. Craterus enim inquit, amat regem, Hephęstion amat Alexandrum. Id Græce iucundius dicitur: φιλοβασιλεὺς & φιλαλέξανδρος. Sentiens Craterum in his quæ ad regiam dignitatem, præstare fidum amicum. Hephæstionem priuato quodam affectu diligere Alexandrum. Pariter itaq; licet dissimiliter amantibus, diuersa ratione persoluit præmium. Craterũ ornauit dignitate, Hedhæstionem ad intimam admisit familiaritatem. Tanquã non solum ipse dei filius esset.) Alexander in Ammonis templo quum à uate dictus esset Iouis filius: Nihil, inquit, mirum. Nam Iupiter omnium natura pater est, sed ex his optimos quosque peculiariter suos facit. Ordines apud Alexandrum ducens.) Dictu mirũ quàm apposite transtulit ταξιαρχῶν, quẽ nõ parũ multi uocant centurionem: ordinem uero dicuntur ducere apud Latinos, q cohortibus turmisue præsunt.

Sunt autem illis aduersus absentes instrumenta.) A destinatis. Est ille nescius eorum omnium quæ facta sunt.) Calumniæ morsus non solum perniciosissimus est, uerum etiam ineuitabilis, quòd clancularius plerunq;. Vide prouerbium: Non est remedium aduersus sycophantæ morsum. Alia clàm gestantem in pectorre, alia palam.) Homerus libro Iliad. Z. ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν ἄλλ' δὲ εἴπῃ. Inquit itaq; Antia.) Homerus Iliados z. τεθναίης ὦ προῖτ' ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην. Id est, Prœte aut tu morieris, aut Bellerophontem interime.

Quum quidem prior ipsa tentasset eum.) Eadem plane historia narratur & Geneseos 39. cap. Periculo continentiam suam.) Hoc est, pœnam pro pudicitia, suaq; in hostem reuerentia referens. Phædra quoque similia priuigno.) Cum Phædræ libidini consentire nollet Hippolytus, furore incensa illum redeunti Theseo accusauit, quòd illi uim uoluisset inferre. An ergo quisquam iustior est Aristide.) A comparatis: Aristides cognomento iustus, semper suo unius pręsidio fretus, rempublicam administrabat, à sodalitatibus abhorrebat, uelut ab amicorum potentia, quæ ad iniuriam alijs inferendam adderet animum. Ille tamen accinctus est contra Themistoclem.) Erat Aristidi simultas cum Themistocle. Huic quum delectus esset collega ad peragendam legationem: Vis, inquit, Themistocles, ut in his montibus simultatem deponamus? Nam si uidebitur, reuersi illam resumemus. Quod de Palamede memoratur.) A Vergilio lib. Aen. 2. & Plinio libro naturalis historiæ septimo.

Socratem ad populum Atheniensem.) Xenophon in apologia pro Socrate.

Aut Themistocle.) Themistocles primum Athenis, mox tota Gręcia depulsus ad Persarum regem confugit. Aut Miltiadem.) Is ubi Persas uicit ad Marathonem, in carcere damnatus interijt. Lege Platonis Axiochum. Quod Homerus in fabula de Sirenibus.) Homerus Odyss. μ. Cicero libro de finibus bon. & mal. quinto. O decus Argolicũ quin puppim flectis Vlysses, Aurib⁹ ut nostros possis agnoscere cantus, & cæt. Iuuenalis saty. 9. Ouidius 3. artis: Monstra maris Sirenes erant quæ uoce canora, Quaslibet admissas detinuere rates: His sua Sisyphides auditis pene resoluit Corpora nam socijs illita cæra fuit. Quantò fuerit enim ad persuadendum paratior.) Rodolphus Agricola libro de inuentione dialectica secundo, capite 17. Contra, q; argumentosius, & solicitè dicenti minus habetur interim fidei. Putamus enim non fuisse de fide nostra dubitaturum, nisi fidem sibi ipse non haberet: & quia sciret non dicere se uera in eam persuasionem uenire, ut ne uerisimilia quidem nobis putaret uisum iri. Vnde ductum etiam in prouerbium est: Neminem satis credibiliter alijs mentiturum, nisi qui fuerit antea sibi mentitus. Quòd si deus aliquis uitas hominum retegeret.) Ac ut inquit ille, diceret:

Aspice nanque omnem quæ nunc obducta tuenti
Mortaleis hebetat uisus tibi & humida circum
Caligat, nubem eripiam.

ALARDVS AEMSTELREDAMVS Sibrando Occoni S. D.

SOlicitat (ita uiuam) me nostri Haionis aduersa ualetudo, qua etiamnũ misere tentatur, nec omnino citra periculũ, ita ut ab angina hac non temere reualiturus esse uideatur. Quæ quidem res admonere te debet, ꝙ sint hæc omnia fluxa & caduca. Qui in paucis annis, ꝙ tu peteres Bononiã, duxit in uxorem chariss. sororem tuam Annam, fœminam præterꝙ diuitem, formosam atque pudicam, etiam optimam, idq; in ipso uernãtis ætatis flore, locuples, uenustus, Cęs. Cons. ad miraculũ usq; ingeniosus. Verumenimuero haud quenquam hæc iuuant. Itaq; mi Occo, primas sibi solicitudinis partes quæ prima sunt obtineant, summam curã salus summa uindicet. Axiocho nuper per nos ad autographon castigato, scholijsq; nostris illustrato diligenter insita, qui te morte appropinquante refugientem, atq; metu exalbescentem soletur, confirmet uacillantem, animumq; identidem tuum ad transitum adducat, quem inde abducere & caro, & mundus, & dæmon postulant. Nihil uidelicet est magnum re, quod exiguum tempore. Atq; hæc uita, præterquam quod breuis est, etiam ærũnosa est, curis anxia, laboribus inquieta, periculis (ut uides) incerta. Nihil ita quotidie ob oculos ut mortem, uidemus: at qui fit, ut nihil perinde ac mortẽ obliuiscamur, uel potius negligamus? Cito abeunt dies nostri, utinam bene abeant. Breui temporis spacio, ne dicam momento, transeunt oblectamenta, & reliqua manẽt sine fine tormẽta. Væ qbus ea prius experiunda sunt, ꝙ credenda. Proinde sedulò danda est opera, ut paratos inueniat extrema necessitas, quæ sæpe præuenit imparatos. Certam nobis imponat solicitudinem incerta conditio. Quotidianus sit illius periculi metus, cuius nescitur incursus. Quæ tunc finiri haudquaquam poterunt, nunc redimi possunt per uoluptatum fugam, uitæ correctionẽ, eleemosynas, lachrymas milleq; iustitiæ atq; misericordiæ opa. Quid igitur tandẽ per uarios errores festinamus ad mortem, qui tot accepimus uias ad salutem? Nullus prætereat dies, quo non uel semel cogites, & magno mentis affectu cogites, tantam philosophorum uitam commentationem mortis esse. Illud haudquaquam hic prætereũdum silentio, ꝙ mirifice tractet Socrates apud Platonem in Phædone, nihil aliud esse philosophari, ꝙ mortis meditatiõem, hoc est, exercitationem & præparationem ad mortem. Mors abducit animum à corpore, philosophia semouet animum ab amore rerũ corporalium, erigens ad ea quæ uere sunt, hoc est, intelligibilia. Ita fit, ut philosophi animus lubens emigret è corpore, cum ab imperatore uocatur, quippe iam ante assuetus abesse à rebus corporeis, & hanc separationem diu meditatus. Contrà stulti mortem horrent, quòd animus altissimo corpori sit immersus, & insolens sit à corpore seiungi. Gratissima est tua in acerbissimo casu moderatio, laudo ꝙ uirum te esse memineris, imo Christianũ, nõ immemor qd præcipiat nobis ille, in quo loquitur Christus, ne doleamus de his qui obdormierũt, quemadmodum & cæteri spem non habentes, cuius sentẽtia pluris nobis esse debet, quàm effœminatorum hominum damnata consuetudo. Quò enim inanes, ne dicam impiæ lachrymæ ac querimoniæ, cum quod factum est, infectum fieri non possit, atq; ita factum, ut gaudere magis conueniat, nisi dolore dignum censes è miserijs ad felicitatem, è laboribus ad requiem, è tenebris ad lucem, è morte ad uitam, è terra ad cœlum transferri. Non tantum cogitãdum quem amiseris, sed multò magis, quem paulò mox sis recepturus, quanquam non amissus, sed cõspectui modo nostro subductus est: quò præcessit ille, nos propediem sequemur. Non uitam morte, sed qua fuit pietate potius mortem uita commutauit: siquidem Christiano homini hæc uita mors est, mors uita. Sed frustra ego hæc ad te, cui domi ista nascuntur. Vale Traiecti. e D. Nicolao Cannio, præcipuo bonarum literarum ornamento, cognato tuo unice charo, plurimam ex me dicito salutem.

Rodol-

RODOLPHVS AGRICOLA
Rodolpho Langio salutem.

Libellum Platonis, qui Axiochus inscribitur, latinum feci. Tuq; potissimũ cui dicarem eum occurrebas, q facillime sperabam beneuolentiæ me tuæ posse imponere, ut cum acciperes eum, amici sibi potius sinũ q̃ iudicis superciliũ offerres. Tibi ergo atq; adeò uni tibi, dicaui eum. Vnde nanq; tantum fiduciæ mihi, ut audeam immensum illud diuinumq; Platonis dicendi flumẽ populo meis uerbis cognoscendum proponere? Quòd si tu fortè laborem meum probabis, erit quod gaudeam magis pro amore tuo, quem ego in causa putabo, quàm ut ingenio meo blandiar. Sin displicebit, hæc tibi opera mea perierit. Idq; uel æquiore animo feres, quòd ego quanquam felicissimi mihi laboris conscius essem, in tuis tamen auribus, tuóque iudicio acquieturus eram, quem solum studiorum meorum magnum theatrum puto. Vale.

PLATONIS AXIOCHVS
LIBELLVS PVLCHERRIMVS
de non metuenda morte, Rodolpho Agricola interprete.



Xeunti ad Cynosarges mihi, cum ad Ilissum uenissem, uox cuiusdam allata est clamantis, Socrates Socrates. Vtq; conuersus circumspectabam unde ea redderetur, Axiochi filium uideo Cliniam, ad Calliroën currentem, cum Damone musico, Charmidaq; Glauconis filio. Horum alter quidem musicã docebat, alter ex familiaritate amabat, simulatq; amabatur. Visum est ergo mihi rectà deflectenti occurrere ipsis, ut quàmprimum conueniremus. Pertusus Perfusus autẽ lachrymis Clinias, nunc tempus est inquit, Socrates, ut uulgatam semper de te sapientiam ostendas. Pater enim ex aliquo iam tempore, uiribus de improuiso destitutus est, & prope est exitum uitæ, molesteq; fert adesse sibi finem, tametsi antehac contemneret mortis timore trepidantes, comiterq; derideret. Perge ergo, proq; tua consuetudine ipsum confirma, ut alacriter eò quò ducit necessitas, sequatur, utq; ille mihi ad reliqua hoc ipso etiã pie colatur. SOCRA. Nullam ex me Clinia moderatam rem non impetraueris, quantò nunc magis ad ea me uocans pietatis officia? Acceleremus autem. Si enim ita res habet, festinato opus est. CLINIAS. Vbi te modo uiderit Socrates, rectius habebit. Crebro enim

iam cuę

id euenit sibi, ut exanimatus rursus reficeretur. SOCRA. Quo citius autẽ peruenirẽmus, ea quæ circa murũ cognominata est + ab Itono iuimus. In proximo nanq; habitabat portæ, quæ est apud Amazoniã columnã. Inuenimus ipsum ergo resumptis rursum sensibus, & corpore robustum, defectum uero mente, prorsusq; indigentem consolationis, reuoluentem crebro se, suspiriaq; cum lachrymis atq; manuum crepitu cientem. Aspiciens autem ipsum, quid hoc inquam rei Axioche? Vbi nobis illa pridem magnifica uerba, continentesq; laudes uirtutum, & maius quàm ut dici posset, in te animi robur? Sicut enim timidus athleta, cum in gymnasio insignem te præbueris, ad certamen ipsum defecisti. An non meditate cõsiderabis naturam uir tantus, & rationi obsequens, utq; nihil aliud, Atheniensis? quod (commune uidelicet hoc & apud omnes iactatũ) peregrinatio quædam est uita, quodq; decet peragentes ipsam alacriter, & + tantũ non Pæana canentes, ad postremam accedere necessitatem, tam molliter uero habere se, tamq; ægre, pueri more diuelli, nequaquam prudentiæ præ se fert altioris ætatem. AXIO. Recte quidem Socrates ista mihi dicere uideris, uerum nescio quo pacto ubi propius accessit periculũ, fortia illa grandiaq; uerba occulte subter euolant atq; negliguntur, & oboritur metus quidam, mentem multipliciter cõturbans. Si hac luce, hisq; priuabor bonis, & mentis sensuumq; expers iacebo, ubicunq; demum putrescens, & in puluerem uermesq; cõuersus. SOCRA. Imperspecte coniũgis Axioche propter imperitiam, cum sensuum orbitate, sensum, tibiq; ipsi contraria & facis & dicis. Neq; cogitas quod simul quidem defles id quod sensibus carebis, simul ob putrefactionẽ doles, amißionemq; uitæ oblectamentorum, ueluti morte sis in aliam uitam transiturus, neq; in omnimodam abiturus sensuum abolitionem, eandem in qua priusquã nascereris fuisti. Vt enim cũ Dracon Clisthenesq; gubernabant rempublicam, nihil tibi male fuit (necdum enim cœperas esse ut male tibi quicquam accidere posset) itaque neq; post mortem erit. Nullus enim ut male tibi esse quicquam poßit, es futurus. Quin tu igitur hanc omnem discutis ineptiã, illud cogitans, quod soluta semel hac compage, animoq; rursus in proprium restituto locum, relictũ istud corpus terrenum, atq; rationis expers, + nequaquam est homo. Nos etenim anima sumus, animal immortale, mortali inclusum monumento. Istud autem tabernaculũ non sine malo nobis circundedit natura, cuius læta quidem abstrusa, & uolucria, pluribusq; doloribus admista, acerba uero improuisa, diuturna, prorsusq; uacua gaudiorum. Valetudines nempe sunt sentientium membrorum hulcera, & morbi interni. Quibus necessario (quoniã per corporis meatus sparsa est) condolens anima, cœlestem & cognatũ desiderat æthera, sititq; cupide supernæ illius consuetudinem

+ transitorius.
+ solum
+ amplius

dinem, gaudiaq; uitæ. Discessus itaq; è uita, mali cuiusdam est in bonum commutatio. AXIO. Quum malam ergo Socrates uitam putes, quid ita uiuere perseuerasꝰ cum rerum sis indagator, & nobis, id est multitudini, intelligentia præstes. SOCRA. Nequaquam uerū de me Axioche testimoniū dicis. Arbitraris enim, quemadmodum uulgus Atheniensium, quandoquidem res inquiro, alicuius quoque me scientiam habere. Abest autem tantum ut reconditiora sciam, ut uoto optauerim etiam uulgata me ista nouisse. Sunt autem ista quæ dico, Prodici sapientis tradita. Illa quidem duobus obolis, illa duabus, illa quatuor drachmis redempta. (Gratis enim uir iste neminem docet) estq; mos sibiq; semper Epicharmi illud in ore habere, Manus manum fricat, da aliquid, & aliquid cape. Nuper ergo cū apud Calliam Hipponici filium declamaret, tantis disseruit contra uitam, ut ego ad ea quæ nullius sunt momenti, asscripserim ipsam. Ex eoq; iam in mortem mihi animus propendet. AXIO. Quæ dixit igiturꝰ SOCRA. Dicam sanè tibi ea, quorum mihi ueniet in mentem. Quæ pars enim ætatis, inquit, calamitatibus uacatꝰ Nonne statim à principio plorat ut primum natus est infansꝰ Vitamq; à lachrymis auspicatur. Quæ tandem non premit ipsum molestiaꝰ Semper enim uel penuria, uel frigore, uel calore, uel uerberibus urgetur. Antea quoq; quàm loqui posit, quanta patiturꝰ flens scilicet, hancq; solam habens molestiæ suæ querelam. Vbi septimum deinde expleuerit annum, multosq; labores exhauserit, iam custodes, gymnastæ, magistri ludi, iam adolescenti, Critici, Geometræ, rei militaris præceptores, ingens plane dominorum multitudo. Post ista ubi in ephebos inscriptus est, peior iam metus, Lycæum, academia, gymnasiarcha, uirgæ, nullaq; prorsus malorum mēsura. Omnis adeo adolescētis sub moderatoribus est labor, qui ex Ariopagi delecti consilio, præsunt iuuentuti. Deinde cum fuerit istis exolutus, iam curæ palàm emergunt, reputatioq; quod potissimum uiuendi instituant iter, præq; sequentibus incommodis priora illa puerilia uidentur, & infantium reuera territamenta, expeditiones enim & uulnera, perpetuiq; certaminum labores. Hinc iā fallens subrepit senectus, in qua confluit quidquid est infirmum fragileq; naturæ. Quòd nisi ocyus quis uitam, uelut æs alienum reddiderit, astans supra caput natura, tanquā fœnerator reposcit usurā. Ab alio quidē uisum, auditū ab alio, persæpe utrunq;. At si quis diutius cunctetur, debilitat ipsum, excruciat, membrisq; destituit. Alij itaque multa senectute repuerascunt, animoq; bis pueri fiunt senes. Dij ergo propter hocipsum (ut quibus notissimæ sint res humanæ) quos plurimi faciunt, eos citius auferunt è uita. Agamedes itaq; & Trophonius cum Pythij Apollinis ædificassent templum, orantes dari sibi quod optimum esset, cum obdormissent, nunquā

deinde surrexerunt. Sic etiam Iunonis Argiuæ sacerdotes, precante matre ipsorũ ut gratiam ipsis aliquam Iuno pietatis illorum referret: quum enim cunctarẽtur iumenta, succedentes ipsi uehiculo matrem ad templum usq; pertraxerunt, post preces ergo nocte decesserunt. Longum foret autem poëtarum dicta recensere, qui diuinioribus poëmatis ea quæ ad uitam attinent nostram, uelut ex oraculo decantant, quemadmodum deplorent ipsam. Vniusq; solum memoratu dignißimi sat habeo meminisse, qui inquit:

Quàm superi miserum stamen mortalibus æui
Neuere, ut uiui deflenda per omnia durent.

Iterumq́;

E cunctis hominum generi sors pessima uitæ
Stat, quæcunq; supra terram spirantq́; meantq́;

De Amphiarao quoq; quid dicit?

Iuppiter hunc totis animis, hunc magnus Apollo
Diligit, & iusti metas non attigit æui.

De illo quoq; qui ita iubet, Nascens fleat qui tanta uitæ intrat mala, quid tibi uidetur? Sed cesso, ne commemorando alios, rem contra quàm institui, longius ducam. Quod autem uitæ quisquam institutũ, quam artem deliget, ut nõ queratur de ipsa, atq; præsentibus offendatur? Opifices mercenariasq; recenseamus artes, ex nocte in nocte usq; laborantes, & uix tolerantes uitæ necessarios sumptus, complorantes seipsos, omnemq́; uigiliam suam mœrore lachrymisq; complentes. At nautam dicamus, per tanta penetrantem pericula, quiq; (uelut Bias ait) neq; inter mortuos est, neq; inter uiuos. Terrestris enim homo uelut ambigenus, ipse in mare sese proiecit, totusq; arbitrij factus est fortunæ. Verum dulcis est agricultura. Est sanè, nonne tota tamen est (quod aiunt) hulcus, semper paratam doloris habẽs causam, nunc quidem siccitatem, nunc pluuias, nunc uredinẽ, nunc rubiginem, nũc uel æstum intempestiuum, uel frigus conquerẽs? Ipsa quoq; honorata in primis rei publicæ cura (multa enim prætereo) p quantas rapitur anxietates? Quæ gaudia quidẽ habet, furunculi in modum, trepida semper atque stimulis repleta, repulsas uero acerbas, & millies morte peiores. Quis enim beatus esse poßit uulgi uiuens arbitrio? etsi faueatur sibi plaudaturq;, populi scilicet ludicrum iactatus, insectatus sibilis, damnatus, mortuus, & misericordia prosequutus. Vbi nanq; Axioche tu, q in republica uersaris? ubi Milciades obijt, ubi Themistocles, ubi Ephialtes? Vbi itẽ qui nuper in republica duces fuerunt? quando ego quidẽ in eã nõ sum adductus sententiam (neq; enim honestũ mihi uidebatur) ut insanienti populo, domina

nois particeps fiere. Theramenes aut & Callixenus deinde cõstitutos præficiẽtes magistratus, ut indẽnati necarẽtur hoïes, effecerunt, tuq; solus resistebas ipsis cũ Ereptolemo è triginta milibus in cõcionẽ coactis. AXIO. Sunt ista Socrates ut dicis, itaq; ex eo suggesti me facietas cepit, neq; mihi quicq̃ acerbius uisum est re publica. Perspicuũ id quidẽ illis, qui in ipso sunt negotio uersati. Tu nanq; dicis hæc uelut qui de sublimi spectaueris, nos uero qui fecimus periculũ, quãto exactius scimus? Populus enim charissime Socrates, ingratus est, instabilis, crudelis, inuidus, immodestus, ut qui sit ex colluuie turbæ, & stultis insolentibus collectus. Huic aũt qui assentatur, multo ipse miserior est. SOCRA. Quãdo igitur Axioche eã quæ liberalis maxime omniũ est artium, omniũ maxime abominandam putas, quid reliqua uitæ instituta, an non putabimus prorsus esse fugienda? Audiui etiã Prodicum quandoq; dicentem, quod nihil quicquam neq; ad uiuentes mors, neq; ad defunctos pertineret. AXIO. Quomodo dicis ista Socrates? SOCRA. Quoniam neque circa uiuentes est, hi uero qui obierunt, non sunt amplius. Itaq; neque apud te est, nondum enim obijsti, neque si quid tibi accidat, est circa te futura, non enim eris. Stultus est igitur dolor de Axiocho, qualis neque est, neque futurus sit. Axiochum mente torqueri, sitq; simile ueluti si Scyllam quis aut Centaurum reformidet, quæ neque iam imminent tibi, neque sint unquam ad exitum tuum affutura. Existentium enim rerum est metus, quæ non sunt autem, nemo est qui pertimescat. AXIO. Tu quidẽ docta ista uerba, ex ea quæ nũc pullulat garrulitate protulisti. Illinc enim hæc est quæstius captatio oblectandæ iuuentuti adornata. Me uero amißio bonorum, quæ sunt in uita, tristem reddit. Tametsi Socrates probabiliorem etiã hac quam modo dixisti, † crepueris orationem. Non enim errabunda iam mens ducitur apte cohærentibus uerbis, neq; contingunt mentem ista, sed in ostentationem, splendoremq; orationis parata multum absunt à ueritate. At animi ægritudo nequaquam captiosis sistitur uerbis, sed illis acquiescit solum quæ ualeant ad mentem usque penetrare. SOCRA. Coniungis imprudenter Axioche, & bonorum priuationi, malorum substituis sensum, quòd tunc mortuus sis, oblitus. Eum nanque qui bona amittit, contraria lædunt, patitur mala, at is qui non est, nihil in eius quo priuatur locum recipit, quomodo ergo esse ullus posset in eo dolor? quod nullam lædentium notitiam exhibebit. Quod si non ab initio Axioche per imprudentiam unum aliquem sensum cum morte componeres, nequaquam metueres ipsam. Nunc ipse te subuertis, timens amissum ire animam, aliamq; animam ipsius amißioni circũdas. Et turbaris quod sis sine sensu futurus, hocq; ipsum non sentire, alio sensu comprehensurum te putas. Ad hæc multæ sunt

† istrepueris.

perpul-

perpulchræq; de animæ immortalitate rationes. Neq; enim mortalis natura in tam uarias res attollere se posset, ut contemneret ingentium ferarũ uires, maria transmitteret, conderet urbes, respublicas constitueret, respiceret etiam in cœlum, & astrorum uideret reuolutiones, cursusq; solis & lunæ, ortus item & occasus, defectus celeritatẽ, distantias, æquinoctiaq;, & duplices cõuersiones Pleiadum, etiã hyemis atq; æstatis uentos, imbrium casus, & horrendos turbinum raptus, ut cõprehensos quoq; mundi labores seculis traderet, nisi diuinus quidam mentibus nostris spiritus inesset, quo complexum notitiamq; tantarum attingeret rerũ. Transis itaq; non in mortem Axioche, sed ad immortalitatem, neq; in amißionem bonorum, sed synceriorem ipsorum perceptionem, neq; ad uoluptates mortali confusas corpori, sed ab omnibus prorsus molestijs purgatas. Illuc enim ex hoc solutus carcere proficisceris, ubi requieta, lætaq; omnia, & nulla fatiscentia senecta, tranquillamq; illic perages uitam, ab omnibus liberam incommodis, & imperturbatæ placidam quiete, rerum contemplans naturam, atq; philosophiæ, non ad turbam, neq; in speciem, sed ad puram germanamq; deditus ueritatem. AXIO. In contrarium me Socrates hac oratione abstulisti. Non enim metus iam me, sed desiderium tenet mortis. Vtq; rhetores imitatus grandius aliquid dicam, iamdudum superna mente concipio, & immensum illum diuinumq; recenseo cursum, collegiq; ex infirmitate me, sumq; iterũ uelut nouus effectus. SOCR. Si uis aũt aliã quoq; rationem, cape quam retulit mihi Gobrias magus. Is dicebat secundum Xerxis in Græciam transitum, auum suum sibi cognominem missum esse in Delum, quo eam tueretur insulam, in qua bina sunt numina prognata. Ibi illum ex æneis quibusdam tabulis, quas attulissent ab Hyperboreis Opis & Hecaërgus, didicisse animam posteaquàm à corpore sit exoluta, in ignotum quendam locum subterraneo discedere recessu, in quo Plutonis sit regia nihilo minor quàm aula Iouis. Terra enim mũdi medium tenente ambitum ipsius esse globosum, cuius alterum quidem semiorbem, dij superi acceperunt, inferi alterum, atq; hi quidem fratres ipsorum, hi uero filij fratrum. Vestibula autem, qua aditus ad Plutonis est regnum, ferreis esse claustris atque clauibus obfirmata, quæ aperientem fluuius excipit Acheron, post quem Cocytus est. Eos ubi quis traiecerit, ad Minoa & Rhadamantũ est accedere necesse. Vocãt hunc campũ ueritatis, in quo iudices sedẽt eorũ qui aduenerint, ut uitã uniuscuiusq; recognoscẽtes, & qua quisq; ratione corpus inhabitans ætatẽ peregerit. Mentiendiq; ibi nulla facultas. Quibuscunq; autem in uita melior aspirauerit dæmon, ij sedes incolunt piorum, ubi crebri horti scatent omnigena fructuum ubertate, fontes puris labuntur aquis, uarijsq; prata omnimoda floribus uernant, con-

uentusq; ibi sunt philosophorum, theatra poëtarũ, exultantiũ coronæ, musiciq; cõcentus. Ad hæc instructa diligenter conuiuia, & ipsa sese suppeditans affluentia uictus. Non enim frigus illis, non æstus est grauis, sed temperatus aër funditur, mitibus solis radijs illustratus. Hic etiam est initiatis dignatio quædam, & religiosa ibidem quoq; peragunt sacra. Quomodo ergo hic tibi honor non inprimis habebitur collegæ deorum? Herculem nanq;, Liberumq; patrem descendentes ad inferos, priscus est sermo hic initiatos fuisse, & fiduciam quo illuc irent, ab Eleusina accepisse. At illi, quibus per scelera uita fuerit peracta, per Tartarum à Furijs ad Erebum Chaosq; rapiuntur, ubi impiorum est locus, inexplebilesq; Danai filiarum urnæ, ubi Tantali sitis, præcordia Titij, Sisyphi inexplicitum saxum, cuius finis ab alio incipit rursus labore. Ibi circumlambentibus ipsos feris, indesinenter lampadibus adusti, & omni pœnarum afflicti cruciatu tormentis laniantur immẽsis. Ista quidem ex Gobria ego audiui, tuum uero de ipsis erit Axioche iudicium. Illud nanq; ratione adductus solum constanter scio, quod omnis immortalis est anima, quæcunq; ex hoc loco transfertur, & prorsus expers doloris. Siue sursum ergo Axioche, siue deorsum, beatus sis oportet, qui probe pieq; uixisti. AXIO. Pudet me Socrates dicere tibi quiddam. Tantum abest ut timeam mortem, ut nunc ipsius etiam tenear amore, usq; adeo & hæc mihi & illa de cœlo persuasit oratio. Contemno etiam uitam, ut qui in melius sim domicilium transiturus. Nunc paulatim ea quæ dicta sunt, ipse mecum recensebo. Tu uero meridie fac adsis mihi Socrates. SOCRA. Faciã ut dicis. Ego quoq; ad Cynosarges, unde huc uocatus sum, redeo ad deambulationem.

IN PLATONIS AXIOCHVM Scholia.

Libellum Platonis.) Dialogum hunc multo pulcherrimum, permulti Græcorũ νόθον suppositititiumq; esse censent, nõ Platoni, sed Xenocrati Platonico asscribẽdum, cuius titulo uertit & Marsilius Ficinus. Diogenes autem Laertius in uita Xenocratis testatur Platonem de morte quoq; scripsisse. Idem porro Laertius in uita Platonis. Ex his autem (inquit) dialogis qui Platoni inscribuntur, hi sine ulla cõtrouersia adulterini sunt. Mydon, siue Hypostrophus, & Axiochus. Paululum hac in parte secum etiam dissentit D. Eras. Rote. Siquidem in scholijs epistolæ D. Hieronymi in epitaphiũ Nepociani: Extat & Axiochus, inquit, si modo is Platonis est, in quo Socrates Axiochum ægrotantem consolatur. Idem rursus in adagio: Manus manũ fricat, Platoni tribuit. Socrates inquiẽs, in Axiocho Platonis ait. Similiter huic scribit & in adagio: Quid cani & balneo. Et, Fricantem refrica. Amici sibi potius sinum.) Vt hic: itidem & aliàs persæpe durius utitur pronomine. Tibi ergo atque adeo uni tibi.) ἐπανόρθωσις, id est, correctio. Diuinumq; Platonis dicendi flumen.) Cicero: Tum si Iupiter, inquit, lingua humana uti uoluisset non aliter quàm Plato ipse loqueretur. Idq; uel æquiore animo feret.) Vt quædam probe immutata probo, ita omnia probare haud quaquam possum. Non enim iam de reciprocis sui & sibi

autori peculiaribus loquor, sed de aliis, qualia sunt, uel æquiore animo feres; & principio statim dialogi pertusas lachrymas, aliaq; id genus, quæ calami fluxu, uel in autographo accidisse uerisimile est. Atq; huius te rei lector admonere satius esse duximus, quàm receptam lectionem probabiliorem temere conuellere. Quanquam ista uarietatis quantula tandem est portio? Quod mihi uel inuito uerbosius annotandum hic fuit, ne quis protinus nouitate lectionis offensus, temere ac sine causa omnia non tam mutata quàm deprauata contaminataq; esse uociferetur. Acquieturus erat.) De hac uoce uide Adrianum Cardinalem. Magnum theatrum.) Commodissime theatrum uertas spectatorium, θεᾶσθαι enim spectare significat. Theatra autem domus erant publicæ spectatoriæ multorum milium capaces, unde uel ludi uel sacrificia spectarentur. Cicero lib. epistolarum 15. Theatrum quidem sane bellum habuisti. Epicurus: Satis magnum alter alteri theatrum sumus. Antigonus secundus: Zenone defuncto, quem unum ex philosophis maxime suspiciebat, dicere solet, gestorum suorum theatrum esse sublatum, quod ad illius uiri iudicium potissimum componeret suas actiones, quem unum pro multis hominum millibus habebat. Huc nõ male quadrabit quod dixit ille, mihi cane & musis. Adagio sibi canere, &: Ne unus dignus.

In Axiochum.

AD Cynosarges) Vide prouerbiũ, ἐς κυνόσαργες, id est, ad Cynosarges. Suidas ἐν τῷ ἰῶ. T. Liuius de bello Macedonico & Asiatico lib. 1. Philippus signo receptui dato, castra ad Cynosarges templum Herculis gymnasiumq; (& lucus erat circumiectus) posuit. Axiochi filium uideo.) Eclypsin Græcam suppleuit. Græci enim non est filium uel filio κλεινίαν ἰδὼ τὸν ἀξίοχον, &c. καὶ χαρμίδον τὸ γλαύκωνος. Ad huius mutationẽ & Latine dicimus Deiphobe Glauci, & Hectoris Andromache pro Glauci filia & Hectoris uxore. Hoc genere (Seruio autore) circa patres & maritos dũtaxat utimur. Aristopha. ἐπεττ' ἔγημα μεγακλέους τὸν μεγακλέους ἀδελφιδῆν. Aliquãdo tamẽ uidetur & ad seruos referri ut Terẽ. Forte huius uideo Byrriã. Ad Ilissum uenisse.) Plato in Phædro

Ad Callirroen.) hoc est, ad fontem pulchre fluentem, idq; Athenis. Meminit huius Hesychius in dictione δωδεκάκρουνος dicens fontem esse Athenis uocatum δωδεκάκρουνον à cannalibus aquam fundentibus, qui à Thucydide dictus est ἐννεάκρουνος ab aliis autem καλλιρόη. Persusus autem.) In autographo erat pertusus, mihi magis probatur ut legamus persusus cum Græce sit δεδακρυμένος. Vt uulgatam semper de te sapientiam ostendas.) Vt qui uel ab Apolline iudicatus est sapiens. Socrates apud Platonẽ in Phædone mirifice tractat, nihil aliud esse philosophari, quàm mortis meditationem, hoc est exercitationem, & præparationẽ ad mortem. Mors abducit animam à corpore, philosophia semouet ab amore rerum corporalium, erigens ad ea quę uere sunt, hoc est intelligibilia. Ita fit ut philosophi animus lubens emigret è corpore, cum ab imperatore uocatur, quippe iam ante assuetus abesse à rebus corporeis, & hanc separationem diu meditatus. Contra stulti mortem horrent, quod animus altissime corpori sit immersus, & insolens sit à corpore seiungi. Vide apud Ciceronem prima quæstione Tuscula. orationem qua facit Socratem Plato usum ad iudices iam morte mulctatum. Molesteq; fert adesse sibi finem.) Luctaturq; metu, letumq; instare tremiscit. Plato: Eo postquam deuenit quisquam, ut breui iam moriturũ se opinetur, incidit in eum timor, & cura quædam eorum quæ in uita superiore neglexit. Cicero de finib. Quis est omnium, aut quotusquisq; cui mors cum appropinquat, nõ refugiat timide sanguis atq; exalbescat metu? Seneca in epistolis: Nemo tam imperitus est, ut nesciat sibi quandoq; moriendum, tamen cum prope accesserit, tergiuersatur, fremit, & plorat. Quid fles miser? quid trepidas? Omnes hac necessitate ducuntur. Eo ibis quo omnia eunt. Ad hanc legem natus es. Hoc patri tuo accidit, hoc matri: hoc maioribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Quantus te populus moriturum sequitur: quantus comitabitur. Fortior (ut opinor) esses si multi tibi com

memoren-

memorentur: Multa milia hominum hoc ipso momento quo tu mori dubitas: animũ uariis generibus emittunt. An non putabas te ad id aliquando peruenturũ, ad quod semper ibas? Tametsi antehac contemneret mortis timore trepidantes.) Plane sic legendum iudicarem, si Græce esset μορμολυπομένους τοῦ θανάτου, at in duobus exemplaribus, quæ uidi scriptum offendi τὸν θάνατον. ac scio quidem facile esse lapsum ex υ in ν sed accentuum diuersa est ratio. Et μορμολύκειον pro larua usurpatur ut in uita Aesopi, tum Rodolphus ipse epistola ad Alexandrum Hegio: Doleo suauissime Alexãder: testatur μορμολύκειον nomen ad terrorem incutiendum pertinere. Basilius Athanasio ἢ κομιδῆ γ' ἂν παῖς εἴην τὰ τοιαῦτα μορμολύκεια δεδοικώς, id est: Sane uehementer essem puer si talibus terriculamentis expauescerem. Idem alicubi, μή με νομίσῃς ὥσπερ μητέρα τινὰ τροφὸν φευδῆ σοι μορμολύκεια ἐπιδεῖν. Vt pueris cum terrentur personis, damus eas in manus & uersatas ostendimus inanes, ut discant non timere. Ita conueniet adhibita ratione res specie terrificas excutere ut cum uiderimus non esse quod apparent. Pueri laruas timent, at uere timendum ignem non timẽt. Sic & nos timemus mortem quæ est larua contemptu digna, peccatum uero non timemus quod est uere timendum, & ignis more conscientiam comedit. Ipsum confirma.). Axiochus uersatur in consolatorio genere, primum lenit mala, mox ostendit quæ mali specie discrutiant, non esse mala, sed bona. M. Tullius lib. Tuscula. quæstio 3. subindicat rationes aliquot in consolando quempiam in aduersis diligenter obseruandas. Idem facit & D. Fulgentius in quadam ad Gallam epistola. Vt alacriter.) D. Eras. in opere de conscribendis epistolis in exemplo consolatoriæ epistolæ. Quo ducit necessitas.) Notum est, omnibus ex æquo moriẽdum, nec ullis uiribus arceri fati necessitatẽ. Iuxta illud Homericum Iliad. 5 οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη ἡρακλῆος φύγε κῆρα. Nec uis Herculea fatum euitauit acerbum. Exanimatus rursus reficeretur.) Græce est συμπτώματος ἀνασφῆλαι, id est casu siue fortuito reualuisse. Quid sit autem σύμπτωμα uidere est apud Galenum lib. 2. περὶ συμπτωμάτων Resumptis rursum sensibus.) A parte totum, hoc est, omnes sensus nominauit, nam ἁφὴ solum sensus manus, hoc est palpatio. Defectũ uero mẽte) D. Eras. priore Copiæ commẽta. ca. 175. Ea quæ circa murum) ταῖς ἰτονίαις. Vide nũ sic reddi potuerit. Ea, quæ iuxta murũ cognominata est ab Itoniis, uia iuimus. Nec hoc dico ut ab autoris uerbis discedas, sed quo admoneã Marsilium uertisse. Ergo secus muros per Itonios agros ad eum perreximus. Continentes.) συνεχεῖς perpetuæ iugesq; & assiduæ. Sicut enim timidus athleta.) ὁμοίωσις est. Cicero lib. 2. tuscula. quæst. Vt enim fit in prælio ut ignauus miles ac timidus simulac uiderit hostem abiecto scuto fugiat quantũ possit ob eamq; causam pereat, nonnunq̃ etiam integro corpore, cum ei qui steterit nihil tale euenerit: Sic qui doloris speciem ferre non possunt abiiciunt se atq; ita afflicti & exanimati iacent, qui autem restiterint discedunt sæpissime uictores. Optimum est pati, quod emendare non possis, & deum quo autore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est qui imperatorem gemens sequitur. Seneca epistola postre. lib. 18. Ad certamẽ ipsum defecisti.) Vide prouerbium: Verbis tenus factis procul. Peregrinatio quædam.) Seneca lib. de consolatio. ad Martiam. Gen. 23. 1. Pet. 2. ad Hebræ. item 11. Vir tantus.) Tam grandis natu τοσὸς δὲ τῷ χρόνῳ. Vtq; nihil aliud, Atheniensis.) Qui natura ingeniosus est, & in ipso sapientiæ domicilio natus. Et solum non.) Modo non & tantum non Latinis usitata sunt, solum non equidem nondum legi. Quod Græcis est familiarius μόνον οὐχὶ, id est, tantum nõ siue propemodum. Lucianus in Nigrino: καὶ μόνον οὐκ ἀδάκρυον, id est, flebam ferè. Lege annotationes Budæi in pandectas pro tantum non. Teren. in Phor. dixit modo non. Is enim pellexit per epistolam, modo non montes auri pollicens. Pæana canentes.) Virgil. Aen. 6. Vide adag. Iò Pæan. Grandiaq; uerba occulte subter euolant.) Apposito usus est uocabulo. Græci enim uerba πτερόεντα subinde appellant. Homerus Ilia. ξ καί μιν φωνήσας ἔπεα πτερόεντα προσηύδα. Mentis sensuumq; expers.) ἀειδὴς καὶ ἄπυστος, id est, forma sensibusq; priuatus. In puluerem uermesq;

mesq́;.) εἰς ἴυλας καὶ κνώδαλα, ἴυλοι apud Græcos uermes sunt in putridis uulneribus nati, nõ raro tamen pro lumbricis oblongis rotundisq́; capiũtur, qui etiã & σκώληκες κνώδαλα uero proprie marinę beluæ uocantur, quasi dicas κινώδαλα τουτ' ἐστὶ τὰ ἐν τῇ ἁλὶ κιναμίν. Homerus aũt usurpat κνώδαλον pro terrestri animalculo. Id quod sensibus carebit.) Noue hic dictũ id quod, quamq́; alioqui elegãs. Interrogatus Diogenes nũ quid mali esset mors, quo, inquit pacto malum, quũ præsentẽ nõ sentiamus? Quod autem abest, nulli malũ est. Dum sentit homo, uiuit, nondũ igitur adest mors: quę si adsit, abest sensus. Malũ aũt non est, quod nõ sentitur. Hãc ratiocinationẽ quidã tribuũt Epicuro. Mors quidẽ mala non est, sed iter ad mortẽ miserũ est. Id si metuimus, tota hominis uita, qd aliud est, q̃ iter ad mortẽ? Homerus θάρσει, μή τί τοι θάνατος καταθύμιος ἔστω. Dracon) Angelus Pol. Inuentũ Attęi, dicuntur iura Draconis. Vera est fama nimis, nil uisi uirus habent. Clisthenes.) Is primus Athenis legẽ tulit de exilio, q̃ & primus omniũ ipse in se expertus est. Vide Isocratis Areopageticũ. Nihil tibi male fuit.) Cic. Natura uero sic se habet, ut quomodo initiũ nobis rerũ omniũ ortus noster afferat: sic exitũ mors, quæ ut nihil pertinuit ad nos ante ortũ: sic nihil post mortem pertinebat. In quo quid potest esse mali? cũ mors nec ad uiuos pertineat, nec ad mortuos, alteri nulli sunt, alteros non attingit. Nullus enim.) Id est, nõ. Animal immortale.) Adde & rationale. Est enim rationale propria hominis nota, nulli quippe animali nisi homini inest, conuenitq́; homini quatenus talis est: hoc est, homo eo maxime uidetur homo esse ꝙ sit capax rationis. Hominis etiã nõ qua sentit spectandum est summum bonũ, sed qua mentis est atq; cõsilij capax, hac enim maxime censetur. Istud aũt tabernaculũ) Hac uoce, eadẽ plane trãslatione usus est & D. Petrus: Quam diu inquit, sum in hoc tabernaculo, & uelox est depositio tabernaculi mei. Plato in Cratylo σῶμα deduci ostendit à σῆμα, id est, sepulchrũ, ꝙ animæ uigor in illo delitescens marcescat. Idẽ quoq; Macrobius tradit. Alij à πτῶμα deriuant, id est a cadauere.

Non sine malo nobis circundedit natura.) D. Augustinus lib. 2. ca. 34. de peccato. meri. & remis. Deus mortem corporis propter peccatum homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter iustitiam exercendã non ademit. Vlcera) φλεγμονάς Infra uertit furunculos ubi hac de re copiosius agemus. Cœlestem & cognatũ desiderat æthera.) Nam inde sumpta est autore Platone. Est enim animus cœlestis ex altissimo domicilio depressus, et quasi demersus in terram, locũ diuinæ naturæ æternitatiq́; contrarium. Hæc Cicero de senectute. Mali cuiusdam est in bonũ commutatio.) Cic. 1. tusc. disputatione: Quę cum ita sint: magna tamẽ eloquẽtia est utendũ atq; ita uelut superiore è loco concionandũ: ut homines mortẽ uel optare incipiant, uel certe timere desistant. Nam si supremus ille dies non extinctionẽ sed commutationẽ affert loci, quid optabilius? Sin aũt perimit ac delet omnino, quid melius quàm in medijs uitæ laboribus obdormiscere, & ita conniuente somno consopiri sempiterno? D. Ioannes Chrysostomus: Mori nihil aliud est, q̃ uestimento exui, corpus enim tanquam uestimentũ animæ circundatum est. Imo mori est carcere exire. Abest aũt tantũ ut reconditiora sciam.) Socrati in more fuisse aiunt, ut diceret se hoc unũ scire ꝙ esset inscius, atq; omnis scientiæ expers. exigua enim portio eorũ quæ discimus certa & immota est, adeoq́; si Academiæ credimus, hoc scimus solum quod nescimus. Prodici sapiẽtis) De Prodico Chio sophista Platonis p̃ceptore. Vide Platonẽ in Hippia maiore, & Quint. li. 3. ca. 1. Ex insula Chio discipulus Protagorę ob corruptam institutionẽ Athenis cicutã bibere coactus est. autor est Suidas. Epicharmi illud) Horat. lib. 2. episto. 1. Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi. Huic poëtæ inuentũ comœdiæ tribuunt. Fuit alter eodẽ nomine philosophus doctrina iuxtaq́; & eruditione insignis à q̃ Plutarchus Chæro, bonã philosophiæ partẽ mutuatus est. Theodoretus Cyrenẽsis. Horũ enim bene cõscius Epicharmus ille Pythagoreus. Laertius refert Platonem magnã ex Epicharmo utilitatẽ accepisse. Hieron Epicharmo comico poëtæ ꝙ præsente ipsius uxore dixisset quiddã inhonestũ, mulctã dixit Epicharmus

Mm Siculus

Siculus erat iuxta regionis naturā plurimi ioci. At rex tantū iudicauit esse tribuendū reuerentiæ, coniugio, ut crimē existimaret audiente uxore iocari lasciuius. Gratis enim uir iste.) Quint. lib. 12. cap. 7. Manus manū fricat.) Hunc senariū paulo diuersius citat. D. Eras. adagio: Manus manū fricat ἡ δὲ χεὶρ τὴν χεῖρα κνίζει, δός τι καὶ λάβοις τι Plato hūc ad modū habet τὰν χεῖρα νίζει, δός τι καὶ λάβε τι, id est, manus manum lauat Idē pollet utraq; metaphora, nam mutua cōmoditas est quotiēs, uel fricat, uel abluit manus manū. Idē Adagio: Fricantē refrica. Quanq̄ Aldina æditio pro φρονεῖν habet φωνεῖν, id est, in ore habere, & melius Trochaicus tetrameter cōstabit si pro λάβε τι legas λάμβανέ τι, &c. Et adag. Simul & da & accipe. Tantis disseruit cōtra uitā.) Idem quoq; fecit Hegesias apud Ciceronē in 1. tusc. Augusti. lib. 1. ciuitatis diuinæ cap. 22. Cleōbrotū ferunt lecto Platonis libro, ubi de immortalitate animæ disputauit se præcipitē dedisse de muro, atq; ita ex hac uita emigrasse ad eam q̄ credidit esse meliorem. Quæ dixit igitur.) Malim ut in aliis est exemplaribus autē, cum etiam Græce sit δὲ. Quæ nullius sunt momenti.) Vt uitam parui admodū precii esse deputarim, planeq; in postremis habuerim. Quæ pars enim ætatis ætatis inquit.) Inductio est προσομιλία Platonica, proposito, & locupletandæ orationi accōmodissima. Quid? quod ad faciendā fidē, non uulgariter adiuuant exempla præsertim cū per inductionē, q̄ Græci uocant ἐπαγωγὴν adhibentur, q̄ in genere, plurimus est Socrates Platonicus. Nonne statim à principio plorat.) Diuus Aug. lib. 21. de ciuitate Dei cap. 14. Vitamq; à lachrymis auspicatur.) Plinius in præfatione natur. hist. lib. 7. Quæ tandem non præmit ipsum molestia.) Idē argumenti recenset Hippocrates in quadā ad Damagetū epistola à nobis latinitate donata. Vbi septimum deinde.) Vide Platonē in Protagora, & Plautū in Bacchidibus. Iam custodes.) Id abest à Græco exemplari ac uicissim omissum q̄d Græce habetur τυραννοῦντες, hoc est, tyrannidē exercentes magistri ludi. Critici.) De grāmaticis intelligit, qui dicti sunt κριτικοὶ ut testis est Polit. in Lamia & Miscella. Sub moderatoribus est labor.) Græce est χρόνος, id est, tēpus. Videtur aūt Rodol. legisse πόνος, id est labor. Mihi magis prior probatur lectio. Lyceum Academia, Gymnasiarcha) Quatuor apud ueteres philosophos gymnasia multū celebria fuere, Academia Plato. Vnde D. Hierony. lib. 2. contra Iouinianū de Platone: Sed & ipse cum esset diues & thoros eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset uacare philosophiæ elegit Academiā uillam ab urbe procul non solum, desertam sed & pestilentem ut cura & assiduitate morborū, libidinis impetus frangeretur, discipuliq; sui nullā aliam sentirent uoluptatē, nisi earum rerum quas discerent: Lyceum Aristo. Pœcile Stoicorum. & Cynosarges Cynicorū. Quod potissimū uiuendi instituant iter.) Cicero in 1. officiorū libro. Perpetuiq; certaminū labores,) subintellige consurgunt, aut simile quiddam. Fallens subrepit senectus.) Iuuenalis: Obrepit nō intellecta senectus. In quam confluit quicquid est infirmum.) Vide prouerbiū. Ipsa senectus morbus est. Iamq; fœnerator.) Quēadmodum mutua pecunia æquo animo reddenda est: Sic uitæ munus q̄ mutuo accepimus à diis citra querimoniā est reponenda. Plutarchus in consol. ad Apol. &c. Vt apparatus scænæ, quia cōmodato datus est statim redditur & sine querela: Ita quicquid in uita contigit magnificū, siue serius siue mox à fortuna repetatur, æquo animo reddemus, si his tanq̄ cōmodatitiis utimur. Cicero: Pellantur ergo istæ ineptiæ pene aniles, ante tēpus mori miserū esse, quod tandem tempus: naturæ nēpe? at ea quidē dedit usurā uitæ tanq̄ pecuniæ, nulla præstituta die. Quid est igitur q̄ querare, si repetit cum uult? ea enim cōditione acceperas. Animoq; bis pueri fiunt senes.) Lege adagium δὶς παῖδες οἱ γέροντες, id est, bis pueri senes. Quos plurimi faciūt eos citius auferunt è uita.) Videmus quosdā prorsus inutiles Tithoniā ætatē uiuere, paucissimos egregio præditos ingenio ad senectæ limen peruenire. Vide Homerū ὀδυσ. ω & prouerbiū: Mors optima rapit, Deterrima relinquit. Extat & de hac re, cum primis elegans quedam. D. Eras. epist. ad Iudocū Gauirū. Agamedes itaq; & Trophonius.) Historiā refert Cicero in Tusculanis. Plutarchus in libello conso-

cōsolatorio ad Apolloniū. Idem in uita Solonis. Iunonis Argiuæ sacerdotes) Virg. 1. Georg. Tardaq; Eleusinæ matris uoluentia plaustra Historia refertur ab Herodoto lib. 1. Suida ἐν τῷ κροῖσος. Et Iuuenale saty 10. Vniusq; solum) Sentit de Homero, cuius hi sunt uersus. Quā super i miserū) Homerus ἰλιάδ. ε. ni fallor aut certe Σ. ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι ζώειν ἀχνυμένοις, id est, Erasmo interprete. Sic etenim statuere Dei mortalibus ægris, ut uiuant curis districti. E cunctis hominū generi) ἰλιάδ. ρ. οὐ μὲν γάρ τί πού ἐστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει. id est, ut reddidit Erasmus Rote.

Nil æque miserum est ut homo, quæcunq; animantum
Vitalesq; trahunt auras serpuntq; per arua.

De Amphiarao.) Vide Homerum lib. ὀδυσσ 15. Nascens fleat qui tanta uitæ intrat mala.) Plutarchus de audiendis poëtis è tragico quopiam hos senarios refert, quos Aristides in Themistocle Euripidis esse censet

τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά
τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων, ὁ, id est, Erasmo interprete:

Plorare natum ut maxima ingressum mala,
Ac mortuum, uitaq; subductum malis
Efferre lætos gratulantesq; ædibus.

Genes. quinto: Et complacuit Enoch Deo, & non est inuentus postmodum, quia Deus illum transtulit. Sapienti. octauo: Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius, placita enim erat Deo anima illius. Contra quam) Id est aliter ac. Quod autem uitæ.) Extat in hanc sententiam Epigramma Posidippi, siue quemadmodum aliis placet Cratetis Cynici, quod uertit D. Erasmus in adagio: Optimum non nasci. Per tanta penetrantem pericula.) Homerus odyss. θ & odyss. κ. οὐ γὰρ ἐγώ γέ τι φημὶ κακώτερον ἄλλο θαλάσσης πλαγκτοσύνης δ' οὐκ ἔστι κακώτερον ἄλλο βροτοῖσι. Velut ambigui generis.) ἀμφίβιος. Sunt autem Græcis amphibia, quæ communem & ambiguam in utroq; elemento terra, scilicet & aqua uitam degunt, ut Crocodilus, castor, lutræ, anates, & id genus alia. Neq; inter mortuos est.) δίων ὁ χρυσόστομος ἐρωτηθεὶς ὑπό τινος πότερον οἱ ζῶντες πλείους εἰσὶν ἢ οἱ τεθνηκότες, τοῦτο μὲν ἔφη εὐχερέστερον ἐστὶν εὑρεῖν διαπορεῖν, διὰ τοὺς πλέοντας ἐν ποταμοῖς θετέον. Id est, D. Chrys. interrogatus à quodā uiuos ne plures esse putaret an mortuos. Respōdit facile id quidē inuētu est modo à dubitatione illa liberaretur, nū nauigantes inter hos aut illos sint habendi. Iuuena. Satyra 12. Cuidam Lampen Aeginetam efferenti ac felicem prædicanti, quod prædiues uidebatur multorum nauigiorum dominus. Lacon nihil, inquit moror felicitatem de funibus pendentem. Quum omnes diuitiæ sint in manu fortunæ, tum eæ præcipue quas negociatores commisere nauibus, ruptis funibus sequitur naufragium, & hinc mercium omnium interitus. Vnde philosophus quidam interrogatus utrum putaret maiorem esse numerum uiuorum an mortuorum, uicissim rogauit utro loco haberet nauigantes, quod hi uersantes in summo uitæ discrimine uix essent habendi pro uiuis. Velut Bias ait.) Diogenes in uita eius. Dulcis est agricultura.) Cicero de senectute, & Plinius multis in locis. Quod aiunt, Hulcus.) Vide Prouerbium tangere siue mouere hulcus. Furunculi in modum.) φλεγμονώδη. Est autem φλεγμονὴ hulcus cum rubore, duricie, doloreq; pulsandi & febre, dicitur autem φλεγμονὴ ἀπὸ τοῦ φλέγειν, id est, ardere, quod locum affectum ardere faciat. Aut est tumor cum inflammatione citra febrem & horrorem. Galenus libro definitio. medicarum. Dioscorides libro primo cap. 106. Cornelius Celsus libro quinto cap. uicesimo octauo: Furunculus uero est tuberculum acutum, cum inflammatione & dolore maximeq; ubi iam pus uertitur. Vulgi uiuens arbitrio.) Cicero in ipso statim frontispicio orationis Ligarianę & D. Hieron. ad Nepotianū de uita clericorū: In oratione inquit, pro Q. Gallo, &c. Qui locus Hieronymi (ut id obiter annotemus) mi

hi uidetur, non carere mendo, opinor autem legendum, pro Q. Ligario, uerum hæc ut πάρεργα missa faciamus. Theramenes autem & Callixenus.) Græce sic est οἱ δὲ περὶ θηραμένην καὶ καλλίξενον τῇ ὑστεραίᾳ προέδρους ἐγκαθέτους ὑφέντες κατεχειροτόνησαν τῶν ἀνδρῶν, ἄκριτον θάνατον. Ad uerbum: Qui uero circa Theramenem & Callixenum postridie præsides dolosos substituêtes hi homines uiolenta manu occiderunt indicta causa, scilicet iuxta sermonis Græci proprietatem sonat, Theramenes autem, &c. Arbitror autê in Actis apostolicis ca.13. eadem figura dictū οἱ περὶ τὸν παῦλον qua Greci dicunt οἱ ἀμφὶ τὸν πλάτωνα: Platonem ipsum sentientes. Marsilius Ficinus sic reddidit. Qui autem circa Theramenem & Callixenum postridie præsides insidiatores subigentes indiscreta homines morte damnarunt. Quibus tu una cum Triptolemo tribus milibus concionantibus repugnasti. Porrò quantum attinet ad historias, Theramenes à triginta tyrãnis occisus est cumq; poculū ueneni biberet, quod superfuit, propino, inquit, hoc poculum Critiæ. Vide apud Xenophontem ubi & oratio Critiæ extat contra Theramenen. Theramenes unus triginta tyrannorum, domo in qua multi accumbebant in cœnantes illapsa, solus incolumis euasit. Hanc ob rem quū ab aliis felix prædicaretur, ille magna exclamãs uoce, O fortuna, inquit, cui me occasioni seruas. Sensit uir prudens se nõ esse seruatū, sed maiori malo reseruatū. Nam aliquanto post interfectus est. Miltiades Darium cum sexcentis millibus equitum in cãpis Marathoniis uictū turpiter fugauit. Themistocles Xerxem decies cẽtenis millibus equitū elatum quatuor millium & ducentorum numero terribilem, exigua latentem nauicula fugere coëgit. Miltiades ubi Persas uicit ad Marathonem in carcere damnatus interiit. Themistocles uero qui uicit Xerxem ad Salaminam insulam nauali prælio, in exilium eiectus à suis ciuibus, obiit. Vide Plutarchum in uitis. Ingratus est) Atheniensibus Themostoclem cõtumelia afficiẽtibus, quid tumultuamini, inquit, ad uersus eos, à quibus sæpenumero fuistis affecti cõmodis. Aiebat aũt se similẽ platanis sub quarũ umbra accurrũt homines afflicti tẽpestate, & easdẽ simul ut rediit serenitas uellunt, cõuitiisq; petunt. Sentiens hunc esse populi morem ut in belli periculis implorent opem fortium uirorum, in pace contemnant, ac uexant eosdem. Ingratus est instabilis crudelis.) Egregie illud ut omnia similitudinibus aliquot sub oculos ponit D. Gregorius Nazianzenis in apologetico. Huic autem qui assentatur.) Vide prouerbium seruire scenæ. Non sunt amplius.) Apud Ethnicos, apud Christianos autem & sunt & erunt semper. Si animæ humanæ intereunt cum corpore (quod utique impium est sentire, & à Cicerone de senectute acerrime confutatur.) post mortem, nec dolor ullus, nec sensus reliquus est: propter quem deberet mors timeri. Si uero post mortem manent superstites animæ nostræ (ut uere manent: quemadmodum Cicero multis astruit rationibus) ad meliorem transeunt uitæ sortem, ac qualitatẽ, iam seiugatæ à mole corporis quàm hic habuerant, quare ne sic quidem timenda mors est. Stultus est igitur dolor.) Connexio siue ratiocinatio est. Nihil est dolendum, quod neq; ad uiuẽtes, neq; ad defunctos pertinet, mors est huiusmodi, nõ igitur mors est dolenda. Axioche mente torqueri.) Exemplum est dialecticū à simili desumptū. Scyllam quis aut Centaurū.) Homerus odyss. 12. Quæ nunc pullulat garrulitate.) Quid tu ais optime Axioche, si tibi Socratica hæc ratiocinatio, nõ minus moralis quã erudita, uidetur esse φλυαρολογία quædã, id est nugatio, neq; em̃ Socrates mercede docebat ut Prodicus, quid ergo diceres, uel quo nõ fugeres si nũc audires, has παραδιατριβὰς & spinosulas argumentandi rationes, quibus silicernia ista in modū ranarū cõtinenter coaxant, obstrepunt, atq; uociferãtur. Illinc enim hæc est quæstus captatio.) Plato in dialogo de ente, Sophistã inqt, cõstat nihil aliud esse, ꝙ artificẽ questus gratia, cõtentiosum, cõtradictionibus ambigentẽ, impugnãdo certantẽ, lucri præ ceteris studiosum. Isocrates in oratiõe aduersus Sophistas Cic. 4. li. acad. quest. Sophistę appellantur hii q ostẽtatiõis aut questus causa philosophãtur. Me uero amissio bonorū) Eccli. ca. 41. O mors ꝙ amara est memoria tua homini pacẽ habẽti in diuitiis. Absunt multum

tum à ueritate) Vide prouerbium: Veritatis simplex oratio. Sed illis acquiescit) De hac uoce. Vide Adrianũ Cardi. Eũ nanq; q bona amittit.) Syllogismus est pariter ἀντεῖπτον. Quod si non ab iintio.) βίαιον est. Ad hæc multæ sunt perpulchræq; de ani mæ immortalitates ratiões.) Locus est ab actibus, de q Rodol. Agri. li. 1. inuent. dia lect. cap. 12. Aequinoctiaq; & duplices conuersiones.) A bruma ad solstitium usq; ab antichthonibus ad nos ascensus solis est, à solstitio uero in brumam usque à no bis uicissim ad ἀντίχθονας descensus est, proinde duo sunt tropi qui & conuersiones, cancri, quum incipit descendere sol & capriconum ascendere. Pleiadum etiam.) Pleiades septem stellæ sunt in cauda tauri, quas uirgilias latini appellant, quod uerno oriantur tempore ut refertur à Plinio, Higino. Gellio. Seruio & Politiano in miscel. Quo complexum notitiamq; tantarum attingeret rerũ.) Rodol. Agric. lib. 2. de innent. dialect: cap. 7. Sed ad immortalitatẽ.) In priore ad Corint. ca. 15.

Illuc enim ex hoc solutus carcere proficisceris.) M. Tullius in calce primæ Tuscu la. quæst. Sed desiderium tenet mortis.) Vide D. Augustinum in quinquagena cir ca illud: Concupiuit anima mea desiderare iustifica &c. Superna mente cõcipio.) In galat. cap. 2. Collegiq; ex infirmitate me.) 2. Corinth. 12. Plinius libro 5. epi stolarum, Nuper me. Gobrias magus.) γοβρύης ἀνὴρ μάγος, id est, Gobrias uir magus.

Secundum.) Id est post. Xerxis in Græciam.) Xerxes rex Persarum maximis copijs bellum intulit Græcis, quod bellum & Græcis & Latinis scriptoribus ce leberrimum est. In Delum.) Delos insula est in Aegæo mari, dicta quasi δῆλος quod cum Latona parturiret essetque ei à Iuuone terra interdictum, subito insula illa extitit quæ fœtum excepit, hinc Apollo Delius & Diana Delia. In qua bina sunt numina.) Apollo scilicet & Diana è Latona prognata. Ab hyperboreis.) Hyperborei montes sunt in extremis Europę, quæ etiam Asiam contingunt supra Meotidem. Opis & Hecaorgus.) Deæ sunt quas Græci κινιτυλλίδας & κιναίδας uo cant quæ profectę Delum cũ Latona ex hyperboreis usq;, adfuerunt deæ parturiẽti, proinde humano putantur præesse ortui. In q Plutonis sit regnum.) Apud Home rum Iliad. ο τρεῖς γάρτ' ἐκ κρόνου, &c. trifariam cuncta sunt distributa. Neptunus quidẽ sortitus est incauum habitare mare, Pluto autem tenebras caliginosas, Iupiter uero cœlum. Aequor enim incauum Neptuno obuenit & ipsas Ditis habet te nebras, at cœlum Iupiter altum. Lege Maxi. Tyrium sermone 19. Ambitũ ipsius esse globosum.) τὸν δὲ πόλον οὕτως σφαιροειδοῦς. De cœlo hoc intelligendum est: Cœlum autem globosum cum sit, significat mediam mundi totius partem cessisse superis, al teram uero inferis dijs, è quibus nimirum dijs inferis, alij sunt fratres superorũ deo rum, alij nepotes ex fratribus. Vestibula autem.) τοπογραφία est. Cocytus est.) Quæ hic narrat de Cocyto copiosius edisserit Plato sub finem dialogi qui inscribi tur Phedrus. Fit huius mentio & in libro Iob prophetæ, in quem scribens Philippus presbyter ita narrat: Cocytum inferorum flumen esse dicunt, Nos autem in scriptu ris diuinis eundem fluuium torrentem puteum, caminum, ignem æternum, lacum, sta gnum legimus & gehennam. Ad Minoa & Rhadamantum.) Vide adagium Rha damanthæum iudicium, ubi non pauca reperias quæ faciant ad hunc locum. Minos & Rhadamanthus Iouis & Europæ filij legumlatores Crætenses, quandoquidem iu stissime uixerunt, eam ob rẽ putantur inferis ius dicere Horat. Et Iouis arcanis Mi nos admissus. Virgilius: Quæsitor Minos urnam mouet. Iuuenalis satyra 13. Præto ris uicerit urnam. Horatius libro 2. carminũ ode 13. Seneca in principio Tragœdię 8.

Melior aspirauerit dæmon.) Δαίμων ἀγαθὸς. Lege prouerbium Dij bonorum largi tores. Hi sedes incolunt piorum.) Cicero in calce quæstio, primæ Tusculа. Hic est initiatis dignatio quædam.) Athenienses hortabantur Diogenẽ, ut mysterijs ini tiaretur, addentes quod initiati apud inferos principatum tenerent. Ad quæ Dioge nes: perquàm ridiculum est inquit, si Agesilaus & Epaminondas in cœno degunt, & Paretion fur ac uilissimi quiq; homines, quod initiati sunt, in beatorum insulis erũt.

Grauiter taxauit sacerdotum mores, qui quæstus gratia blandiebantur hominũ imperitorum superstitioni, persuadentes initiationem conferre felicitatem post hãc uitam, quum ea parata sit his qui pijs & egregijs factis eam promeruerint, siue sint initiati, siue non sint. Vbi crebri horti scatent.) Horatius in Epodo. Exultantiũ coronæ.) Plato in Phædro. Instructa diligenter conuiuia.) Gregorius Nazianzenus in epistola ad Basilium uocat πανδαισίαν, id est, conuiuiũ ex omni genere deliciarum apparatum. Et ipsa sese suppeditans affluentia uictus.) Absunt ab exemplari autographo & hæc uerba καὶ ἀκήρατος ἀλυπία, καὶ ἡδεῖα δίαιτα. id est, syncera lætitia suauisq; uictus siue dieta. Quomodo ergo hic tibi honor.) Duo adducit argumenta quibus subindicat magnum Axiocho habitum iri apud inferos honorem, alterum ꝙ ex gente deorum sit qui ibi dominantur, alterum ꝙ initiatus sit, cui hominũ generi magna illic est dignatio, tum etiam ꝙ sit initiatus sacris Eleusinis quæ maximi esse precij deputantur apud inferos, propter Proserpinam inferorum reginam & Cererem Plutonis socrum. Ab Eleusina.) Sacra Eleusina in honorẽ Cereris agebantur apud Eleusim, summa religione mysticisq; ceremonijs à quibus arcebantur prophani. Capitale autem erat ex his mysterijs quicquam in uulgus efferre. Eleusis ciuitas est Atticæ in qua Ceres & Proserpina colebantur, ubiq; maxima iuxta ac religiosissima erant mysteria, quæ prophanis religio erat uel aspicere. Per tartarũ à furijs.) Has fabulas omnes aut fere omneis refert Horatius in Epodo, ode 18. Idem lib. 1. carminum ode 12. Homerus in calce odyss. 11. Plato in Protagora poëtarum fabulis esse putat similia, & excogitata figmenta: qualia sunt triceps apud inferos cerberus (ut Ciceronis in primo Tusculanarum utar uerbis) Cocyti fremitus, traiectio Acherontis, mentum summam aquam attingens, siti enectus Tãtalus, & illud quòd Sisyphus uersat saxum sudans nitendo, nec proficit hilum, inexorabiles etiam iudices: Aeacus, Minos & Radamanthus. Seneca lib. de consolatione ad Martiam: Illa ꝗ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est &c. Vulgus enim nugas esse credit quæ de inferis tradunt poëtæ. Et, ut Iuuenalis inquit, Nigras in gurgite ranas. Nec pueri credunt. Demiror ego quid Ciceroni uenerit in mentem ut in oratiõe pro Cluentio infernum putet esse fabulam, demiror itidem cur & Plato quoq; lib. 3. de repub. prodita à poëtis de inferis & etiam cruciatibus pueris non esse audienda memoriæ prodiderit. Vbi est inferorum locus.) Plato in Phędro. Idem li. de repub. 10 & 12. de tormentis inferorum & gaudijs beatorum. Idem in Phædone & Gorgia. Augustinus li. de ciuitate dei 21. cap. 13. Platonicorũ opinio de purgandis post mortẽ per supplicia hominibus &c. Seneca in Hercule furente. Inexplebilesq; Danai.) Danaides puellæ ob sponsos necatos has pœnas apud inferos dare dicuntur, ut situlis perstillantibus aquam hauriãt, atq; in dolium item pertusum infundant graui nimirum sed inutili labore. Cuius fabulæ mentionem fecit Horatius in odis. Et inane Lymphæ dolium fundo pereuntis in imo. Item Tibullus: Et Danai proles Veneris quæ numina læsit. In caua lætheas dolia portat aquas. Plato in Gorgia refert hasce fabulas omnes ubi scribit & Danaides puellas apud inferos hoc pœnæ genus pẽdere ut assiduo aquam in dolium pertusum uasis non pertusis inferant. Horatius lib. 2 carm. ode 14. Vide prouerbium: Danaidum dolium. Tantali sitis.) Homerus ὀδυσ. λ. sub finem. Plato in Gorgia, Cicero 4. quæstione Tuscul. Quintilianus in fine declamatiõis 12. Petronius Arbiter apud Fulgentium. Horatius li. 2. carm. ode 18. Idem sermone 1. satyra pri. Seneca in Hercule furente. Idem in principio 8. tragœdiæ, & præcipue in Thyeste. Vide prouerbium Tantali pœnæ. Præcordia Titij.) Homerus ὀδυσ. λ. Horatius libro tertio carminum ode, 4. Seneca in 8. tragœd. Ouidius primo de ponto:

Hic inconsumptum Tytij semperq; renascens.
Non perit ut possit sæpe perire iecur.

Sisyphi inexplicitum saxum.) Cicero in 4. Tuscula. Horatius lib. 2. carm. ode 14. & 18. Idem lib. 3. car. ode 12. Idem in Epodo. Iuuenalis satyra 13. Nec rota nec fune

nec sa-

nec saxi aut uulturis atri, Pœna. Vide prouerbium saxum uoluere. Vergilius in 3. georgi. Cocyti metuet tortosq; Ixionis angues. Immanemq; rotam, & non exuperabile saxum. Omni pœnarum afflict.) Plato in Phædro. Plutarchus commentatario de sera numinis uindicta. Cyprian⁹ li. de laude martirij ad Moysen & Max. Sæuiens locus gehenna. Theodoritus de curatione Græc. pass. sermone 11. Iliados octauo in ipso statim exordio. D. Augustinus lib. 21. de ciuitate dei cap. 9. Bernardus in sermonibus de diuersis, sermone cuius hoc est initium: Notas mihi fecisti uias uitæ.

Omnis immortalis est anima.) Socrates semper aperte professus est animam esse immortalē. Cū immortalis sit anima nō esse deplorandos, qui cum fiducia bene actæ uitę hinc demigrant in uitam feliciorem multis modis apud Platonē docet Socrates.

Vt nunc ipsius etiā tenear amore.) Demosthenes cum Antipatrū fugeret, Archio blandis uerbis se ei uitam seruaturum pollicenti: Absit, inquit, ut uiuere turpiter malim, quam honestè mori, postquam Xenocratem & Platonem de animæ immortalitate disserentes audiui. Lege Ciceronem in Tuscula. de Hegesia sic deplorāte humanæ uitæ miseriam ut immortalitatis amorem incusserit. Qui in melius domiciliū sum.) Apud Ciceronem in lib. de senectute, inquit Cato: Et ex uita ista discedo tanquam ex hospitio: non tanquam è domo. Commorandi enim natura diuersoriū nobis, non habitandi dedit. Cleanthes apud Senecam epistola postre. libro 18.

Duc me parens celsiq; dominator poli.
Quocunq; placuit, nulla parendi mora est
Assum impiger, fac nolle comitabor gemens
Malus patiar quod pati licuit bono

Ducunt uolentem fata, nolētem trahunt. Hæc ille. Vt auis capta si diutius alatur in carcere etiā si dimittatur studet eo redire: Sic animus diu uersatus in hoc corpore non facile reuellitur, At puerorum animus libentius euolat. Supra modum deditus uino, fecem quoq; exorbet: Sic admodum uitæ auidus, qui ne extrema quidem senecta uult mori. Vsqueadeo & hæc mihi & illa de cœlo persuasit oratio.) Deum immortalem si ex tantula oratione, eaq; extemporali, homo ethnicus multo propensissimus sit factus in mortem, qua tandem promptitudine decet esse nos Christianos, ex tot tantis Christi adhortationibus, ut uigilemus, quandoquidem nescimus, quādo dominus ueniet, an media nocte, an gallicantu, an mane ne cum uenerit de repente, inueniat nos dormientes, proinde tibi in diem, imo in horam iamiam de transitu cogitandum, & si quid tale acciderit ut à deo denunciatum uideatur ut exeas è uita lætus, & gratias agens pareas, emittiq; te è custodia, & leuari uinculis arbitrere, ut in æternam & plane in tuam domum remigres, portum tibi paratum & refugium certo scito, quo utinā uelis passis peruehamur, si enim reflantibus uelis reijciamur tamen eodem paulo tardius referamur necesse est. Porro autē priusquam scholijs hisce sub id temporis cum Axiochus à nobis emendaretur, αυτοσχεδιασί cōgestis colophonem addamus, operæprecium duxi, auctarij uice obiter adijcere paucula quæ nonnihil faciant ad hunc dialogum enodatius explicandum, ut extremus actus noster sit optimus, hoc est, ut uitæ laudabiliter actæ, lubentes & alacres auream imponamus coronidem hoc est mortē piam. Plato in Apologia pro Socrate & Xenophon in apologia pro eodem. Cicero tuscula. prima. In oratione qua facit Socratem Plato usum ad iudices iam morte mulctatū. Plutarchus in libro cōsolatorio ad Apollonium. Seneca epistola 78. Quomodo fabula, sic uita non quandiu, sed quam bene acta sit refert. Nihil ad rem pertinet quo loco desinas quocunq; uelis tantum bonam clausulam impone. Seneca ad Lucilium epistola 4. & 24. & 30. & 36. & 55. 77. item 78. Idē ad Gallionem de remedijs fortuitorum, & de consolatione ad Marsiam, & lib. 50. de beneficijs, & lib. 6. naturalium quęstionum. M. Cicero: Hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus. Idem: O miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tā longa ætate non uiderit. Cicero lib. 6. famil. epistolarum. Ita em̄

uiue-

uiuere, at non sit uiuendum miserrimum est, mori autem nemo sapiens miserum dixit. Idem, Mors misera non est aditus ad mortem miser est. Aristoteles τὰ πόῤῥω σφόδρα, ὃν φοβοῦνται, ἴσασι γὰρ πάντες ὅτι ἀποθανοῦνται, ἀλλ᾽ ὅτι οὐκ ἐγγὺς οὐδὲν φροντίζουσι. Quę lõgissimo inquit tractatu à nobis absunt non metuuntur. Nam quum moriturum sese nemo ignoret, mortem tamen quam prope esse non suspicamur minime expauescimus. Idẽ ἐκ τοῦ βίου κράτιστον ὑπεξελθεῖν ἐστὶν ὡς ἐκ συμποσίου μήτε διψῶντα μήτε μεθύοντα. Id est, ex uita discedere optimum, ueluti è conuiuio non sitibundum nec temulentũ. Demosthenes in Aeschinẽ: πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου ὁ θάνατος, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις αὐτὸν καθείρξας τηρῇ. δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα φέρειν δ᾽ ὅ, τι ἂν ὁ θεὸς διδῷ, γενναίως. Id est, Cunctorum quidẽ hominum finis est mors, etiamsi in cubiculo seipsum includens conseruet. Decet uero probos uiros, semper res magnas ac præclaras aggredi, bonamq; sibi spem proponere. Quęcunq; autẽ euentũ deus dederit generose perferre. Ex Alceſtide Euripidis:

βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται
κοὐκ ἔστι θνητῶν, ὅστις ἐξεπίσταται
τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται
τὸ τῆς τύχης γὰρ ἀφανὲς οἷ προβήσεται id est,
Cunctis necesse est emori mortalibus
Nec ulla mens mortalium tam callida
Norit diem quæ crastinum se uiuere
Obscurum enim, fortuna quodcunq; euehit
Nec quid uelit, licet arte comprehendere.

Pallada: πάντες τῷ θανάτῳ τηρούμεθα κἀι τρεφόμεσθα ὡς ἀγέλη χοίρων σφαζομένων ἀλόγως.
Ex tragœdia Vari: Mors misera non est, aditus ad mortem est miser.
Cicero: Pellantur ergo istæ ineptiæ pene aniles, ante tempus mori miserũ esse, quod tandem tempus: naturæ ne? At ea quidem dedit usuram uitæ, tanquam pecuniæ nulla præstituta die, Quid est igitur quod querare si repetit quum uult? Ea enim conditione acceperas. Percontanti cuidam qua ratione sibi pararet eximiam gloriam, si mortem inquit Agesilaus contempseris. Nihil enim in bello præclare rei geret, cuius animum mortis metus occupauit. Idem affectus in omni uita mortalium à pulcherrimis facinoribus reuocare solet. Cicero pro Sestio: Mortem inquit, quam etiam uirgines Athenienses regis opinor Erychtei filiæ pro patria contempsisse dicunrur ego uir consularis timerem. Cum à lætali somno esset experrectus Diogenes medicusq; rogaret quid ageretur. Recte, inquit, nam frater fratrem amplectitur. Alludens ad Homerum qui θάνατον & ὕπνον germanos finxit, quòd somnus mortis sit imago. Iliados σ. οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη ἡρακλῆος φύγε κῆρα. Nec uis Herculea fatũ euitauit acerbum. Omnibus ex equo moriẽdũ est, nec ullis uiribus potest arceri fati necessitas. Homer. odyss. γ. ostẽdit neminẽ tam charum esse superis ut illorum fauore mortem euitarit: ἀλλ᾽ ἤτοι θάνατον. &c. Augustinus de gratia noui testamenti cap. 32. complura adducit testimonia cum è sacris tum prophanis literis quibus mors somno comparatur. Chrysostomus homel. In Gẽ. 44. Lactantius lib. 2. de origine erroris cap. 13. & 19. Idem li. 7. cap. 11. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 58. Ambrosius de bono mortis. Augustinus lib. 2. cap. 34. de peccatorum meritis & remissione. Idem in tractatu 9 in epistolam Ioannis. Erasmus Roterodamus Ench. milit. Christ. capite. 5. Socrates ait ita demum animam feliciter emigrare è corpore si prius per philosophiam mortem fuerit diligenter meditata, hoc est, multo ante per rerum corporalium contemptum & spiritualium amorem & cõtemplationem assueuerit à corpore abesse. Idem: Terret te mors corporis, multo magis formidãda mors animæ. Cicero pro Cluentio. Idem pro Sestio. lib. 6. familiar. epistolarum. Idẽ in calce 2. Philip. Quintilianus decla. 4. & 10. & 17. Ouidius: Nec mihi mors grauis est posituro morte dolores. Vergilius lib. 12. Vsqueadeo ne mori miserũ est? Horat. Lib. 2. epist. in calce. Idem lib. 1. carminum:

Albus

Albus ut obscuro deterget nubila cœlo
Sæpe notus, neq; parturit imbres
Perpetuos, sic tu sapiens finire memento
Tristitiam uitæq; labores

Iuuenalis satyra 10. Mors sola fatetur, Quantula sunt hominum corpuscula. Iuuenalis satyra 15. Sed melius nos &c. Multiplicari hæc in quantum libet possint, neque enim scholia essent, sed uoluminis opus, omnia complecti quę in hanc possent sententiam dici, mihi satis est iuueni paucis subindicasse, hoc est, ut breuissime annotari fo tuerunt, ita annotasse.

ALARDVS AEMSTELREDAMVS ARNOLDO BVRCHmanno Alectorio, adolescēti utriusq; linguæ nō uulgariter erudito. S.

PErmulta in hac uersione signa insunt suauiss. Alectori, ex qbus adducor in coniecturam, ut aliud prorsus fuisse exemplar Agricolæ, aut certe non satis emendasse, aut potius nunquam relegisse. Proin quod è doctiss. uiris, qui cum Rodolpho Agricola consuetudinem egerunt, audire memini, id lucubratiōes ipsę palā præ se ferunt. Nempe nihil aut ferè nihil suorum operum, ne è primis quidē schedulis repurgasse. Testatur idipsum Rodolph. ipse in quadam ad Alexandrum Hegium epistola de Mycillo siue Gallo Lucianico. Testatur etiam Erasmus: Verterat, inquit, Luciani dialogos aliquot, sed ut ipse erat gloriæ negligens, & pleriq; mortales rem alienam sanè q̄ indiligenter solent curare, nondum in lucem emerserunt. Sed nihil ausim mutare, quòd nostra tenuitas ad subactiss. illud & acerrimum Rodolphi iudicium haudquaquam posset aspirare. Iam uero quemadmodum qui decretum inferunt ad populum, asscribunt, Bona fortuna, ne nihil de suo uideātur addidisse: Ita & tu iam nunc me cogis in tui gratiam, alieno libro quas nescio nugas asscribere, & rem nugacem nugaciter tractare. Quid non est camelum saltare, si hoc non sit? Quasi non satis erat, iam olim in euangelicæ gallinæ notatione ineptijsse, nisi & nunc in Galli gallinacei descriptione rursus ineptiēdum esset. Age prosiliat gallus, quandoquidem ita tibi uidetur. Maioribus iam distinemur negotijs, quàm ut sit integrū quicquā in Mycillum annotare. Illud indicasse utcunque suffecturum crediderim, si legas Plinium libro decimo. cap. 21. & Erasmū adagio: Priusquam gallus iterum cecinerit. Paucula autem illa, quæ annotata in Gallum transmitto sui admonēdi gratia libro suo adscripserat Ioannes Vphouius Recklinchusanus. Quæ propterea libentius adieci (ipso ægre quidem hoc, sed tamen in tui gratiam permittente) quòd scirem eum tui amantissimnm, & non uulgariter de tuo ingenio sentire. Quod in causa fuisse puto, ut te in disputationibus brumalibus (quas de quolibet uocant isti) sibi adiungeret collegam. Bene ualebis. Bartholomęum Latomum præceptorem tuū meis uerbis plurimum salutabis, eundemq; duobus hisce tomis lucubrationum Rodolphi Agricolæ donabis. Coloniæ Calendis Maij.

IN GALLVM GALLINACEVM per Alardum Aemstelredamum.

QVis posuit in uisceribus hominis sapientiam? uel quis dedit gallo intelligentiam? Iob tricesimooctauo. Prouerbiornm tricesimo. Isaiæ uigesimosecundo.

QVamquam multa uigil nobis fert commoda gallus,
Hæc tamen è multis commodiora putem:
Siue quod obstrepere lucem uocat ore morantem,
Siue quòd instantem clamat adesse diem.

Siue quòd incautis solis denunciat ortum,
　Inq; opera ignauos excitat artifices.
Siue quòd hæc cœlum crebro sola aspicit ales,
　Venturiq; sagax excubat exitij.
Gallus gallinis præfectus pluribus unus
　Vnicus hic tanto uir satis usq; gregi est
Fœcundus quò sit fœtus, numerosaq; proles,
　Cantans dulcisona prouocat illecebra.
Riualesq; procul tectis ab herilibus arcens,
　Non à corte foras longius egreditur.
Imperitatq; suo generi, & quacunq; moratur
　Sede, sat exercet, quod tenet imperium.
Inq; suo sterquilinio nimium audet, ouatq;,
　Quisque fere proprijs regnat in ædiculis.
Abstinet inuentis ungui quas scalpurit escis
　Argutoq; salax conuocat ore pecus
Gnauiter uxores pullos, totamq; cohortem
　Asserit, ac hostes calcibus extimulat.
Quod si palma datur, uictor plaudentibus alis
　Mox canit, ast uictus clam fugit atq; silet.
Deq; propagata fœtura & prolibus auctis,
　Mire solicitus, semper & aduigilans
Sic uigil, assiduus, condus, frugiq; maritus,
　Prospicit uxori nocte dieq; suæ.
Coniugis ut castum possit seruare cubile,
　Et paruos natos arte fouere sua.
Non sua contemnens, aliena negotia curans,
　Claudus uti sutor desidet usq; domi
Semper ab hac opera, summo uenerandus honore,
　Ille uiri ueri uera erit effigies.

LVCIANI SOPHISTAE GRAECI GALLVS, ET EST

dialogus de humanorum statuum uanitate pulcherrimus,
Traduxit Rodol. Agric. *Phrisius*. *Micyllus cerdo*.



Pse te pessime Galle Iuppiter perdat, tam inuidum, acriterq; uociferãtem, qui me diuitias adeptum, & dulcissimo præhensum somno, admirandaq; felicitate quadam beatum, tam stridulum, atq; sonorum exclamans expergefecisti: ut ne uel nocctu saltem liceat mihi hãc multo q̃ tu molestiorẽ effugere paupertatem. Quanquam si coniecturam facere oportet, ex hac quiete qua adhuc tenentur omnia: quodque nondum antelucani frigoris horror me (ut solet) mordacius urget, hoc enim aduenientis diei horologium mihi certissimum est, ne noctis quidem adhuc est medium. at insomnis hic uelut aureum illud

uellus

uellus asseruās protinus iā à uespera clamauit, sed nequaq̄ credo bono tuo. sine mo do, dies eueniat, continuo sumam pœnas de te baculoq; cæsum conficiā. Nūc enim negotiū mihi exhiberes in tenebris psultans. GAL. At ego tibi mi Micylle domine gratū me arbitrabar facturum, si de nocte quoq; quātum possem occuparem. quo promptius, pleraq; operum tuorum lucubrando properares, si saltem ante solis exortum una perfecta crepida cibo tuo panem præparasses. quod si dormire tibi dulcius est quiescam equidem tibi. longeq́; magis mutum me piscibus exhibebo. at tu uideas censeo, ne somno diues esurias experrectus. Micyllus. Proh Iupiter pro digiose, tuq; aduersorum depulsor Hercules: quid hoc mali est? ergo iam humana uoce loquitur Gallus. GAL. Tandē tibi monstrū esse uidetur hoc? si eadē qua uos utor uoce. MICYL. Qui nō mōstrū? quin auertite dij q̄cquid hoc est infesti à nobis GAL. Tu mihi Micylle prorsus esse uideris indoctus, neq; Homeri relegisse poë mata, in quibus Achillis equus, relicto longe hinnitu suo in medio prælio constitit disserens & integros contexens uersus, non quemadmodū ego nunc hæc sine ullo metro, sed & uaticinabatur ille, & futura præcinebat, neq; tamen stupendū quicq̄ uidebatur facere, neq; q audiebat Herculē (ut tu modo) malorū depulsorē aduoca bat, prodigiū id quod audierat arbitratus. Tāet si quid fecisses? si uel Argus guber naculum loqueretur tecum, quēadmodum in Dodona quondā suapte uoce uaticina batur phagus, aut pelles uidisses repentes, aut boum carnes uerubus confixas mu gientes. ego uero Mercurij contubernalis doctissimi, disertissimiq; deorū omniū, præterq̄; hoc cohabitator, conuictorq́; uester, mirum tandē si potuero humanam perdiscere uocē? Quod si fidē dederis non id te enunciaturū haud cunctarer etiā ueriorem tibi recensere causam, unde hæc mihi sit cōmunis uobiscum uox, quodq́; hoc pacto loqui possum. MICYL. profecto mihi nō hoc somniū est, ita mecū collo quens Gallus, dic ergo per Mercuriū oratus charissime, quænam alia tibi uocis est causa, ut taceā autē, neue ad quenquā hæc proferam, quid opus est uereare? quis enim fidē mihi habeat narranti, si hæc dicentē Gallū audiuisse me prædicē? GAL. Audi igitur. Certum autem habeo maxime me incredibile tibi dicere Micylle. hic enim qui nunc tibi Gallus uidetur non multo ante fuit homo. MICYL. Audiui equidem olim tale quippiam de uobis scilicet, ut Gallus quidam adolescens amicus fuerit Martis, compotorq́; dei, unaq; cum eo & saltaret, & amores cum illo com municaret, ubi ergo ad Veneris cōcubitum Mars proficisceretur, assumpsisse sibi Gallum, & quoniam maxime solem habebat suspectum, ne despiciens se Vulcano deferret, pro foribus semper adolescentem relinquere solitum indicaturū quādo cunq; sol apparuisset, hinc tandē obdormisse Gallum, atq; inuitū præsidiū prodi

disse: solemque secreto astitisse, Veneri & Marti secure in quietem solutis, quod crederent Gallum si quis superuenisset indicaturũ: hoc pacto Vulcanum à sole certiorem factũ comprehendisse eos, iniectis circunstrictisq; uinculis eis, quæ contra eos pridẽ fuerat fabricatus, dimissum uero ita (ut dimissus est) Martem iratum Gallo conuertisse eum in auem hanc cum his ipsis armis ut pro galea supra caput habeat cristam, idcirco uos Marti satisfacturos, nunc quũ nihil prosit ubi senseritis orientem solem multo ante clamore eius ortum significantes. GAL. Dicunt quidem & hæc Micylle, res autem mea aliter sane prouenit: atque admodum nuper in Gallum tibi sum mutatus. MICYL. Quomodo, cupio enim maxime hoc cognoscere. Ecquid pythagoram nosti? GAL. Superbum illum sophistam dicis? qui leges tulit ut neq; gustarentur carnes, neq; fabæ comederentur suauissimum mihi saltem obsonium à mensa relegans: ad hæc hominibus toto quinquennio nihil loqui persuadens. Nosti nempe illum qui ante Pythagoram fuit Euphorbus? MICYL. Magum autem & portentorum effectorem hominẽ fuisse ò Galle. GAL. Is ipse ego tibi sum Pythagoras, itaq; desine maledicere et mihi, præsertim ignarus quomodo quisque fuerim. MICYL. Sed & hæc longe portentosiora illo, Gallus scilicet philosophus. Age dic tamen fili Mnæsarchi quæso quomodo nobis prodieris pro homine auis: pro Samio Tanagræus. Neque enim probabilia sunt hæc, neq; creditu facilia, quandoquidem iam duo mihi uideor in te obseruasse multum à Pythagora aliena. GAL. Qualia? MIC. Vnũ quòd loquax es atq; clamosus, ille totos quinq; annos tacere adhortabatur. aliud: idq; prorsus ab illius legibus abhorrens. Heri enim quum nihil esset mihi quod tibi pabuli obijcerem: ueni ut scis fabas habens quas tu nihil cunctatus collegisti: itaq; aut mentitus sis necesse est, aliũq; te esse oportet, aut si Pythagoras es, fraudem legi feceris tantumq; admiseris piaculi fabam comedens: quantum si patris caput edisses. GAL. Non nosti sanè Micylle quæ sit horum causa, neque quæ unicuique uitæ sint accomodata. tunc non edebam fabas: philosophiam enim præferebam, nunc comederem profecto: auis enim hic est & non interdictis nobis cibus. Verum si tibi placet, audi quomodo sum hic ipse ex Pythagora factus, & quàm multas ante peregi uitas, & quomodo quoq; sum transmutatione perfunctus. MIC. Dices tu quidem mihi nempe perquàmiucundum hoc erit auditu, adeo si quis mihi tulerit optionem utrum mallem te ne hæc audire narrantem, aut felicissimum illud paulo ante somnium rursus uidere: haud sciam utrum potius eligerẽ. Vsqueadeo cognata puto hæc tua cum iucundissimis illis per quietem uisis, atque ex æquo æstimo teque & somnium illud admirandum. GAL. Adhuc quoque tu somnium id quodcunque tandem

dem id uisum tibi erat tecum renoluis, & uanas quasdam eius imagines retinens: inanem &, ut poëticus sermo dicit, uolucrem quandam felicitatem memoria sectaris. MIC. Verum, neq; obliuiscar, scilicet Galle unq̃ uisionis illius, tam multũ mellis mihi reliquit abiens somnium, ut uix aperire ab illo rursus in supercilia somnum possum, qualem enim uersatæ in auribus pennæ faciunt, talem mihi puritum uisa præbuerunt. GALLVS: Vehementem Hercule quendam huius somnij narras amorem, quod si uolucre est, ut aiunt, terminumq; uolandi somnium habet: Profecto iam præscriptum transilit, & apparens etiamnum oculis immoratur tam mellceum tamque conspicue uisum. Cupio ergo quale sit id tam desiderabile audire. MICY. Paratus sum dicere, dulce enim mihi meminisse, & aliquid de eo narrare, tu uero Pytagora quando de tuis dices mutationibus? GALLVS: Posteaquam somniare Micylle desieris atq; mel illud absterseris ab oculis, nunc autem prius dicito ut sciam per Eburneas ne portas: an per corneas uolans hoc ad te uenerit somniũ MICYL. Per neutram harum Pythagora. GAL. Atqui Homerus duas has solasq; dicit. MICYL. Iube ualere ineptum illum poëtam nihil de somnijs habentẽ explorati: egena fortaßis somnia per has egrediuntur portas qualia ille uidebat, neq; id clare admodum: ut qui ipse cæcus esset, at mihi per aureas quasdam portas suauissimum hoc somnium aduenit aureum ipsum existens aureisq; omnibus circundatũ multumq; secum perferens aurum. GALLVS. Cessa optime Mida aurũ colligere, prorsus enim ex illius optione somnium tuum: totasq; auri fodinas mihi dormisse uideris. MICYL. Multum Pytagora aurum uidi. GAL. Multum? Quid dicit putas bonum ne? Qualem fulgorem choruscans Pindarus laudans de eo reduc quæso in memoriam mihi si nosti, quum aquam optimum, & deinde aurum laudat rectè faciens in principio protinus illius omnium carminum pulcherrimi. Nam illud quæris: Optimum quidem aqua, aurum uero uelut ardens ignis nocte nitet inter nobiles insigniter opes. MICYL. E castor hoc ipsum, tanquam enim meum uidisset somnium pindarus ita laudat aurum, ut autem scias quale id fuerit audi sapientißime Galle. Non cœnasse me heri domi nosti, Eucrates enim diues ille, ubi laueram in foro me conueniens, iußit in tempore ad se cnœatum uenirem. GALLVS: Plus satis noui istud, totam esuriens diem donec mihi iam de multa nocte uenires madidulus quinq; illas afferens fabas, non sanè admodum largam cœnam Gallo: qui pugil quondam fuisset atque in olimpijs non obscure certasset. MICYL. Posteaquam cœnaueram rediens obiectis tibi fabis protinus dormitũ ibam, hinc mihi, ut Homerus inquit, reuera Somnium adastat diuinum sub nocte silenti. GALL. Quæ ad Eucratem pertinent prius narra Micylle, cuiusmodi ea fuerit

cœna, utq; sese habuerint in conuiuio omnia. Nihil enim prohibet quo minus rursus cœnes, tanquam somnia quædam, iterum cœnam illam refingens, & memoria ruminans ea quæ comedisti. MICYL. Arbitrabar molestum me facturum si hæc narrarem, quando autem & tu cupis dicam. Quum non antea Pythagora in tota uita apud diuitem quempiam cœnassem, quod felix faustumq; foret Eucrati heri occurro: alloquutusq; illum ut mos mihi erat domum decedebam ne essem illi dedecori, si in sordida illum uiliq; ueste assectarer: hic ille, Micylle, inquit, filiæ hodie celebro natalem uocauiq; amicorum sanè multos: quum uero quendam eorum dicant peius habentem non posse cœnare nobiscum, tu ubi laueris pro illo fac uenias, nisi qui uocatus est ipsum se dicat uenturum: cuius nunc porro est incertus. Hoc audito, ueneratus illum abiui: precatus omnes deos febrem quampiam aut lateris dolorem, aut podagram peius affecto illi immitterent, cuius uicarius ego successorq;, & pro eo cœnaturus uocatus fueram: deinde ad balneum usq; longißimũ mihi uelut seculum quoddam uisum est: subindeq; respectabam quotam in horologio lineam umbra contingeret, & quando iam oporteret lauisse. Post ubi aduenerat tempus in celeritatem me ipse conijciens abeo cultiorem in modum compositus, & pannum meum conuertens, quo mundiorem in eo proferrem partem: deprehendo ad ostium, & alios multos, & quidem illum à gestantibus quatuor allatum, cuius me locum in cœna tenere oportebat, cum qui languere dictus est, præferebatq; plane se non sat commode ualere, suspirabat enim tußiebatq; & altum quiddam uelut ex antro, & ad quod parum tute accederes excreabat, luridus, squalens, & tumore distentus, annos circiter sexaginta natus, dicebatur autẽ philosophus quispiam esse, eorum qui cum adolescentibus nugantur: barba saltem tanquam hirci tragice admodũ erat, & cui magnopere tonsore esset opus: succensenteq; medico Archibio, quòd tali ualetudine, abiret tamẽ, officium, inquit, prodi non oportet, eum præsertim qui philosophus sit: tametsi innumeri obstent morbi, arbitrabitur enim Eucrates se à nobis esse contemptum. At ego nequaquam, inquam, uerum laudabit te, si domi potius apud te ipsum mori malueris, quàm in conuiuio animam una cum pituita screando profundens. Verum ille præ magnanimitate ne audiuisse se hoc conuicium simulabat. Post paulum Eucrates aduenit e balneo, uidensq; Thesmopolim (id enim philosopho nomen erat) magister, inquit, rectè fecisti ipse ad nos adueniens, nihilominus tamen, & absenti cuncta forent præbita: ordine enim omnia ad te missa essent, simulq; ingrediebatur, porrecta ante manu huic in seruos innitenti, ego igitur abire parabam, cõuersus ille diuq; cunctatus, ubi ualde me tristem uidit, accede, inquit, & tu Micylle, unaq; nobiscum cœnato,

filium

filium enim in gynecaeo cum matre ut uescatur iubebo, ut & tibi sit locus. Ingredior itaq; lupus frustra iam propemodum hians, erubescẽsq; quod Eucratis filium uiderer è cõuiuio expulisse. Hinc ubi accumbendi tẽpus erat: primum sustollentes collocauere Thesmopolin, non ociose Hercle quinq; robusti adolescentes ceruicalia circumfarcientes illi undiq;, quo posset in eo habitu permanere atq; perpeti. Deinde quum nemo sustineret iuxta illum acumbere, me proxime sub illo ut accumberem una mensa fecerunt, coenabamus hinc ò Pythagora opipare lauteq; in auro argentoq; multo, erant & pocula aurea & speciosi ministri, & cantores, & mimi interea: prorsusq; iucundissime illic agebatur, uerum unum erat quod non mediocriter male me haberet, Thesmopolis ipse interturbans, & nescio quam mihi narrãs uirtutem docẽsq; duas negationes unam facere affirmationẽ, quodq; si dies sit, noctẽ non esse, quandoq; autẽ & cornua dicebat me habere: huiusmodiq; multa nihil poscenti mihi è philosophia proferens colligebat interrumpebatq; gaudium non sinens audire eos qui psallerent cithara quiq; cantarent: haec nempe fuerat Galle nobis coena. GAL. Nõ suauissima quidem Micylle: eoq; maxime quod cum inepto illo sene fueris in copulam cõiectus. MICYL. Audi uero & somnium, uisum est mihi Eucratem ipsum sine liberis nescio quomodo diem suum obisse adcitoq; me, & testamento condito bonorum omnium me scripsisse heredem aditaq; à me hereditate aurum argentumq; magnis quibusdam capedinibus exhausisse indeficiens ingentiq; copia scaturiens: reliqua quoq;, uestem, mensas, pocula, ministrosq; omnia ut par erat mea fuisse. Hinc albis uectus quadrigis extollebar cũctis intuẽtibus cõspicuus atq; inuidiosus, praecedebãt multi, pedites alij, alij equites pluresq; sequebantur, ego habens illius uestem grauesq; anulos sedecim ferme inditos digitis. Iubebam splendidum mihi conuiuium, quo amicos exciperẽ, apparari, at illi (ut in somnio solent) praesto aderant, & iamdudum prolata erat coena, iamq; fremebat conuiuium, in hoc quum essem, atq; hospitaliter aureis pateris, ad bibendũ praesentium unumquenq; inuitarem, apposita iam placenta, tu intempestiue exclamans perturbasti conuiuium nobis, subuertistiq; mensas & omnem opulentiam illam uentis auferendam dedisti, nunquid immerito succensuisse tibi uideor? quum libenter uel tres continuas noctes, tale mihi somnium eueniens uidere uoluissem. GAL. Adeo ne auri diuitiarumq; es cupidus Micylle, haecq; sola prae omnibus admiraris, beatumq; esse credis multum auri possedisse? MICYL. Non ego solum Pythagora, sed & tu ipse quoq; quum Euphorbus esses aurum argentumq; crinibus intexẽs ibas cõtra Graecos pugnaturus, in bello etiã ubi ferrũ gestare satius esset, tu tamen pulchrum duxisti praelij periculum facere, cincinnos auro religatos habentem

bentem, uideturq; mihi Homerus idcirco gratijs similes dixisse crines tuos: quod auro essent argentoq; distincti, longe namq; præstantiores eos, gratioresq; uisos esse certum est: ubi essent auro implexi simulq; cum illo fulgerent: tametsi tuæ quidem res ô auricome moderatæ: si quum Panthi filius esses honorem haberes auro, ille uero deorum omnium hominumq; pater Saturni & Rheæ filius quæ quondã Argolicæ illius puellæ captus est amore: quum nihil haberet in quod amabiliorem se conuerteret, neq; quo Achrisij custodiam corrumperet: audis ut sit aurum factus & per tectum defluens, ea quam amabat potiebatur. Itaq; quid est quod tibi deinceps dicam quos usus aurum prebeat: utq; qui id habeant, pulchros, sapientes, fortes reddat gloriam honoremq; adiungens, & ex obscuris inglorijsq; nonnunquam conspicuos celebratosq; breui faciat. Vicinum sanè meum eandem quam ego facientem artem Simonem: qui nõ ita multo ante hac mecũ cœnauit, quum pisa coquens duo frusta lucanici farciminis saturnalibus iniecissem. GALL. Noui, simum illum breui statura: qui testeum catinum auferens post cœnam abijt sub ueste habens eum: qui solus nobis erat, ipse etenim uidebam Micylle. GAL. An ergo ille furatus est cum deinde tam multos deierauit deos? Sed quid ita tunc non exclamasti, neq; indicasti Galle spoliari nos cernẽs? GAL. Occulabam quod solum tunc potui. Quid autẽ Simo, uidebaris enim mihi nescio quid de eo dicturus. MICYL. Cognatus erat huic mirum in modum opulentus, nomen ei Drimylus, qui uiuens ne obulum quidem dederat Simoni, quomodo posset enim? qui ne ipse quidem pecuniam attingeret, hic ubi nuper mortuus est: lege omnia bona Simoni obuenerunt, & nunc ille sordidis obsitus pannis: ille catinum circumlinguens alacer subnixusq; incedit purpura, hyacinthinaq; amictus, seruos, uehicula, aurea pocula, eburneisq; pedibus mẽsas habens, honoratus ab omnibus, neq; deinde aspicere nos dignatus. De proximo itaq; adeuntem eum quum uidissem salue inquam Simon, hic ille iratus, dicito, inquit, mendico huic ne meum imminuat nomen, non enim Simon, sed Simonides uocor, quodq; maximum est iam & fœminæ illum amant, ille uero lasciuit, & eas ipsas contemnit, & adit alias, at illæ ab eo neglectæ alijs perniciem minantur. Vides quantorum bonorum causa sit aurum: siquidem deformes homines transformat, & amabiles reddit, quemadmodum poëticum illud ueneris cingulum. Audis & poëtas dicentes. Aurum o beata prosperitas, splendida, potẽs possessio, rursusq;. Aurũ est quod omne robur omnium tenet. Sed quid est Galle, quod interea tu riseris. GAL. Quod propter imperitiam Micylle, perinde ut uulgus, tu quoq; in diuitibus deceptus sis, qui scilicet longe miseriorem quàm nos degunt uitam: tibi autem dico hoc sæpenumero & pauper & diues factus, & omne

uita

filium enim in gynecæo cum matre ut uescatur iubebo, ut & tibi sit locus. Ingredior itaq; lupus frustra iam propemodum hians, erubescẽsq; quod Eucratis filium uiderer è cõuiuio expulisse. Hinc ubi accumbendi tẽpus erat: primum sustollentes collocauere Thesmopolin, non ociose Hercle quinq; robusti adolescentes ceruicalia circumfarcientes illi undiq;, quo posset in eo habitu permanere atq; perpeti. Deinde quum nemo sustineret iuxta illum acumbere, me proxime sub illo ut accumberem una mensa fecerunt, cœnabamus hinc ò Pythagora opipare lauteq; in auro argentoq; multo, erant & pocula aurea & speciosi ministri, & cantores, & mimi interea: prorsusq; iucundissime illic agebatur, uerum unum erat quod non mediocriter male me haberet, Thesmopolis ipse interturbans, & nescio quam mihi narrãs uirtutem docẽsq; duas negationes unam facere affirmationẽ, quodq; si dies sit, noctẽ non esse, quandoq; autẽ & cornua dicebat me habere: huiusmodiq; multa nihil poscenti mihi è philosophia proferens colligebat interrumpebatq; gaudium non sinens audire eos qui psallerent cithara quiq; cantarent: hæc nempe fuerat Galle nobis cœna. GAL. Nõ suauissima quidem Micylle: eoq; maxime quod cum inepto illo sene fueris in copulam cõiectus. MICYL. Audi uero & somnium, uisum est mihi Eucratem ipsum sine liberis nescio quomodo diem suum obisse adcitoq; me, & testamento condito bonorum omnium me scripsisse heredem aditaq; à me hereditate aurum argentumq; magnis quibusdam capedinibus exhausisse indeficiens ingentiq; copia scaturiens: reliqua quoq;, uestem, mensas, pocula, ministrosq; omnia ut par erat mea fuisse. Hinc albis uectus quadrigis extollebar cũctis intuẽtibus cõspicuus atq; inuidiosus, præcedebãt multi, pedites alij, alij equites pluresq; sequebantur, ego habens illius uestem grauesq; anulos sedecim ferme inditos digitis. Iubebam splendidum mihi conuiuium, quo amicos exciperẽ, apparari, at illi (ut in somnio solent) præsto aderant, & iamdudum prolata erat cœna, iamq; fremebat conuiuium, in hoc quum essem, atq; hospitaliter aureis pateris, ad bibendũ præsentium unumquenq; inuitarem, apposita iam placenta, tu intempestiue exclamans perturbasti conuiuium nobis, subuertistiq; mensas & omnem opulentiam illam uentis auferendam dedisti, nunquid immerito succensuisse tibi uideor? quum libenter uel tres continuas noctes, tale mihi somnium eueniens uidere uoluissem. GAL. Adeo ne auri diuitiarumq; es cupidus Micylle, hæcq; sola præ omnibus admiraris, beatumq; esse credis multum auri possedisse? MICYL. Non ego solum Pythagora, sed & tu ipse quoq; quum Euphorbus esses aurum argentumq; crinibus intexẽs ibas cõtra Græcos pugnaturus, in bello etiã ubi ferrũ gestare satius esset, tu tamen pulchrum duxisti prælij periculum facere, cincinnos auro religatos habentem

bentem, uideturq; mihi Homerus idcirco gratijs similes dixisse crines tuos: quod auro essent argentoq; distincti, longe namq; præstantiores eos, gratioresq; uisos esse certum est: ubi essent auro implexi simulq; cum illo fulgerent: tametsi tuæ quidem res ô auricome moderatæ: si quum Panthi filius esses honorem haberes auro, ille uero deorum omnium hominumq; pater Saturni & Rheæ filius quæ quondã Argolicæ illius puellæ captus est amore: quum nihil haberet in quod amabiliorem se conuerteret, neq; quo Acrisij custodiam corrumperet: audis ut sit aurum factus & per tectum defluens, ea quam amabat potiebatur. Itaq; quid est quod tibi deinceps dicam quos usus aurum prebeat: utq; qui id habeant, pulchros, sapientes, fortes reddat gloriam honoremq; adiungens, & ex obscuris inglorijsq; nonnunquam conspicuos celebratosq; breui faciat. Vicinum sanè meum eandem quam ego facientem artem Simonem: qui nõ ita multo ante hac mecũ cœnauit, quum pisa coquens duo frusta lucanici farciminis saturnalibus iniecissem. GALL. Noui, simum illum breui statura: qui testeum catinum auferens post cœnam abijt sub ueste habens eum: qui solus nobis erat, ipse etenim uidebam Micylle. GAL. An ergo ille furatus est cum deinde tam multos deierauit deos? Sed quid ita tunc non exclamasti, neq; indicasti Galle spoliari nos cernẽs? GAL. Occulabam quod solum tunc potui. Quid autẽ Simo, uidebaris enim mihi nescio quid de eo dicturus. MICYL. Cognatus erat huic mirum in modum opulentus, nomen ei Drimylus, qui uiuens ne obulum quidem dederat Simoni, quomodo posset enim? qui ne ipse quidem pecuniam attingeret, hic ubi nuper mortuus est: lege omnia bona Simoni obuenerunt, & nunc ille sordidis obsitus pannis: ille catinum circumlinguens alacer subnixusq; incedit purpura, hyacinthinaq; amictus, seruos, uehicula, aurea pocula, eburneisq; pedibus mẽsas habens, honoratus ab omnibus, neq; deinde aspicere nos dignatus. De proximo itaq; adeuntem eum quum uidissem salue inquam Simon, hic ille iratus, dicito, inquit, mendico huic ne meum imminuat nomen, non enim Simon, sed Simonides uocor, quodq; maximum est iam & fœminæ illum amant, ille uero lasciuit, & eas ipsas contemnit, & adit alias, at illæ ab eo neglectæ alijs perniciem minantur. Vides quantorum bonorum causa sit aurum: siquidem deformes homines transformat, & amabiles reddit, quemadmodum poëticum illud ueneris cingulum. Audis & poëtas dicentes. Aurum o beata prosperitas, splendida, potẽs possessio, rursusq;. Aurũ est quod omne robur omnium tenet. Sed quid est Galle, quod interea tu riseris. GAL. Quod propter imperitiam Micylle, perinde ut uulgus, tu quoq; in diuitibus deceptus sis, qui scilicet longe miseriorem quàm nos degunt uitam: tibi autem dico hoc sæpenumero & pauper & diues factus, & omne

uitæ

uitæ genus expertus, tu ipse quoq; paulo ante cognosces. MICYL. Hercule iam tempus est ut & tu dicas quomodo mutatus sis, & quid de quaq; uita habeas explorati. GALLVS. Audi, tantumq́; prænoscas uelim neminem me qui felicius quã tu uiueret uidisse. MICY. Me ò Galle? ita oro tibi eueniat, adducis enim me ut tibi maledicam. Sed dic age ab Euphorbo incipiẽs: quomodo cõuersus in Pythagorã sis, & ordine deinde ad Gallum usque, uerisimile est uaria te & uidisse & tulisse in tam uarijs uitæ formis. GAL. Postq̃ ex Apolline primũ anima mea deuolans in terrã in hominis immersa est corpus, cuiusmodi sententiæ damnationẽ pertulerit longũ esset dicere, & alioquin haud quaquam fas talia uel me dicere, uel te audire. Postq̃ factus sum Euphorbus. MICYL. Hoc prius dicito sim ne ego quandoq; mutatus quemadmodũ tu? GAL. Prorsus. MIC. Quis fui ergo? ecquid habes de hoc quod dicas: cupio enim & hoc scire. GAL. Tu formica Indica una earũ quæ illis effodiunt aurũ. MIC. Deinde infelix ego cunctatus sum uel paucula frustula deuorare sicq; in hãc uenire uitã. Verũ quid posthac ero eloquere, credibile enim & id te scire, quod si boni quid sit, surgẽs protinus me strãgulabo à clauo supra quẽ tu constitisti. GAL. Hoc quidẽ quod nulla opera queas discere. Sed postq̃ factus sum Euphorbus (ad id enim redeo) pugnaui ad Troiã, & à Menelao occisus, tẽpore postero in Pythagorã ueni, mansi aũt tam diu sine habitaculo, dũ mihi Mnesarchus fabricaretur domũ. MIC. Sine cibo amabô & sine potu? GAL. Prorsus; nec enim his nisi corpus opus habebat. MIC. Aures Troianæ, dic id mihi prius, tales fuerũt quales fuisse eas Homerus dicit. GAL. Vnde ille nosset eas Micylle, qui quũ illa tũ maxime gererẽur, camelus erat in Bactris, equidẽ tamũ tibi dicò nihil egregiũ tũc esse factũ, neq; Aiacẽ tam magnũ fuisse, neq; Helenã tam pulchrã ut pulchrior esse nõ potuerit, uidi enim albam sanè quandam, & longum habentem guttur, ut facile conijceres Cygni filiam esse, cæterum planè grandem natu & Hæcubæ ferè equalem, quippe q̃ & antea raptam Theseus in Ephidnis habuerat, qui Herculis fuerat ætate. Hercules aũt prius & Troiã ceperat memoria patrũ nostrorũ eorũ, si qui tunc erant. Narrabat hæc mihi Panthus dicens à se admodũ adolescẽte Herculem uisum. MIC. Quid aũt Achilles adeone erat ad omnia præstãtissimus? an fabula inanis & hæc quoq;? GAL. Cũ illo Micylle non sum colloquutus, neq; est quod possem de Græcis omnia tibi tam exacte dicere, quomodo enim? qui hostis essem amicũ tamẽ eius Patroclũ nõ magno negotio interfeci lancea perfodiẽs illũ. MIC. Te quoq; deinde Menelaus longe facilius. Sed hæc satis: iam Pythagoræ res dicas. GAL. In summa Micylle homo sophista eram (uerum enim ut arbitror dicendum est) alioquin nec indoctus, nec pulcherrimarũ disciplinarũ inexercitatus. Peregri-

natus sum in Aegyptũ ut sapientiæ causa cũ prophetis cõgrederer, descẽdensq; ad adyta, libros Ori, Isidisq; perdidici, rursus nauigans ad Italiã ita eius ætatis Græcos affeci ut Deum esse me canerent. MIC. Audiui hæc, utq; mortuus uisus sis reuixisse ostenderisq; aureã eis coxã quondã, illud aũt dic mihi qui uenit in mentem tibi legẽ condere, qua neq; carne neq; faba quis uesceretur. GAL. Non me hæc interroga Micylle. MIC Quamobrẽ ô Galle? Quoniã pudet me de his dicere tibi uerũ. MIC. Atqui nihil opus erat cunctatione quo minus narrares hæc homini cõtubernali, & amico, non enim sustineo dicere domino. GAL. Nihil in hoc sani, aut sapientiæ erat, sed uidebam, si consueta & eadem quæ reliqui, decernerem minime homines in admirationem me rapturum: quanto plus autem peregrini moris accerserem: tanto admirabiliorem me arbitrabar eis futurum, idcirco nouare res institui, & nõ enunciabilem fingens esse causam huius, quo conijcientes alius aliud omnes fierent attoniti, quemadmodum in obscuris fieri oraculis uides, derides me? MICYLLVS. Ex parte sanè ut tu Crotoniatas, & Metapontinos, & reliquos qui te taciturni sequebantur adorantes uestigia quæ tu calcãs reliquisses, Pythagoram autẽ exuens quem tibi post eũ circundedisti? GAL. Aspasiam è Mileto meretricẽ. MIC. Hem cũ hac oratione tibi. Ergo & mulier ad reliqua factus est Pythagoras, & fuit quondã quo tu præstantissime Galle oua pareres, & cũ Pericle cõcumberes, quum Aspasia esses carpebasq; lanas, & stamen nebas, & in meretriciũ usq; modum effœminatus es. GAL. Omnia hæc feci, nec solus ego, sed & ante me Tiresias & Elatæ filius Aeneus, quantumcunq; itaq; cõuiciorũ congesseris in me, tantũ & in illos congeres. MIC. Vtra igitur iucũdior tibi uita fuit cũ uir esses, an cũ Pericles tecũ cõgrederetur? GA. Vides cuiusmodi istud interrogaueris, cuius respõsio nec Tiresiæ profuit. MI. Verũ & si tu nõ dixeris, Euripedes satis indicauit ita dicẽs: Mallem ter astitisse scuto q̃ parere semel. GAL. Atqui admonebo te Micylle nõ tã multo post parturientẽ, fies enim & tu quondã fœmina, idq; in lõgo circuitu sæpe. MI. Quin suspẽde te Galle, qui omnes putas uel Milesios, uel Samios esse. Te dicũt igitur Pythagorã existentẽ, in ætate etiã atq; etiã conspicuũ fuisse, Aspasiã deinde factũ tyrãno, post Aspasiã deinde uir an fœmina fuisti? GA. Crates Cynicus. MI. Hui Hercule, tantã dissimilitudinẽ, ex meretrice philosophus? GA. Deinde rex, deinde pauper, paulo post satrapa, deinde equus, & graculus, & rana, & alia mille. Longũ enim esset enumerare singula. Postremũ uero sæpe Gallus: gauisus enim sum hac uita, & apud multos seruiui, reges, & pauperes, & diuites, tandẽq; tibi adsum deridẽs te urgentẽ quotidie deflentẽq; paupertatẽ tuã, & diuites admirantẽ, q̃a nescis cuiusmodi perferũt mala. Qđ si uideres q̃bus distinẽtur

curis

uris, primũ te ipse derideres q semper diuites perq̃ felices putas. MI. Nonne Pythagora, aut si qd maxime gaudes uocari, ut nõ perturbarẽ oratione si alias aliud te uocẽ. GAL. Nihil quidẽ interierit siue Euphorbũ me, siue Pythagorã, siue Aspasiam, siue Cratẽ me uoces, sum enim hæc omnia: uerũ Gallũ me uocãs, id quod nunc me uides esse, rectius feceris, ut nõ dedecores uelut uilẽ putans esse hanc auiculam præsertim tot intra se animas habentem. MICYL. Quin tu Galle quando omne fere genus uitæ expertus es, omniaq; nosti, dic dilucide seorsum diuites quomodo, & seorsum quomodo pauperes, ut sciam uera ne dicas hæc affirmans me feliciorem esse diuitibus. GAL. Ecce Micylle hoc modo de his dispice. Tibi neque belli magna est cura, nec metuis ne incurrentes hostes populentur agrũ tuum, aut hortum conculcent, aut uineas deuastent, sed ubi tubam audieris, solum id circumspicis quam in partem uersus quæras salutem periculumq; effugias, at illi, & de seipsis soliciti sunt, anguntùrq; animo è muro uidẽtes agi ferriq; quæcunq; in agris habebant, & si tributum pendendũ sit, soli uocantur, sin in expeditionem eũdum, ducentes exercitus illi aut æquitum præfecti primi subeunt pericula, tu cui crate contextum sit scutum leuis & expeditus ut te salues, paratus in uictoria congiarium accipere ubi uictor dux sacrificauerit. Rursus in pace, quũ sis unus è populo ascendens in contionẽ regnum in diuites exerces, illi te tremunt, supplicant tibi, largitionibusq; ambiũt utq; balneas habeas, & spectacula omnia illi procurãt, tuq; quæsitor eorum censorq; quẽadmodum dominus, nonnunq̃ ne ad rationẽ quidẽ reddendã admittis, & si ita placuerit, aut lapidibus mißis obruis eos aut publicas bona. Nec uero delatorẽ metuis neq; prædonem ne obicem domus tuæ transcendens aut perfodiens murũ, aurũ tibi præripiat, neq; tibi negotium ullũ est, aut debitores appellandi, aut decertandi cum execrãdis rei tuæ domesticæ procuratoribus, & te ad tam uarias curas discerpendi, sed ubi crepidam unam effecisti, accepta octo obolorũ mercede, surgis & circa dilenopsian, ubi lauisti si tibi uisum fuerit, pisciculorũ quippiã mercatus, aut capitula aliquot ceparũ exhilaras te, ipse canẽs plerumq;, & optimã hanc paupertatem sapienter instituens, propter hæc ergo sanus es, & corpore uales, & frigora inuictus perfers, exacuunt namq; labores te, & non contemnendum ostendunt colluctatorem, cum his, quæ alijs quoq; insuperabilia uidentur, nullus itaq; grauiorũ horũ morborũ tibi insidias tendit, sed si quando leuis te præbẽderit febricula, paulisper illi indulgens protinus resilis ab ea, & abstinẽtia illã repellis, illa itaq; statim territa te deserit, uidẽs te frigida immergi & medicorũ obseruationibus ualere iubentẽ. Diuites aũt intẽperantia miseri, quid mali non sustinẽt? podagras, tabes, pulmonis dolores, aquã intercutẽ, hi namq; pre

tiosarum illarũ exitus cœnarũ sunt. Quin etiam alij eorũ quẽadmodũ Icaros diu in sublime tollentes, & soli appropinquantes ignari cera sibi adnixas pennas esse ingẽti persæpe cum sonitu ruerũt præcipites in pelagus delapsi, qui uero ut Dædalus, nõ ualde alte aut eminenter se tulerunt, sed circa terrã, & ut nonnunq̃ etiã mari cerã suam aspergerẽt, his plerumq; sine periculo fuit uolatus. MICY. Modestos quosdã & prudentes dicis. GAL. Reliquorũ fœda admodũ cerneres naufragia, quũ Crœsus uulsis alis pyramq; conscendẽs, risum Persis præberet aut Dionysius tyrãnide eiectus Corinthi doceret literas, postq; tantum principatũ pueros cogeret syllabas iungere. MIC. Dic age Galle mihi tu quum rex esses (dicis enim & te quondã regnasse) quali tum ea perfunctus es uita? nẽpe fœlicissimus fueris oportet id habẽs in quo bonorum omnium est summa. GAL. Ne quæso huius me admoneto Micylle, tam etiam atq; etiam miser eram, extrinsecus cunctis ut dicis felicissimus uisus, introrsum uero anxietatibus plenus innumeris. MIC. Qualibus tandem? miranda enim & non satis credibilia loqueris. GAL. Imperabam regioni non exiguæ Micylle, omniumq; rerũ feraci, quæq; hominum & numero & pulchritudine in primis laudari digna foret, fluminibus irrigua nauigabilibus, & mari portuoso exposita, erat mihi exercitus ingens, equitatus instructus, stipatores non pauci, triremes quoq;, & pecuniarum affluentia immensa, auri etiam fabrefacti plurimum, & reliqua principatus tragœdia omnis ad ostentationem insigniter apparata, itaq; quum progrederer, adorabat me uulgus, & deum se quendam uidere credebat, alijq; super alios concurrebant ad me uidendum, illi & in tecta scãdẽtes magni putabant si diligenter uehiculum meum uidissent, & paludamentum, & diadema, præcedentesq; me & sequentes, at ego conscius mihi quanta me angerent torquerentq;, ignoscebam quidem illorum inscitiæ, mei autem ipsius miserebat me qui similis essem magnis Colossis illis, quales fecere Phidias, aut Myron, aut Praxiteles, extrinsecus enim hi Iupiter aut Neptunus sunt speciosissimi multo auro atq; ebore elaborati, fulmen aut procellam, aut tridentem sustinentes, quod si inclinans introspexeris, uidebis uectes quosdam clauos fauillasq; per totum opus, transmissi. tigna item cuneos'que & picem, & lutum, & id genus fœditatem multam intus uelut domum asseruantem. Prætereo dicere soricum multitudinem, muriumq; qui tanquam rempubli. quandam nonnunquam in eis administrant, tale quiddam & ipsum est regnum. MICYLLVS: Nondum lutum & clauos & uectes dixisti qui sunt in principatu, neque multam illam fœditatem cuiusmodi sit, quum certe eminere conspicuum, & tam multis imperare adorari'que diuini cum illo Colossi exemplo faciat, sit'que planè illustre quiddam, tu ergo iam & ea quæ

et quæ intra Colossum sunt dicito. GALLVS. Quid primum eloquar tibi Micylle metus & terrores & suspitiones odiumq; eorũ cũ quibus uiuunt, & insidias et somnos idcirco exiguos eosq; extrema tantũ ut aiunt linea attingentes: plena perturbationum somnia, cogitationes multiplices, & spes semper malas. iam soli citudines iniquietudines & pecuniarũ cõquisitiones: iudiciaq; expeditiões, edicta, conuentiones, & expensorũ rationes e quibus ne per somnium quidem ullã sit uoluptatem percipere, sed necesse pro omnibus circumspicere, & innumeras perpeti molestias. Nanque nec Atriden Agamemnona dulcis habebat Somnus, uoluentem mente & permulta parantem; præsertim quum sterterent Græci oẽs. Offendit aũt Lydum filius quod est surdus. Persam Clearchus Cyro externos asci scens, alium Dion, cum nonnullis Syracusiorum in aurẽ loquens, alium Parmemio laudatus, & Perdicam Ptolemæus. Ptolemæum Seleucus, sed & hunc male habet, quod quem amat, non nisi coactus secum manet: & pellex alterius consuetudine gaudens, & iam dicti nõnulli defecisse, et duo, quatuor uestipatores inter se mussitãtes. Quodq; maximũ est, suspectos oportet habere: qui amicissimi sunt, & ab eis semper periculum aliquod expectare uenturum. Ego itaq; à filio meo ueneno sum peremptus, hic ipse ab eo quem amabat. hũc quoq; & alia aliqua similis mors abstulit. MICYL. Scilicet Galle grauia sunt hæc quæ dicis, mihi itaq; tutius multo fuerit sutoriã facere incuruum, q̃ amica inuitatione aconito alioue ueneno mixtũ haurire è patera aurea poculum, mihi nempe periculum est si prolapsus culter à scissu aberret recta. digitosq; mihi cruentet inscissos, at hi mortifera peragunt, ut ais conuiuia, idq; inter innumera prorsus mala. Deinde ubi corruerint similes maxime uidentur tragicis histrionibus, quorũ multos est uidere Cecropas aut Sisyphos aut Telaphos diademata habentes, & gladiorum capulos eburneos, intextamq; auro comam & uestẽ itidem auro picturatam, quod si quis ut interim euenit, impellens aliquis eorum in media prolabitur scena, risum spectatoribus præbet, persona cum ipso diademate confracta, & uero histrionis capite cruentato nudatisq; brachijs eius. Licet enim tunc uidere uestem miseros esse centones, & solearum illi fœdissimum esse ornatum, neque pro ullo pedis illius modulo. Vides optime Galle ut me quoq; iam similitudines docueris effingere. Sed tyrannis tale quiddam est uisa. Quum uero equus aut canis, aut piscis esses quomodo oro eam pertulisti uitam? GAL. Longam nobis commoues orationem, neq; ad hoc pertinentem tempus, sed in summa. nullam peregi uitam quæ non minus molestiarũ mihi sit habere uisa quàm humana. Solis nanq; naturalibus desiderijs, necessitatibus: quæuis earum fuerat dimensa, publicanum autẽ equũ, aut delatricem ranam, aut

graculum sophistam: aut superbũ culicẽ, aut impudicũ Gallũ quæ uos sectamini, nõ inuenias in illis. MIC. Vera fortaßis sunt hæc Galle, ego uero quo pacto affectus sum, non me pudet dicere tibi, nõdum possum enim dediscere desiderium id quod à puero habui ad diuitias perueniendi, quinetiam somniũ adhuc illud mihi ob oculos uersatur aurum ostentans, quodq; in primis me enecat, est Simon in tantis lasciuiens bonis. GAL. Medebor tibi Micylle, & quia nox adhuc etiamnum est, surgens sequere me, abducam nanque te ad hunc ipsum Simonem, & ad aliorum diuitum domos ut quales res eorum sint perspicias. MICYL. Quo pacto istud foribus clausis? nempe murum me coges perfodere? GAL. Nequaquam, sed Mercurius cui sacer sum hoc mihi dedit eximium, si quis è cauda mea pennam longissimam quæ propter longitudinem inflexa est (sunt autem mihi duæ tales) dexteram earum uerumtamen cuicunque ego eam euellens dedero, habere quandiu uoluero, aperire is omne ostium potest, & uidere omnia non uisus ipse. MICYL. Latuit me Galle quod & tu magus esses, quod si mihi semel hoc præstiteris, uidebis rem omnem Simonis breui huc translatam, ipse enim adiens transferam, & ille rursus corrodet pellium sordidarum præsegmina. GAL. Haud fas fieri istud, iußit enim Mercurius mihi si faceret quid eiusmodi qui pennam haberet, ut exclamans ego proderem illum. MICYL. Incredibile dicis, qui fur sit ipse, ut alijs id inuideat, abeamus tamen, abstinebo enim ab auro me si potero. GALLVS. Euelle Micylle prius pennam, quid hoc? ambas euulsisti? MICYL. Tutius ita Galle, tibique minus indecorum id erit, ne claudices ex altera caudæ parte, esto. GAL. Ad Simonem primum abimus, an ad alium aliquem diuitum? MICYL. Nequaquam. Sed ad Simonem, qui pro bisyllabo diues iam factus, quadrisyllabus esse postulat, assumus ad fores, quid iam deinceps facio? GAL. Appone pennam ad seram. MICYL. Ecce Hercules, profecto aperta est tanquam claue ianua. GAL. Progredere interius, uides uigilantem eum, & rationes facientem. MICYL. Video ecastor ad obscuram & sitientem lucernulam sedentem, estque pallidus, quod unde sit Galle nescio, prorsusque diriguit, & emarcuit à curis nempe, neque enim alioqui ægrotare dictus est. GALLVS. Audi quæ dicit, tum unde sic se habeat scies. SIMON. Sane talenta illa septuaginta ualde tuto sub lecto defossa sunt, neque alius quisquam nouit, sedecim uero illa Sosylus equiso sub præsepi abscondentem me uidit, per Hipponam uerisimile est illum quum neque industrius sit, neque laboriosus, diripuisse multo plura istis. Aut unde tibi eum salsamentum illi tam magnifice heri obsonasse dicebatur, aut muliercula aurem emisse, quinque totis drachmis, hi res miseri mei profundunt. Sed

nec pocula mihi in tuto deposita sunt tam multa numero, metuo itaq; ne quis parietem suffodiens surripiat ea, multi inuident insidiaturq; mihi, maximeq; uicinus hic Micyllus. MICYL. Hercule, tibi nanq; similis & catinos sub ueste habens discedo. GAL. Tace Micylle ne adesse nos deprehendat Simon, Optimum ergo, uigilem me ipsum omnia asseruare, surgam circuiboq; per omnem domum, quis hic. uideo te Hercule compilator, posteaq̃ canis es bene habet, effodiam rursus aurum numeraboq;, ne quid dudum me fefellerit. Ecce strepuit rursus quispiã aduersum me scilicet, oppugnor ab omnibus, ubi mihi culter, comprehendero aliquem, sepeliamus iterum aurum. GAL. Tales Micylle res Simonis, abeamus & ad aliũ quenpiam quousq; adhuc paululum noctis superest. MICYL. Proh infelix qualem uiuit uitam, ita quæso inimicis meis diuitiæ eueniant, in collum ergo percutiam cum abire uolo. SIM. Quis me percussit? miserum me, compilor. MICYL. Plora & peruigilias age similisq; tibi color auro tuo fiat, & illi intabescas. Nos autem ad Gniphonem fœneratorem (si uidetur) adeamus, nõ enim longè habitat. Aperta et hæc est ianua. GAL. Vides & hunc uigilantem semper curis, fœnusq; suum computantem? cui iam diriguerunt digiti, quem paulo post cuncta hæc relinquentem oportebit uel silpham fieri, uel culicem, uel muscam. MICYL. Video miserum & amentem hominẽ, & ne nunc melius silpha uel culice uiuentem, ita & is ipse à rationibus suis prorsus consumptus est, ad alium abeamus. GAL. Ad tuum si placet Eucratẽ, ecce iam aperta est ianua, ingrediamur itaq;. MICYL. Hæc omnia paulo ante mea fuerunt. GAL. Etiamnũ diuitias somnias, uides ĩtaq; Eucratẽ ipsum grandem natu hominem, quod factu nedum, sed & dictu turpe sit. MICYLLVS. Video mediusfidius impudicitiam quandam & abominandam patientiam & libidinem non humanam, sed uxorem aliubi à thoro & ipsam constupratam. GAL. Quid ergo, uelles & hæc hereditate accipere ò Micylle? & Eucratis omnia consequi bona. MICYL. Nequaquam Galle, fame perirem prius, quàm tale quippiam paterer. Valeat aurum & cœnæ, duo oboli, sunt potius opes mihi, q̃ compilari à seruis. GAL. Nunc (dies enim iã est prope crepusculum ipsum) abeamus ad nos, domum. Reliqua alio item tempore uidebis Micylle.

SCHOLIA IN GALLVM.

HOC enim aduenientis diei horologium.) Id fieri docent Physici per ἀντιπερίστασιν. At insomnis hic uelut aureum.) Allusum ad fabulam de dracone, peruigili custode aurei uelleris. Ouidius in metamor. Longeq; magis mutum me piscibus exhib.) Aristoteles autor est secundo de anima pisces non ædere uocem, quia non respirent

rent, aër enim respiratus uocis organum est. Contradicit Plinius quem uide lib. octauo, cap. 7. & prouerbium: magis mutus quàm pisces: Athenæum principio libri 8.

Ne somno diues, esurias experrectus.) Salomon in Prouerbijs cap. 6. Vsquequo piger dormis? quando consurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas ut dormias: & ueniet tibi quasi uiator egestas & pauperies quasi uir armatus. Quin auertite dij.) Vergil. 3 Aenei. de Cyclope: Dij talem terris auertite pestem. Aduersorum depulsor Hercules.) De Hercule & quibus monstris terras liberarit plena sunt omnia. Achillis equus.) Homerus ιλιαδ. τ. in fine τὸν δ' ἄρ ὑπὸ ζυγόφιν, προσέφη πόδας αἰόλος ἵππος &c. Quemadmodum in Dodona.) Vide prouerbium Dodoneum æs. Neq; fabę comederentur.) In Chiliadibus à fabis abstineto. De disciplina Pythagorica Gellius libro. 10. capite nono. καλλαδᾶ in epigramma:

ἡ μεγάλη παίδευσις ἐν ἀντρέποισι σιωπή
Μάρτυρα πυθαγόραν τὸν σοφὸν αὐτὸν ἔχω
ὃς λαλέειν εἰδὼς ἑτέρους ἐδίδασκε σιωπᾶν
φάρμακον ἡσυχίης ἐγκρατὲς εὑράμενος

Atq; Homerus duas has.) Οδυσ. τ. δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων. Quem locum expressit Vergilius in fine sexti: Sunt gemini somni portæ, quarum altera fertur, Cornea, &c. Ouidius 11. metam. Videturq; mihi Homerus idcirco gratijs similes. Homerus ιλιαδ ρ. in cęde Euphorb. αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι. Id est, sanguine irrigatæ comæ Gratijs similes. Poëticum illud Veneris cingulum.) Homerus ιλιαδ. ξ. Erasmus in prouerbio: Cestum Veneris habet A Menelão.) Nex eius describitur in principio ιλιαδ ρ. Patroclum illius amicum.) In fine Iliad. 16.

Ne per somnium quidem.) Erasmus in prouerbio hoc, ubi etiam huius dialogi argumentum paucis indicat. Offendit autẽ Lydum filius quod est surdus.) Cresum intelligit Lydorum regem, quem filiũ habuisse, Athim nomine, mutum præter alios commemorat Solinus cap. sept. quem locum uide. Porro Græcè κωφὸς est q̃d proprie significat mutum quemadmodum transtulit Erasmus, accipitur etiã ἀντὶ τοῦ βεβλαμμένου τὴν ἀκοήν, Id est, pro eo cui auditus est uitiatus hoc est surdo, propterea quod qui, ut physici tradunt, natura surdi, ijdem & muti sint oportet. Nanq; nec Atriden.) Homerus in principio ιλιαδ. κ. ἀλλ' οὐκ ἀτρείδην ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν ὕπνος ἔχε γλυκερὸς. πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα. Quos uersus sic reddidit Erasmus in prouerbio: Nõ decet principem. At non Atridem pastorem Agamemnona plebis, Somnus habet dulcis, uersantem pectore multa. Vides uigilantem eum, & rationes facientem.) Simillimum his Tantalis hoc est, auarissimis hominibus & animo inquietissimis facit Plautus suum Euclionem. Vides itaq; Eucratem ipsum, grandem natu hominem.) Honesta admodum præcisio in re ualde turpi. Significat autem masculam Venerem. Exaggerat eam turpitudinem ab ætate. Cum enim, ut Cicero inquit, libido omni ætati turpis sit, tum senectuti turpissima est.

VT AGRICOLA, POSTQVAM TOTIVS VINDIdemiam peregerit non prius desistit q̃ minutos etiam acinos decerpserit: Ita nec ego desistam nisi impertiam omnia quæ sciã utilia tibi futura. Fruere lector ac faue.

Spicilegium in laudem Matthæi Richili.

VErum non est mihi uir clarus.) Ita ferè Basilius in laude Cordij martyris non longe ab initio. Ita nec cum habeas magnopere amplectenda.) Psalm. 61. Diuitiæ si affluũt nolite cor apponere. Hæc quidẽ uelut signa.) Allusum ad locum Isocratis in prefatione ad Demonicum: Nunc signũ quoddam Hipponici. &c. græce

grecæ δόγμα est. Vt Sapientes homines tradiderunt.) Iuuenalis. Stemmata quid faciunt &c Plenum laboris, plenum sudoris.) Hesiodus primo ἔργ. καὶ ἡμερ.

τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον. ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται
ῥηιδίη δ' ἤπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.

Sicut bonorum, ita & gloriæ hæres.) Isocratis in præfatione ad Demonicũ: πρέπει γὰρ τοὺς παῖδας ὥσπερ τῆς οὐσίας οὕτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν. Via tolleret humo) Vergil. princip. 3. Georg. Tentanda uia est qua me quoque possim, Tollere humo, uictorq; uirum uolitare per ora. Tãdem sedit in animo.) Vergilius. 4. Aeneid. Si mihi non animo fixum immotumq; sederet. Vnde igitur ordiar.) Dubitatio quam excipit præteritio. Quantus in dialecticis.) Distributio rhetorica, exemplum primæ rationis locupletãdi orationem apud Erasmum. Inter tam uaria hominum ingenia omnibus accceptum.) Sic Terẽtius laudat Pamphilum suũ in Andria. Prudẽtiam ne mirer? Vergil. Iustitiæ ne prius mirer belli ne laborum?

RODOLPHI AGRICOLAE AD IODOCVM BESSELINUM Hendecasyllabon.



Lacto lumine lubricum renidens
Et quam fronte potes nitens serena
Blandam, molliculam, meram salutem
Dices Musa uiro: chorus tuarum
Quem totum sibi uendicat sororum,
Quem gaudens animus labore læto
Finxit candidula manu: lepôres
Aspirans Venus: indiditq; quicquid
Est illi salis & facetiarum
Iuuerunt posita pharetra amores.
Et blandæ Charites decore toto
Perfudere uirum, simulq; cuncti
Dant ridere, loqui, uidere lætum,
Et si dulce uelit, uelit modestum.
Dant cantare decens, & hanc calentes
Quæ curas teneris parit puellis.
Et pectus miseris reuoluit imum
Vox suauis, † tenero uibrata flexu † tremulo
Fac sumat cytharam manu nitente.
Psallet quale tuas putes sorores

Vox, aut posse tuum sonare Phœbum
Cursu tam facili chelin percurrat.
Tam metro modulos decente nectit,
Quin & docta sinu suo Minerua,
Hunc fotum excoluit graues per artes
Artes quas madidas comas Thalia
Nardo semper habens, rosisq; fractas,
Ludo, & liberiore læta uino.
Haud est nosse tuum, sciunt sorores
Artes, ingenuasq; nobilesq́;,
Et frontis rigidas, parumq́; lætas,
Quas aut Vraniæ grauisue Clio
Facumdis melius modis sonabunt.
Sed pergas age perferasq́; iussa.
Respectas? quid inepta? quid moraris?
An restas? dubitasq́; quis sit iste,
Quem dico? hic meus intimis medullis
Certa mente meus fideq́; certa,
Et totus meus est, meus Iudocus
Splendor Besseliæ domus, decorq́;.
Iam gaudes scio, iam tibi paratam
Speras frontem hilarem, manuq́; læta
Prēdet te cupidus, putas, & istud
Credi, qui suus est amor, licebit.
Sed quod uos nimium iuuat Camœnæ,
Quod semper petitis, quod ob labores
Et somnos uenit, estq́; fructus unus
Laudari, meliora det deus, ne
Tantum desipias, ut ipsa speres
Quod te optare tuus pudor uetaret,
Et nulla ratione quod mereris.
Solos docta iocos licente ludo,
Et mensas placido mouere risu,
Corrugas faciem, caputq́; quassans,
Hunc credis tibi perditum laborem.

Haud est quod metuas, nec hoc peribit.
Nec perdes operam, dabit uel ipsa,
Quod pluris fatearis esse. quodq;
Malim, quàm me hedera ter obligatam
Frontem cingere nobili ue lauro,
Quo fœ.∙us nimium rependat. at tu
Mirandum esse putas, quod hoc sit, atq;
Non laudabit, ais, quid ergo? Amabit.

AD CRIBELLIVM MEDIOLAnensem Rodolphus Agricola.

ARces Insubrium petens potentum,
Pergas Musa precor gradu citato.
Neu cancri metuas furentis æstum,
Cursum sæpe mero leues licebit.
Nec tu turpe mero putes olere.
Nam non insolitum madere Musis,
Germano quoq; mitteris madenti.
Sed portis, ubi te superba cepit
Vrbs, recta pete dulcis, atq; nobis
Dilecti magis omnibus Cribelli
Aedes quas tibi cognitas putamus.
Aedes, quas comitatus ipse uestro
Phœbus sæpe solet choro subire.
Harum limina tu nec impotenti
Ictu concutias, nec acre clamans
Perturbes animo uirum caueto,
Contente ueteres sequentem, & astris
Quo doctum caput inserat parantem
Sed magnus uelut exuit triumphos
Pompeius, foribus uetans ministrum
Doctis obstrepere, hoc memento pacto
Cunctos pectore dimouere fastus.
Et te, certum habeo, benignus, atq;
Gaudens excipiet, simul tuumq;
Ob nomen, simul & quod ipse misi.

Ergo cum tibi porriget, prehende.
Velox blanda premens ad ora dextram
Dextram, nam faciem caueto tangas,
Ne lædens anima mala, bibisti
Si fortasse licentius, rubescas.
Hinc multam ut sibi dixeris salutem,
Rodolphus tuus hocce, quale cernis
Crassum, nec tenui satis politum
Lima carmen, inane porro carmen,
Et quod nil aliud uocare possis,
Dic, mittit, nihil hinc licebit addas.
Scit quid ueneris, ultro & ipse dicet.
Namq; est pollicitus mihi libellum,
Qui mihi charior omnibus libellis
Est, & charior Indicis lapillis
Quid ni? & charior est utrisq; ocellis.
Librum, quo pariter duobus æuum,
Et longum dedit absq; fine nomen
Traiano, atq; sibi meus Secundus,
Atq; à morte simul tuetur ambos.
Hunc si det, capias manu modesta,
Nec turpis steteris rigente collo,
Sed ceruice simul, genuq; flexo
Discedens iubeas ualere semper.
Quod si forte neget, nihil queraris,
Sed tantum uitio mihi dabis, quod
Stultus uersiculis rogaui ineptis.
Sin det, muneris hos tui putato.
Nam tantum preciumq; rettulere,
Sat claros puto, sed dabit, boni sunt.
Nam dixit bene quisquis impetrauit.

AD RODOLPHVM LANGIum Rodolphi Agricolæ carmen.

FOrmosa rerum iam facies perit,
Nudasq; sternunt arboreæ comæ

Terras

Terras,& os late sonantum
Conticuit uolucrum per agros,
Et sol reflexos retro abigens equos,
Nigros reuisit nunc Garamantes,&
Si qui iacent,qui forte Nilum
Fonte bibunt modo profluentem.
Ergo omnis altè mons niuibus latet
Oppressus,horret saxea candidis
Moles pruinis,& soluta
Voluitur alpibus è supremis
Nix montis instar,præcipites quoq;
Syluas trahens,& saxa sonantia,
Surdisq; fundens uota diuis
Ipse miser rapitur uiator.
Et sericarum splendida mercium
Sparguntur imis scrinia uallibus,
Auroq; multo plumbeæ spes
Cum domino perit empta bullæ.
Pendere uidi uertice montium
Amnes gelatos præcipiti iugo.
Marmor putares,atq; passos
Saxificæ faciem Medusæ.
Vidiq; sparsas cautibus horridis
Mortes uirûm,quas uis hyemis dedit,
Acuiq; spem longam futuri
In rigidis niuibus sepultam.
Duro premebat pectore ferreum
Durissimis cor par adamantibus
Calcare gressu quisquis ausus,
Primus erat glaciem labante,
Quisq; cœlo repere rupibus,
Siue Hercules,seu quisquis hic extitit,
Cui fama fallax atq; tantis
Causa fuit fera gloria ausis.
Mortalium quo gens ruit improba,

Vicisse uel quid laudis habet bonæ.
Quicquid timetur, qui feroces
Corde tamen patitur tyrannos
Nec ferre se quem cuncta ferunt potest,
Quin terra mentis comprimimus mala,
Qui calcat iras spem metumq́;,
Herculeos superat labores,
Est uera nostri gloria seculi,
Rodolphe gentis Teutonicæ decus,
Docta ualens lingua, ualensq́;.
Mente bona pariterq́; docta.
Arcana rerum tu penetralia
Calles, ad altam quæ uia gloriam,
Ducat peritus, clara rebus,
Ex solidis tuis nascitur laus,
Sed celsa seu te sydera detinent,
Seu sacra terris quid erect omnibus
Rerum parens natura quæris.
Siue premis ratione mores,
Huc huc fac aßis, cordaq́; tristibus,
Exolue curis, risibus & iocis,
Curui senis sydus retundens,
Vince focis hyemem meroq́;,
Rugasq́; fronti demito nubilæ
Io Bache ter Io Bache quater sonans,
Laxanda mens est, namq́; rumpi
Quæ nimium rigeant uidemus.

RODOLPHI AGRICOLAE, DE OMNIBVS SANctis, hymnus.

VOx resonans toto fundat iam carmina mundo,
Atq; pio populus lucem hanc ueneretur honore,
Ingens qua quicquid stellantis regia cœli
Continet, omne decus terris quod ad astra relictis
Prorupit, seu turba prior, quæ conscia mundi
Nascentis uastum concrescere uiderat orbem,

In linguas animasq; redit, uox sacra canoros
Concinet modulos, à laudeq; cuncta resultent.
Nunc rerum ille parens unus pariterq; triformis,
Nunc genitrix colitur, pacis quæ pignora sacræ
Contulerat mundo, colimus nunc mente tuentur
Qui propiore deum, uenerandaq; iussa capessunt.
Nunc homines cœlum meritos, iam quisq; suorum,
Hic proaui colit, hic patris, nati atq; sodalis
Sanctam animam, sperare licet, sperare iubemur,
Et similes aditus superos tentare colendo.
Laus igitur tibi sit pater Optime Maxime, tuq;
Virgo parens, uos angeliciq; chori, sacer atq;
Cœtus apostolicus, uos sanguine martyres almo
Perfusi, & confessorum labor, atq; pudicus
Virgineus matrumq; chorus, conferte benignos
Ad laudes animos, precibusq; mouete tonantem,
Vt cum summa dies hominem dissoluerit, astra
(Qua licet) & uestræ rapiat consortia laudis.

RODOLPHI AGRICOLAE
Anna mater.

ANna parens summæ genitrix ueneräda parëtis
Quæ pandis populis prima salutis iter
Atq; paris matrem: cuius quem non capit orbis
Ipse libens subijt uiscera casta Deus,
Te cano, tu sancti posco mihi carminis haustus
Ingere uoce sacra pectora nostra rigans.
Ast mihi si centum sint uno pectore mentes,
Et totidem linguas, tot moueamq; sonos:
Nulla tamen te digna queam preconia laudum
Dicere, nec meritis te cecinisse modis:
Exuperat quoniam mortalis carmina laudis
Virtus: qua superas sydera summa poli,
Gloria maior & hæc: cui non certauerit ulla:
Quam tibi præ cunctis filia clara tulit.
Filia, qua maius nihil est meliusue creatum

Germine mortali, filia uirgo parens,
Filia: quæ summo potuit deducere cœlo,
Corporis & nostri claudere ueste Deum,
Quamq; uocat matrem summi sapientia patris
Et matrem trepidi nos miserumq; genus:
Natus ab hac ille est, & matrem natus honorat,
Audit & humanas hac perhibente preces,
Anxia quam nunquam miserorum uota fatigant,
Sed placidam mœstis porrigit usq; manum:
Hancq; petit sibi spem: cui nil sperare relictum est,
Hanc portum medio naufraga turba mari.
Visceribus parta est hæc Anna tuis: & ouanti
Gaudia magna patri, gaudia fertq; tibi:
Vtq; futura foret quæ post suspiria risum,
Gaudia post lachrymas, lætitiamq; daret.
Nata statim meruit sic exhilarare parentes.
Auspiciumq; ortus gaudia ferre sui.
Scilicet istud erat: quod spes dilata parentum
Torqueret cupidos per sua uota diu
Cœtus, & frustra tribui sibi sæpe rogarent
Prolem, nec possent flectere uota Deum,
Iam finirentq; preces, iam tristia pectora mœror,
Et desperantum clauderet ora dolor,
Illud erat: læta caperent quod munera mente,
Difficiliq; foret gratia plena bono,
Quod uenit ex facili faciles segnesq; tenemus,
Quod spe, quodq; metu torsit: habere iuuat,
Quin decuit tantum longa expectatio partum,
Et magnam magnas anteuenire notas.
Ergo bonus Ioachim sterilis quum degeret annos
Atq; foret superum munere prolis egens,
Forte pios uenit templis ut ferret honores,
Et sibi placaret uictima cæsa Deum:
Protinus horrendum uerbis & uoce sacerdos
Intonat & sacris iussit abire locis,

Ocius

Ocyus heus inquit: procul hinc procul esto profane,
Neu te grata Deo munera ferre putes,
Nec mihi credideris, Deus est, cui credere debes,
Ille tuas clausa reijcit aure preces,
Ni faceret: pridem coniunx tua facta fidelem
Augeret populum munere læta Dei,
Nunc neq; prole iuuas gentem benedictio nec te,
Sacra Dei tangit, tu quoq; cede sacris,
Cede sacris, aras donis nec pollue spretis:
Quæ neq; grata Deo, nec mihi grata dabis:
Dixerat antistes, Ioachim nil hiscere contra,
Sed rubet, & mœstum fert celer inde gradum,
Inq; salutatam uitæ, thalamiq; sodalem,
Linquens, alta gregum pascua saxa petit,
Pastorum qua fida manus: quibus additus ille:
Et gemitu pectus uexat, & imbre genas.
Inde manus oculosq; ferens ad sydera cœli,
Sic, inquit, gemitu præpediente sonum
Quem coluere patres, Abrahamq;, Isaac, & Iacob;
Sancte Deus qui audis omnia, quiq; uides,
Scis ut mente tibi sim cordeq; deditus omni,
Et mihi qua uires sunt tua iussa sequar,
Te rogo: quando nequit uis hoc humana mereri,
Quod ueneror: dignum teq; piumq; putes,
Et mihi da charam fœcunda coniuge prolem,
Atq; pium liceat nomen habere patris.
Nec tam prole super moueor (moueor licet illa
Multum) fas sit, & haud improba uerba precer
Quam mihi ne cultusq; tuus soluendaq; dona
Obsint, atq; pie te coluisse ueta,
Vtq; licere sciam, tu quouis munere forma,
Aut prole, aut alio, sed rogo prole magis,
Sic ait, ast illi cœlesti missus ab arce,
Nuncius assistit talia uerba ferens,
Parce Deum lacrymis incessere, parce querelis,

Audiris, iubet hæc me tibi ferre Deus,
Vade domum, dabitur tibi quod petis, Anna tumentes
Prole feret gaudens uxor amata sinus,
Hæc erit, ut dicas, est tanti cuncta tulisse,
Tam clarum populis proferet illa decus
Dixit, & in tenues sublatus protinus auras,
Fulminis ut rapidi stridula flamma fugit,
Ille stupens facieq; in terram pronus adorans
Voce Deo grates fert dupliciq; manu
Luna sed interea quinos compleuerat orbes,
Nescia coniugij dum foret Anna sui:
Seu uiuat, Ioachim, seu morti cesserit atræ,
Vt quoq; mos trepidis pessima quæq; timet,
Aduenit, & mœstam solatur nuncius idem,
Et pauidam mentem spe meliore fouet,
Inde domum lætus Ioachim redit, omnia constant
Pollicitis nono mense fit Anna parens,
Non animis, non uoce puto leue claudere cuiquam,
Quis fuit his recti, quis pietatis amor.
Qua meruere sacri uirtute fideq; parentes,
Vota ferant tantis ut cumulata bonis.
Grandis enim meriti cœlestes cernere uultus
Cernitur, & Gabriel proximus astat eis.
Grandeq; iam ueteris solatia sumere luctus,
Attulit è cœlo nuncius almus opem,
Grande ratas precibus naturæ uertere leges,
Verterunt sterilis fit modo læta parens,
Et magnum fecisse Deo non irrita uota,
Vincit & illorum spemq; precesq; Deus.
Quid tantam prolem, quando hæc est omnia supra,
Maior & humanis nobiliorq; bonis.
Sed tamen accipiunt, & quum contingere uotis
Cætera non sperent, hoc neq; posse putent.
Nascitur ergo, sacrisq; salutat fletibus orbem,
Quæ mundi lachrymas tollere prima uenit.

Virgo

Virgo maris, terræq; decus, decus ætheris alti
  Nascitur, & roseo percipit ore diem,
O dulcis pietas, ô gaudia, quis fuit illic,
  Plaudendi trepidis, læticiæue modus?
O si sancta scias mater, solatia mundo,
  Quæ dabit hæc oculis quam manibusq; tenes
Vtq; sit hæc quondam summum paritura tonantem,
  Et mortale Deo compositura genus,
Lætitiæ tantæ satis una ne pectora credis,
  Totq; tuo poterunt gaudia corde premi.
Vt sine spe mater fias, natæ quoq; mater,
  Cui matris decus, & uirginis adsit honor.
Quodq; sit his maius, natæ, quæ fœta superno
  Flatu, hominem simul, & sit genitura Deum.
Salue sancta parens, & tu nata inclyta salue,
  Quas caro, quas pietas, has quoq; iungat honor.
Natam mater amas, & natæ mater amaris,
  Laus capit una duas, ut tenet unus amor.
Bis tamen Anna potens hoc partu, bisq; beata,
  Et prolis titulis, nobilis atq; tuis.
Conspicuos præstant alios benefacta parentum,
  Tu contra natæ nobilitate nites.
Magna quidem meritisq; tuis, pietate, fideq;,
  Quis neget, at nata hæc splendidiora facit.
Acceptumq; refert munus tibi maximus orbis
  Hanc, post dona Dei cui bona cuncta refert,
Hester quod populum scelerati fraudibus Aman
  Eruit, & regis mitior ira fuit.
Iudith & Hebræis ferrum flammasq; minantem,
  Hostem tartareas fecit adire domos.
Laudibus & colitur Iudith, & laudibus Hester
  Semper, & æternum nomina clara tenent.
Et tamen exiguos perituris addidit annos
  Vtraq;, & hæc meriti summa duabus erat.
Ne uitæ nec opum fieret ferus arbiter hostis

Neu natus ferat, aut uxor amata iugum.
Magna quidem, fragilis sed uitæ munera, quæq;
Sint qui habeant, sint qui non habuisse petant,
Quanto tu maior, quanto felicior Anna
Quæ das, quo mulier plus nihil ulla tulit.
Natam quæ cœlo dominum deduxit aperto,
Cursus & ad cœlos hinc patefecit iter.
Natam quæq; deiq; hominum commercia prima,
Reddidit, & pacis ianua prima fuit.
Quæ non hostiles clades, non barbara ferri
Vincula, nec quantum flamma famesúe queunt,
Non quantum mare, terra, queunt ætherue minari
Coniurant licet, & perdere cuncta uelint.
Sed quæ reppulerat ueterem cunctosq; prementem
Iram, quam meruit per genus omne parens.
Diras quæ nobis terras dedit, æthera clausit
Prorsus, & abrupit fœdera cuncta Dei.
Quam sequitur, quicquid cœlo terraq; timemus,
Et labor & dolor & mors fera dente minax,
Hanc uicit tua nata parens, sæuumq; leonem
Vertit, & hunc agnum præstitit esse Dei.
Et dominum summis in se detraxit ab astris,
Parcere culpæ hominum factum hominemq; docet.
Tu fœlix igitur, & tanta prole beata
Anna, precor nostras sume benigna preces.
Quod potes atq; facis, nata tu mater adhortans,
Vota simul iunctæ reddite nostra Deo.
Non erit, ut quisquam duce te diffidere uotis
Debeat, oratu fac modo uota iuues.
Te duce quisq; ferat rectos ad sydera uultus,
Nec timeat uanas inualidasq; preces.
Nil tibi nata negat, nil & negat ille parenti,
Ille colit matrem, te quoq; nata colit.
Ergo uoca matrem te, se uocet illa parentem,
Tuq; tuum tibi ius, asserat illa suum.

Iam

Iam nihil exposcent mortalia pectora frustra
    Quodq; uoles, simul id nata deusq; uolent.
Scilicet hæc ita sunt, & non decepta rogantum
    Spes facit, ut precibus te lachrymisq; petant.
Te cuncti fugiunt morbi, pallorq; dolorq;,
    Noxia quæq; animo, corpore quæq; sedent.
Quicquid id est, hoīm quod curas cordaq; lassat,
    Te fugit, ut uentos nubila pulsa solent.
Quumq; foret laudi nostræ nimis, alta parentis,
    Astra tenes superis, quod sociata choris.
Quod tua sublimem te misit ad æthera uirtus,
    Mira quidem miris muneribusq; potens.
Vitaq; per omnes numerosq; gradusq; probata
    Cui laus, quæ paucis morte uenire solet.
Alloquij superum consors, & læta stupendis
    Donis, nec solita fertilitate parens,
Quū nimis hæc laudi, nunc quis te laudibus æquet,
    In nos tot meritis, quum tibi crescat honor.
Illa quidem sunt summa, sed hæc tua gloria nobis,
    Gratior & miseris blandior iste fauor.
Te positam cœlo lætam, & sine fine tenentem,
    Prēdere mēs hominis quæ nequit, osūe loqui,
Felicis tamen hunc terris aduertere uultum,
    Inq; bonis tantis nostra uidere mala,
Quodq; tuo fletu docta es, succurrere flenti,
    Tristibus & lætam ferre piamq; manum,
Nemoq; quod iustis precibus tua numina pulsans
    Sollicitis frustra uocibus orat, opem
Hinc tibi nomen & hinc ueneratio sacra parentis
    Et qui te sequitur maximus orbis amor.
Hinc spectanda nites trepido fiducia mundo
    Nocte uelut tumido fulgida stella mari.
Teq; petit sexus, petit ætas omnis & ordo,
    Teq; gradus omnes diues inopsq; petunt,
Lubrica tu firmans fortunæ munera præstas,

Ne fugiant nostros lapsa repente sinus.
Et bona quae miser hic uitae sibi postulat usus
Aggeris, & rursus iam fugitiua refers,
Maternas partu tibi fert mater, tibi castas
Casta memor nata uirgine uirgo preces.
Praesidiumq; petit curis, quibus aestuat imum
Pectus, adhucq; rudis corde micante pudor.
Sunt, quos fama procax facta atq; infecta canēdo
Opprimit, & populi uox facit una reos
Sunt, quos tristis agit Luctus lachrymaeq; cadentis
Semper, & aßiduis imbribus ora natant.
Sunt, quos saeuus amor telis furialibus urget
Et pedibus uictor colla retorta premit,
Posceris auxilio, tu uulgi comprimis ora.
Tu luctus releuas, & tibi cedit amor,
Cedit amor, cedunt unà dolor, ira, paransq;
Iam laqueos, iam enses, iamq; uenena furor.
Dirus & in dubijs augur timor attulit ad te
Nec uacuum sensit pondus habere preces.
Seu quē terra premēs sequitur uis hostica, seu quē
Carceris obscuri uincula saeua tenent,
Seu gemit, inq; horas ceruicem tradere ferro,
Carnificisq; putat colla secanda manu.
Ille fame, is flammis uitam dare, rupibus alter
Praecipitis scopuli membra rotanda timet:
Quid tumido dicam qui pendet nauita fluctu,
Et iactant laceram flatus & unda ratem?
Quid uastis cinxit quem syluis ira ferarum,
Praedonumue furens non minus ira feris?
Tu cunctis tu tamen ades, te preside fidunt:
Quosq; suus metus, & quos alienus agit,
Fidaq; non spernis suspiria mater amantum,
Grataq; pro charis soluere uota iuuat,
Certa loquor, magnisq; mihi comperta periclis
Haecq; reus uoti carmina reddo mei,

Nanq; ferox languor stratis afflixerat ægrum
Non uis, non color, aut corpus ut ante manet,
Victor adest morbus: mors ad caput ore cruento,
Horrida terribili concrepat arma manu,
Frigore iam febris corpus, iam coxerat æstu,
Aestu, quo rapido non calet Aetna magis,
Aestu qui uires uenasq; resoluerat omnes,
Quiq; animo tantus, corpore quantus erat,
Concutiens subito mores mentemq; furore,
Verbaq; iam totum mors quoq; uisa foret,
Illa potens herbis ars, sacraq; cura medentum,
Cessit, & ingenium uicerat omne dolor,
Quid faciam? quid sperem? quem precer? Anna parēs hæc
Vt spes una fuit, sic erit una salus.
Hæc medicum numen simul attulit, ilicet ægris
Artubus ac animo uita uigorq; redit.
Hinc adeo flagrent quouis mea pectora motu.
Ardeat & curis mens animusq; mihi,
Atq; premant magnæ quantumuis facta ruinæ:
Anna uocata mihi dulce leuamen ades,
Tu mihi certa salus, in te mea uita recumbit,
Tu dux, tu portus: tu requiesq; mihi,
Te dicent igitur mea carmina, laus tua semper,
Viuet & insigni nomen honore feram,
Quantum uoce queam, quantū contendere lingua,
Quantū animo, quantum flatibus, ore, cheli:
Laus erit Anna tibi, decus Annæ, Annā canet orbis,
Annaq; pro sacro numine nomen erit,
Postq; deum, cui prima redit laus omnis in æuum:
A quo laus decus & gloria cuncta uenit,
Postq; tuam natam: laus est hæc summa parentis:
Tertia stans triplicem quæ facis Anna chorū,
Laus tua dicetur, tua gloria, tu quoq; semper
Proxima cum primis iuncta duobus eris.
Ergo ades, & perfer suspiria nostra tonanti:

Vtq; ferat placidus crimina nostra, roga.
Posce bonam mentem nobis, & dedita menti,
Dedita nec uitijs corpora fœda suis,
Sint ualidæ uires, sit opum moderata facultas:
Famaq; quam metuat tangere liuor edax,
Si tamen hæc prosint, si non, procul omnia sunto,
Et iubeas laxo fundere cuncta sinu,
Quod satis est cœlo: sit uitæ. sic quoq; mortis,
Non properanda ferat, non fugienda dies,
Puraq; uelamen quum corporis exuit huius
Mens, teneat summi splendida templa poli,
Hoc pater Anna uelit mundi sic maximus autor,
Hocq; tuæ natæ natus & ipse uelit:
Hoc sacer amborum uelit ardor spiritus, unus
Viuunt quiq; triplex secula cuncta deus:

IN FACIEM CICERONIS INItio orationum suarum pictam.

Ora uides, audisq; diserta tonitrua linguæ,
Quid rogo de uiuo plus Cicerone feras?

IN FACIES DVORVM AMANtium pictura expressas.

Ecce dat ars oculos, datq; ora simillima ueris,
Quantum erat ut uocem dij facilesq; darent.

RODOLPHI AGRICOLAE EPIGRAMMA.

Postera quid portet dubium lux, accipe præsens
Quod datur, & celeri prospera carpe manu.
Quodq; feret tempus, fer lætus, & aspera forti
Mente doma, uitæ si tibi grata quies.

ALIVD EIVSDEM.

Optima sit uitæ quæ formula quæritis, hæc est,
Mens hilaris faciens quod licet, idq; loquens.

AD CASPAREM ABBATEM MONtis sancti Georgij, Rodolphi Agricolæ carmen.

TAndem sæpe mihi precibus uotisq; petitum
Tempus adest, tandem læta dedere dei.

Da da Phœbe lyram, date uos mihi carmina Musæ,
Ipsaq; fer teneros huc elegia pedes.
Læta canam, toto quis me sit lætior orbe,
Grandia quis pleno pectore tanta capit.
Redditus est nobis magni conspectus amici,
Cerno uiri uultus, contineoq; manus.
Qualis erat uasti post longa pericula ponti
Duluchij lætus uidit ut ora parens.
Post latebras matrisq; dolos, cum dulcis Achilli
Patroclus uidit lumina, qualis erat.
Talis ego aspicio uultus probitate uerendos,
Læticiamq; fatens occupat ora rubor.
Et stupeo, nec adhuc penitus comprẽdere possum,
Vnde sit optati copia tanta boni.
Vt te post longos (nec spes erat amplius) annos,
Intuitus uerbis alloquar ipse meis.
Et paribus studijs tempus reminiscier actum,
Et dulci liceat rursus amore frui.
Sume precor multam simul optatamq; salutem
Quamq; potes rebus tu dare, uoce cape.
Nec uotum tenuis dulcißime Caspar amici
Spreueris, exaudit uota modesta deus.
Gaudeo cuncta tibi flatu spirare secundo,
Fortunamq; tuis moribus esse parem.
Quam uictam totis repulisti uiribus olim,
Nunc redit atq; sinus appetit ultro tuos.
Hoc probitas, firmæ hoc meruit cõstantia mentis.
Durus & hoc casto stans tibi corde rigor
Et meruere bonæ generosi pectoris artes,
Quæ uitam atq; animos excoluere tuos
Sermoq; cui cedant morientis carmina cigni
Qualem est in Pilio fama fuisse sene.
Summus amor recti, summa inconcussaq; uirtus.
Magna quoq; in magnis exiguisq; fides.
His tibi materiam uicturæ in tempora laudis

Colligis: & mortis tristia iura fugis.
Omnia mors sternit: quod natum est, occidit: una
Fine caret uirtus, & benefacta manent.
Viderat ista Sigismundus: quid non uidet ille?
Inclyta qui rerum est gloria, quiq; decus.
Quo melior terris: quo non est iustior alter,
Fortis & in duris qui ratione potens,
Quemq; ego præteriti, quo mundus splēduit auri
Ante Iouem exemplum certaq; signa puto.
Viderat: & toto penitus te pectore fixit,
Et dixit: Caspar tu mihi magnus eris.
Tu mihi magnus eris, grauium qui pōdera rerum
Gestet, & in cunctis cui mihi prima fides.
Dixit: opes simul & magnos concessit honores
Quos potuit: non quos sumere dignus eras.
Omnia nam dederit: superat tamen omnia uirtus,
Nec tanti quicquam maximus orbis habet.
Ergo licet fructus nostri mihi desit amoris,
Gratulor ex uoto cedere cuncta tibi.
Forte dies ueniet rursus qui fœdera uitæ
Conserat: & iuncto claudat utrunq; loco.
Et studijs totos liceat impendere soles,
Verbaq; demirer, quæ tibi docta fluunt.
Laudatosq; uelim clarosq; effingere sensus,
Quosq; stilo formas ingeniose tuo.
Quod si fata uetant: alio si forte uocamur,
Atq; mihi uitam sic deus ire negat,
Tu tamen ante omnes præclari nomen amici
Accipe: te reddent noxq; diesq; mihi.
Semper & hærebunt uultus mihi mente benigni,
Dulcibus hærebunt æmula uerba fauis.
Ast ego, ni labor hic frustra mihi durat in annos,
Sed dabitur studijs nomen habere meis,
Et seu grande loquens carmen, connectere coner
Dura, quod & fortes arma urosq; canat,

Seu iungam lachrymis elegos, & questibus aptos.
    Forte & Apolliniæ fila mouebo lyræ,
Siue cadant iunctis pedibus seu uerba solutis.
    Et nobis aliqua gloria parte uenit.
Quicquid ero, cunctis mihi tu laudabere chartis.
    Atq; mihi nullum te sine nomen erit.
Tu memor esto mei: quid enim precer amplius à te?
    Cum mihi non aliud gratius esse queat.
Hoc precio quoduis facere & perferre iuuabit,
    Hoc ductus precio dulcia cuncta putem.
Fac iubeas: ibo Mauros, ustamq; Syenem,
    Et sequar aduersi frigora sæua poli.
Auroræ uisam rosca ceruice cubile
    Pressum: & Phœbeas quæ rapit unda rotas.
An dubitas ne ficta loquar, maioraq; ueris?
    Quod si uana putas nudaq; uerba, iube.
Sis memor ergo mei: nunquam tu pectore nostro,
    Nondum uiuus ero: non quoque morte cades.

IN LAVDEM PAPIAE PANEgyricon per Rodolphum Agricolam.

VRbs Ticini decus ò magnum et mirabile rerum
Cuius par cœlo & terræ quoq; gloria par est:
Salue, clara uiris & magnis turribus ingens
Quis digno meritas dicet tibi carmine laudes?
Bella quis, & bellis dubia certātia palma
Laudabit studia & digno donabit honore?
His etenim (liceat uera ædere) uincis Athenas.
Te petit Hispanus, Gallus quoq;, flauaq; pubes
Te Germana petit. longis nos mittit ab oris
Frisia. in ignotis tanta est tua gloria terris.
Nec mihi nunc Crassos, non raptū morte Catonē,
Non Puteos memorasse uacat non artibus omnes,
Omnibus excultos. secla hos uentura loquentur
Quod potero precibus te psequar, optime rector
Rerum, tuq; parens uirgo, sacrataq; turba

Cœlicolæ ciues urbem hanc defendite, sicq;
Felix sit uestro sub numine tuta Papia.

AD LVCAM CRASSVM IVris utriusq; doctorẽ, Rodolphus Agricola.

CRasse uir egregios pleno qui pectore mores
Et ius omne tenes, sit tibi multa salus.
Sume precor fructus parcis quos carpsimus hortis,
Et quamuis modicos sumito quæso libens.
Plus missurus eram sed te quoq; munere dignum,
Maiori, non me præterisse puta:
Sed mala hyems nocuit, pueri nocuere rapaces,
Fauit & hortorum non mihi rite deus.
Verum autumnus ubi turgescet plurimus uuis,
Arbore & è grauida gemmea poma fluent:
Vberiore manu reuomentes poma canistro,
Hortulus & quicquid fert meus ipse dabo.
Idq; quod alma Ceres & quod pater ipse Lyæus
Est reliquis, credas hoc mihi solus eris.
Interea paruum non spernens munus amici
Rodolphi interdum sis memor atq; uale

CARMEN HEROICVM DE VITA diui Iudoci, per Rodolphum Agricolam.

REgia progenies, ueterûm stirps clara Britannûm
Ecce nitet rutila Iudocus luce per orbem,
Ingens quale micat sydus, quo sæpe uiator
Nocte regens iter, & montis prærupta, uel undas
Stagnantis fluuij, nigræue paludis hiatum
Effugit, & multo mercatur lumina uoto.
Magna salus hominum, dubijs spes magnaq; rebus
Luctu magna ferens animis solatia preßis,
Sydera qui meritis, qui terras nomine complet.
Hunc res nulla potest, non purpura murice tincta,
Non aurum, aut gemmæ, non aula tenere parentũ,
Nec retinere potest, miseris mortalibus omni
Arte, labore omni per fasq; nephasq; petita

Impe-

Imperij laus, & uiolentis gloria regni,
Quin spernax tumido calcet pede cuncta, petatq;,
Te pater ô superûm, studijs ingentibus illi
Quæreris, & solum te pectore concipit imo,
Ergo domo cedens, natalia deserit arua,
Seq; peregrinis satius putat abdere terris,
Vt non mente Deum: charorum occursio fratrum.
Fratrum (quos tredecim genitrix fœcunda reliquit)
Aut bis ternarum gemitus lachrymæúe sororum,
Non patriæ res, aut notæ consortia linguæ
Excutiant, toto sed cœlica gaudia nisu
Appetat & liber superos, & numina cernat:
Hinc quia tetra uidens ferri delicta per urbes
Et raram populis curam rectiq; boniq;,
Pura ut mente Deum, diuinaq; numina tractet,
Humanos refugit cœtus, syluasq; pererrat,
Lustra feris habitata petens, & collocat inter
Frendentes sedem beluas, usq; est adeò nil
Quod rigidæ timeant uirtutes usq; adeo nil
Horret amor, superûmq; afflatus mentibus ardor.
Quid magna acta uiri repetam, quæ claudere non est
Versibus, aut nullus potis est æquare canendo?
Concessisse minas, & feruida corda ferarum
Passa uirum, placidas gremiumq; petisse uolucres,
Atq; manus inter gauisos ludere pisces.
Vtq; aquilæ cantu, qui tempora diuidit ales
Erutus, ipsa cadens uitam æthere liquit in alto
Hic fera serpentis moueant ut tædia syluæ
Vulnera perpessus, suasit pater ipse malorum,
Atq; gemens, hoc est uinci se uulnere fassus
Hic etiam limphas tellure effundere siccam
Iusserat, hic etiam panem, qui iam ultimus illi
Victus erat, quater auditis largitur egenis
Cura Deo fuit, & nullo ductore per undas
Sponte sua redeunt grauidæ tot fruge carinæ.

Scilicet esse uiri sacer his se pectore monstrat
Spiritus, atq; animi sanctos implesse recessus
Post ubi durus ei multos seruatus in annos
Viuendi rigor, & magnæ constantia mentis
Et labor & iunctæ precibus noctesq; diesq;
Abstulerant uires, artusq; attriuerat ætas
Sicq; Deo uisum meritis quo præmia digna
Susciperet gaudens corpus terrasq; reliquit
Astra petit, læto chorus hunc sacer ipse paratu
Excipit, & toto funduntur gaudia cœlo,
Funduntur terris: noua sensit numina terra,
Atq; dedit uictum cornu bona copia pleno
Ipse chorus sensit, uoluuntur gratius anni
Gratius & Phœbus formosaq; sydera fulgent,
Ast ueluti clausum densa inter nubila fulmen
Murmura cæca ciet nondum mortalia terrens
Pectora, sed uastè scidit ut fera claustra tumultu,
Atq; oculos flammæ fragor horridus occupat aures
Iungere tum palmas superosq; in uota uocare
Pergimus, haud secus ut tristi cum corpore nexus
Terrenos fugiens mens alta superuolat astra
Emicat & populos ruit inclyta fama per omnes
Magnarumq; animi pauitant miracula rerum
Atq; diem festum solennia sacra quotannis
Instituunt, cumulant donis ingentibus aras
Luctus & omnis opem, sed opem petit omnis egestas
Ergo tibi summas agimus pater optime grates
Cui placitum terras tanto donare patrono
Tuq; adeo nullos hominum frustrato rogatus.
Cultor magne Dei titulis uitaq; sacerdos
Quæ ualet ullius uiuax facundia uel quod
Ingenij flumen dignas tibi fundere laudes?
Vis tibi mordaces animis depellere curas
Artubus & morbos tu neruos tendere tortos
Et firmos trepidis pedibus das figere gressus

Tuq; diem reuocas, & lumina clausa resoluis
Tu rigidas flectis linguas, uociq; negatum
Pandis iter, sonitus tu das nouisse loquentis
Auribus occlusis, tibi ferrea uertere fata
Concessum membris animasq; reponere stratas,
Seu uero furor & nigrantis felle ueneni
Tincta rapit bilis, feruensq; insania mentem
Mutat, siue ferox non umbras & tartara linquens
Corporibus mersit se pluto, pectora motus
Vexat anhela, micant oculi turbataq; passim
Stat coma, non solito murmur prouoluitur ore,
Auxilium præstes, agitataq; corda residunt.
Quid tumido uolitans in fluctu nauita, cuius
Obruit unda caput, nec sat rate tutus & arte est
Vota facit, uenti fugiunt & turbida cessat
Ira maris, quid quod sese referentia retro
Sistere lucra iubes, pellis damna inuida quidq;
Firmas esse facis, sed matrum segnia longo
Tempore fœcundas optato uiscera partu
Salue sancte mihi semper multumq; tremende
Maxime confessor tibi nos debere fatemur
Quodcunq; hoc uitæ est quas cœli carpimus auras.
Tu uarios inter iactatum frigora & æstus
Febribus, & lacerum præstas reualescere corpus.
Salue iterum salue & uotiuas optime laudes
Accipias placidus, maioraq; ferre uolentes
Pauperis ingenij tenues ne despice riuos.

RODOLPHI AGRICOLAE PHRISII.

PRisca Ioannes amans artis monumenta perire
Non sinis, in priscis tuq; serere uiris.
Gemma nihil, nihil est aurum nisi terra, sed arte
Crescit honos, artem secula nulla premunt,
Summa petit Christus spectat pia turba suorum
Hic stupet, hic lachrymas fundit, ac ille gemit.
Credas uelle sequi, uellent, ueniemq;, sed olim.

Additus his præsul tuq; Ioannes eris.
Regna reuisentem Christum & per inane meantem,
Finxit, uti spectas, ingeniosa manus.
Hoc finxisse maius fuit an fecisse? Deo nil
Magnum, hominis magnum est fingier arte Deum.

RODOLPHI AGRICOLAE IN MORtem Mauricij comitis Spegelbergi, epicedion.

PHebe ueni nigra crines umbrante cupresso,
Neue manu citharam, sertaue fronte geras.
Et tibi dulcisono crepitu sint carmina, longe
Proferat ex habitu se, facieq; dolor.
Tristis ades comitem te tristibus aduoco sacris,
Vatis ut officio funera flenda colas.
Vos quoq; Pierides Heliconia turba sorores,
Huc & cum mœsto iungite fratre gradum.
Vos quoq; si fas est turbari lumina fletu
Diuûm, si lachrymas uester habetq; dolor.
Famaq; non uana est, quod fleuerit Orphea mater,
Membra uidens Thressas spargere rapta nurus.
Candida iam manibus contundite pectora, iamq;
Tingite purpureas rore cadente genas.
Ille pius uates, & toto pectore uester
Mauricius cultor, uester alumnus obit.
Horrida nec timuit tam clarum tangere nomen,
Nec nos luctificis mors agitare modis.
Atq; tot annorum studio curaq; paratus
Ingenij torrens aureus ille perit
Aret & Aonijs deductus fontibus amnis,
Fusaq; germano Castalis unda solo.
Quam primus nostris potandam finibus ille
Intulit, ignoto pectora fonte rigans.
Non illum probitas, non laus insignis auorum
Non tuitus uestri est nominis altus honor.
Cuncta iacent rapido mors omnia subruit ictu,
Et decus & titulos paucula claudit humus.

Quis uestram tanto famam iam tollet honore
Gentibus Arctois carmina docta ferens?
Eripiet morti quis nomina clara, quis actam
Post uitam tribuet uiuere posse uiros?
Scilicet id metuens Lachesis fera, funere clausit
Os, quod functorum uita futura fuit.
Os quod debuerat multis dare secula famæ,
Mortis & angusto claudere fine manus.
Ergo agite officio tumulum celebrate dolentes
Cum planctu lachrymæ, cum gemituq; fluant.
Sic ego, quum subito mortali pulchrior ore,
Voceq; uisa mihi prorsus adesse dea.
Calliope puto erat, stringebat laurea cirnem,
Vox quoq; quæ syluas, saxa trahatq; fuit.
Hæc ait: O nimium mœsto confuse dolore,
Duraq; dilecto funere fata gemens:
Nil est quòd mortem culpes uel fata, nec unquam
Ausa foret sacrum tangere Parca caput.
Quin cupijt Lachesis stamen producere uitæ,
Et noua defectis uellera nere colis.
Quippe memor manes, ut quōdam accesserit Orpheus
Soluerit & mortis ferrea claustra lyra.
Eurydicenq; suam modulato carmine poscens,
Ceperit ab fallens irrita merces iter.
Sic quoq; nunc timuit, mortis ne uincula cantus,
Frangeret, hic cupiens rursus adire ditem.
Fortius & pro se faceret, pro coniuge fecit
Quod Thrax, nec cupidus flecteret ora retro.
Incipiantq; homines iam paßim carmine fata
Flectere, si tantum carmina posse sciant.
Hic certe faceret, nigrisq; emergeret umbris,
Sed non umbrarum percolit ille domos.
Nec mors hunc rapuit, longis sed fessus ab annis
Linquere iamq; diu membra caduca petens,
Deseruit corpus, uitam quoq; uita secuta

Certior, hoc dedit, ut non queat inde mori.
Et cupide reputans cognati gaudia cœli
Hauserat unde nouo spiritus ore diem.
Astra pius tenet, astra uidens temnensq́;, sepulchrum
Peruolat omne: patet qua uia laxa poli,
Quantus ad occasum se porrigit orbis ab ortu,
Quantaq́; Phœbeis orbita feruet equis.
Et quæ discurrunt magno uaga sydera mundo,
Quæ rectum peragunt, quæúe retorta gradum.
Quod spacium terris, Nereus quibus æstuet undis
Queq́; colant gentes aspera plana mare.
Et mores uarios uariæ commercia linguæ
Artes siue animos, corpora siue iuuent.
Quid ualeant gemmæ, quid carmina sacra, quid herbæ
Imo quæq́; sinu terra metalla premit.
Omnia nunc nouit, uidet omnia, nec latet illum
Quicquid habet cœlum tartara quicquid habent.
Et gaudens læta atq; æterna sorte beatus
Numina summa uidet triplicis usq; Dei.
I mortem accusa nunc, fataq́; tristia defle
Mortuus hic forti sit, quis rogo uiuus erit?
Tu nc hominem uitamq́; putas hoc corpore cludi,
Est homo mens, manet hæc uitaq́; nempe manet.
Spiritus à superis uester uenit, inde solutus
Morte carens abit hinc, ad superosq́; redit.
Rettulit ad superos certe hunc pietasq́; fidesq́;,
Ductaq́; legitimis uita peracta uijs.
Ergo uidens uestras ridet, damnatq́; querelas
Mauricius, cernens ad quid, & unde uenit.
Non illum curæ, non spes, dolor, iraúe torquent
Quæ miseris cruciant pectora uestra modis.
Liber & erumpens fragili de carcere tandem
Viuit adhuc, fuerant uitaq́; morsq́; simul.
Nunc tantum uiuit, procul & mors æthere mansit,
Quod moritur, terræ est reddita terra suæ

Nunc

An ne doles, oculis quod sit sublatus, & illum
Non cernens etiam luce carere putas?
Certe spirat adhuc, non hunc obliuia seri
Temporis à cuncta posteritate manent.
Spirat & ingenij laus sudatiq; labores.
Vis istud doceam me ratione loqui?
En age sume manu, quod condidit, & lege carmen
Voce sua loqueris, plus ualet illa tua.
Huius & ingenio simul huius es ore disertus,
Viuit, nempe dabit hic, quod potes, illa loqui.
Docta nec immerito, uigilataq; carmina sperent,
Perpetuum nullo fine premente decus.
Dilabuntur opes, uires franguntur, & annis
Et morbo formæ gratia carpta perit.
Viribus humanis & quæ surguntq;, uigentq;,
Viribus humanis debilitata ruunt.
Mentibus at Vatum Deus insidet, ut caret ille
Morte, caret Vatum sic quoq; morte labor.
Quid quod in exemplum uirtutum gloria cedet?
Et poterit nullo tempore fama mori.
Natis quisq; suis uellent monstrasse priores
Talem, quo cuperent teste probanda sequi.
Regula talis erit, qua discant recta minores,
Segnes quaq; boni probra decusq; ferant.
Quem memorans olim nato pater, hunc mihi dicet
Nosse dedit genitor, quem pater ante sibi.
Vt sequererq; iubens erit hic tibi doctor honesti
Inquit, & hunc studijs exprime quæso bonis.
Qui claras annis hausit iuuenilibus artes,
Musarum cupido pectore sacra colens.
Quicquid & est studijs quod Musas auget & ornat
Moribus, & mentem quod redimire queat.
Præsentes quod ament, quod postera secla loquentur,
Sic animi, manuum siue erat illud opus.
Complexus uigili meditatusq; omnia cura est

Sterneret ut laudi nobile promptus iter.
Vtq; solent animos quorum fortuna tumentes
Prægrauat arato flumine plena ruens.
Non hunc diuitiæ generis, non inclytus ordo,
Lubrica non uitæ tempora prima mouent,
Ocia pigra sequi segniúe fatiscere luxu
Victaq; delicijs turpibus ora dare.
Sed petit intenta cura meliora, colitq;
Recta, licet dura sint adeunda uia.
Ergo ubi sacra quibus se prima dicauerat ætas
Rite colens summo soluerat illa Deo:
Inde uices studijs lucis tribuebat, & umbræ
Non sterilem quenquam passus abire diem.
Scriptaq; iam ueterum tractabat clara uirorum
Quos uetat ingeniumq; eloquiumq; mori,
Libera iam numeris, docta iam lege reuincta,
Post quoq; uenturis uerba legenda dabat.
Hinc ubi se uirtus ad res uertebat agendas,
Facta ferens docui quæ facienda forent.
Est & adhortandis quæ uis firmißima cunctos
Exemplo fugiant quid cupiántue monet.
Inq; dies sese certabat uincere semper,
Parta nouis augens accumulansq; bonis.
Non fuit hoc animus feruens anniq; calentes.
Sed mores uitæ perpetuusq; tenor,
Sic puer incepit quantum est cœpisse minores,
Fractaq; sic didicit tempora ferre senex.
Ne suprema quidem lux hunc deprendit inertem
Doctior optabat dum meliorq; mori.
Nec latuit probitas, precium titulosq; recepit
Quos tribuit meritis inclyta Roma suis,
Summa datura quidem, sed & est laus hæc sua, summa
Tollere quum posset, parua putare satis.
Hunc age nate sequens tibi pectore fige tenaci,
Ferre gradum cupiens quò prior ille tulit,

Sic

Sic olim puero senior sic ibit ad omnes
　Perq; manus uiuus posteritatis aget.
Reddi ergo terris hunc non pete, non petit ipse,
　Et tibi si detur sæuius hoste noces.
Certus habet cœlum: cupidi quò tendimus omnes
　Quod nos sollicitos nocte dieq; tenet.
Morte doles, magis hoc quod sit lætabere felix
　Felicem gaudes, partius ergo dole.
Non amor aut pietas erit hoc: iniuria summa est
　Illi si quum sint omnia læta, doles.
Terge genas igitur, lachrymas & siste cadentes
　Inuidiaq; premens desine fata queri,
Ille quidem saluus manet, æternumq; manebit.
　Et meliore loco, iam meliorq; manet.
Tu tamen humanis indulge sensibus, atq;
　Laudis & officij pars tibi nulla uacet.
Et memori semper charum fer pectore nomen
　Hoc tibi nox referat, hoc referatq; dies,
Floribus & tumulum spargas lauroq; corones
　Perpetuisq; rosis ossa precare cubent.
Nescius ac ne quis sacra calcet busta uiator:
　Hoc breue sic carmen saxa notata ferant:

EPITAPHIVM MAVRICII
à Rodolpho Agricola æditum.

ECCE Spagelbergi Comes ordine clausus auorum
　Mauricius, pollens moribus, ore, fide:
Embrica præposito, quo læta Colonia fratre,
　Templo Petre tuo sacra colente fuit,
Condidit hic corpus studijs senioq; solutum
　Laus, decus ingenij, gloria, fama manent,
Pectoribus uiuent hæc doctis, uiuat ut astris
　Mens sacra, funde deo, qui legis ista, preces.

RODOLPHI AGRICOLAE IN
Philippum, Philippi ducis Brabantiæ
Nothum epitaphium.

HAC quicunq; uia transis, aduerte uiator
    Lumina, qdq; uelim paucula uerba lege.
Ecce iacet meritis & sanguine clarus auorum
    Cruibeca quo domino gaudia longa tulit.
Quem qui belligeros iusta ditione Brabantos
    Rexerat, & gentis gloria summa fuit,
Liber, & à thalami seiunctus iure Philippus
    Procreat, atq; suum nomen habere dedit.
Ipsa sibi titulos, aurumq; parauit equestre
    Virtus quoq; manet secula cuncta decus.
Grandia tam paruo fera mors premit ossa sepulchro,
    Mens ea quae meruit moribus, astra tenet.

ALIVD.

SI genus & probitas, magnaeq; modestia mentis
    Flectere fata queant, siue mouere preces,
Quod nollet (neq; enim tanti sibi uita) Philippus
    Viuus adhuc populi maximus esset amor.
Hunc creat absq; thoro, tenuit qui iusta Philippus
    Sceptra Brabantiaci duxq; decusq; soli.
Quod potuit magna matrem uirtute redemit,
    Et uirtute equitis nomina clara tulit.
Cum summas potuisset opes sumpsisse, modestas
    Maluit: & domino Cruibeca laeta fuit.
Saeua quod hic speres nihil est mors: nāq; per aeuū
    Viuent: fama uiris mensq; sacrata deo.

ALIVD.

QVisquis ades, cuius blāde mortalia mentem
    Sollicitant: monitis spernere disce meis.
Sum genitus, rapidū et iuuenile cadente Philippo,
    Laeta Brabantiaco quo duce terra fuit.
Sed cupijt genuisse thoro: dignusq; uidebar,
    Quod potui illius nomen amorq; fui.
Et genus aequanti bellis, ac mente manuq;
    Aurea promerui munera clarus eques.
Quid memorē cultus, quid opes, nomenq; decusq;?

Cuncta iacent, fluidis nunc age fide bonis.
Nec mea fata dole (serum est) tua fata timeto.
Sors mea præterijt, sors tua dura uenit.

ALIVD.

PAtris nomen habens, satus at sine lege Philippo
Clara Brabantiaci iura tenente soli,
Clarus eques titulis, domino quoque Cruibeca clara.
Quicquid erat, modicus nunc iacet ecce cinis.

ALIVD.

DVX cui dat uitam absq; thoro nomenq́; Brabantus
Crubicæ equesq́; tenens iura Philippe iaces.

MARGARETAE ET LODOuicæ sororum epitaphium.

MArgareta iacet simul & Lodouica, tenellas
Quas rapis ah nimium mors properante manu.
Has genuit Hampuans dominusq́; decusq́; Ioannes,
Laude equitis simul & iuris honore nitens.
Burgundæq́; domus columen, magnoq́; minister
Rectore, prima fides, consiliumq́; ducum.
Nondum ter uacuæ uiderunt cornua Lunæ,
Parca ferox summum clausit utriq; diem.
Vita nequiuit eas, iunxit mors, utq́; fuerunt
Vnus amor patris, unica claudit humus.

RODOLPHI AGRICOLAE.

HOC satus Heimanno tegitur sub marmore Petrus,
Mors quem prostratum te puto scena pudet.
Dignum nanq; fuit uel multis uiuere seclis
Pectus amicitiæ dulce potensq́; fide.
Non erat, ut repetas priscæ inclyta nomina famæ
Certior ulla fides, gratior ullus amor.
At tu quisquis amas tam firmæ pignora mentis
Huc ades, & Petro dic pie parce pater.
Obijt Kalendis Nouemb. Anno Christi M. CCCC. LXXI.

FINIS.


UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 00824 4793



